BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,

& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita


cum selectissimis Litteralibus Commentariis

Ioannis Gagnaei,
Ioannis Maldonati,
Emmanuelis Sa,
Guilielmi Estii,
Ioannis Marianae,
Petri Lanselii,
Thomae Malvendae,
Io. Stephani Menochii,
Iacobi Tirini,
Iacobi Gordoni,
& Iacobi Benigni Bossuet.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a Francisco Luca Brugensi observatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in sua singulæ capita tributæ: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

TOMUS UNDECIMUS
complectens alteros quinquaginta ex Psalmis.



VENETIIS
MDCCL.

Excuderunt { Modestus Fentius, &
Ioannes Tyberninus sub signo Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

PSALMUS LI. INCREPATORIUS.

In persona Doeg iniquos dolis suis superbientes increpat, & suo exemplo confundit.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori eruditio David, cum venit Doeg Idumæus, & annuntiavit Saul, & dixit ei: venit David in domum Achimelech.

Quid gloriaris in malitia potens: misericordia Dei tota die.
Insidias cogitavit lingua tua: quasi novacula acuta faciens dolum.

Dilexisti malum magis quam bonum: mendacium magis quam loqui iustitiam. Semper.
Dilexisti omnia verba ad devorandum linguam dolosam.
Sed Deus destruet te, in sempiternum terrebit te, & evellet de tabernaculo, & eradicabit te de terra viventium. Semper.
Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt.
Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: confortatus est in insidiis suis.

Ego autem sicut oliva virens in domo Dei: speravi in misericordia Dei in sæculum sempiternum.

Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum.

VERSIO VULGATA.

1. In finem, Intellectus David,
2. Cum venit Doeg Idumæus, * & nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech. I. *Reg.* XXII 9.

3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4. Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.
5. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.
6. Dilexisti omnia † verba præcipitationis, lingua dolosa.
7. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viventium.
8. Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: 9. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum:
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.
10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.
11. Confitebor tibi in sæculum quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Verſ. 1. *Et nuntiavit Sauli* : *Venit David in domum Achimelech*. Fruſtra addunt quidam, *Et annuntiavit Sauli*, *& dixit*: erronee autem, *Achimelech*, quod eſt *Frater meus Rex*, mutant cum *Abimelech*, quod eſt *Pater meus Rex* : qua de re late Notationes noſtræ.

Lectionum Varietas.

Verſ. 6. *Verba præcipitationis*, *lingua doloſa*. In aliis libris eſt, ut Græce, quarto caſu *linguam doloſam*.

Notatio.

Verſ. 2. Venit *David in domum Abimelech*. *Abimelech* ſcribunt Latina pleraque exemplaria cum Arnobio, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma, & Brunone, conſentientibus noſtris Græcis antigraphis, & Apollinaris pſalterio. Codicis vero Lobienſis Gallicum Pſalterium, & Romanum, Baſileenſia (a) item, & Quentetiana Biblia, & antiqua Epanorthotæ exemplaria legunt *Achimelech*, cum S. Hilario inter Latinos, & Theodorito, atque Euthymio inter Græcos, conſpirantibus Hebraicis, Chaldaicisque libris. Primi Regum Libri capite XXII. ubi hiſtoria & verba Doeg, quæ Pſalmi titulus recitat, commemorantur, Hebraici, Chaldaici, & Latini codices, *Achimelech* concorditer legunt: atque eo capite quod præcedit ſimiliter. Græci autem libri mirum in modum variant. Aldinum exemplar, & Argentoratenſe viceſimo primo capite legunt ἀβιμέλεχ, viceſimo ſecundo ἀχιμέλεχ. Baſileenſe utroque capite habet ἀβιμέλεχ excepto 14. verſu XXII. capitis, cui eſt ἀχιμέλεχ. In Argentoratenſi capitis XXI. primo loco, hoc eſt verſu 9. ex Vaticano caſtigatum habemus ἀβιμέλεχ, quomodo Theodoritus in hoc hiſtoriæ Regum loco, ubi Doegis ad Saulem verba narrantur, eſſe monet, Regium ex Complutenſi conſtanter ſcribit ἀχιμέλεχ, id quod genuinum magis eſſe videtur. Nam Enarratores Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, qui Græcis, aut ex Græco verſis libris uſi ſunt, in Regnorum Libro Achimelech ſe legiſſe ſignificant. Itaque Pſalterium Reverendiſſimi D. Lindani opera caſtigatum legit: *Venit David in domum Achimelech*. Ceterum D. Auguſtinus, quia in Pſalmorum codicibus magis *Abimelech* quam *Achimelech* invenit, *Abimelech* potius exiſtimat ſcriptum, & in myſterio mutatum a prophetico ſpiritu germanum ſacerdotis nomen, ne tamquam res hiſtoriæ perſequaris, & ſacrata vela contemnas: quam ob cauſam etiam in XXXIII. Pſalmi titulo *Abimelech* pro *Achis* poſitum arbitratur. Verum non magis a myſterio alienum eſt *Achimelech* nomen, quam *Abimelech*: & quemadmodum Auguſtinus myſterium *Abimelech* nomine ſignificatum prodit, ita Hilarius ſacramentum *Achimelech* nomine tectum retegit: quamquam cum ita ut hiſtoria habet, ſcribitur, non uſque adeo ad indaganda myſteria urgeamur. Sed parum movet, quod plures codices *Abimelech* habeant, cum quotidie comperiamus meliorem numerum a maiore ſuperari. Hæc dico, ſalva doctiſſimi iuxta ac Sanctiſſimi Auguſtini reverentia, qui agnoſcit etiam non abſurde ſentiri propter nominis ſimilitudinem, & unius ſyllabæ differentiam titulos variatos. Porro non accidit varietas ex vicinitate Hebraicarum litterarum ב & כ, id quod Hieronymo adſcriptus commentarius notat: „ *Venit*, habet, David *in domum Abimelech*. In Regnorum Libro, & in ipſo Hebraico Pſalterio *Achimelech* (hoc enim modo legendum eſſe, etiam ordinaria Gloſſa, in qua hæc referuntur, & Petri Lombardi collectanea comprobent) ſcriptum eſt: ſed quoniam *beth* ב & *caph* כ apud Hebræos litteræ modico apice diſtinguuntur, ideo error facilius obrepſit. " Craſſus ſane hoc loco eius qui errorem redarguit, error quem non facile Hieronymo adſcripſerim. Non enim per כ, ſed per ח (אֲחִימֶלֶךְ) Achimelech ſcribitur. Exiſtimant autem Theodoritus, Eutymius (in Pſal. XXXIII.) atque Epanorthotes binominem hunc fuiſſe, dictum & Abimelech, & Achimelech. Theodoritus quidem, quia in LI. Pſalmo vocetur Achimelech: in Regum vero prima hiſtoria Doim apud Saulem Abimelech acuſaſſe legatur. Epanorthotes autem, quia, ut inquit, iuxta Hebræum, & Hieronymum, I. Paralip. XVIII. 16. *Abimelech* iſte dicitur, id eſt Pater meus Rex, cui II. Reg. VIII. *Achimelech*, id eſt Frater meus Rex appellatur. Atqui non fuit iſte Achimelech ille cuius meminit Pſalmi titulus. Is enim cuius meminit titulus, regnante Saule Sacerdos maximus fuit, atque a Doege Saulis iuſſu interfectus eſt, antequam conſequeretur regnum David: ille autem cuius mentio eſt

II.

II. Reg. VIII. & I. Par. XVIII. istius fuit nepos ex filio Abiathare, & Pontifex, adepto regnum Davide. Hieronymus, sive quisquis auctor est quæstionum Hebraicarum in libros Paralipomenon, non aliud dicit, quam eum qui in Regum dicitur Achimelech, in Paralipomenon vocari Abimelech. Sed quemadmodum nepos & Abimelech dictus est, & Achimelech; sic potuit & avus utroque nomine vocatus fuisse. Verum ad hoc non cogunt nos Hebraici libri: constanter enim Achimelechem vocant, nisi XXXIII. Psalmi titulus, ubi *Abimelech* legitur, de hoc non de Achis Gethæorum Rege intelligendus sit, ut interpretantur nonnulli.

(a) *Ante annos 74. excusa.*

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN FINEM. Hebr. *Victori*.
Vers. 2. CUM VENIT, &c. Hebr. *Cum venit Doeg Idumæus ad Saulem, & nuntiavit illi: Venit David in domum Achimelech*.

V. 3. QUID GLORIARIS IN MALITIA? &c. Hebr. *Quid gloriaris in malitia, o potens? Misericordia Dei tota die* (adest iustis.)

V. 4. SICUT NOVACULA, &c. id est, quasi novacula acuta lingua tua dolosis verbis vulneravit innocentes.

V. 6. PRAECIPITATIONIS. Hebr. *perditionis*.

V. 7. ET EMIGRABIT TE DE TABERNACULO TUO. Hebr. *Tollet te de tabernaculo*.

V. 8. ET TIMEBUNT; id est, timebunt Deum; quasi diceret: Iniustus non percipiet ullum fructum, experiendis propriis calamitatibus, & iusti percipient videndis alienis.

V. 9. ET PRAEVALUIT IN VANITATE SUA. Hebr. *Corroboravit se in pravitate sua*; id est, confundit in peccatis suis.

V. 10. OLIVA FRUCTIFERA IN DOMO DEI, viridans, frondosa: hypallage; quasi dicat: Ego vero qui in Domino confido, ero sicut oliva viridis in domo Dei in æternum.

V. 11. CONFITEBOR TIBI IN SAECULUM QUIA FECISTI. &c. Hebr. *Confitebor tibi cum hoc feceris, & expectabo nomen tuum*; id est, confidam in nomine tuo, quia bonum est coram misericordibus tuis.

SA.

De iustorum, & iniquorum remuneratione.

Vers. 3. IN INIQUITATE, id est per iniquitatem.

V. 4. TOTA, id est omni. COGITAVIT, id est molitur. NOVACULA, scilicet quæ cum radere deberet, ferit.

V. 5. SUPER BENIGNITATEM. Hieron. & Chald. *magis quam bonum*. INIQUITATEM. Hieron. & Chald. *mendacium*. AEQUITATEM, id est id quod rectum est.

V. 6. PRAECIPITATIONIS, id est perniciosa. Hieron. *ad devorandum*. Chald. *voracitatis*. LINGUA DOLOSA. Græc. & Hieron. *linguam dolosam*.

V. 7. IN FINEM. Hieron. & Chald. *in sempiternum*. EMIGRABIT, id est migrare faciet. RADICEM TUAM, scilicet evellet. Hieron. & Chald. *eradicabit te*.

V. 8. VIDEBUNT. Chald. *inspicient punitionem*.

V. 9. ADIUTOREM. Hieron. & Chald. *fortitudinem suam*. Hieron. *confortatus est*. Chald. *fortis factus est*. VANITATE SUA. Hieron. *insidiis suis*. Chald. *opulentia sua*.

V. 10. FRUCTIFERA. Hieron. *vires*. Chald. *frondosa*. IN SAECULUM SAECULI. Repetitio præcedentis: Aug.

V. 11. FECISTI, scilicet quæ supradicta sunt. Chald. *Fecisti ultionem*. NOMEN, id est clementiam, seu bonitatem. BONUM, id est gratum, seu iucundum.

ESTII.

Vers. 3. & 4. QUID GLORIARIS IN MALITIA, QUI POTENS ES IN INIQUITATE? TOTA DIE INIUSTITIAM COGITAVIT LINGUA TUA. Ex Hebræo vertunt

tunt hoc modo Pagninus, & alii: *Cur gloriaris in malitia, o potens in iniquitate? Misericordia Dei est omni die*. Vide nihilominus Genebrardum defendentem nostram versionem ut Hebræo fonti conformem.

V. 11. CONFITEBOR TIBI IN SAECULUM, QUIA FECISTI: ET EXSPECTABO NOMEN TUUM, QUONIAM BONUM EST IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM. An sic: Expectabo nomen tuum in conspectu sanctorum tuorum, quoniam bonum est: an vero sic? quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum. Item an *sanctorum* generis masculini, an vero neutri? Iansenius masculinum accipit, & iungit cum *bonum est*. Hopperus masculinum quoque intelligit, sed illud, *In conspectu sanctorum*, iungit cum superioribus. Pagninus ex Hebræo, *coram misericordibus suis*. Et videtur sensus esse: Confitebor tibi, & nomen tuum, quoniam bonum est; expectabo palam apud sanctos tuos, quos misericordiæ ac bonitatis tuæ beneficiis prosequeris: ut *misericordes* passive accipiatur, pro iis quos misericordia præstatur.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, INTELLECTUS DAVID. Hebr. *Præfecto erudiens* (scilicet Psalmum Davidis.)

V. 2. CUM VENIT DOEG IDUMAEUS, ET NUNTIAVIT SAULI: VENIT DAVID IN DOMUM AEHIMELECH: I. Reg. XXII. 9. Ex titulo collige argumentum. Accusat Doeg: illi exitium, sibi salutem fore denuntiat.

V. 3. QUI POTENS ES IN INIQUITATE? Rom. Psalt. *iniquitate*, sine præpositione. Sic Græce, *δυνατὸς ἀνομίαν*. Ut alii virtutibus, sic quidam vitiis potentes evadunt. Heb. *in malo fortis*. *Misericordia Dei tota die*; quasi dicat: Deus non deserit suos, poterit in bonum vertere quæ tu cogitas.

V. 4. COGITAVIT LINGUA TUA. Lingua non cogitat: ergo corde quæ cogitasti, protulisti lingua. SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM. In quo est novaculæ dolus? cum debeat radere barbam, iugulum petit.

V. 5. SUPER; id est, magis quam benignitatem dilexisti malitiam. INIQUITATEM. Hebr. *mendacium*. QUAM LOQUI AEQUITATEM, id est iustitiam.

V. 6. VERBA PRAECIPITATIONIS, id est perniciosa, dilexisti. LINGUA DOLOSA. O lingua dolosa.

V. 7. DESTRUET TE IN FINEM, id est in perpetuum. ET EMIGRABIT. Active, pro migrare faciet. ET RADICEM; id est, totam stirpem, & familiam perimet, ex hac vita eiiciet, vel ex futura, quæ est TERRA VIVENTIUM.

V. 8. VIDEBUNT IUSTI tuum exitium. ET TIMEBUNT, Deum, aut sibi. ET SUPER EUM RIDEBUNT, scilicet super Doeg: irridebunt eum.

V. 9. ET PRAEVALUIT IN VANITATE SUA; id est, vanis mendaciis occidit sacerdotes. Hebr. *Et roboratus est in pravitate sua*. Quod initio dixit: *Potens est in iniquitate*. Et certe occidit sacerdotes.

V. 10. EGO AUTEM, &c. id est, restituar in domum Dei, & ibi ero ut oliva fructifica, seu *viridis*, Heb. quæ scilicet numquam spoliatur honore foliorum. Sic mea felicitas perennabit.

V. 11. QUIA FECISTI; pro, facies hanc rerum commutationem. ET EXPECTABO NOMEN TUUM. Constructio est Heb. pro, *sperabo in nomine tuo*. Aut *expectabo nomen tuum*, scilicet quod mihi promisisti, aut tuo nomine promissum est. IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM bonum est nomen tuum. Sic sancti iudicant, impii aliter.

MALVENDAE.

Vers. 1. INTELLECTUS. משכיל *mascil*. Vide Psalm. XXXI. vers. 1.

V. 2. CUM VENIT AD EUM DOEG IDUMAEUS. Vide historiam I. Samuel. XXI. 7. & XXII. 9.

V. 3. IN INIQUITATE. חסד *chesed*, in contraria significatione acceperunt LXX. & Noster: de qua vide in Levit. XX. 17. Modo Hebræa ita accipiunt: *Benignitas Dei omni die*. Varie exponunt. I. *Gratia Dei tota die mecum est*. II. *Misericordia Dei omni die*; subaudi, est cum sanctis, & numquam ea destituuntur, quamtumvis ad tempus permittantur libidini improborum. Vel, Tu quidem gloriaris maleficiis; nos contra gloriamur de bonitate & misericordia Dei, qua ille continenter uti-

utitur erga homines pios. III. *Clementia omnipotentis Dei adest bonis omni tempore.* IV. *Bonitas Dei exstat quotidie.* V. *Benignitas Dei-fortis omni die perdurat.* Notant esse amplificationem pervicaciæ, qua utebatur Doeg, a comparatione personæ, & consiliorum Dei; quasi dicat: Frustra laboras, utcumque glorieris: nam neque tu Deum expugnare potes, utcumque potens sis, neque tua improbitas benignitatem Dei perrumpere. Buchananus:

Innoxiis clementia
Divina semper excubat.

V. 4. INIUSTITIA COGITAVIT LINGUA TUA. Hebr. varie alii exprimunt. I. *Pravitates cogitavit lingua tua.* II. *Insidias cogitavit lingua tua.* III. *Contritiones cogitat lingua tua.* IV. *Perniciem molitur lingua tua.* V. *Sermonem pestilentem suppeditat sceleratus animus linguæ tuæ.* VI. *Corruptellas, perversitates cogitat lingua tua*, id est exprimit; quasi dicat: Sermone tuo prodis quem animum habebas, cum esses in tabernaculo, cum Achimelech. VII. *Ærumnas excogitatas depromit lingua tua.* Vim vocis Hebraicæ recte exprimit Hispanicus sermo: *Malas haziendas piensa tu lengua.* Hispanicus Interpres: *Agravios maquina tu lengua.* SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM. Heb. *Sicut novacula acuta faciens fallaciam*, seu *dolum*. Recte notant, participium *faciens* Hebr. referri posse & ad novaculam, quæ aberrans a rasura pilorum, petit iugulum; vel quam si leviter imprudens contingas, sua acutie vulnerat graviter: & ad linguam: item ad Doegum: Tu es faciens dolum; pro, dolose egisti, vel es artifex doli. Alii. I. *Quæ* lingua tua *simillima est novaculæ acutæ, cum ad resecandam barbam adhibita, aberrat, & iugulum petit.* II. *Perinde ut novacula exacuata aberrans.* III. *Similis es novaculæ acutæ, o artifex doli*; id est, ita laucias, & occidis lingua, ut culter rasorius secat: similitudo elegans, qua exprobrat David occasionem magis, de qua I. Samuel. XXII. 16. & seq. IV. *Sicut novacula acuta faciens ictum*, id est ictum, Hispanice *tiro*.

V. 5. INIQUITATEM MAGIS QUAM LOQUI AEQUITATEM. Hebr. *mendacium quam loqui iustitiam.* Nam Sauli graviter conquerenti de servis suis, quasi coniurati cum Davide essent, assentans Doegh, indicavit Achimelechum esse ex eorum numero. Vide in I. Samuel. XXII. 9. Adiicitur hic *Selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Diligis vehementissime*; 4. quasi dicat: O impietatem, & malitiam tuam, o Doeg! o indignitatem, o facinus!

V. 6. OMNIA VERBA PRAECIPITATIONIS. Proprie: *Omnia verba absorptionis, deglutionis, ingurgitationis, devorationis, demersionis*; id est, quibus octoginta quinque sacerdotes, & integram urbem Nob gladio hausisti, absorbuisti, demersisti in interitum & exitium: I. Samuel. XXII. vers. 18. & 19. Alii. I. *Omnia verba perditionis, corruptionis*; id est, quæcumque perniciem afferre possunt proximo. II. *Omnes sermones perniciosos.* III. *Omnis generis imposturas, ut illis subvertas innoxios.* IV. *Omnia verba depressionis*, seu *destructionis*. LINGUA DOLOSA. Hebr. & potest esse accusativus, & ablativus, *lingua dolosa*: & vocativus, O tu, qui es lingua dolosa.

V. 7. DESTRUET TE. Hebr. *Demoliturus est te*, quamvis excelse, & firme exstructus tibi videaris: prima metaphora. *Evellet te.* יחתך *iachticcha*, a חתת *chathath*, *consternabit, franget, conteret, te*; a חתה *chathah, accipiet, desumet, abripiet te*, tamquam prunam, vel ignem de loco suo in vas aliquod: nimirum tamquam candentem prunam e medio tollunt artifices, ne damnum afferat: secunda metaphora. ET EMIGRABIT TE DE TABERNACULO. Varie reddunt. I. *Et avellet te a tentorio*; id est, amovebit, & quasi paxillum reprobum te refiget Deus, ne amplius Sauli ministrare, & ipsius domum adiuvare possis: tertia metaphora. II. *Et abradet te de tabernaculo*, ut postea non sis habitaturus in tabernaculis pastoralibus. III. *Et extrahet te de tentorio.* IV. *Et præcidet te de tentorio.* Proprie: *Et evertet te de tentorio*; hoc est, tamquam *exuerram* proiiciet te foras: elegans metaphora, rei funestæ & abominandæ. ET RADICEM TUAM. Hebr. nunc proprie est verbum: *Et eradicabit te*; id est, radicitus evellet te, exstirpabit te: nempe te, tuam firmitatem, potentiam, opes, familiam, posteritatem tuam tollet de mundo: quarta metaphora. Additur *Selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Vehementissime fun-*

funditus; 4. O iustum Dei iudicium, sic punientis improbos.

V. 8. ET TIMEBUNT. Quidam: *Et revertebuntur*, id est reverenter Deum colent. Alii: *Et stupebunt*. ET SUPER EUM RIDEBUNT. Quidam: *Et de isto ridebunt, dicentes*. Alii: *Et super eo cum risu dicent*.

V. 9. ET PRAEVALUIT IN VANITATE SUA. Diversimode ex Heb. convertunt. I. *Confortabitur in insidiis suis*. II. *Roborabitur in pravitate sua*. III. *Robur suum ponit in pernicie sua*; id est, in hoc putat se fortem, si aliis perniciem attulerit. IV. *Roboratus est per fraudem suam*. V. *Sceleri fidit*. VI. *Sceleribus potentiam affectavit*. VII. *Obfirmatus est in pravitate sua*. VIII. *Roborabat se in substantia sua*. De voce הוה *havva* vide Notas in Iob cap. VI. vers. 2.

V. 10. EGO AUTEM, SICUT OLIVA FRUCTIFERA, &c. Insignis gloriatio fidei, qua utitur David, ostendens se in mediis calamitatibus securum esse, certa spe salutis suæ, hoc versu: cuius nomine pollicetur se omnia officia fidei, & pietatis exhibiturum Deo, versu sequente. FRUCTIFERA. Hebr. *virens*, id est florens, & fructum præstantem proferens in Ecclesia, abs qua nunc exsulare cogor. Sic Psalm. 1. vers. 3.

V. 11. CONFITEBOR TIBI IN SAECULUM, QUIA FECISTI. Alii. I. *Laudibus efferam te, quia fecisti hoc*. II. *Gratias agam tibi sempiternas, pro his quæ fecisti*. III. *Celebrabo te in sæculum, quoniam facturus es*; subaudi, quod dixi; id est, quia de Doego pœnas sumpturus es, & ipsum deleturus. Præteritum pro futuro, more prophetico, ob rei certitudinem. IV. *Celebrabo te in sæculum, quod feceris ista*. Prius officium fidei, laudare Deum secundis rebus. ET EXPECTABO NOMEN TUUM, &c. Diversimode ex Hebr. reddunt. I. *Et expectabo nomen tuum*, id est favorem tuum: *quoniam bonum est coram misericordibus tuis*. II. *Et expectavi nomen tuum, quoniam bonum est expectare coram gratiosis tuis*. III. *Et colam nomen tuum, quoniam gratum est apud sanctos tuos*. IV. *Et patienter expectabo clementiam tuam, quæ respondet ipsi nomini tuo, apud sanctos tuos gravissimo*. V. *Et præstolabor nomen tuum, quoniam ante bonos tuos bonum est*. VI. *Et expectabo nomen tuum, quia bonus es coram eis quos benignitate prosequeris*. Alterum officium fidei, sperare in Deo cum res adversæ obveniunt. IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM. Plerique iungunt cum *bonum est*: alii cum initio versus, *Confitebor tibi in sæculum in conspectu sanctorum tuorum*. Hebr. *benignorum*, *beneficorum tuorum*: bifariam accipiunt, ut alibi passim: vel active, id est qui benefici, & pii sunt in alios; passive, id est quos tua benignitate, gratia, misericordia, prosequeris & dignaris.

MENOCHII,

Vers. 1. INTELLECTUS DAVID. Vide dicta ad titulum Psalmi XXXI.

V. 2. CUM VENIT DOEG, &c. Historiam habes I. Reg. XXII. 9.

V. 3. QUID GLORIARIS IN MALITIA. Gloriabatur enim Doeg, quod accusatione sua perdidisset sacerdotem Domini, & omnem familiam eius. QUI POTENS ES IN INIQUITATE: qui potentia qua apud Saulem vales, abuteris ad scelus. Vel qui promptus es, & alacer ad iniquitatem patrandam.

V. 4. TOTA DIE, quovis tempore, vel *per singulos dies*, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ut habet Symmachus. COGITAVIT LINGUA TUA. Lingua tua non est lapsa per imprudentiam, sed cogitatam, & præmeditatam malitiam locuta est. SICUT NOVACULA ACUTA, quæ præter expectationem aberrans secat carnem, & iugulum, loco capillorum, & barbæ.

V. 5. SUPER BENIGNITATEM, Hebr. & Chald. *magis quam bonum*. AEQUITATEM, iustitiam, id quod iustum est.

V. 6. VERBA PRAECIPITATIONIS. In Græco est καταποντισμοῦ, *demersionis*, in Hebræo בלע *balangh*, *devorationis*. Verba quæ bonis, præsertim sacerdotibus Domini præcipitationem, devorationem, perniciemque attulerunt. LINGUA DOLOSA. O lingua dolosa! est enim vocativi casus.

V. 7. DESTRUET TE IN FINEM, in perpetuum, funditus, ut feras pœnam talionis: quod indicat textus Hebræus, in quo habemus: *Etiam te destruet Deus*. EMIGRABIT TE. Active, expellet, transferet te. DE TERRA VIVENTIUM, hominum qui in hac vita degunt.

V. 8.

V. 8. Videbunt exitium tuum. Timebunt. Deum timebunt, venerabuntur, reverebuntur: nam timor hoc loco non servilem significat, sed filialem. Super eum ridebunt. Eius supplicio, & ultione lætabuntur, iudicia Dei comprobando, tamquam iustarum ultionum spectacula, & exempla, quibus ceteri erudiantur.

V. 9. Ecce homo. In Hebr. est הנה הגבר *hinne haggeber*. Vox autem גבר *geber* non sonat hominem quemlibet, sed aliis præcellentem virtute, vel potentia. Videtur esse ironia. Italice diceremus, *Ecco là il bravo*. Non posuit Deum adiutorem suum: spem suam in Deo non constituit. Praevaluit in vanitate sua. In Hebr. est: *Roboratus est in pravitate sua*; id est, per dolos, ac scelera roboravit te contra innocentes, & illis prævaluit.

V. 10. Sicut oliva fructifera. Doeg quidem eradicabitur, ego autem similis ero virenti, & florenti olivæ. In domo Dei: in regno Israelitico, in quo Deus colitur, & e quo nunc exulo,

V. 11. Confitebor tibi: laudabo te. Quia fecisti, scilicet misericordiam mecum, & cum Doeg insignem vindictam. Expectabo nomen tuum, ~~te,~~ tuum auxilium, vim, virtutem, efficaciam tui nominis. Quoniam bonum est, &c. Quoniam bonum est expectare nomen tuum. Vel quoniam nomen tuum dulce est, & suave in conspectu sanctorum tuorum, id est sanctis tuis, iudicio sanctorum tuorum.

TIRINI.

Vers. 2. Cum venit Doeg Idumaeus. Occasione enim illius proditionis scriptus est hic Psalmus.

V. 4. Sicut novacula acuta: quæ dum rite adhibetur abradit superflua, & noxia corpori; dum vero *facit dolum*, seu aberrat, gravissime vulnerat, & exitium affert: sic tu, o proditor, lingua tua sacerdotibus Domini exitium attulisti. Ita Theodoretus.

V. 6. Verba praecipitationis. Hieronymus, & Chaldæus, *verba orationis*, seu *ad devorandum*; id est, concinnasti nuntia perniciosa, quibus totam familiam pontificiam præcipites in exitium, Græce, *in submersionem*.

V. 7. Destruet te Deus in finem. Hieronymus, & Chaldæus, *in sempiternum*. Emigrabit te. Hebraismo, pro emigrare te faciet, ut vertit Chaldæus. Radicem tuam, id est progeniem, familiam, opes, & potentiam tuam; quasi dicat: Funditus excinderis tu: ego autem, quem excisum putas,

V. 10. Sicut oliva fructifera, plantabor in domo Domini, id est in Ecclesia, & loco tabernaculi fœderis, a quo nunc exulo; quasi dicat: Ego instar vivæ olivæ, fixus spe quasi radice in Deo, quamvis iam tuis, & aliorum hostium calumniis obrutus, & extinctus videar, tamen, ubi tempus advenerit, iterum frondebo, florebo, fructificabo, idque *in æternum*.

V. 11. Quia fecisti; id est, tua providentia, sapientia, & potentia curasti ut suo tempore fieret in me quod iam dixi. Unde patienter expectabo nomen tuum, id est te, tuam clementiam & misericordiam: quia apud sanctos, qui te recta fide norunt, habes celebre nomen, & bonum, Græce χρηστὸν, id est *iucundum*, *utile*, *amabile*.

GORDONI.

Titulus: In finem, intellectus David, &c. Quid sit *intellectus* vide Psal. xxxi. reliqua nota sunt ex Lib. I. Reg. cap. xxii. ubi de calumniatore Doeg in Davidem, & Abimelec sacerdotem. Psalmus pro argumento assurgit ad pœnam calumniatorum, impiorumque, & præmium bonorum. Infelicem quidem exitum sortiuntur calumniatores: sed hinc etiam intelligat qui calumniam patitur, sibi esse cum Davide intellectum necessarium.

Vers. 3. Qui potens es in iniquitate. Septuag. ἀνομίᾳ. In Hebr. *qui potens es in misericordias Dei*: in qua versione explicanda desudant multi; sed certe multum tribuendum est versioni Septuag. *potens in iniquitate*. Accedit etiam Chaldæus, *potens ad effundendum sanguinem iustum*. Denique vox Hebr. חסד *chesed*, non tantum misericordiam, sed

sed etiam opprobrium significat; & sic notatur crimen Doeg, velut opprobrium Dei: nam in Hebr. est אל, per Tsere. Cetera Paraphrasis.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 3. usq. ad 8. Ut totus hic Psalmus iugulum petit calumniatorem, hoc initium asperius eos interrogat, cur in hac malitia glorientur, & perseverent *tota die*; hoc est, perseverant in fabricanda impostura, vulnus aperiunt, ut novacula. Et totam hanc calumniosam delationem suggerit, inquit David, mala voluntas. Propterea perdet te Deus.

V. 8. *& seq.* Novit Deus uti malo in bonum. Sic dum castigatur hæc impietas calumniantium, iusti hoc videntes erudiuntur ad bonum, & ad contemptum iniquitatis. Hinc David imponens finem sermoni, statuit recte vivere, & longe abesse a tanta impietate.

BOSSUET.

Vers. 2. DOEG IDUMAEUS, in aula Saulis vir primarius; potentissimus quippe Pastorum: I. Reg. XXI. 7. atque inter servos eius primus, XXII. 9. quo indice cum accepisset Saul egregie exceptum esse Davidem ab Achimelech Sacerdote, ipsum, atque universam eius familiam interfici iussit. Quod facinus cum satellites horruissent, Doeg Idumæus eorum supplevit vicem. Itaque octoginta quinque sacerdotes cæsi, Nobe eorum urbs excisa, universis civibus interfectis: Ibid. XVII. XVIII. XIX.

V. 3. QUID GLORIARIS? &c. Sensus planus: sic autem est in Hebr. *Quid gloriaris o tu qui es potens? misericordia Dei tota die*, Hieron. non tecum, sed cum sanctis est: & ita Chald.

V. 4. SICUT NOVACULA ACUTA, &c. quæ cum tangere leniter, & tantum radere videretur, alte infigitur, ac velut blandiendi specie vulnerat. Ita Doeg cum Achimelech in tabernaculo Domini amicitiæ pietatisque specie versatus, fœdo indicio viros optimos prodidit, I. Reg. XXI. 7. XXII. 9.

V. 6. PRAECIPITATIONIS, absorptionis, demersionis: *καταποντισμοῦ*, LXX. *ad devorandum*, Hier. cuius quippe consiliis, manuque tot egregii viri, tantaque urbs perierit. LINGUA DOLOSA: *o lingua dolosa!* Hebr. *linguam dolosam*, Hier. LXX. supple dilexisti.

V. 7. IN FINEM, in sempiternum. EVELLET TE. Comparatione ducta ab arbore excisa: & nota vim verborum. EMIGRABIT TE, *amovebit*, *abradet*, Hebr. delebit, excidet, ne trunco quidem relicto: denique eradicabit.

V. 8. ET DICENT deest Hebr. sed subintelligendum.

V. 9. DIVITIARUM SUARUM. Erat enim Doeg locupletissimus. Vide argumentum IN VANITATE SUA, *pravitate*, Hebr.

V. 10. EGO AUTEM SICUT OLIVA: non ut Doeg arbor excisa, sed FRUCTIFERA, *virens*, Hier.

PSALMUS LII. MORALIS.

Vide Psal. XIII. *cui hic simillimus ; nonnullis additis quibus David cæsum Rabsacis exercitum , & Ierusalem obsidione liberatam præcinere videatur . Theodor. Vide vers. 6. & 7. Nec mirum hæc prædixisse David, quæ propter ipsum futura essent :* Protegam enim hanc urbem , dicit Dominus propter David servum meum : IV. Reg. XIX. 34.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori per chorum eruditio David.

DIxit stultus in corde suo : Non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt iniquitate, non est qui faciat bonum.

Deus de cælo prospexit super filios hominum : ut videat si esset intelligens, requirens Deum.

Omnes aversi sunt , pariter adhæserunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum.

Numquid non cognoverunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis : Deum non invocaverunt .

Ibi timuerunt timore ubi non est timor : quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te : confunderis quia Deus proiecit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel : cum reduxerit Deus captivitatem populi sui , exultabit Iacob , lætabitur Israel.

VERSIO VULGATA.

In finem , 1. * Pro Maeleth intelligentiæ David.

DIxit (*a*) insipiens in corde suo : Non est Deus.

2. Corrupti sunt , & abominabiles facti sunt in iniquitatibus : non est qui faciat bonum .

3. Deus (*b*) de cælo prospexit super filios hominum : ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

4. Omnes (*c*) declinaverunt , simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum .

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem , qui devorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent : confusi sunt , quoniam Deus sprevit eos.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel ? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

(*a*) Psal. XIII. 1. (*b*) Psal. XIII. 2. (*c*) Rom. III. 12.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Verſ. 1. *Pro Maeleth intelligentia David*. Cave ne pro *Maeleth*, ſcribas, transpoſitis primis litteris, *Ameleth*, aut, quod peius eſt, *Amalech*. Denique non mutes genitivum *intelligentia* cum nominativo *intelligentia*, aut *intellectus*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. HEbr. מחלת. Nomen inſtrumenti muſici, aut initium carminis, ut placet Rab. Abenezra, aut morbus, ut Chaldæo.

V. 2. Corrupti sunt, &c. Heb. *Corruperunt* (viam ſuam) *& abominabilem fecerunt iniquitatem*.

V. 4. Omnes declinaverunt, & Heb. *Omnis ille* (filius hominis) *defexit* (a recta) *ſimul computruerunt*, aut corrupti ſunt.

V. 5. Nonne scient omnes? &c. Hebr. *Nonne cognoſcunt omnes qui?* &c. Verba Dei per perſonam; quaſi diceret: An numquam me cognoſcent, neque invocabunt? Poteſt autem intelligi aut reſponſio negans, Non, aut affirmans: Ego efficiam caſtigando, ut reipſa experiantur eſſe Deum.

V. 8. Illic trepidaverunt timore, &c. Hebr. *Ibi paverunt pavore, non fuit pavor*, id eſt pavore tali qualis numquam fuit, inaudito, incredibili. Deus dissipavit ossa eorum, &c. Hebr. *Deus diſſipabit oſſa obſidentis te*, id eſt me, *& confundes*, id eſt confundam (eos) *quia Deus repudiavit illos*.

S A.

De peccatorum obſtinatione.

Verſ. 1. PRo Maeleth. Nomen eſt inſtrumenti muſici. Chald. *ſuper choros*. Hieron. *per chorum*. Intelligentiae. Hieron. *eruditio*. Dixit, id eſt cogitavit. Vide Pſal. xiii. Insipiens. Chald. *nequam*.

V. 4. Declinaverunt. Hieron. *averſi ſunt*. Chald. *retroceſſerunt*. Inutiles facti sunt. Chald. *inquinati ſunt*. Usque ad unum, id eſt ne unus quidem.

V. 5. Scient, ſcilicet Deum, ſeu quod æquum eſt. Ut cibum panis; id eſt ut ſolet panis.

V. 6. Timor, id eſt cauſa timendi. Dissipavit. Præteritum pro futuro. Ossa, id eſt robur.

V. 7. Quis dabit? pro, utinam Deus det. Salutare, id eſt ſalutem. Chald. *redemptionem*. Converterit. Hieron. & Chald. *reduxerit*.

ESTII

ad Pſal. lii. nulla Annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN finem, pro Maeleth (Hebr. *ſuper Mahalath*) intelligentiae David. Hebr. *erudiens* (ſcilicet Pſalmus) *Davidis*. Cetera ex iam dictis perſpicua. *Mahaleth* inſtrumentum erat, aut cantilena, ad cuius modos hic Pſalmus decantari iubetur ob carminis ſimilitudinem. Invectiva eſt in impios: ac fere hic Pſalmus cum xiii. convenit & verbis, & ſententia. Dixit insipiens in corde suo, tantam impietatem proferre non auſus. Dixit, pro cogitavit, credidit impius: Non est Deus.

V. 2. Abominabiles facti sunt in iniquitatibus, id eſt propter iniquitates; quaſi dicat: Tanta impietate concepta in omnia mala proruperunt.

V. 5. Nonne scient? id eſt, nonne ſapient?

V. 6. Deum non invocaverunt. Hæc eſt origo mali: & quomodo invocabunt quem eſſe non credunt? Illic trepidaverunt, &c. Metuunt ubi nulla eſt timendi

di causa. Illi religionem repudiant, ut se liberent metu (religio ex metu est) & maioribus terroribus implicantur. Quoniam Deus dissipavit ossa. Hæc est causa timendi, quia Deus disiecit ossa, id est fortitudinem, eorum qui hominibus placent: & ideo Deum esse negant. Hebr. *obsidentis te*; id est, Deus tuus hostibus metum incussit, & abstulit fortitudinem iis qui te obsidebant, o Ierusalem. Confusi sunt, id est ceciderunt spe sua. Deus sprevit eos, vel aversatus est eos,

V. 7. Quis dabit ex Sion, id est ex Sion egressus, Salutare Israel? Hebr. *salutes Israel?* quis Israelem ab oppressione quam patitur, liberabit? Hoc de Christo, & de Apostolis potest intelligi, qui ex Sion profecti, Israelem, id est Ecclesiam asseruerunt in libertatem.

MALVENDAE.

Vers. 1. PRo Maeleth. Hebr. *Super Machalath*. Deducunt a חלה *chalah*, forma regiminis, quæ tamen pro absoluta usurpari videatur, pro מחלה *machalah*, id est *ægritudo*, *infirmitas*: voluntque vel esse nomen instrumenti musici, ad cuius sonitum hic Psalmus decantaretur; vel initium vulgaris alicuius cantilenæ, ad cuius modulos caneretur. Alii a חלל *chalal*, & idem esse putant quod מחול *machal*, & forsan hic legendum pluraliter מחולות *mecholoth*, *super choros*, vel *super chorum*. Nonnulli a נחל *nachal*, unde reddunt, *Super hereditatem:* vel esse nomen instrumenti musici, sic dicti, quod sono imitaretur murmur, seu susurrum labentis torrentis. Aliqui reddunt, *Ad pneumaticum instrumentum*; ac volunt *Machalath* nomen esse generale ad omnia instrumenta musica, quæ excavata, & perforata sunt, ac inflari solent, & dicuntur Pneumatica, ut tibiæ, fistulæ, tubæ, buccinæ: atque idem omnino esse quod נחילות *nechiloth*, de qua voce vide Notas in Psalm. v. 1. sed sunt hæc ob vetustatem nimium obscura & incerta. Intelligentiae. Heb. משכיל *mascil*. Vide Psalm. xxxi. vers. 1.

V. 2. Dixit insipiens, &c. Hic Psalmus eiusdem argumenti est cum Psalmo xiii. & plurima ex parte eisdem cum illo verbis constat: inde petendæ sunt Notæ. Et abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Hebr. *Et abominari fecerunt iniuriam*. Alii: 1. *& abominabilem fecerunt iniquitatem*; vel *& abominandam designarunt iniquitatem*: 2. *& abominandam perpetrant iniquitatem*.

V. 6. Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Varie ex Hebr. elucidant. I. *Illic consternarunt pavore, quibus pavor non est*; id est, tunc timebunt illi, quibus antea nullus fuerat timor. II. *Tunc timebunt metu, quali metu numquam antea timuerunt*. III. *Ibi expavescunt pavore, ubi non est pavor*; id est, ubi nulla apparet expavescendi causa; quasi dicat: A Deo nihil metuunt, ab hominibus metuuntur; & tamen suis terroribus, & conscientiæ stimulis agitantur. Dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. Diversimode convertunt. I. *Dispersit ossa castrametantis contra te*, vel *obsidentis te*, seu *circumdantis te*. II. *Dissipabit ossa eorum qui te oppugnant*. III. *Disperdet ossa illorum qui exercitum educere conabuntur adversum te*, o Christe. IV. *Dissipat ossa cuiusque castra habentis contra te*; id est, penetrat, & pertingit usque ad intimas illorum partes, & valentissimas: diffringit, vel dissipat omne robur & vires oppugnantium te, o popule mi: nam est apostrophe ad populum Dei. Verbum פזר *pizzar* proprie est *rupit*, *disrupit*, *ditraxit*, *dispersit*, *dissipavit*, *fregit*. Confusi sunt. Heb. *Pudore affecisti*, vel *pudefacis* eos qui populum Dei fuissent pudefacturi, ut Psalm. xiii. 6. Quoniam Deus sprevit eos. Verbum מאס *maas* proprie est, cum fastidio, ceu rem vilem, & contemptam abiecit eos, sprevit, respuit, reprobavit, aspernatus est eos.

V. 7. Salutare Israel. Hebr. pluraliter, *Salutes Israelis*. Numerus auget significatum, id est omnimodam, plurimam salutem.

MENOCHII.

Vers. 1. PRo Maeleth. Heb. אלמחלת *al machalath*. Videtur esse nomen musici instrumenti, cui Psalmus sit associandus. D. Hieronymus vertit *per chorum*, Chald. *super choros*; ut sensus

ſus ſit, Pſalmum compoſitum fuiſſe, ut a choro muſicorum canatur. Prior expoſitio videtur verior. INTELLIGENTIA DAVID. Vertere etiam poſſis, *Intellectus David*. Vide dicta ad titulum Pſalmi XXXI. DIXIT INSIPIENS, &c. Eſt hic Pſalmus non ſolum eiuſdem argumenti cum Pſalmo XIII. ſed etiam quæcumque hoc continentur, in illo etiam habentur, exceptis verbis illis verſiculi ſexti: *Quoniam Deus diſſipavit*, &c. quæ hic explicabuntur: reliqua petes ex loco indicato.

V. 6. DISSIPAVIT OSSA EORUM, &c. ad nihilum redegit vires, omnemque fortitudinem eorum qui Deo placere non ſtudent, nec illum invocant, ſed quærunt hominibus gratificari, pendentque ab illorum auxilio, & favore. CONFUSI SUNT, &c. pudore afficientur a Deo: quoniam eos a ſe abiiciet in æternas miſerias.

TIRINI.

Verſ. 1. PRO MAELETH, id eſt pro parturiente, ſeu dolente, nempe Eccleſia in perſecutione, inquit ſanctus Auguſtinus. Hebraice, *ſuper machalath*, quod Symmachus, Hieronymus, & Chaldæus vertunt *ſuper choros*; Theodotion, *pro chorea*; Aquila *pro tripudiis*. Mariana putat nomen eſſe inſtrumenti muſici, vel initium cantilenæ vulgo notæ, ad cuius modos hic Pſalmus decantari iubetur.

V. 6. DEUS DISSIPAVIT OSSA, id eſt vires omnes, & robur EORUM QUI HOMINIBUS PLACENT. Hebraice eſt *chonach*, id eſt *obſidentium*, vel, ut vertit Chaldæus, *exercituum flagitioſorum*, LXX. *hypocritarum*, ſeu qui turpi adulatione ſolis hominibus, maxime potentioribus & principibus, non item Deo placere ſtudent, ut faciunt athei, & politici. Ita Hilarius. Videntur ergo LXX. non legiſſe *chonach*, ſed *choneph*.

GORDONI.

Titulus. IN FINEM, PRO MAELETH &c. Vide titulum Pſalm. XXXI. videndum tantum hic quid ſit *Mahelet*. Septuaginta retinent vocem Hebraicam; quam aliqui horum interpretantur, ut denotetur Pſalmus a multis, aut publice canendus: alii, quod probabilius videtur, inſtrumentum quoddam muſicum intelligunt: quod ſatis denotatur Pſalm. CL. 4. Verum eſt nomen hoc corrupte legi a quibuſdam. Hebr. על מחלת *hal machalath*. Septuag. μαελέθ.

Verſ. 1. HAbet hic Pſalmus pro argumento deplorationem inſipientiæ mortalium, qui egent propterea auxilio Chriſti, ac proinde non abeſt hoc ab argumento Pſalmi XIII. & fere idem eſt Pſalmus. Solum hic obſervo quod ibidem notatum eſt, tres ibi poſitos verſiculos, nec hic, nec in Hebræo haberi.

V. 6. QUONIAM DEUS DISSIPAVIT OSSA EORUM QUI HOMINIBUS PLACENT. Nam tales inflati ſunt humano timore, ſeu mundano; totumque iſtorum ſtudium, ac deſiderium, eſt placere hominibus. Ceterum Hieronymus ſecutus Hebræum, vertit: *Diſperſit oſſa circumdantium te*, ſeu, ut alii habent, *caſtrametantium contra te*. Hebr. חנך *chonach*, *obſidentis*, a radice חנה, *caſtra poſuit*. Attamen Sept. habent ἀνθρωπαρέσκων, ut noſter Vulgatus, *qui hominibus placent*; proinde videtur legiſſe חנף *chonaph*, a radice חנף, *fœdavit*, *hypocrita fuit*, aut *adulator*: tales ſunt qui hominibus placere volunt.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

QUæ in hoc Pſalmo continentur, explicata ſunt Pſalm. XIII.

V. 6. Hic dat cauſam, cur impii trepident: quia, inquit, Deus infirmat eorum conatus.

BOSSUET.

Verſ. 1. PRO MAELETH, *per chorum*, Hier. Ita Theodor. & Symm. ex Theodor. DIXIT INSIPIENS.... NON EST DEUS. Sic ille Rabſaces: *Nec conturbet vos Ezechias dicens: Dominus liberabit nos. Ubi eſt Deus Emath, & Arphad? Quis eſt ex omnibus diis terrarum iſtarum qui eruerit terram ſuam de manu mea, ut eruat Deus Ieruſalem de manu mea?* Iſa. XXXVI. 18. 19. 20.

V. 6. EORUM QUI HOMINIBUS PLACENT. Senſus planus, cum Deo non homini-

minibus placere nos oporteat. Sed aliter Hier. *ossa circumdantium te: castrametantium circa te*: Aqu. & Symm. ex Theodor. Est autem pronomen *te* femininum in Hebr. unde ad Sion, vel Ierusalem referendum. CONFUSI SUNT : *confunderis*, Hier. verbum masc. iam ad hostem sermone converso. Alii ex Heb. *pudore affecisti*; supple, hostes tuos, o Israel! de quo vers. seq. quæ quidem egregie conveniunt Rabsacis excidio, & Ierusalem ab obsidione liberatæ.

V. 7. QUIS DABIT EX SION? Quis dabit ut ex Sion salus universi Israelis & incipiat, & inde annuntietur per omnes urbes? Supple, Deus hoc dabit: & ita contingit IV. Reg. XIX. Isa. XXXVII.

PSALMUS LIII. MORALIS.

Deus suorum custos, & vindex.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori in Psalmis eruditio David: quando venerunt Ziphæi, & dixerunt Saul: Nonne David absconditus est apud nos?

DEus in nomine tuo salva me; & in fortitudine tua ulciscere me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quia alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum in conspectu suo. Semper.

Ecce Deus auxiliabitur mihi: Dominus sustentans animam meam.

Redde malum insidiatoribus meis: in veritate tua disperde eos.

Voluntarie sacrificabo tibi: confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione liberavit me, & inimicos meos vidit oculus meus.

VERSIO VULGATA.

In finem, 1. In carminibus intellectus David.

2. Cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos? I. *Reg.* XXIII. 19. & XXVI. 1.

3. DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua iudica me.

4. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

6. Ecce enim Deus adiuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

7. † Averte mala inimicis meis: * & in veritate tua disperde illos.

8. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

BRU-

BRUGENSIS.

ROMANA CORRECTIO.

V. 7. *Et in veritate tua disperde illos*. Quidam *virtute*, quod est fortitudine, legunt pro *veritate*, quæ opponitur falsitati; male: nec minus male alii *disperge*, quod est disciplina, pro *disperde*, quod est perde.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 7. *Averte mala inimicis meis*. Quod in aliis libris est futurum tertiæ personæ *avertet*, præferendum videatur, si expendatur Notationes.

NOTATIO.

Vers. 7. A*verte mala inimicis meis*. Sic cum Enarrationibus Cassiodoro, Beda, Haymone, Remigio, & Brunone multa manuscripta. Sed correctiora, suffragantibus Hilario, & Augustino (non enim textus sequendi, sed commentaria introspicienda sunt) *Avertet* habent: Brugense, Lobiense, & antiqua Epanorthotæ. Atque hæc Græcorum codicum lectio est ἀποστρέψει τὰ κακὰ τοῖς ἐχθροῖς μου, quam exponens Euthymius, ait: „ Illa nimirum „ mala, quæ illi adversum me meditabantur, in eos convertet. " Apollinaris traduxit κακὰ δυσμενέεσσιν ἀποστρέψειας ἐμοῖσιν. Hebraice similiter est ישוב הרעונו, id est *revertetur malum ad inimicos meos*; vel ut legunt (nam illo modo scribunt) יָשִׁיב הָרַע לְשֹׁרְרָי *reddet*, aut *convertet malum in inimicos meos*. *Reddet*, non *redde* Hieronymus vertit, si Epanorthotæ, & castigationibus exemplaribus fides habetur; ad eumdem modum Chaldaice est יְתִיב בִּישׁ לִמְעִיקַי *convertet malum in eos qui affligunt me*; vel, ut in Veneta editione est, יְתוּב בִּישָׁא, *revertetur malum* &c. Græca Regis editio cum Complutensi pro ἀποστρέψει, habet ἀποστρέψον, id quod transferunt *avertes*: sed rectius transferatur *avertet*, tam si Græcum, quam si Hebraicum attendatur. Verisimilior igitur Latinorum codicum lectio est *avertet*. *Avertet* autem *mala inimicis meis*; hoc est, detorquebit mala in inimicos meos. Existimarim *avertet* in *averte* mutatum, quod sequatur: *In veritate tua disperde illos*. Sed non est infrequens Psalmographo subita personæ mutatio. Hilarius, exposito illo *Convertet mala inimicis meis*: dehinc, ait rursum fit ad personam Dei, ad quem primum deprecatio erat cœpta conversio: *In veritate tua disperde illos*. Qua in parte non est addenda *&* coniunctio, quam Epanorthotes cum ex fontibus, tum ex verioribus exemplaribus omittendam admonet: nec cum Augustino legendum est *virtute*: haud dubie enim codicis mendo falsus est: nec denique, quæ quorumdam fuisse videtur lectio, scribendum est *disperge*. Hebræa namque vox הַצְמִיתֵם, & Græca ἐξολόθρευσον *disperdere* significant.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN FINEM IN CARNIBUS. Heb. *Victori in* בנגינות, *in instrumentis* (pulsandis.) Vide Psal. IV.

V. 2. Idem argumentum est Reg. XXIII. & XXVI.

V. 3. IUDICA ME. Hebr. *Age causam meam*.

V. 6. ECCE ENIM DEUS ADIUVAT ME. *Ecce Deus auxiliatur mihi, &* (est) *inter eos qui sustentant animam meam*.

V. 7. AVERTE MALA INIMICIS MEIS. Hebr. *Reddet* (Deus) *mala inimicis meis, & in veritate tua extermina illos*: mutatio personæ.

V. 9. ET SUPER INIMICOS MEOS, &c. *In hostibus meis vidit oculus meus* (*vindictam*, ut Chaldæus addit, aut, ut alii, *quod volui*.)

V. 3. NOMINE, id est potentia. VIRTUTE. Hieron. *fortitudine*. Repetitio est. IUDICA. Hieron. *ulcifcere*.

V. 5. ALIENI, scilicet a Deo, vel alienigenæ. Chald. *Superbi*. FORTES, id est violenti. QUAESIERUNT, scilicet ut perderent.

V. 6. ECCE, pro sed. SUSCEPTOR. Hier. & Chal. *sustentans*. ANIMAE, id est vitæ.

V. 7. AVERTE; Hieron. *Redde*; Chald. *Convertere*; quasi dicat: Verte in eos mala quæ mihi parant, avertendo a me. VERITATE, id est ut promisisti.

V. 8. VOLUNTARIE, id est libenter, seu toto corde. NOMINI TUO, id est tibi. BONUM, id est iucundum, seu amabile.

V. 9. DESPEXIT. Chald. *Vidit ultionem*.

ESTII.

Vers. 3. DEUS IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC. *In nomine tuo*, id est in virtute tua. Sequitur enim expositio: ET IN VIRTUTE TUA IUDICA ME; id est, per virtutem & potentiam iudica pro me contra inimicos meos, debellans, & conterens eos.

V. 9. QUONIAM EX OMNI TRIBULATIONE ERIPUISTI ME, ET SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS. Pro *despexit*, Hebr. est *vidit*. Despicere enim non significat hic contemptum, quamvis etiam non sit ille incommodus sensus, ut dicat se contempsisse inimicos suos, tanquam invalidos, & qui proditione sua ei nocere non potuerint; sed est videre, inspicere. Et sensus est: Oculus meus vidit ultionem super inimicos meos: & ita eripuisti me de manibus eorum, ut etiam ultionem eorum viderim; iuxta illud Hierem. IX. *Videam ultionem tuam ex eis*. Itaque significat impletum in eos, quod paulo ante optabat: *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde eos*.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, IN CARMINIBUS. Hebr. *in pulsationibus*, de quo in titulo Psalm. IV. INTELLECTUS DAVID. Heb. *erudiens* (scilicet Psalmus) *Davidis*.

V. 2. CUM VENISSENT ZIPHAEI. De hoc I. Reg. XXIII. 19. Titulus pro argumento. Deum contra inimicos implorat.

V. 3. ET IN VIRTUTE TUA, robore tuo. IUDICA ME, vindica me, aut *libera me*: sic Psalt. Rom.

V. 5. ALIENI. Sic Ziphæos vocat. ET FORTES, scilicet milites Saulis. Utrique in me conspirant. ET NON PROPOSUERUNT DEUM; id est, Deum nihil curantes, me volunt opprimere.

V. 6. ECCE ENIM DEUS. Adversus hæc mala Deus mihi præsto est. SUSCEPTOR, tutor, adiutor. ANIMAE MEAE, id est vitæ meæ.

V. 7. AVERTE MALA, scilicet a me in hostes. Hebr. *Reddet mala*, scilicet Deus illis, quæ in me cogitarunt. ET IN VERITATE TUA, ut es pollicitus. שׁוּב *sub*, id est *redde*, puto legendum, non *iasub*, id est *reddet*, quod quæ sequuntur sint in secunda persona, scilicet disperde illos. Hieron. *Redde mala insidiatoribus meis*.

V. 8. VOLUNTANRIE, non coactus, sed spontanea oblatione. ET CONFITEBOR, laudabo nomen tuum.

V. 9. QUONIAM EX OMNI TRIBULATIONE ERIPUISTI ME. Hoc scilicet dicam, quod ex omni tribulatione. ET SUPER INIMICOS, id est contra inimicos meos. DESPEXIT. Hebr. *respexit*: quod cupiebat, id vidit oculus meus, adversarios prostratos.

MALVENDAE.

Vers. 1. IN CARMINIBUS. Heb. *In Neghinoth*. Vide Psalm. IV. vers. 1. INTELLECTUS. Heb. *Mascil*. Vide Psal. XXXI. vers. 1.

V. 2. CUM VENISSENT ZIPHAEI, &c. Historiam habes I. Samuel. XXIII. 19. & XXVI. 2. nam his prodiderunt Davidem Ziphæi Sauli.

V. 3. IN NOMINE TUO. Diversimode alii: *Per nomen tuum: propter nomen tuum: pro maiestate nominis tui*: ut nomen tuum colant boni: *Tuo favore, & auxilio: propterte*. IUDICA ME. Exponunt: Age causam meam, vindica me, ius meum tuere, ulciscere iniuriam mihi illatam, assere meam innocentiam.

V. 5. ALIENI, sive exteri. Explicant, id est Ziphæi, & alii, qui utcumque Israelitæ sint secundum carnem, & professionem externam; operibus tamen ostendunt se a Deo, & a religione, & ab omni humanitate alienos esse, prout sequentia verba docent. FORTES. עָרִיצִים *gha-*

ghatzirim, *prævalidi*, *valentes*, *robusti*, *potentes*, *violenti*, *tyranni*, *formidabiles* : ut Iob VI. 23. Saulem, & aulicos eius intelligit. NON PROPOSUERUNT DEUM ANTE CONSPECTUM SUUM. Additur hic *selah*; id est 1. *In perpetuum* ; 2. *Ita plane res habet*; 3. *Maxime*; 4. *O quam perniciosum malum carere timore Dei*! O indignitatem, o rem luctuosam & lacrymabilem! o infandum scelus!

V. 6. ECCE ENIM DEUS ADIUVAT ME. Fides Davidis præsentissima in veritatem promissionum Dei, quam deinde eventus ipse a Deo confirmavit, cum Saul fuit per nuntium revocatus a persequendo Davidem, I. Samuel. XXIII. 27. & 28. DOMINUS SUSCEPTOR EST ANIMAE MEAE. Hebr. *Adonai in sustentatoribus animæ meæ*, vel *inter sustentatores animæ meæ*, id est inter eos qui tutantur, & sustentant animam meam; hoc est, aderit iis qui auxilio mihi fuerint, & meas partes tuebuntur. Alii: *Dominus est e numero eorum qui tutantur animam meam*. Nonnulli : *Dominus est inter eos qui sustentant vitam meam*; id est, assistit mihi, & comitatui meo. Aliqui: *Dominus est cum his qui sustentant animam meam*; id est, favet paucis illis qui meorum discriminum, & periculorum socii & comites sunt.

V. 7. AVERTE MALA INIMICIS MEIS. Heb. est duplex lectio: in textu, *Revertetur malum*, *redibit*, *recedet* ; in margine, *Reddet*, *rependet* : quod quidam in imperativum resolvunt: *Redde*, *reduc malum*. Quidam : *Ipse retorquebit malum quod mihi parant*, *in eos qui iniuria afficiunt me*. INIMICIS MEIS: proprie, *observatoribus meis*, id est in omnes qui me observant, ut male faciant mihi. Quidam, *inspectoribus meis*, id est Ziphæis, qui omnes latebras meas inspectabant, ut deferrent Sauli. ET IN VERITATE DISPERDE ILLOS. Enallage personæ. Varie explanant. I. *In veritate tua facies concidere eos*. II. *In fide tua*, vel *per fidem tuam*, id est ut promisisti, sive ut promissa præstes, *succide eos*. III. *In veritate tua extermina eos*, id est vere & efficaciter. IV. *Pro bona fide tua* in servandis promissis *subverte illos*. V. *Per veritatem tuam*, id est fidem & constantiam in præstandis promissionibus tuis, atque iudiciis, *succide eos*. VI. *Et in fide tua diminue eos*. VII. Nos diximus : *In fide tua constringe eos*; id est, firmiter, valide comprime, vinculis arcta.

V. 8. VOLUNTARIE SACRIFICABO TIBI: Hebr. *In spontaneitate*, *liberalitate*, *devotione*, *munificentia*, *sacrificabo tibi*, id est spontanee, liberaliter, devote, magnifice. Nam id nomen in eiusmodi locutione solet adverbiascere. Allusum putant ad sacrificium spontaneitatis, de quo Levit. VII. 16. QUONIAM BONUM EST. Potes etiam reddere: *Quoniam bonus es tu*.

V. 9. QUONIAM EX OMNI TRIBULATIONE ERIPUISTI ME, prout petiveram, supra vers. 3. Hebr. est enallage personæ: *Eripuit*, *eruit*, *me*. ET SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS. Hebr. *Et in inimicis meis vidit oculus meus*; subaudiunt ultionem, seu optata, quod volui, vel qualia, quisque vellet in capitalibus inimicis suis, prout postulaveram supra vers. 7. Alii: *Et inimicos meos aspicit oculus meus*; id est, per nomen tuum ita confirmor, ut in eos intrepide oculos meos configam, & faciem opponam : sic infra Psalm. LVIII. vers. 11. Quidam : *Et in hostibus meis vidit oculus meus*; id est, eos intuitus sum, & in eorum conspectu liber evasi, I. Samuel. XXVI. Nonnulli: *Probe edoctus sum a Deo quomodo cum hostibus meis agendum sit*. Buchananus:

Mihi dedisti gaudia
Haurire læto lumine
De clade gentis perfidæ.

MENOCHII.

Vers. 1. IN CARMINIBUS. Vide dicta ad titulum Psalmi IV. INTELLECTUS DAVID. Vide dicta ad titulum Psalmi XXXI.

V. 2. CUM VENISSENT ZIPHAEI, &c. Historiam habes I. Reg. XXIII. num. 19.

V. 3. IN NOMINE TUO, potentia, & virtute tua, cui omnia cedunt. IN VIRTUTE TUA. Idem est quod dixerat, *in nomine tuo*. IUDICA ME: patrocinare mihi, & pro me innocente sententiam fer, cum sis iustus iudex.

V. 5. ALIENI, extranei, alienigenæ. Sic appellat Ziphæos, qui proximi videbantur, sed corde a David erant alieni: vel certe universum Saulis exercitum. FORTES, violenti, sævi. ANIMAM MEAM, vitam meam. NON PROPOSUERUNT DEUM

ANTE

ANTE CONSPECTUM SUUM. Ob oculos mentis suæ Deum sibi non constituerunt, ut eius timore proposito revocarentur a scelere.

V. 6. ECCE ENIM DEUS ADIUVAT ME. Quasi dicat: Non tamen est quod illos metuam, cum pro me Deum habeam. SUSCEPTOR, tutor, adiutor, defensor vitæ meæ.

V. 7. AVERTE MALA INIMICIS MEIS, in caput, & perniciem eorum convertens quæ contra me machinantur. IN VERITATE TUA: per tuum verum promissum, per tuorum dictorum fidem, & veritatem. DISPERDE ILLOS, exscinde, dissipa.

V. 8. VOLUNTARIE SACRIFICABO IBI: animo voluntario, ultro, sponte, libenter: vel ultra debitum, spontanea oblatione non tantum persolvam quæ lege tua imperasti, sed alia sponte insuper addam. CONFITEBOR NOMINI TUO: laudabo, & celebrabo nomen tuum.

V. 9. SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS. In Hebr. *Et inimicis meis vidit oculus meus*, id est ultionem a Deo immissam. Itaque est oratio imperfecta, quæ aliquo addito supplenda est, ut non infrequenter occurrit in Scriptura. Vox illa, *despexit*, non significat contemptum, ut patet ex Hebraica voce ראתה *raatha*, & verti potuisset *respexit*. Sensus ergo est: Inimicos meos libere, & sine timore spexit oculus meus, & quomodo illos ultus sit Deus, contemplatus est.

TIRINI.

Verf. 3. IN NOMINE TUO, id est te ipso, tuaque clementia & misericordia: ET VIRTUTE TUA, id est robore ac potentia, IUDICA, vindica, & *ulciscere me*, ut Hieronymus vertit.

V. 7. AVERTE, scilicet a me in hostes meos proditores, mala quæ mihi machinantur. IN VERITATE TUA; id est, sicut promisisti te facturum. Sic enim ordinarie contingit impiis, dum piis insidias struunt, inquiunt Hilarius, & Augustinus.

V. 8. VOLUNTARIE, id est non coactus, sed sponte mea & perlibenter.

V. 9. DESPEXIT. Hebraice, & Chaldaice: *Vidit ex alto*; supple, ultionem infligi a Deo. Ita Augustinus, & Theodoretus.

GORDONI.

Titulus. IN FINEM IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID, &c. Historia hæc habetur I. Reg. cap. XXIII. Recte vero *intellectus David*: nam urgente hac proditione, intellexit sibi esse ad Deum confugiendum, a quo liberatus est. Ceterum Ziph est nomen duarum urbium quæ erant in Iuda, unde Ziphæi.

Verf. 7. IN hoc Psalmo, deficientibus humanis remediis, David se convertit ad Deum. Hic tandem est prædictio ruinæ inimicorum, sub forma imprecationis, ac si diceret: Averte mala quæ mihi impendent, & converte illa contra inimicos meos.

V. 9. SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS. Sept. habent ἐπεῖδεν, Noster *desprexit*, hoc est eos deorsum aspexit, velut deiectos; Hebr. ראתה *raatha*, *vidit*, *respexit*; rad. ראה.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verf. 3. *usq. ad* 6. DEus *in nomine tuo*, &c. Domine, mihi in tot angustiis constituto, ostende in potentia auxilium. Ad te iudicem provoco, quoniam alieni insurgunt, satellites Saul, & Ziphæi. Alieni, inquam, a te Domine, & a tua iustitia, aut denique corde alieni.

V. 6. *Ecce enim Deus adiuvat me*, &c. Dum David circumdatus a satellitibus, tantum non caperetur, & interim ille Deum oraret pro removendo periculo hoc, ecce nuntium ad Saulem, fieri a Philisthæis incursionem, & repente liberatur David, I. Reg. cap. XXIII. hinc ad repentinum Dei auxilium quasi exclamat David, dicens: En certe Deus adiuvat me.

V. 7. *Averte mala inimicis*; hoc est, averte a me, & converte in hos inimicos. Hæc prædictio imprecatoria brevi impleta est, ad montes Gelboe, ubi cecidit Saul cum suis. Hinc mox David, quasi præscius futurorum, pollicetur sacrificium laudis, & gratiarum actionem, quando ita videt (forte ex revelatione rei futura) prostratos hostes, & se liberatum.

BOSSUET.

Vref 5. ALIENI, id est hostes. Chald. legit *superbi*: *zedim* pro *zarim*, apice immutato.

V. 7. AVERTE MALA: *redde malum*, Hier.

PSALMUS LIV. DEPRECATORIUS.

David fugiens Absalom & Achitophel II. *Reg.* xv. *Vide Psal.* III. LXIX. LXX.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori in Psalmis eruditio David.

EXaudi Deus orationem meam, & ne despicias deprecationem meam. Attende mihi, & exaudi me: humiliatus sum in meditatione mea & conturbatus,

A voce inimici, a facie persequentis impii: quoniam proiecerunt super me iniquitatem, & in furore adversabantur mihi.

Cor meum doluit in vitalibus meis; & terrores mortis ceciderunt super me. Timor & tremor venit super me, & operuit me caligo.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas columbæ, ut volem & requiescam?

Ut procul abeam, & commorer in deserto: Semper.

Festinabo ut salver a spiritu tempestatis & turbinis.

Præcipita Domine; divide linguas eorum:

Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.

Die & nocte circumeuntes muros eius: scelus & dolor in medio eius.

Insidiæ in vitalibus eius, & non recedit de plateis eius damnum & fraudulentia.

Non enim inimicus exprobravit mihi ut sustineam: neque is qui oderat super me magnificatus est, ut abscondar ab eo.

VERSIO VULGATA.

1. In finem, In carminibus intellectus David.

2. EXaudi Deus orationem meam; & ne despexeris deprecationem meam: 3. Intende mihi, & exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum 4. a voce inimici, & a tribulatione peccatoris.

† Quoniam declinaverunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.

5. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

6. Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.

7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?

8. Ecce elongavi fugiens: & mansi in solitudine.

9. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate.

10. * Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.

11. Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas: & labor in medio eius, 12. & iniustitia.

Et non defecit de plateis eius usura, & dolus.

13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

Sed

Sed tu homo unanimis meus, dux meus, & notus meus.

Qui simul habuimus dulce secretum, in domo Dei ambulavimus in terrore.

Veniat mors super eos, descendant in infernum viventes: quoniam nequitiæ in congregatione eorum, & in medio eorum.

Ego ad Dominum clamabo, & Dominus salvabit me.

Vespere & mane & meridie loquar & resonabo, & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam, ab appropinquantibus mihi: multi enim fuerunt adversum me.

Exaudiet Deus, & humiliabit eos, qui iudex est ab initio. Semper. Non enim mutantur, neque timent Deum.

Extendit manum suam ad pacifica: contaminabit pactum suum.

Nitidius butyro os eius: pugnant autem cor illius; molliores sermones eius oleo, cum sint lanceæ.

Proiice super Dominum caritatem tuam, & ipse enutriet te: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Tu autem Deus deduces eos in puteum interitus: viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem fiduciam habeo tui.

(a) Matth. vi. 25. Luc. xii. 22. Petr. v. 7.

14. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus.

15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

16. Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes:

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum.

17. † Ego autem ad Deum clamavi: & Dominus salvabit me.

18. Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.

19. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant: quoniam inter multos erant mecum.

20. Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: 21. Extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum eius, 22. Divisi sunt ab ira vultus eius: & appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula.

23. Iacta (a) super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

24. Tu vero Deus deduces eos, in puteum interitus.

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum.* Non interiicias coniunctionem *&*.

Lectionum Varietas.

V. 4. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates.* Alii legunt numero singulari *iniquitatem*.

V. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me.* In aliis est præteritum *salvavit*.

Notationes.

Vers. 4. Q*uoniam declinaverunt in me iniquitates.* Multi Latini codices cum Beda, & Remigio plurali numero legunt *iniquitates*, quibus Græci quidam adstipulantur. Epanorthotes: „ Græcus, in„ quit habet *iniquitates*. " Psalterium Græco-

cum manuscriptum Tornacensis exemplaris; item id quod Parisiis excusum est, atque ex S. Victoris codice emendatum; illud etiam quod est in Hieronymi operibus ex Chevallonii editione; denique id quod separatum excudit Stelsius anno 43. plurali numero, primoque casu legunt ἀνομίαι. ὅτι ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀνομίαι; quam lectionem & Euthymius agnovit. „Quædam, ait, „exemplaria *iniquitates* habent, in recto „casu, & tunc expone quod iniquitates; „hoc est, iniqui homines moti sunt contra „me." Alii Latini libri numero singulari scribunt *iniquitatem* (*a*); antiqui Epanorthotæ, duo Parisiensium, unus Hentenii, unus noster cum Gallico Psalterio ex Jacobi editione: hoc modo ex commentariis legisse coniicias Hilarium, Hieronymum, & Cassiodorum; huic lectioni conformiter habent complura exemplaria Græca ἀνομίαν; quæ & Euthymii prior est lectio: huic consonat quod Hebraice est כִּי יָמִיטוּ עָלַי אָוֶן *quoniam volvent* (futurum pro præsenti, aut præterito) *super me iniquitatem*, item quod Chaldaice: *Quoniam testificabuntur contra me* שִׁקְרָא *mendacium*. Non male igitur D. Lindanus Psalterium correxit: *Quoniam declinaverunt in me iniquitatem*. Sed etsi *iniquitates* legendum esset, existimarem cum B. Iansenio non primo casu intelligendum; quia potius Græcos codices, quibus ἀνομίαι legitur, depravatos ex ἀνομίαν: sunt enim ν & ι Græcæ litteræ figura admodum similes, præsertim, si ipsius iota inferior pars, nonnihil ut fit, elevetur. Apollinaris carmine reddidit: οὕνεκεν ἀμπλακίας μοι ἐπικλίνουσιν ἀγήρας.

V. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me*. Alii codices habent: *Et Dominus salvavit me*, ita ut præteritum præterito respondeat. Antiqui Epanorthotæ, quatuor Parisiensium, sex Hentenii, novendecim nostri. Atque hoc modo Haymo Alberstattensis, & Remigius Antissiodorensis legunt. Græcis etiam duplex est aoristus ἐγὼ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξα, καὶ ὁ κύριος ἐσάωσέ με: sic enim Vaticanum exemplar scribit: alia, Apollinari, & Euthymio suffragantibus habent καὶ ὁ κύριος εἰσήκουσέ (*b*) μου. Hinc veteris Latinorum Psalterii translatio fuit: *Et Dominus exaudivit me*, quam Arnobius, Hilarius, Augustinus, Cassiodorus, & Romanum Psalterium sequuntur. Sed quid Arnobium, ut ceteris antiquiorem studiose propono, cum non constet satis, illius esse Arnobii commentaria, qui Lactantii præceptor fuit? nam in Psalmi cix. commentario Photinum nominatim confutat. Altera Græcorum lectio, ex qua fortassis nostra fuit versio, Hebraicis, & Chaldaicis consonat libris; quibus tamen duplex est futurum, sed quæ recte pro præteritis accipiantur, ut etiam Hebraicus Scholiastes indicat.

(a) *Haymo utriusque meminit lectionis. Vet. su. Ge. ar. Brug.*
(b) " Torn. Epincsen.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. HEbr. *Victori* בִּנְגִינֹת, *in musicis instrumentis*, ut Psalmo præcedenti, & Psal. IV.

V. 2. EXAUDI DEUS, &c. Hebr. *Auribus percipe Domine orationem meam, ne abscondas te a deprecatione mea.*

V. 3. CONTRISTATUS SUM, &c. Hebr. *Plangam*, aut clamabo *in sermone meo, & tumultuabor.*

V. 4. MOLESTI ERANT MIHI. Heb. *Insidiati sunt mihi.*

V. 6. TENEBRAE. Hebr. *Terror.*

V. 8. ECCE ELONGAVI FUGIENS. Heb. *Ecce elongabo*, pro elongarem, *me fugiendo, & morarer in solitudine.*

V. 9. EXPECTABAM, &c. Hebr. *Accelerarem mihi liberationem*, id est celeriter fugerem, *ut me liberarem a vento turbinis & tempestate*, id est ab iis qui mihi hos turbines, & tempestates cient: aut festinarem magis quam ventus turbinis & tempestatis.

V. 10. PRAECIPITA DOMINE, &c. Heb. *Dissipa, Domine, divide linguam eorum* (sicut in turre Babilonica) *quia vidi iniuriam & contentionem in civitate*. Timebat sibi ad insidiis & consiliis suorum civium, cum fugeret Absalon, II. Reg. XV. & XVI. & XVII.

V. 11. DIE AC NOCTE CIRCUMDABIT EAM. &c. Hebr. *Die ac nocte circumdans eam super muros cives*, id est proprii cives, qui super muros eius sunt. Iniquitas, atque perversitas est in medio eius.

V. 12. ET INIUSTITIA. Hebr. *Perversitates* (sunt) *in medio eius*, id est homines perversi, *& recessit a platea omnis fraus & dolus.*

V. 13.

V. 13. QUONIAM SI INIMICUS MEUS MALEDIXISSET MIHI. Hebr. *Quia non inimicus probro me affecit* (quia) *sustinuissem*. Non qui me odio habebat contra me se se extulit, quia abscondissem me ab illo.

V. 14. TU VERO HOMO UNANIMIS. Hebr. *Sed tu homo iuxta æstimationem mei*; id est, quem eodem loco habebam quo meipsum, ut interpretatur Rabbi David Kimhi.

V. 15. QUI SIMUL MECUM DULCES CAPIEBAS CIBOS. Hebr. *Qui simul dulcescere faciebamus secretum*; id est, qui inter nos suaviter secreta nostra communicabamus: *in domo Dei ambulabamus in societate*, id est simul, quasi socii.

V. 16. VENIAT MORS SUPER ILLOS. Heb. ישי, *grassetur mors super illos*, & *descendant in infernum viventes*, id est subito: & Psalm. LVII. 10. & Proverb. I. 12.

V. 18. NARRABO, ET ANNUNTIABO. Hebr. *Precabor*, & *tumultuabor*, id est conquerar. VESPERE ET MANE, ET MERIDIE; id est, quotiescumque oravero, exaudiet vocem meam.

V. 19. AB IIS QUI APPROPINQUANT MIHI. Hebr. ab illo contra me, id est quod exurgit contra me. Quando cum multis (hostes mei) erunt contra me; quasi diceret. *Si consistant adversum me castra non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*: Psal. XXVI. 3.

V. 20. QUI EST ANTE SAECULA. Heb. *Et manet ab initio* סלה; id est, cum alios mutet, ipse non mutatur: quoniam non sunt mutationes illis; id est, non mutant malam mentem, & non timent Deum.

V. 2. EXTENDIT MANUM SUAM IN RETRIBUENDO. Hebr. *In pacificos suos* (cum quibus ante pacem inierat) & *violavit fœdus suum* (propter eorum iniquitatem.)

V. 22. DIVISI SUNT AB IRA: Hebr. *Leniverunt butyra os eius*; id est, videtur os eius (adversarii mei) lenitum esse butyro, & bellum in corde eius.

V. 23. CURAM TUAM. Hebr. *Onus tuum*; & ipse sustentabit te.

S A.

Oratio in persecutione.

Vers. 2. INTENDE. Hieron. *Attende*. EXERCITATIONE, id est afflictione, vel oratione. Hier. *meditatione*.

V. 4. A VOCE, id est propter minas. TRIBULATIONE, id est ob persecutionem. Chald. *ob infestationem*. DECLINAVERUNT. Hieron. *proiecerunt*; quasi dicat: Imposuerunt mihi. INIQUITATES, id est falsa crimina. IN IRA, id est irati.

V. 5. CONTURBATUM EST. Hier. *Doluit*. Chal. *Contremiscit*. CECIDIT, id est irruit.

V. 6. TENEBRAE. Chald. *formido*, scilicet horror, ut solet in tenebris: vel calamitates: sic enim solent appellari, ut contra, prosperitas, lux.

V. 7. SICUT COLUMBAE, id est celeres. ET VOLABO. Hieron. *ut volem*.

V. 8. ECCE ELONGAVI, &c. Hieron. *ut procul abeam*, & *commorer in deserto*.

V. 9. EXPECTABAM, pro expecto, vel expectarem. FECIT, pro faceret. PUSILLANIMITATE, id est timore, seu mærore. TEMPESTATE, id est afflictionum procella.

V. 10. PRAECIPITA, scilicet in mala; quasi dicat: Perde eos. Chald. *dissipa*, DIVIDE; quasi dicat: Fac ut diffideant inter se, atque ita impediantur eorum consilia. CONTRADICTIONEM, id est contentionem, seu seditionem.

V. 11. CIRCUMDABIT, scilicet inquitas, SUPER MUROS, id est altius, seu fortius quam muri. LABOR, id est oppressio. Hieron. *dolor*. Chald. *falsitas*.

V. 12. PLATEIS; quasi dicat: Palam fit malum. USURA. Hieron. *damnum*. Chald. *mendacium*.

V. 13. MALEDIXISSET, id est probris affecisset. SUPER, id est contra.

V. 14. TU. Chald. *Tu Achitophel*. UNANIMIS, id est amicus. DUX, id est consiliarius. Chald. *præceptor*. NOTUS, id est familiaris.

V. 15. CIBOS, id est confabulationes. Hieron. & Chald. *secretum*. AMBULAVIMUS, scilicet Deum colentes.

V. 16. VENIAT, pro veniet; quasi dicat: Digni sunt morte, & æterno supplicio. VIVENTES, scilicet ut olim Core, & Dathan. MEDIO, id est corde: Aug.

V. 17. CLAMAVI. Hieron. *clamabo*. Chald. *orabo*. SALVABIT. Chald. *redimet*.

V. 28. NARRABO, id est exponam afflictionem meam. Chald. *orabo*. EXAUDIET, scilicet spero.

V. 9. REDIMET, id est liberabit. APPROPINQUANT, scilicet ut noceant. INTER MULTOS ERANT MECUM. Hieron. *Multi fuerunt adversum me*. MECUM, id est contra me. *V.* 20.

V. 20. Exaudiet, scilicet me. Commutatio, scilicet a malo. Et non; pro, quia non.

V. 21. Extendit, scilicet Deus. Retribuendo, scilicet illis quod merentur; quasi dicat, puniendo. Contaminaverunt, &c. quasi dicat, quia violantur pactum eius, scilicet non servantes præcepta.

V. 22. Divisi, &c. quasi dicat: Iram, quam corde retinent, vultu dissimulant. Super, id est plusquam.

V. 23. Curam, Hieron. *caritatem*. Chald. *spem*. Tuam, id est tui. Fluctuationem, id est turbationem, seu afflictionem; quasi dicat: Liberabit tandem malis quibus premitur. Chald. *egestatem*.

V. 24. Deduces. Chald. *deturbabis*. Puteum interitus. Chald. *profundam gehennam*. Sanguinum, id est sanguinarii. Non dimidiabunt, &c. quasi dicat: Non pervenient ad dimidium vitæ, quam sibi promittebant, vel quam possent naturaliter vivere.

ESTII.

Vers. 16. Et descendant in infernum viventes. Infernus in genere significat infera loca. Quidam hic sepulcrum intelligunt. Sed videtur omnino sic intelligendum, quod hic dicitur, quomodo illud, quod est Num. xvi. de Dathan, & Abiron, qui hiatu terræ viventes absorpti sunt. Vide eius loci Notationes: nam ad eam historiam hic alluditur.

V. 19. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum. Augustinus legit *in multis* in neutro genere, & intelligit versum de hæreticis, qui in multis scilicet sunt cum catholicis, utpote quia multa cum iis habent communia, ut Scripturas, sacramenta aliqua, cæremonias, denique multorum articulorum quasi fidem: non tamen omnia, nempe non ea propter quæ sunt hæretici. In Hebræo habetur: *Quoniam in multis fuerunt mecum*. Pagninus vertit: *Quoniam multi sunt mecum*. Hieronym. *Multi enim fuerunt adversum me*. In Græco: *Quia in multis erant mecum*: ubi vox *multis* tam neutro, quam masculino genere accipi potest, quæ Græce est πολλοῖς, ad utrumque ambigua.

MARIANAE.

Vers. 1. In finem, in carminibus intellectus David. De hoc titulo sæpe dictum est. Orat Deum, ut se servet a simulatis amicis. Hebræi dicunt, scriptum esse hunc Psalmum in rebellione Absalonis. Mox vers. 14.

V. 2. Et ne despexeris. Hebr. *ne abscondas te*. Sic solent qui preces admittere nolunt. Ergo ne despexeris deprecationem meam.

V. 3. Contristatus sum. Hebr. *Ploravi*. In exercitatione mea. Heb. *lamentatione mea*; id est, dum mea mala conqueror. Græce, ἐν ἀδολεσχίᾳ, *in meditatione*; dum considero mea mala.

V. 4. A voce, id est propter vocem eorum qui mihi insultant. Declinaverunt, active; id est, imposuerunt mihi crimina falsa. Et in ira, id est irati, furibundi, erant mihi molesti.

V. 7. Tenebrae, id est calamitates maximæ. Heb. *Terror venit super me*.

V. 7. Quis dabit? id est, utinam haberem pennas instar columbæ, ut me in tutum subducerem.

V. 8. Ecce elongavi; pro, elongarem, si eas pennas haberem. Et mansi; pro, manerem in deserto.

V. 9. Expectabam eum, expectarem. Qui salvum me fecit, id est faceret, aut fecit alias. Hebr. *Festinarem eruere me*. A pusillanimitate spiritus. Græc. ὀλιγοψυχίας, *ab angustia animi*. Hebr. *ab spiritu*, id est *vento turbinis & tempestatis*. Sic Hieron. & Chald. Itaque vocem רוח *ruah*, Sept. pro *spiritu*, id est anima, sumpserunt, a cuius angustia datis pennis cuperet liberari. Alii pro *vento*, id est persecutione.

V. 10. Praecipita, perde hostes. Divide linguas eorum, ne inter se consentiant. Quoniam, pro sane, quasi quod petebat fuerit impletum, divisas linguas. Vidi iniquitatem. Hebr. *violentiam*. Et contradictionem. Hebr. *& lites*. In civitate, id est Ierusalem.

V. 11. Circumdabit eam, pro circumdat. Sic repleta est iniquitate, ut ea circumdata videatur. Labor, quo pii vexantur, in medio eius.

V. 12. Usura, et dolus non defecit. In commerciis fraudes versantur.

V. 13.

V. 13. QUONIAM, sane, profecto. SI INIMICUS MEUS. Hebr. *non inimicus meus exprobravit mihi, ut sustineam*. Sic Hieronym. Sept. pro לא *lo*, id est *non*, legerunt לו *lu*, id est *si*. MALEDIXISSET MIHI. Hebr. *maledixit*, convitiatus est, exprobravit mihi. SUSTINUISSEM. Hebr. *& sustinebo*; pro, alioquin sustinerem. Sic sententia eadem Hebr. & Græc. redditur. Idem iudicium de versu proximo. Sept. ET SI IS QUI ODERAT ME. Hebr. *Non odio habens me, adversum me magnificavit os suum*. Sententia eadem. SUPER ME. Contra me locutus fuisset.

V. 14. TU VERO HOMO UNANIMIS, id est quondam amicus. De Absalom loquitur, aut alio præcipuo inter rebelles. DUX MEUS, quem copiis præfeceram.

V. 15. QUI SIMUL MECUM DULCES. Una mensa, & templo utebamur. Hebr. *Qui simul dulcescere faciebamus secretum*; id est, inter nos arcana communicabamus.

V. 16. VENIAT MORS SUPER ILLOS, scilicet repente. IN INFERNUM. Hebr. *in sepulcrum*. VIVENTES, id est morte subita, nullo præcedente morbo. Aut vult ut terra illos absorbeat vivos. Imprecatur autem malum iis qui turbarunt eam coniunctionem quam cum amico ante habuerat. IN MEDIO EORUM: inter eos, aut potius in visceribus eorum est nequitia.

V. 18. VESPERE, ET MANE, ET MERIDIE. Tribus his temporibus Iudæi ad preces conveniebant. NARRABO. Hebr. *clamabo*, orabo, scilicet ad Deum.

V. 19. REDIMET IN PACE, id est dabit pacem. AB HIS QUI APPROPINQUANT MIHI, scilicet in malum. Hebr. *a bellare*, pro bellantibus, *in me*. QUONIAM INTER MULTOS, scilicet ipsi cum multis. ERANT MECUM, id est contra me.

V. 20. QUI EST ANTE SAECULA, exaudiet. Hebr. *Qui est a principio*. NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO, conversio in melius.

V. 21. EXTENDIT MANUM SUAM quilibet eorum, aut dux eorum. IN RETRIBUENDO, pro ad retribuendum, scilicet malum. Hebr. *in pacificos eius*; id est, eos, cum quibus pacem sanxerunt, percusserunt: quod maius est scelus. CONTAMINAVERUNT. Hebr. *Contaminavit*, scilicet quisque eorum. TESTAMENTUM EIUS. Heb. *fœdus suum*, quod scilicet, ante pepigerant.

V. 22. DIVISI SUNT AB IRA VULTUS EIUS; id est, neglexerunt iram Dei. ET APPROPINQUAVIT COR ILLIUS; pro, illorum cor accessit ad impugnandum. Heb. sic totus versus: *Emollierunt præ butyro os suum, & prælium cor eius*, pro eorum; scilicet meditatur. SUPER OLEUM; id est, magis quam oleum sermones sunt molles. ET IPSI SUNT IACULA. Heb. *& ipsi gladii distructi*. Hieronymus, *lancea*.

V. 23. IACTA SUPER DOMINUM CURAM TUAM. Hebr. *onus tuum*. Se alloquitur. ET IPSE TE ENUTRIET; id est, dabit necessaria, si in eum confidas.

V. 24. TU VERO DEUS DEDUCES EOS, scilicet hostes. IN PUTEUM INTERITUS: in gehennam, sive sepulcrum deduces eos. NON DIMIDIABUNT: immatura morte peribunt.

MALVENDAE.

Vers. 1. IN CARMINIBUS. Heb. *In Neghinoth*. Vide Psal. IV. 1. INTELLECTUS. Heb. *Mascil*. Vide Psal. XXXI. 1.

V. 2. EXAUDI DEUS ORATIONEM MEAM, &c. Putant hunc Psalmum compositum a Davide de eo tempore, cum a filio Absalomo inita est conspiratio, & primum commota contra ipsum. Alii de discrimine quo fuit in urbe Kehilæ. Vide I. Samuel. XXIII.

V. 3. CONTRISTATUS SUM IN EXERCITATIONE MEA. Varie Hebr. convertunt. I. *Obstrepam in lamentatione mea*. II. *Lamentabor in locutione mea*. III. *Clamabo in sermone meo*. IV. *Cum deiicior*, seu *consternor, in querela mea*. Ubi verbum רוד *rud* in Hiphil aiunt figurate a corpore ad animum, & ad animi consternationem transferri. V. *Conquerar in meditatione mea*. VI. *Firmabor*, *innitar*, *in querela mea*. VII. *Querulor in prece mea*. VIII. *Plangam, ululabo in meditatione mea*. IX. Nec absurde Hebræorum nonnulli: *Dominabor in eloquio meo*; id est, totus ero, prævalebo, obtinebo in quiritatione mea; id est, gravissime conquerar. X. *Vociferor in oratione mea*. XI. *Extendam in eloquium meum*. XII. *Dominabor in eloquio meo*; id est, compescam eloquium meum, continebo me a verbis: tantum interius ingemiscam. Ex verbo: *Descendere faciam*, *deprimam me*, animum meum, & corpus meum, *in meditatione mea*. Vide Genes. XXVII. 4. ET CONTURBATUS

SUM. Proprie: *Et sonui*, *perstrepui*, *tumultuatus fui*, *infremui*, *turbatus fui*. Quidam: *Et rugiam*.

V. 4. A TRIBULATIONE PECCATORIS. Vox עקה *ghakah* omnia ista complectitur: *A facie fremitus*, *stridoris*, *strepitus*, *crepitus*, *coarctationis*, *pressurae*, *angoris*, *divexationis*, *angustiae*, *molestiae*, *infestationis*, *saevitiae*, *improbi*: & sumitur active. DECLINAVERUNT IN ME INIQUITATES. Varie ex Hebr. transferunt. I. *Commovebunt super me iniquitatem*. II. *Proiecerunt super me*. III. *Amovebunt super me*, &c. IV. *Movebunt contra me iniquitatem*, id est comminiscentur. V. *Coniiciunt adversum me*, id est mihi imputant, *iniquitatem*. VI. *Avertunt in me iniquitatem*; id est, in me derivant, & transferunt iniquitatem: potest capi active, & passive: ut mecum inique agant; vel ut me iniquitatis insimulent. VII. *Mihi crimina obtrudunt*. VIII. *Impingere mihi conabantur iniquitatem*. IX. *Commovebunt*, id est motum, & seditionem, seu rebellionem agitabunt, *contra me inique*. X. *Labi*, seu *cadere facient super me iniquitatem*. XI. *Commovent super me mendacium*; id est, comminiscuntur adversum me consilium iniquum: sive conspirant adversum me. Buchananus:

Et meae famae meditatur atrox
Crimen......

ET IN IRA MOLESTI ERANT MIHI. Quidam: *Et in furore adversantur mihi*. Alii: *Et irati intestino odio prosequuntur me*. Nonnulli: *Et irati imminent mihi*.

V. 5. COR MEUM CONTURBATUM EST IN ME. Diversimode alii. I. *Cor meum tremet in medio mei*. II. *Cor meum doluit in vitalibus meis*. III. *Cor meum trepidavit intra me*. IV. *Labascit cor meum intra me*. Proprie: *Cor meum dolebit*, *dolore*, *cruciatu*, *angore afficietur*.

V. 7. VOLABO, ET REQUIESCAM. Heb. *Evolabo*, & *habitavi*, sive *ut habitem*: Quidam: *Evolarem ubi habitare possem*.

V. 8. ECCE ELONGAVI FUGIENS. Varie alii ex Hebr. transferunt. I. *Ecce elongabo vagando*. II. *Ecce longe fugiam*. III. *Ecce elongarem fugam*. IV. *Ecce volebam procul discedere aufugiendo*. V. *En longissime profugerem*. VI. *Certe procul hinc perfugerem*. VII. *Ecce elongarem vagari*, vel *quam longissime evagarer*. נדוד *nedod* alii nomen faciunt, *evagationem*: alii infinitivum, *evagari*, seu *evagando*. ET MANSI IN SOLITUDINE. Hebr. *Pernoctabo*, *divertam*, *commorabor*, *habitabo*, *in deserto*. Adiicitur *selah*; id est, 1. *Semper*; 2. *Utinam ita res habeat*; 3. *Vehementissime*; 4. O rem alta meditatione dignam! melius esse habitare in deserto cum feris, quam cum pravis hominibus.

V. 9. EXPECTABAM EUM, QUI SALVUM, &c. Hunc versum plurifariam alii convertunt. I. *Accelerabo evasionem mihi a vento excitato a tempestate*. II. *Festinabo ut salver a spiritu tempestatis*, & *turbinis*. III. *Festinarem eruere me a vento*, *qui excitatur a turbine*. IV. *Accelerabo liberationem*, vel *effugium mibi velocius vento qui excitatur a tempestate*. V. *Festinarem salvationem mihi propter ventum turbinis*, & *tempestatis*. VI. *Properarem ad evadendum vento ocyus rapido ac turbine*. VII. *Festinarem fuga saluti meae consulere*, & *subducere me a periculo venti vehementis*, & *tempestatis*. VIII. *Accelerarem evasionem mihi a vento promotionis*, *profectionis*, *proiectionis*, *propulsionis*, *a tempestate*, id est a vento promoto, profecto, proiecto, propulso, hoc est procellosissimo, impetuosissimo: quidam, *evellente*, & *eradicante* arbores. IX. *Properarem ut a vento turbinoso*, & *tempestate evaderem*. X. *Maturarem effugium mibi a vento profectionis*, id est quo omnia dispelluntur, & quasi proficiscuntur, & abeunt ipsius impetu; sive *a vento rapidissimo*, & *turbine*. סועה *sogbah* quidam participium, vel adiectivum faciunt, *excitante*, *impellente*, seu *excitato*, *impulso*: alii nomen substantivum, *commotionis*, *profectionis*, quod in idem recidit.

V. 10. PRAECIPITA DOMINE, DIVIDE LINGUAS EORUM, &c. Hebr. *Absorbe Adonai*, *divide linguam eorum*, &c. Notant esse imprecationem contra inimicos, figuratam duobus iudiciis, uno Dathanis, & Abirami, quos absorbuit terra, Numeror. XVI. altero priscorum, qui turrim Babelis volebant extruere, Genes. XI. quasi dicat: Extermina ipsos, aut consilia eorum pro sapientia tua: ut perdidisti Dathanem cum suis; & consilia aedificantium turrim dissipavisti. DIVIDE LINGUAS EORUM. Hebr. *Disperti*, *scinde*, *finde*, *linguam eorum*; id est, dissipa, everte

everte ſententias, & conſilia eorum. Vide I. Samuel. xv. 31. & cap. VII. QUONIAM VIDI INIQUITATEM, ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE. Varie alii. I. *Quoniam vidi violentiam, iniuriam, vim, & concionem, litem in civitate*. II. *Quoniam vidi urbem plenam eſſe iniuria & conviciis*. III. *Scelere enim, & ſeditione plenam offendi civitatem illam*; nempe vel Kehilam, vel Ieruſalaim. IV. *Nam video violentiam, & contentionem in civitate*; id eſt, communis improbitas, & coorta ſeditio indigniſſime invaleſcit in civitate ſancta, hoc, & ſequente verſu.

V. 11. CIRCUMDABIT EAM SUPER MUROS EIUS. Hebr. *Circumgyrabunt eam*, nempe violentia, & lis, de quibus ſuperiore verſu: unde reddunt: *Quæ nocte & die in muris eius obambulant*. Alii: *Die ac nocte cingent hæc prædicta civitatem illam, non aliter quam mœnia ipſa civitatem ſolent*. Nonnulli: *Hæc illam dies noctesque in muris eius circumeunt*. Aliqui tamen: *Interdiu & noctu circumdant eam verſantes in muris eius*; id eſt, indeſinenter verſantur in ea violentia, & contentio.

V. 12. ET INIUSTITIA. Hebr. *Fientiæ malæ in intimo eius*. Alii. I. *Contritiones ſunt in medio eius*. II. *Pravitates, nequitia, corruptelæ in interiori eius*. III. *Nullum ſceleris genus non regnat in medio civitatis illius*. IV. *Ærumnæ ſunt in medio eius*, ſeu *infortunia*. ET NON DEFECIT DE PLATEIS EIUS. Hebr. *Et non diſcedere fecit de platea eius*. Verbum ex Hiphil maiorem vim habet; id eſt, ne tantillum recedet, numquam dimovebitur.

V. 13 QUONIAM SI INIMICUS MEUS, &c. Multipliciter hunc verſum ex Heb. elucidant. I. *Quoniam non inimicus vituperabit me, & ſufferam: non oſor meus ſuper me magnificavit, & abſcondar ab eo*; quaſi dicat: Aperto hoſti reſtitiſſem. II. *Non enim inimicus exprobravit mihi, ut ſuſtineam: neque is qui me oderat, ſuper me magnificatus eſt, ut abſcondar ab eo*. III. *Neque enim inimicus probris affecit me, alioquin ſuſtinuiſſem: neque odio habens me, adverſum me magnificavit os ſuum, abſcondiſſem enim me ab eo*. IV. *Quod ſi hoſtis meus me calumniaretur, ferendum ducerem: ſi oſores mei ſupra me eveherentur, declinarem ab eis*. V. *Non enim ex profeſſo inimicus probro afficit me, tolerabile eſſet illud: neque palam hoſtis erexit ſe adverſum me, cuius vitare potuiſſem conſortium*. VI. *Neque enim hoſtis erat, qui me probro afficiebat, alioqui tuliſſem: neque extulit ſe contra me, qui præ ſe ferebat odium mei: abſcondiſſem enim me ab illo*; quaſi dicat: Facile eſt effugere manifeſtum odium. VII. *Non enim inimicus probro afficit me, quod ferrem: non oſor meus adverſum me ſe attollit, a quo me abſconderem*. Notant eſſe confirmationem improbitatis publicæ, quam modo dixit, a ſummo auctore, & moderatore conſpirationis; cuius indignum facinus exaggerat graviſſima antitheſi, hic, & duobus verſibus ſequentibus. *Inimicus*, id eſt qui iuſtas, aut apertas inimicitias exercuiſſet contra me. *Ferrem* leniter & æquo animo.

V. 14. TU VERO HOMO UNANIMIS, DUX MEUS, ET NOTUS MEUS. Nos verba Hebraica reddidimus (*Et tu mortalis ſecundum ordinationem meam, ductor meus, cognitus meus.*) Alii diverſe. I. *Et tu homo, ſicut æſtimatio mea, dux meus, & notus meus*. II. *Sed tu homo valoris mei, dux meus, & notus meus*. III. *Et tu homo ſecundum ordinem meum*: vel, *Sed tu vir ordinis mei, ductor meus, & notus meus*. IV. *Sed tu homo iuxta æſtimationem meam*; id eſt, quantum ego æſtimare & iudicare potui: *præceptor meus*, id eſt inter amicos ſummus: ſic ſumi volunt Michææ VII. 5. *& notus meus*. V. *Et tu homo iuxta pretium meum*; id eſt, quem in tanto pretio habebam atque me haberi cupio, &c. VI. *Sed tu, o collega, commiluo, & note mi, cui ſecreta mea ſuaviter credidi*. VII. *Sed tu homo, quem prefeci rebus meis, qui & veluti dux fuiſti mihi, & arctiſſima familiaritate coniunctus*. VIII. *Sed tu eras homo æqualis mei*, &c. IX. *Sed tu mortalis ſecundum æſtimationem mei*; id eſt, apud me, & apud omnes æſtimatus quanti ego ipſe, I. Samuel. XVI. 23. vel *par mihi*, *dux meus*, id eſt princeps conſilii mei, *& familiaris meus*. Apoſtrophe ad Achithophelem, indignitatem rei amplificans. DUX MEUS. אלופי *alluphi*, *præceptor*, *doctor*, *dux*, *ductor meus*, *rector meus*, qui aliis præes, alioſque gubernas. Aiunt generale eſſe nomen, quo ſignificetur quiſquis eſt alicui

tamquam ὀδηγὸς, *dux*, quem ut magistrum reveretur, & sequitur in omnibus, unde præcipuum, & intimum amicum significat, ex quo quis pendet, & cuius consilio, atque auctoritate velut præeunte agit omnia, quasi *Doctorem* dicas: nam & verbum אלף *illepb*, *docere* significat, Iob XXXV. 11. Hoc nomine David Achithophelem hic appellat, quasi præceptorem, & magistrum suum, rerum, & consiliorum suorum intimum, ac ductorem. Quidam observant huc quoque respexisse Lucam Actor. 1. 16. cum vocat Iudam Iscariothem, cuius typus Achithophel fuit, ὁδηγὸν, id est, *ducem*: nam is, cum debuisset esse dux itineris Iesu, accepto pretio iniquitatis, commonstravit viam Iudæis, Iesum ut invenirent, & comprehenderent. NOTUS MEUS. מידע *meiuddagbi*, *notus*, *familiaris*. Notant esse phrasin usitatissimam Iudæorum in epistolis familiaribus, qua præcipuum & familiarem amicum compellant. Quidam observant allusum forte ad nomen proditoris Iudæ, cuius typum Achithophel egit; quamvis diversimode Hebraice scribatur.

V. 15. QUI SIMUL MECUM DULCES CAPIEBAS CIBOS. Hebr. *Qui una dulcescere faciebamus consilium*. Varie alii. I. *Qui simul habuimus dulce secretum*; hoc est, dulce erat nobis secreta ad invicem communicare. II. *Qui simul dulce inibamus*, vel *eliciebamus consilium*. III. *Cui secreta mea suaviter credidi*. IV. *Qui suaviter communicabamus consilium*, id est arcanum, & mysterium Dei, vel cum summa animi voluptate de rebus nostris consilium inibamus. V. *Qui dulciter favebamur secreto*. IN DOMO DEI AMBULAVIMUS CUM CONSENSU. Multifariam ex Hebr. elucidant. I. *In domo Dei ambulamus in coniunctione, conventione, conventu, conventiculo, congregatione, consociatione, confœderatione, cœtu, coniunctim, simul*. II. *In domum Dei ambulavimus in strepitu, fremitu, tumultu*, videlicet turbæ comitantis; quasi dicat: Procedebamus ad templum magna stipante caterva. III. *Quocum domum Dei cum exultatione adii*. IV. *Et in domo Dei versati sumus concorditer*. V. *In domum Dei ibamus cum frequentia, turma, copia, caterva, magno comitatu*. Nos vocem רגש *regbesch*, *tonitru* exposuimus, ut in Evangelio, בני רגש *bene reghesch*, *Filii tonitru*: vide Psalm. II. 1. quod David ad templum solitus esset procedere magna pompa, & bombo, seu strepitu tubarum, & musicorum instrumentorum, & turbæ plaudentis, quæ hic appellat *tonitru*: ut sane solent Reges, ac Principes.

V. 16. VENIAT MORS SUPER ILLOS. Diversimode ex Hebr. convertunt. I. *Infligabit mors super eos*. II. *Irruet*, *obruet mors super illos*. III. *Exigat debitum* mors ab eis, vel *mutuet*, *fœneretur mors super illos*; id est, mutuum, fœnus exigat ab eis: lucrum ex eis faciat, ample debachetur in illos. IV. *Exactricem constituat* Deus *mortem adversus illos*. V. *Aget exactorem mors invadens eos*. VI. *Decipiet mors super illos*. Metaphorice dictum pro eo quod est, Inopinantes opprimet, & fraudabit consiliis. VII. *Mulctabit mors super eos*. VIII. *Oblivisci faciet mors super illos*, vel *oblivioni tradet eos mors*. DESCENDANT IN INFERNUM VIVENTES, ut Dathan, & Abiram, &c. supra vers. 10. Alii: *Descendent in sepulcrum vivi*: vel *vivi in foveam abeant*. Exponunt: *Vivi*, id est nullo morbo præcedente; quasi dicat: Pereant morte subita. Alii: *Vivi*, id est recentes, nedum morticini. Vide supra Psalm. XLVIII. vers. 15. QUONIAM NEQUITIAE IN HABITACULIS EORUM, IN MEDIO EORUM. Explicant. I. *Quoniam malitiæ in domiciliis, & penetralibus eorum regnant*. II. *Regnant enim nequitiæ in tabernaculis illorum, immo in ipsis penetralibus cordium illorum*. III. *Nam mala sunt in commoratione ipsorum, in medio ipsorum* id est, cum pleni sunt ipsi, tum undique circumfluunt malitia, & maleficiis. Quidam reddunt: *In societate, conventiculo, congregatione, habitaculo eorum*.

V. 18. VESPERE, ET MANE, ET MERIDIE, &c. Amplificatio sui erga Deum officii, a circumstantia temporis, formaque, & assiduitate precum; quasi dicat: Numquam cessabo importunus esse: synecdoche. Vide in Daniel. VI. 11.

V. 19. REDIMET IN PACE ANIMAM MEAM. Hebr. in præterito: *Redemit in pace animam meam*. Varie alii. I. *Redemit vere, integre animam meam*. II. *Restituet pacem animæ meæ*. III. *Redemit collocans in pace vitam meam*. Confirmatio

tio superioris officii, & perseverantiæ erga Deum ab anteacta experientia . AB HIS QUI APPROPINQUANT MIHI. Heb. *a prælio mihi* illato, intentato. Alii, I. *a bello quod erat contra me* . II. *a præliantibus contra me*. III. quidam pro קרב *kerab*, legunt קרב-לי *kerob*, & volunt esse formam infinitivi , *a præliari mihi* , sive *ne prælientur*, *ne belligerent* , *in me* . Sed id indocte fieri alii censent. Sic infra vers. 22. QUONIAM INTER MULTOS ERANT MECUM. Hebr. *Quia in multis fuerunt apud me*. Varie accipiunt . I. *Quoniam multi erant mecum*. Sic II. Reg. VI. 16. dicebat Elisæus : *Plures qui nobiscum sunt* , *quam qui cum illis* . II. *Quia cum multis fuerunt mecum*; id est , multi impugnaverunt me , vel conantur me perdere. III. *Quoniam cum multitudine adversum me aderant* . IV. *Quamvis plurimi sint qui undique oppugnant me*. V. *Quoniam cum multis sunt adversum me*; id est, quo plures sunt adversarii mei, hoc maiori curæ erit Deo salus mea. VI. *Quando multis* copiis belligerabant , *fuerunt penes me* ; id est, dediti sunt mihi a Domino Redemptore meo; ut Psalm. XVII.

V. 20. ET HUMILIABIT ILLOS, seu *affliget*, *opprimet*, *deprimet eos* . Quidam : Et supplicium de illis sumet. Nonnulli : *Et respondebit eis* , seu *& contestabitur istos*; id est, iudicium suum illis denuntiabit. QUI EST ANTE SAECULA . Hebr. *Et sedens anterioritate* . Plurifariam alii . I. *Et sedens antiquitus* . II. *Qui est iudex ab initio*. III. *Et habitans ab initio* cælos. IV. *Et manens ab initio*, id est æternus. V. *Sed sedet tranquillus & immutatus perpetuo*. VI. *Qui præsidet ab origine* . VII. *Et sedens quondam* : nam ex Hebraico קדם *kedem* factum videtur Latinum *quondam*. VIII. *Ut permanet in æternum* ; id est, qui natura, consilio, iudiciisque æternus est, & semper sui similis . IX. *Et habitans antiquitatem*, vel *præsidens æternitati*. Hic additur *selah*; id est, 1. *Semper*; 2. *Ita res habet* ; 3. *Vehementissime* ; 4. *O æternam & potentissimam Dei maiestatem*! NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO. Hebr. *Quibus non commutationes eis*; id est, quibus non sunt mutationes, hoc est conversiones in melius , nolunt mutari a pravis studiis suis ; qui nullo pacto ad bonam frugem revocari possunt, adeo obduruerunt in contemptu Dei, & obstinato animo perseverant in maleficiis. Ita describit illos, primum ab obfirmata impietate, hoc versu; deinde ab inhumanitate, versu sequente ; postremo a perversissima hypocrisi , & vulpino animo , vers. 22. Quidam reddunt : *Non est spes* , *quod illi mutentur* . Alii: *Illi interim dignissimi sunt qui pereant* , *numquam enim sceleratum vitæ genus mutabunt*.

V. 21. EXTENDIT MANUM SUAM IN RETRIBUENDO. Hebr. *Misit manus suas in paces suas*. Multifariam alii. I. *Misit*, subaudi fictus ille amicus, de quo supra vers. 14. *manus suas in virum pacium suarum* . Sic Psalm. CVIII. vers. 4. *Et ego oratio*, id est vir orationis; id est, adorsus est virum , quicum in tranquillitate summa, & pace vivebat . II. *Iniecit manum violentam in eum, cum quo pacem simulaverat*. III. *Misit ergo manum suam in eos, qui peculium suum erant*. IV. *Quorum improborum quisque extendit manus suas in pacificos, peccatos suos* , sive *incolentes pacem secum*. Quidam : *In pacificos eius* , scilicet Dei . CONTAMINAVERUNT TESTAMENTUM EIUS. Hebr. *Profanavit fœdus suum*, vel *profanat*, *violat*, *frangit* , *cum commodum sibi videtur*. Quidam : *Rumpit turpiter amicitiæ vinculum* : aliqui , *fœdus eius*, videlicet Dei.

V. 22. DIVISI SUNT AB IRA VULTUS EIUS. Ratio huius versionis prompta & expedita est his qui Hebraice norunt, & a pluribus explicata . Modo Hebræa in hunc modum accipiuntur. I. *Lenita sunt supra butyra os eius* , seu *ora eius*, vel *unumquodque* ; seu *os eorum*, *uniuscuiusque os*. II. *Mollificaverunt plusquam butyra os suum*. III. *Lenierunt præ butyris os suum*: vel, *Leniora sunt magis quam butyra verba oris eius*. IV. *Os illorum mitius est butyro* . V. *Blandius fecit quisque eorum os suum lacte*. VI. *Os habet butyro mollius* . VII. *Blandiores erant butyro sermones eius*. VIII. *Dispertiverunt supra butyra os suum*: solet enim butyrum propter lubricitatem in multas partes dispertiri & latissime diffundi. IX. *Lubricaverunt plusquam butyra os suum*. X. *Lævia*, *mollia* , *lubrica fuerunt*, id est *mollia*, *præ butyris os eius* , seu *ora eius*. XI. *Cuius blanda sunt butyrina oris* , vel *butyrina verba* . מחמאות *machamoth* volunt unam esse dictionem ,

& pri.

& primum Mem formativum nominis, id est *butyrina*: & favet punctatura. Alii tamen Hebræorum primum Mem, præpositionem esse volunt, pro מחמאות *mechamaoth*, *præ butyris*, & punctari cum *Pathach*, pro *Tzeri*, propter proxime sequentem gutturalem. De fraudulentia, & vulpina hypocrisi improborum hæc sumenda sunt. ET APPROPINQUAVIT COR ILLIUS. Hebr. *& conflictus*, *prælium*, *bellum*, *cor eius*, subaudi meditatur. Alii: 1. *at prælium est corde eius*: 2. *at ad prælium cor eius*, paratum est; 3. *cum tamen prælium instituerent in animo*: 4. *dum bellum insidet animo eius*: 5. *sed corde bellum gerit*: 6. *& æque cor eius*, simulat. ET IPSI, vel ipsa verba, SUNT IACULA. פתחות *pethichoth* alibi non legitur; aiunt esse *gladios apertos*, id est nudatos, & strictos, vel quod aperiant, penetrent, vulnerent: unde reddunt: *Et ipsi* improbi, vel ipsa eorum verba *sunt stricti gladii*, vel *nudati enses*. Ego ea forma feminea *apertiones* dixi, id est transverberationes, quibus transverberant, & penetrant, ac recludunt pectora, & corda.

V. 23. CURAM TUAM. יהבך *iehabecha*. Notant יהב *iabab* esse generale nomen, quod significat quidquid alicui obvenit, seu accidit, quo afficitur. Alii transtulerunt *onus*, sive *pondus*, seu *sarcinam*: alii *curam*, & *sollicitudinem*, ut videtur expoluisse Petrus Epist. I. v. 7. ad hunc locum respiciens. Aiunt proprie esse curam illarum rerum quæ nobis desunt, & nobis dari anxie & solicite petimus. Nos secuti quosdam Hebræorum, & Reuchlinum, Marinum, & Schindlerum, ex nativa verbi notione, *datum tuum*, vel *donum tuum* vertimus; quasi dicat: Proiice in Dominum, eiusque curæ relinque quidquid tibi dari, donarive desideras. Nec absurde Marinus annotavit: *Proiice super Dominum datum tuum*, eleganter positum pro, *Nil cures dicere Domino*, *Da*, *Affer*: verum ei te committito, *& ipse te enutriet*. Tremellius, & Iunius ita exponunt: *Reiice in Iehovam quidquid dat tibi*. Conclusio hortatoria, qua ostendit Psaltes usum fidei, quæcumque eveniunt, accepta ferentis Deo, & illius administrationis committentis: prout secura est piorum fides de promissione eius quæ continetur altera parte versus. FLUCTUATIONEM IUSTO. מוט *mot* potest esse infinitivum, *amoveri*, *nutare*, *vacillare*, *labi*, *cadere*, *iusto*: & nomen, *amotionem*, *dimotionem*, *remotionem*, *exsilium*, *nutationem*, *vacillationem*, *lapsum*, *casum*, *iusto*; id est, non sinet nutare, aut labascere iustum; vel non permittet umquam iusto ut dimoveatur.

V. 24. DEDUCES EOS. Hebr. *Descendere facies eos*. Alii: *Detrahes*, *deiicies*, *detrudes*, *præcipitabis eos*. IN PUTEUM INTERITUS: Periphrasis sepulcri. Romani dicerent, in puticulos, vel puticulas; de quibus vide Varronem Lib. IV. de Lingua Latina cap. v. & Festum.

MENOCHII.

Vers. 1. IN CARMINIBUS. Vide dicta ad titulum Psal. IV. INTELLECTUS DAVID. Vide dicta ad tituli Psal. XXXI. INTENDE. D. Hieronymus vertit *attende*.

V. 3. CONTRISTATUS SUM. Hebr. *vociferatus sum*, vel eiulavi, in loquela: vel prece mea. IN EXERCITATIONE MEA, in oratione mea: preces enim sunt piorum exercitatio. In Græco est ἐν ἀδολεσχίᾳ, solet autem ἀδολεσχεῖν apud sacros tum pro contemplari, assidue se exercere, meditari, ut etiam vox Hebræa שוח *suach*. Vide Genes. XXIV. 63. & ibi dicta. Sensus etiam esse potest, in calamitate, qua me exerces, & probas.

V. 4. A VOCE INIMICI, propter calumnias, & minas inimicorum. A TRIBULATIONE PECCATORIS, me iniuste persequentis. DECLINAVERUNT. Vide dicta Psal. XX. num. 12. IN IRA MOLESTI ERANT MIHI. Cum magna ira, & indignatione adversabantur mihi, & odio habuerunt me.

V. 5. CONTURBATUM EST IN ME. In Hebr. est: *Cor meum doluit in medio mei*: dolores passus sum quales experiuntur mulieres in partu: id enim significat חול *chol* in coniugatione Hiphil, ut hoc loco.

V. 6. TENEBRAE: magnæ calamitates consilium propemodum eripientes, & menti tenebras offundentes.

V. 7. SICUT COLUMBAE. Columbæ alas expetit, ut quod leviores sint, & expeditiores ad volandum, vel quod Spiritum san-

ſanctum adumbrent, cuius auxilio omnia pericula effugimus. Volabo, ad locum veræ quietis, quæ in hac vita haberi non poteſt. Et requiescam, longe poſitus a periculis, & inſidiis.

V. 8. Ecce elongavi fugiens: elongarem, procul diſcederem, & manerem in locis deſertis. Vel ſenſus eſt, quia alterius vitæ quies adhuc differtur, ſaltem, deſerta loca petendo, declinavi pericula a Saule, aut Abſalone perſequente, imminentia.

V. 9. Expectabam eum, &c. Auxilium divinum ibi expectabam. A pusillanimitate spiritus, ab animi anguſtia, mærore, deiectione. Tempestate, vehementi tentationum, & periculorum procella.

V. 10. Praecipita Domine. Hebr. *abſorbe*. Græcus καταπόντισον, *demerge* inimeos meos. Quomodo autem præcipitari velit, ſtatim addit. Divide linguas eorum: ſcinde eos in diverſas ſententias, & ſtudia. Id accidiſſe videtur, cum infatuavit Dominus conſilium Achitophel. Vide Lib. II. Reg. xvii. & xviii. Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Vel loquitur de iniuſtis factioſorum coitionibus contra ipſum, qui illi adverſabantur, & contradicebant obſiſtentes ne regnaret. Vel generatim notat corruptelam ſui ſæculi, eamque poetice duobus verſiculis proxime ſequentibus depingit.

V. 11. Die ac nocte, &c. Semper iniquitas muros huius civitatis obambulat in morem militaris nocturnæ, diurnæque cuſtodiæ, iuſtitiam arcens ne qua ingrediatur. Labor, miſerorum, & pauperum eſt in civitate.

V. 12. Iniustitia, potentiorum, non defecit. Abundant doli, fraudes, uſuræ, &c. in foro, in contractibus, & in iudiciis.

V. 13. Si inimicus meus, &c. Poſtquam conqueſtus eſt David de tota civitate, & populo, iam de peculiari quodam proditore queritur, qui videtur fuiſſe Achitophel, ſi Pſalm. exponatur de Davide; Iudas autem, ſi exponatur de Chriſto. Sustinuissem utique: æquo animo tuliſſem, quia ſolent hoc facere inimici, & non eſt mirum ſi faciant. Super me magna locutus fuisset: contra me magna, graviaque convitia iactaſſet. Abscondissem me forsitan ab eo: facile potuiſſem me ab illius conſuetudine ſubtrahere.

V. 14. Homo unanimis. Unius mecum animi, & quondam dilectiſſimi. Dux meus: conſiliarius meus primarius, cuius ego ſententiam in deliberationibus ſequi ſolebam. Erat enim Achitophel Davidis conſiliarius, tantaque ſapientiæ exiſtimatione, ut conſulere Achitophelem idem fere eſſet, ac conſulere Deum, ut dicitur I. Reg. xvi. 23. Iudas etiam bene dux appellari poteſt, nam conſtitutus fuerat ſimul cum aliis Apoſtolis dux populorum, iuxta illud Pſalm. xliv. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Notus, ſocius, amicus, familiaris.

V. 15. Mecum dulces capiebas cibos: qui mihi iucunde, & ſuaviter convivebas. In domo Dei ambulavimus cum consensu; id eſt, in profanis rebus, & in divinis, & ſacris coniunctiſſime viximus. Vel qui in templum ventitabamus coniunctim, & familiariter.

V. 16. Veniat mors super illos. Imprecatur, ſeu potius prædicit huiuſmodi ſceleratorum exitium. Descendant in infernum viventes. Adhuc viventes terra dehiſcente abſorbeantur; ut Dathan, & Abiron accidit Numer. xvi. Nequitia, ſcelera, iniuſtitiæ, doli. in habitaculis, in domibus eorum; quaſi dicat: Perpetuo habitent cum pœnis, qui elegerunt habitare cum vitiis. In medio eorum, inter eos.

V. 18. Vespere, mane, et meridie. Alludit ad tres ſtatus, & ſolemnes precationis Iudæorum horas, quæ dicuntur ſacrificium veſpertinum, matutinum, & pomeridianum. Etiam Daniel ter in die adorabat, ut habemus eius prophetiæ cap. vi. Narrabo, et annuntiabo miſerias, & neceſſitates meas, & Domini miſericordias.

V. 19. Redimet in pace animam meam: afferet in pacem, & proſperitatem, in pacificum, & ſecurum ſtatum vindicabit. Qui appropinquant mihi: qui de propinquo, & cominus me petunt, & impugnant. Inter multos, cum multis, in multorum medio, & comitatu. Erant mecum, mecum dimicantes.

V. 20. Exaudiet Deus preces meas.

Qui

Qui est ante saecula: Deus enim æternus est. Significantius in Hebræo: *Qui sedet ab initio*; id est, qui ab initio mundi iudex sedet omnium hominum; quasi dicat: Ipse pro me iudicabit. Non est illis commutatio, conversio morum in melius.

V. 21. Extendit manum suam in retribuendo. Mittit impius manum suam ad retribuendum malum, non solum cum iniuria violatus est, sed etiam cum beneficiis est affectus. Alii: Ad Deum rependentem pœnam pro sceleribus referunt. Contaminaverunt testamentum eius: violaverunt, propbanaverunt pactum cum Deo initum.

V. 22. Divisi sunt ab ira vultus eius. Ideo ab ira vultus divini, & ab ultione indignationis eius dissipabuntur & dispergentur. Appropinquavit cor illius. Deus enim apposuit cor suum ad vindictam de illis sumendam. Molliti sunt, &c. Sensus est: Utuntur verbis oleo mollioribus ad homines inescandos, & fallendos, cum ipsi sermones sint spiculis nocentiores.

V. 23. Iacta super Dominum curam tuam: omnes tuas solicitudines, curas, angores, &c. Deo commenda, & te illi permitte. Ita etiam faciendum docuit D. Petrus Epist. cap. v. *Omnem vestram solicitudinem proicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Ipse te enutriet. Omnia necessaria suppeditabit, & tamquam sedula nutrix, curabit ne quid tibi desit. Fluctuationem. Quamquam enim ad tempus commoveri patitur, & agitari, tamen mox reddet tranquillitatem.

V. 24. Eos, impios. In puteum interitus, in perditionis foveam, in interitum gehennæ. Viri sanguinum, homicidæ, sanguinarii. Non dimidiabunt dies suos. Immatura morte peribunt, non pervenient ad medium ætatis spatium, quod iuxta naturalis complexionis cursum vivere potuissent. Sperabo in te Domine, confidens non ante tempus me ex hac vita auferendum, quod conantur inimici mei.

TIRINI.

Vers. 3. In exercitatione mea, id est in afflictione qua vehementer exerceor per impios, inquit S. Augustinus: qui & addit, omnem malum ideo vivere, ut aut corrigatur, aut per illum bonus exerceatur. Hieronymus vertit, *in meditatione mea* (quæ est exercitatio mentis) id est in seria cogitatione, nempe periculorum, & malorum impendentium. Theodoretus.

V. 6. Tenebrae, id est calamitates, & afflictiones, quarum symbolum sunt *tenebræ*, sicut *lux* prosperitatum. Ex Hebræo Chaldæus vertit *formido*, seu pavor, horror, tremor, nempe qualis solet esse in tenebris loco periculis infesto. Allegorice convenit Christo agonizanti in horto.

V. 7. Pennas sicut columbae, quæ pernicissimo volatu fugit accipitrem; quasi dicat, alas celerrimas. Et volabo: Hieronymus, ut volem in locum ubi tutus ab Absalomo *requiescam*.

V. 8. Ecce elongavi. Hieronymus: *Ut procul abeam & commorer in deserto*.

Tropologice *pennæ columbæ* sunt auxilia Spiritus sancti, quibus ab amore creaturarum avellimur *in solitudinem*, id est locum quietum, securum, carentem insidiis, latebris oportunum, inquit S. Augustinus, & S. Bernardus *a*.

V. 10. Praecipita, Chald. *Dissipa*, & divide linguas hostium meorum, ut olim fecisti construentibus turrim Babel, Genes. xi. quasi dicat: Fac ut hostes mei vel præceps & temerarium ineant consilium, vel inter se diffideant, atque ita impediantur pravæ machinationes illorum. Ita S. Augustinus, & Theodoretus. Quoniam vidi iniquitatem, id est omnia scelera, et contradictionem, seu discordiam, dominari in civitate Ierosolyma; quasi dicat: Ex nunc sentio me voti compotem factum: nam & iniquitas, & iniustus labor, nempe activus, id est oppressio miserorum qua eos laborare cogunt.

V. 11. Die ac nocte, id est continuo, circumdabit, seu cingit & obsidet, muros eius, *& medium*, id est extima, & intima urbis.

V. 12.

V. 12. Plateis, id eſt foris publicis, id eſt palam & aperte.

Allegorice hæc conveniunt diſſidiis civilibus, & violentæ tyrannidi, ceteriſque miſeriis, quæ oppreſſerunt Iudæos poſt occiſum Chriſtum uſque ad excidium urbis per Titum.

V. 14. Tu vero, o *Achitophel*, inquit Chaldæus; ſupple, inſurgis quoque in me. Homo unanimis, id eſt unius mecum animi, ſeu dilectiſſimus mihi. Dux meus, id eſt primarius conſiliarius; Chaldæus, *præceptor meus*, & *notus meus*, id eſt intimus ſocius & familiaris. In Hebræo eſt alluſio ad nomen *Iudæ*, *me iudai* id eſt ſocius meus. Nam Iudæ hæc, & ſequentia allegorice conveniunt. Ita Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus.

V. 15. Mecum dulces capiebas cibos, maxime vero Euchariſtiæ. In domo Dei ambulavimus cum consensu; id eſt, ſimul ad templum ibamus, ſimul in eo Deum colebamus; quaſi dicat: Intimus eras mihi ſocius non in policitis modo, ſed & in ſacris. Theodoretus.

V. 16. Descendant in infernum viventes: ſicut Core, Dathan, & Abiron, Numer. xvi.

V. 18. Vespere, et mane, et meridi, id eſt continuo, narrabo, Chaldæus, *orabo*, et annuntiabo, ſcilicet laudes tuas, & miſerias meas.

V. 19. Redimet in pace, id eſt reſtituet in ſtatum pacificum & tranquillum. Quoniam inter multos hoſtes erant mecum multi adiutores, ſcilicet Angeli, ut & cum Eliſæo IV. Reg. vi. inquit Rabbi David Kimchi, & fere Chaldæus. Sed Hieronymus vertit: *Multi enim fuerunt adverſum me*: & ita ex Symmacho quoque Theodoretus.

V. 20. Non est illis commutatio, id eſt converſio morum in melius. Chaldæus: *Peccatores non mutant viam ſuam peſſimam*, ideo

V. 21. Extendit Deus manum suam in retribuendo, id eſt ut illis retribuat merita ſupplicia: quia contaminaverunt, id eſt violarunt, testamentum eius, ſeu pactum, id eſt legem, ſeu præcepta Dei.

V. 22. Divisi, ſeu elongati, sunt vultus impii & perfidi amici, ab ira; id eſt, non apparent irati, immo blandi & amici: et tamen appropinquavit hoſtiliter cor illius adverſum me, ad malum continuo inferendum. Hieronymus vertit: *Nitidius butyro os eius, pugnat autem cor illius*. Et in eumdem ſenſum Aquila, Symmachus, & Chaldæus. Et patet ex ſequentibus. Sic Iudas blando oſculo, & molli ſalutatione, *Ave Rabbi*, prodidit Chriſtum, inquit Theodoretus.

V. 23. Iacta curam tuam. Hebraice *onus*, ſeu pondus quo gravaris, id eſt negotia, ſollicitudines, moleſtias omnes. Ita Vatablus, & Genebrardus: Chaldæus *ſpem* vertit. Hunc verſiculum S. Franciſcus *b* dabat Fratribus ſuis pro viatico.

V. 24. Viri sanguinum, id eſt crudeles, & homicidæ (Chald. *auctores interfectionis*) non dimidiabunt dies suos; id eſt, non pertingent ad dimidium vitæ quam naturaliter poſſent vivere, ſed immatura, improviſa, & imparata morte morientur. Exemplo ſit tempore Davidis Saul, Abſalom, Achitophel, ut tot alios taceam priorum & poſteriorum ſeculorum. Ita Theodoretus.

(*a*) Bernard. ſerm. 1xi. in Cant.
(*b*) Bonaventura in Vita S. Franciſci.

GORDONI.

Titulus: In finem in carminibus, &c. Vide titulum Pſalm. iv. & Pſalm. lii. Videtur Pſalmus compoſitus a David tempore perſecutionis: & probabile eſt de Ceilanis eſſe hanc querimoniam, quos obſidione liberavit, & tamen ab illis traditus fuiſſet, niſi ſibi caviſſet. Extat hiſtoria I. Reg. cap. xxiii. Explicatur porro myſtice de Chriſto, ut ſane alii Pſalmi plurimi, quod de ſe teſtatur Chriſtus Luc. cap. ult. verſ. 44. item de quovis iuſto.

Verſ. 3. Contristatus sum in exercitatione mea. Hieronymus: *Humiliatus ſum in meditatione mea*, Septuaginta, *ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ*, *exercitatione*. Hebr. אריד בשיחי *arid bewichi*, *conquerar in meditatione mea*: *arid*, a rad. רוד *rud*, *conqueri*, שיחי eſt ſingulare, cum affixo primæ perſonæ. Vide radicem שיח, ore loqui ſubmiſſa voce, velut meditando.

do. Ceterum nunc est in Bibliis Regiis שיחי *sceche* in plurali in regimine, *in meditatione*. Sensus ergo est: Dum exercerer cogitando miserias, aut conquererer in meditatione.

V. 9. EXPECTABAM. Septuag. προσεδεχόμην; at in Hebræo est *festinabo*. Interpres sensum secutus est: nam qui festinat, orando ut salvetur, expectat eum qui salvat.

V. 15. CIBOS. Septuaginta ἐδέσματα; at in Hebræo est סוד *sod*, quod significar secretum. Probabile est Septuag. legisse ציד *tsed*, quod significar escam, & venationem. Aliqui putant Interpretem respexisse sensum; sed quæ affinitas in sensu inter escam & secrerum?

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. EXaudi *Deus orationem*, &c. usq. ad 7. Petit serio exaudiri in hac sua exercitatione, seu tacita cogitatione. quæ eum conturbat, inter tot persecutiones. Nec mirum, quando persecutores declinaverunt in me, seu proiecerunt falsa crimina, hinc rurbatio, timor, & tenebræ. Tenebras dicit, an oculorum caligo est, ex nimio terrore; an mentis, dum vix videt? quid agendum sit.

V. 7. 8. 9. Fuga hæc in solitudinem extat I. Reg. XXIII. quando timebar ne a Ceilanis, & satellitibus traderetur Sauli. Expectabat, inquit, in hac solitudine salutem a Domino. Necessitatem auxilii satis subindicat, dum ex tempestate, & pusillanimitate ostendit se in magna versari tribulatione, & parvo animo esse ad eam tolerandam.

V. 10. *usq. ad* 17. *Præcipita*, *&c.* Orat ut disperdat Deus hostes persecutores; dividantur eorum linguæ; non consentiant in consiliis suis. Et merito, Domine (conqueritur etiam de peccatis civiratis Ierusalem) quia multa iniquitas occupavit muros civitatis. Mox vers. 13. usque ad versum 15. conqueretur, nescio, de quo singulari proditore sub Saule: ac demum vers. 16. iterum imprecatur persecutoribus, rememorans excidium Dathan Numer. cap. VI. Est per modum prophetiæ hæc ruinæ prædictio.

V. 18. *usq. ad* 22. *Ego ad Dominum clamavi*, *&c.* Intermissis adversariis, prævidet hanc, & prædicit sibi futuram salutem. Immo exaudiet me orantem æternus Deus, & humiliabit adversarios, ut ait vers. 20. a quo loco usque ad finem Psalmi, nunc adversariis mala, nunc sibi, & iustis fausta pronuntiat. Non est, inquir, impiis his commutatio in melius, aut resipiscentia: Deus manum extendet ut rependat, quod merentur. *Contaminaverunt* hi pactum Dei, leges prævaricando. Divisi sunt & dispersi ab ira Dei, & appropinquavit cor Dei ad castigationem eorum.

V. 22. *& seq. Molliti sunt*, *&c.* Iterum, ut apparer, de illo adversario, cuius meminit vers. 15. Cuius verba auribus oblectamenta sunt, & iusta, ut iacula: tales sunt detractores. Sed contemne, inquit, hæc, & iacta curam tuam super Dominum, & finem dabit ærumnarum fluctibus: impios in puteo, & inferno male perdet. Denique hoc habeant dolosi, & qui sanguinem sitiunt innocentis, fore ut; nec ipsi diu vivant, in pœnam fusi sanguinis; aut si (ut habes Psalm. LXX.) dies pleni inveniantur in impiis quibusdam, hoc non impedit quin saltem homicidæ ad longam vitam non sinantur pervenire.

BOSSUET.

Vers. 3. CONTRISTATUS SUM, &c. *Humiliatus sum in meditatione mea*: Hier. tot adversis vexatus, ac velut abiecta spe.

V. 4. A TRIBULATIONE PECCATORIS: *a facie persequentis impii*: Hier. scilicet Achitophel. DECLINAVERUNT, &c. *proiecerunt super me*: Hier. id est, mihi iniquitatem obiiciunt: vel comminiscuntur in me consilium iniquum.

V. 7. QUIS DABIT MIHI PENNAS SICUT COLUMBAE? &c. Sic enim David ad suos: *Surgite*, *fugiamus*; *neque enim effugium ante faciem Absalom*: *festinate egredi*, *ne occupet nos*: II. Reg. XV. 14.

V. 4. ELONGAVI: *procul abeam*: Hier. IN SOLITUDINE, quo David fugiebat: ibid. XXIII. 28.

V. 9. EXPECTABAM EUM: Deum qui mihi erexir animum. Aliter Hier. *Festinabo ut salver*: ut supra vers. 7. A PUSILLANIMITATE SPIRITUS: *a spiritu* (id est,

est, vento) *tempestatis & turbinis*: idem Hier.

V. 10. PRAECIPITA : demerge in profundum; καταπόντισον. DIVIDE LINGUAS: sint eorum varia consilia. Allusio ad Babel. Convenit quod ait ipse David II. Reg. xv. 31. Infatua, quaeso, Domine, consilium Achitophel. CONTRADICTIONEM. Iam enim video illos inter se divisos, scissaque studia inter Chusai & Achitophel: ab hoc tandem discessum: unde partibus pernicies: II. Reg. XVII. IN CIVITATE. In Hebron perfida civitate, quo Absalom suos vocaverat: ubi regnabat: II. Reg. xv. 8. 11.

V. 11. DIE AC NOCTE CIRCUMDABIT EAM: *circumeuntes muros eius*: Hier. supp. inimici mei. Custodiae & vigiliae circum: urbem obeunt milites: hic sensus clauditur. *Iniquitas & labor*, &c. *scelus & dolor in medio eius*: Hier. labor autem sive dolor sceleris comes.

V. 12. ET INIUSTITIA; addit Hebr. *in medio eius*, ut supra. USURA ET DOLUS, vicinae res. NON DEFECIT PLATEIS EIUS. Negotiosissima civitas, sed pessimis dedita negotiis; ubi tanta undique concursatio, sed avaritiae fraudisque causa. Vide autem inter mores perditae atque impiae civitatis usuram diserte notatam. Summa haec: Non Dei, non hominum, non legum, non fraternae caritatis respectus ullus.

V. 14. HOMO UNANIMIS : tu Achitophel olim amicissimus. DUX MEUS: *praeceptor qui docuisti me*: Chald. cuius consiliis agebam omnia.

V. 15. MECUM DULCES CAPIEBAS CIBOS. En familiaritas & convictus. At Hier. *simul habuimus dulce secretum*: cui arcana omnia committebam: tanta fiducia ac familiaritas inerat. IN DOMO DEI... CUM CONSENSU, *in strepitu*, Hebr. tumultu, festinatione, magna populi frequentia: rerum humanarum ac divinarum inter nos summa societas.

V. 19. AB HIS QUI APPROPINQUANT MIHI: ab amicis olim, sed nunc perfidis: at Hebr. *ab impugnantibus*. QUONIAM INTER MULTOS: inter ceteros familiares a meo latere non discedebant. At Hebr. *plures mecum erant quam cum illis*: Deo protegente, & Angelis circumstantibus: atque invisibili exercitu, qualem ministro suo trepido ac desperanti ostendit Elisaeus IV. Reg. VI. 16.

V. 20. NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO: *non mutantur*: Hier. male agere perseverant, neque ullus rationi locus.

V. 21. EXTENDIT MANUM SUAM IN RETRIBUENDO, Deus vindex scilicet. At Hier. *Extendit manum suam ad pacifica*, impius, pacis & amicitiae simulator: clarius, ad pacificos: consociatis dexteris cum iis, quibuscum pacem colebat ut me communi opera male perderent. CONTAMINAVIT TESTAMENTUM EIUS: *contaminabit pactum suum*: Hier. id est, fidem quam mihi dederat, fregit.

V. 22. DIVISI SUNT AB IRA, &c. *Leniora butyro verba oris eius, & bellum cor eius: molliores sermones eius oleo; & ipsi, stricti gladii*: Hebr. consonat Hier.

V. 24. NON DIMIDIABUNT DIES SUOS: non pervenient ad medium iustae aetatis.

PSALMUS LV. DEPRECATORIUS.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro columba muta, eo quod procul abierit David humilis & simplex, quando tenuerunt eum Allophyli in Geth.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die pugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me insidiatores mei ota die: multi enim qui pugnant contra me altissime.

Quacumque die territus fuero, ego in te confidam.

In Deo laudabo verbum eius, in Deo speravi, non timebo, quid faciat caro mihi.

Tota die sermonibus me affligebant: contra me omnes cogitationes eorum in malum.

Congregabuntur abscondite, plantas meas observabunt: expectantes animam meam.

Quia nullus est salvus in eis; in furore populos detrahet Deus.

Secretiora mea numerasti, pone lacrymam meam in conspectu tuo: sed non in narratione tua.

Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero: hoc scio quia Deus meus es.

In Deo laudabo verbum: in Domino prædicabo sermonem.

In Deo speravi: non timebo, quid faciat homo mihi.

In me sunt Deus vota tua: reddam gratiarum actiones tibi.

Quia eripuisti animam meam de

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. Pro populo, qui a Sanctis longe factus est David * in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. (*Reg.* XI. 12.)

2. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.

3. Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.

4. * Ab altiudine diei timebo: ego vero in te sperabo.

5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.

6. Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

7. Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam,
8. pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.

Deus, 9. vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,

Sicut & in promissione tua: 10. tunc convertentur inimici mei retrorsum:

In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

12. * In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.

13. Quoniam eripuisti animam meam mor-

morte, & pedes meos de lapſu: ut ambulem coram Deo in lumine viventium.

de morte, & pedes meos de lapſu: tu placeam coram Deo in lumine viventium.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *In titulі inſcriptionem*. Non mutes quartum caſum in ſextum *inſcriptione*. Simile infra LVI. 1. LVII. 1. LVIII. 1. LIX. 1.

V. 4. *Ab altitudine diei timebo*. Cave interponas *non* negationem ante *timebo*.

V. 12. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi*. Ut non eſt omittendum pronomen *tua*, ita non eſt facile muttandus nominativus pluralis *laudationes*, in genitivum ſingularem *laudationis*.

NOTATIONES.

Verſ. 4. *AB altitudine diei timebo*. Hæc Latinorum codicum noſtræ editionis conſtans ſcriptura eſt. Hoc tantum invenio varietatis, quod affirmando quidam, quidam interrogando ſcribant. Hac inter vereres Ruffinus uſus eſt, & ut interrogationem interpretatus eſt. Eſt & Latinorum Tractatorum mediæ, poſtremæque ætatis, eorum nempe qui noſtræ editionis Pſalterio uſi ſunt, lectio. Græci autem plerumque libri cum Euthymio Græco Tractatore τὸ *ab altitudine* iungunt ſuperiori verſiculo: ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ἀπὸ ὕψους; *quoniam multi bellantes adverſum me ab altitudine*. Tum ei quod ſequitur, negationem addunt: ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι; hoc eſt, *dies*, vel *die non timebo*; & quidem in omnibus Græcis libris quos vidimus negatio legitur, conſentientibus Græcis auctoribus Euthymio, Theodorito, & Apollinari: de quo ad Suniam Hieronymus: „ *Quoniam* „ *multi bellantes adverſum me, ab altitudine* „ *diei timebo*. Et dicitis in Græco vos in„ veniſſe ὅτι πολλοὶ πολεμοῦντές με ἀπὸ „ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, ideſt *non timebo*. „ Quod additum eſt, & eſt ordo: Quoniam „ multi dimicant adverſum me, idcirco ego „ ab altitudine diei timebo; hoc eſt, non „ bellantes adverſum me, ſed tuum excel„ ſum timebo lumen. “ Quibus verbis Hieronymus & reiicit negationem, & vulgatam noſtram exponit diſtinctionem, ea quæ etiam quorumdam eſt Græcorum librorum, atque Enarratoris Theodoriti. Hebraicis libris ut non eſt negatio, Latinis codicibus conformiter, ita eſt diſtinctio, quam Euthymii, & plerorumque exemplarium Græcorum eſſe diximus, ſed facile diſtinctio variatur. Clariſſime atque integerrime locum hunc ex Hebræo Hieronymus reddidit: *Multi enim qui pugnant contra me altiſſime. Quacumque die terrieus fuero, ego in te confidam*. Simili modo Chaldæus: *Quia multi pugnant contra me Deus altiſſime, cuius ſedes in excelſo. Die quo timuero, ego ſuper te confidam*. Quod Hieronymus, & Chaldæus legerunt מָרוֹם, ut punctati ſunt noſtri libi; LXXII. מְרוֹם legerunt: illud *altum*, hoc *ab altitudine* ſignificat.

Veteris Latinorum Pſalterii lectionem fortaſſe non inutile fuerit addere, quamquam cum a noſtra Latina editione, & vulgatis Græcis exemplaribus, tum ab Hebræo fonte longe recedat; a ſe ipſa etiam non parum diſſentiat: aliter enim Hilarius legit, aliter Auguſtinus, aliter Hieronymus, ſi tamen Hieronymi in Pſalmos commentarius eſt. Hilarius legit: *Conculcaverunt me* (hic enim paulo altius repetere cogimur Pſalmi verba) *inimici mei tota die. Ab altitudine dierum non timebo. Quia multi qui debellant me timebunt: ego vero in te ſperabo*. Hieronymus: *Conculcaverunt me inimici mei tota die: ab altitudine diei timebo. Quoniam multi bellantes adverſum me ab altitudine diei timebunt: ego vero in te ſperabo*. Auguſtinus: *Conculcaverunt me inimici mei tota die ab altitudine diei. Quoniam multi qui debellant me timebunt: ego vero in te ſperavi* (*a*) *Domine*. Quomodo etiam habent vetus Iacobi Pſalterium (ſed id ex Auguſtino deſumptum ſuſpicor) Caſſiodorus Senator, & Romani Pſalterii, quæ habemus, exemplaria, Goticum, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe. Teſtatur Illuſtriſſimus Dominus Sirletus non deeſſe Græcum codicem, qui habeat ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με, φοβηθήσονται, ἐγὼ δὲ ἐπὶ σοὶ ἐλπιῶ. Hinc illa fortaſſe veteris Pſalrerii lectio, quam integriorem habuiſſe videtur Auguſtinus; ſed nimis a prototypo diſſonat.

V. 13. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi*. *Tua* in Græco non eſt, ut neque in Romano Pſalterio: ſed ex Hebræo additum eſt ab Hieronymo noſtræ editionis caſtigatore; id quod indicat aſteriſcus, qui eſt in antiquis libris Brugenſi, Lo-

Lobiensi, Tornacensi, Herbipolensi. *Quæ legitur Græce*, sed non est Hebraice: ideoque ei obelum præfigit Brunonis Herbipolensis Episcopi textus. Hebraice versus iste ad hunc legitur modum: *In me Deus vota tua, reddam laudes tibi*. Græce ad istum: *In me Deus vota, quæ reddam, laudis tuæ*. Latina nostra lectio ex utroque accipit aliquid, ex quo facta est obscurior. Hinc etiam est, quod fit verisimile, Latinorum codicum ea diversitas, quod alii *laudationes*, alii *laudationis* habeant, cuius Haymo, Lombardus, & Glossa interlinearis meminerunt. Sex Hentenii, & ipse Bibliorum Parisiensium textus scribunt *laudationis*: universi nostri editionis vulgatæ, *laudationes*, cum V. Beda, Remigio Antissiodorensi Episcopo, Brunone Carthusianorum Patriarcha, Iacobo Christopolitano Antistite, & Ioanne præsule Sabiensi. Addo autem editionis vulgatæ: nam Romana nostra psalteria, Goticum, Lobiense, Tornacense, Stapulense, *laudationis* habent: quo modo & Hilarius, qui veteri Psalterio usus est legisse videri potest: „ Non extra se sunt, in„ quit, ista quæ sperat, nec laudationis vota, „ quæ reddenda sunt extrinsecus capesen„ da, “ &c. Simila Cassiodorus quoque: „ dicit enim, inquit, in se esse vota lau„ dationis, Dei tamen munere contribu„ ta, quæ in illa perpetuitate reddenda „ sunt, quando iam sancti indefessis voci„ bus persolvent laudis obsequium “ Existimarim igitur veteris, aut saltem Romani Psalterii lectionem esse *laudationis*: nostram vero editionem emendaram *laudationes*, cum adderet Castigator *tua*, & transfigeret *quæ*. Sane Iacobi editio, & antiquissima Lobiense, & Tornacense manuscripta concorditer Romano Psalterio *laudationis*, Gallico *laudationes* attribuunt. Sed cum varie hac de re Doctores iudicent, nihil ego decerno. D. Lindanus correxit *laudationis*. D. Hentenius, & Parisienses *laudationes*. Et quidem Hentenius: nam cum Parisiensium Biblia in textu *laudationis*; in margine cum annotatis 4. exemplaribus legerent *laudationes*: ipse hoc in textum retulit; illud vero cum 6. antigraphis in margine locavit. Parisienses autem posterioris editionis textum ex prioris margine, ut alias pene semper, mutarunt.

(a) Cass. Rom. d. H. *Sperabo*.

COMMENTARIA

MALDONATI

Vers. 1. IN FINEM PRO POPULO, &c. Hebr. *Victori super columbam taciturnitatis*, id est mutam, *in remotis michtham Davidi, cum tenerent eum Philistæi in Geth*. Columbam in remotis vocat seipsum, ut ut Psalm. LIV. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Mutam vero, quia nihil adversariis suis respondebat, ut Psal. XXXVII. 14. *Ego autem surdus non audiebam & sicut mutus non aperiens os suum. Michtham David*, recte videntur LXX. vertisse εἰς στηλογραφίαν, quasi monumentum Davidis. Hebræi alii interpretantur *aurum*, quasi carmen pretiosum sicut aurum, ut Rabbi David in Lib. rad. Alii esse modulum cantus, ut Rabbi Selom. Psalm. LVII. 1. & Psalm. XVI. 1. Alii exponunt *coronam*, quasi quotidie David hunc Psalmum circumcantaret. Chald. *Pauper perfectus*. Alii initium cantionis.

V. 2. CONCULCAVIT ME HOMO. Hebr. *Absorbere me* (vult) *homo*.

V. 3. CONCULCAVERUNT ME INIMICI MEI TOTA DIE. Hebr. *Absorbuerunt me*.

V. 4. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO. Hebr. *Superbus elatus*. Iungitur cum verbis præcedentibus; quasi dicat: Superbissimus quisque bellum suscipit contra me. Aut adverbialiter: Multi bellum contra me suscipiunt superbe. Postea sequitur, *Die timebo*; id est, quamvis quotidie multæ mihi timoris causæ occurrant, non desinam in te confidere.

V. 5. SERMONES MEOS. Hebr. דברו, *Verbum eius*; id est, Laudabo Deum propter verbum eius, quo mihi promisit quæ revera præstitit. LXX. legerunt דברי: ἐν τῷ Θεῷ ἐπαινέσω τοῖς λόγοις μου.

V. 7. ET ABSCONDENT. Hebr. *Morabuntur, & latebunt*; id est morantur in locis abditis, ut observent me, dum expectant animam meam, id est sperantes se vitam mihi erepturos.

V. 8. PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS. Hebr. *Propter iniquitatem*, aut *super iniquitatem illis est evasio*; id est, putant se sua versutia, posse effugere manus tuas. Aut, ut monet Kimhi, interrogando:

Num

Num propter iniquitatem evasio illis? id est, num impune feceris suam iniquitatem.

V. 9. DEUS VITAM MEAM ANNUNTIAVI TIBI. Hebr. *evagationem meam numerasti*; id est, non ignoras quam sæpe huc illuc fugiam. POSUISTI LACRYMAS MEAS IN CONSPECTU TUO. Hebr. *Pone lacrymam meam in utre tuo*; id est, collige lacrymas meas, nec sinas frustra a me fundi, ut Psal. CXXXVIII. *Domine probasti me, & cognovisti me.* SICUT ET IN PROMISSIONE TUA. Hebr. *An non* (hæc sunt) *in libro tuo*: ut Psalm. CXXXVIII. *In libro tuo omnes scribentur*; quasi dicat: Certe meministi.

V. 10. QUONIAM DEUS MEUS ES. Heb. *Quod Deus mecum sit.*

V. 13. IN ME SUNT DEUS VOTA TUA. Hebr. *Super me*, sunt, *Domine*, *vota tua*; id est, curæ mihi est reddere tibi laudes, quas tibi vovi: aut, ut alii vertunt, *Mea interest vovere tibi, reddam laudes tibi.*

V. 14. UT PLACEAM, &c. *Ut ambulem coram Deo in lumine viventium*; id est, ut divino beneficio frui possim lumine huius vitæ.

SA.

Oratio in tribulatione.

Vers. 1. SANCTIS, id est sanctuario. INSCRIPTIONEM; quasi dicat, in monimentum perpetuum, ut solent titulo, id est columnæ inscripta.

V. 2. CONCULCAVIT. Aug. Sic solet uva, ut exprimatur vinum. HOMO, scilicet inimicus. TOTA, id est omni.

V. 4. AB ALTITUDINE DIEI, id est potentia, & prosperitate hominum. TIMEBO? quasi dicat, non; vel quasi dicat, *Timebo*; id est, cum timuero temporis calamitates magnas, in te sperabo. Grec. *non timebo*. Hieron. *Altissime, quacumque die territus fuero.* Chald. *Deus altissime, die qua timuero.*

V. 5. IN DEO, id est Dei causa. Chald. *in mensura iudicii Dei*. SERMONES, id est res: sic infra. CARO, id est homo.

V. 6. EXECRABANTUR, id est calumniabantur.

V. 7. INHABITABUNT, scilicet simul. Hieron. & Chald. *congregabuntur*. ABSCONDENT, scilicet se, ut insidientur. CALCANEUM, id est vestigia, seu gressus. Hieron. & Chald. *plantas*. SICUT SUSTINUERUNT. Hieron. *expectantes*. Chald. *sicut expectaverunt*, sic fecerunt animæ meæ.

V. 8. PRO NIHILO, id est pro nulla re; quasi dicat, nullo modo: sic vulgo, *per niente*. IN IRA, id est iratus.

V. 9. VITAM; quasi dicat, tribulationes. ANNUNTIAVI, id est exposui. POSUISTI; quasi dicat, attendisti. Hieron. & Chald. *pone*. IN PROMISSIONE TUA, scilicet est; quasi dicat, Sicut promisisti, scilicet sic fiet, quod sequitur.

V. 10. TUNC, scilicet cum mihi opem tuleris. DEUS, adeoque adiutor.

V. 11. LAUDABO SERMONEM. Hieron. *Prædicabo sermonem.*

V. 12. IN ME, id est in mea, seu mente mea, seu memoria; vel apud me prompta. TUA, id est tibi a me nuncupata. LAUDATIONES. Hieron. *gratiarum actiones*. Græc. *laudationis*.

V. 13. PLACEAM. Hieron. & Chlad. *ambulem*. LUMINE, scilicet spirituali; vel quasi dicat, vita.

ESTII.

Vers. 8. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAM MEAM, PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS, &c. Sic quidem Græca; quasi dicat: Sicut sustinuerunt, id est exspectaverunt animam meam, pro nihilo salvabis eos. Quod August. sic intelligit: *Pro nihilo*, id est gratia salvos facies eos, non ex meritis ipsorum, quæ non erant nisi mala. At ex Hebræo longe alius apparet sensus. Sic enim sonat: *Super iniquitatem evasio eis*. Pagninus: *Num propter iniquitatem evasio erit eis?* Hieron. *Quia nullus est salvus in eis*. Miror Iansenium non meminisse huius varietatis. Sed & notandum, quod in nostris est, *pro nihilo*, non sic dictum quomodo Psal. LXXXVIII. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*. Nam in Hebræo vocabula sunt prorsus diversa. Vide eius loci Annotat.

V. 11. IN DEO LAUDABO VERBUM, IN DOMINO LAUDABO SERMONEM. Hebr. iisdem verbis repetitur, *Laudabo verbum*. Intelligitur autem Verbum Dei, sicut superius expresserat: *In Deo laudabo verbum eius*,

eius, scilicet est secundum Hebr. loco eius quod nos habemus vers. 5. *In Deo laudabo sermones meos*, ut intelligantur promissiones ad Davidem factæ. Alii verbum pro re accipiunt, hoc sensu: Boni consulam, quidquid mihi Deus immiserit, sive prosperum, sive adversum.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO POPULO, QUI A SANTIS LONGE FACTUS EST, id est qui pravus erat. Hebr. *Præfecto super columba muta* (in) *remotis*. Se vocat *columbam mutam*, quod inimicis non reponderit; & ait, *in remotis*, quoniam exulabat metu Saulis. DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. *Davidis michtam*. Sic vocat cantilenam, ad cuius formam multi Psalmi & compositi sunt, & cani iubentur. CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI (id est *Philisthæi*, ut est Hebr.) IN GETH. Hoc narratur I. Reg. XXI. 12. Ea fuit occasio scribendi, id significant ea verba. Orat Deum ut sibi contra hostes subveniat.

V. 2. CONCULCAVIT ME, oppressit. HOMO. Achis Rex me conculcavit, despexit.

V. 3. BELLANTES; pro, bellant multi contra me.

V. 4. AB ALTITUDINE DIEI. Hebr. *excelse*, & iungitur cum superioribus: *Multi bellantes contra me, o Deus excelse*. Septuag. mutatis punctis dixerunt: *Ab altitudine diei timebo*; id est, cum res prospere fluent. Sed ita timebo, ut in te sperem. Hebr. *Die* (quo) *timebo, ego in te sperabo*, id est cum ingruerint pericula, & causæ timoris. Quidam codices Græci: *Ab altitudine diei non timebo*: sic in Regiis: sic Apollinaris, & Hilarius; sed falso, ut Hieronymus ait ad Suniam, & Fretellam. Plura in Bibliis Rom. Græc. in Annotat.

V. 5. IN DEO LAUDABO SERMONES MEOS; id est, Dei ope res meæ prospere fluent. Heb. *Laudabo verbum eius*; id est, promissionem adimpletam celebrabo. CARO, id est homo, si quid fecerit, non timebo.

V. 6. TOTA DIE. Heb. *Omni die*. VERBA MEA EXECRABANTUR; id est, propter verba mea me execrabantur. Hebr. *calumniabantur verba mea*, id est dicta de me, scilicet me fore Regem, aut ea de causa irritabant me.

V. 7. INHABITABUNT, scilicet in locis opportunis. ET ABSCONDENT, scilicet se: insidias parabunt. Hebr. *congregabuntur, & latebunt*. CALCANEUM, id est vestigia: gressus meos observabunt. Futura hic pro præsentibus. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAM MEAM, id est expectarunt vitam meam

V. 8. PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS, id est minime. Lego cum interrogatione. *Nihilum* peccatum vocat, quod illis salutem non afferet. Heb. *Num ob iniquitatem evasio erit eis?* Melius sic: *Pro nihilo salvos facies*, id est nullo modo, quod dicimus, *Por ninguna manera*. Quidam codices Græci pro σώσεις, id ed *salvum facies*, habent ὤσεις, id est *expellos*, quod cum præcedentibus magis convenire videtur; sed non est opus eo recurrere.

V. 9. VITAM MEAM; id est, vitæ ærumnas annuntiabo tibi. Hebr. *vagationem meam*, exilium. POSUISTI LACRYMAS MEAS IN COSPECTU TUO; id est, in numerato habes: scis quam multa patiar. Hebr. *Pone lacrymas meas in utre tuo*; id est, in pera tua habeto: memor esto earum. Hebr. est paranomasia, quam Sept. non potuetunt exprimere, nec nos exprimimus; sed est inter נדי *nodi*, id est *exilium meum*, & נאדך *nodecha*, id est *utre tuo*. SICUT ET IN PROMISSIONE TUA: scilicet sic fac ut promisisti. Hebr. *nonne in libro tuo?* scilicet pones lacrymas meas: iungitur enim cum superioribus.

V. 10. ECCE COGNOVI, id est cognoscam: experimento discam, te meum Deum esse.

V. 11. IN DEO, scilicet sperabo. LAUDABO VERBUM: quod de regno mihi dixit impletum opere esse.

V. 12 IN ME. Hebr. *super me*: mihi incumbunt vota quæ feci, eorum reus sum. VOTA TUA, tibi a me debita & promissa. QUAE REDAM: scilicet quæ vota reddam. LAUDATIONES TIBI, appositive, nempe laudationes tuas.

V. 13. DE LAPSU, id est a periculis eripuisti me. UT PLACEAM CORAM DEO IN LUMINE VIVENTIUM, id est dum vivo, aut in futura vita, ubi verum lumen est. Hæbr. *ut placeam coram Deo*, id est in hoc sæculo. *In lumine viventium*, id est in futuro sæculo.

M&L-

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRo populo, qui a Santis longe factus est. על־יונת אלם רחוקים *ghal-ionath elem rechokim*. mirum quam varie reddant. I. S. Hieronymus: *Pro Columba muta, eo quod procul abierit*. II. Auguſtinus Iuſtinianus: *Pro columba muta longitudinum*. III. Reuchlinus ex Kimchi: *Super columba palatii longinquorum*. IV. Caietanus: *Super columba muta elongationum*. V. Sanctes: *Super columbam mutam in remotis*, agentem. VI. Vatablus: *De columba, taciturnitatis in remotis*. VII. Forſterus: *De columba colligaturæ, colligationis*, id eſt *mutitatis*, ſeu *muta, apud longinquos*. VIII. Iſidorus Clarius: *De columba muta longe avolante*. IX. Mercerus, Marinus, Avenarius, Buxtorfius: *Super*, vel *de columba obmuteſcentiæ*, ſeu *taciturnitatis, in longinquis locis*. Et hoc eſt rectius quam *columba muta*: nam *ioanah, columba*, eſt femineum, & *elem* maſculeum. *De columba muti*, vel *mutitatis*. Putant hoc nomine ſe appellare Davidem, qui ſe columbæ comparaverit, ſupra Pſalm. LIV. 7. & 8. quod tacite ac ſilenter aufugerit, & avolaverit a terra ſancta ad Pheliſthæos, ad regem Achis, & ibi procul a patria manſerit, mutus, & elinguis, & ſe fatuum ſimulans, prout extat hiſtoria I. Samuel. XXI. 10. & ſequentibus. Nonnulli Hebræorum potius volunt fuiſſe ſuave carmen, vel cantionem tunc notam, ac celebrem, cuius initium eſſet, *Columba muti*, ad cuius modulos, & concentum hic Pſalmus decantatus fuerit: ut *cerva auroræ*, Pſal. XXI. 1. X. Leo Iudas: *De vexatione manipuli alianigenarum*. XI. Schindlerus: *De columba colligationis, congregationis, cœtus, multitudinis hominum longinquorum*. XII. Tremellius, & Iunius: *De anima vim patiente a manipulo longinquorum. Hanc inſcriptionem multis modis ab interpretibus acceptam eſſe conſtat: ſed quia non meminimus alibi præfigi ſacris cantionibus titulos (ut vocant) allegoricos, & videtur incommodum inſcriptiones ipſis argumentis obſcuriores adhibere, placuit magis has voces ſimpliciter interpretari, prout ad argumentum Pſalmi accommodatius viſum eſt. Nam & ſi primam vocem fere columbam interpretati ſunt, certum eſt tamen eſſe alteram quoque propriam & naturalem ſignificationem eiuſdem vocis, prout interpretati ſumus, ut Tzephaniæ* III. 1. *Senſus igitur eſt, hunc Pſalmum formam orationis eſſe omnibus piis traditam, quicumque procul a ſuis verſantes, iniuriam ab exteris patiuntur: qua conditione erat David, cum prehenderent eum Peliſthæi.* Hæc illi. In tituli inscriptionem. מכתם *michtham*. Vide Pſal. XV. 1. Notant hunc Pſalmum ſcriptum ordine amœbæo. Cum tenuerunt eum Allophyli in Heth. Hebr. *Cum prehenderunt eum Pheliſthæi in Gath*: I. Samuel. XXI. 11.

V. 2. Conculcavit me homo. Varie reddunt. I. *Abſorbuit me homo*. II. *Abſorbere voluit*, aut *conatus eſt me homo*. III. *Inglutivit me homo*. VI. *Hauſit, attraxit me homo*. V. *Inhiavit, anhelavit in me homo*. VI. *Anhelus perſequitur me mortalis*; cum Saul, & adminiſtri eius, a quibus fugiebat David, tum Pheliſthæi, ad quos confugerat. Sic verſu ſequente. Tota die impugnans tribulavit me. Diverſimode ex Heb. exprimunt. I. *Quotidie bellans opprimit me*. II. *Tota die oppugnans divexat me*. III. *Iugiter impugnando coarctat me*. IV. *Aſſidue, ſine intermiſſione comedens, exedens, abſumens, devorans, affligit me*, ut ſit continuatio metaphoræ.

V. 3. Quoniam multi bellantes adversum me, ab altitudine. Multis modis reddunt ex Heb. I. *Quoniam multi impugnantes me ab excelſo*, id eſt ex celſioribus, & dignioribus aulicis Achis. II. *Multi enim qui pugnant contre me excelſum*. III. *Multi pugnantes adverſum me, o excelſe*, ſive *o altiſſime Deus*. IV. *Multi enim ſunt qui me oppugnant elato animo, ſuperbe*. V. *Qoniam multi bellantes pro me ſunt in excelſo*. VI. *Quia multi ſunt*, nempe inimici obſervantes me, *e ſublimi propugnatores adſunto mihi*. Hunc locum, inquiunt, licet vulgo aliter redditum, ſic interpretamur, cum propter Hebraicam diſtinctionem, tum propter conſecutionem verbi *pugnare*, quod in hac conſecutione ſemper ſignificat *propugnare, oppugnare* vero numquam, ut recte admonet Aben Hezra. Et quidem notant, verbum לחם *lacham*, quando conſtruitur cum Lamed, ut hic, tunc ſignificare *pugnare*

gnare pro aliquo, vel *propugnare* aliquem. Possis reddere: *Quia multi præstantes pro me excelse*, id est valide, potenter.

V. 4. DIEI TIMEBO, &c. Hunc versum varie alii ex Heb. reddunt. I. *Die qua timebo, ego ad te confidam*. II. *Die quo timebo, ego tibi fidam*. III. *Die quo timebam, ego te nitebar*. IV. *Quocumque autem momento metus mihi intentatur, in te Domine spero*. V. *Quocumque tempore timor invaserit me, ego ad te confugiam, nihil dubitans, quin liberaturus me sis a malis*. VI. *Quocumque tempore timor me invadit, ego spem meam in te colloco*. VII. *Qua die timebo, ego in te confidam*. Prædicatio fidei constantis omni tempore: quæ est sequentis laudationis argumentum.

V. 5. IN DEO LAUDABO SERMONES MEOS. Heb. *Verbum eius*. Quidam: *Deum laudabo propter verbum eius*. Alii: *In verbo Dei*, vel *de verbo Dei gloriabor*. Nonnulli: *Fretus benignitate Dei, boni consulam, quidquid ab illo immittitur mihi*. *Verbum*, Hebraica phrasi, pro quacumque re. Plerique: *In Deo laudabo verbum eius*, id est promissionem; quasi dicat: Quamvis non illico exorem promissionis complementum, tamen peræque in Deo gloriari possum, fretus promissionibus ejus: vel, Tantum abest ut de promissione eius dubitem, ut eam sim unice prædicaturus, & omnibus commendaturus. CARO, id est ullus homo: vers. 11. & alibi sæpe.

V. 6. TOTA DIE VERBA MEA EXECRABANTUR. Diversimode Hebræa alii redunt. I. *Tota die verbis meis me contristabunt*; id est, gestis a me præclare, & verbis gloriosis de me compositis, & decantatis, Phelisthæi me impugnabunt: respectum volunt ad I. Samuel. XXI. 11. II. *Tota die sermonibus meis renitebantur*. III. *Tota die verba mea dolore afficient*, vel *afficiunt me*. IV. *Tota die res meæ*, sive *negotia mea, fatigant*. V. *Omni tempore affligunt res meas*, scilicet hostes mei. VI. *Tota die causam meam molestam reddunt*. VII. *Incessanter verba mea torquent ac depravant*. VIII. *Ipsi assidue, quid vel dicerem, vel facerem calumniabantur*. IX. *Quotidie verba mea elaborant contra me*; id est, curiose & anxie enituntur componere, & fabricare ea in meam perniciem. X. *Tota die verba mea*, vel *res meas contristant, & conturbant*. XI. *Toto die rebus meis dolorem afferunt*; id est, res meas efficiunt molestas mihi.

V. 7. INHABITABUNT. יגורו *iagburu* reddunt, *Congregabuntur*, *commorabuntur*, *concurrent*, *convenient*. Alii volunt hic, & Psal. LVIII. 4. & Psal. CXXXIX. 3. esse verbum militare, *contrahent*, copias scilicet, vel currus contra me. Nonnulli, *conspirabant*. Quidam, *retrahunt*, *alienant se*. ET ABSCONDENT, subaudi laqueos, vel insidias; seu *abscondent se*. Alii, *& abstrudunt se*, *delitescunt*, *insidiantur*. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAM MEAM. Alii: 1. *dum exspectant animam meam*; 2. *quomodo animam meam capiant*; 3. *studiose hoc agentes, ut capiant animam meam*; 4. *ut qui expetunt vitam meam*; 5. *quandoquidem animæ meæ*, id est vitæ meæ, *inhiant*.

V. 8. PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS. Varie ex Heb. convertunt. I. *Pro iniquitate evasio ipsis*. Bifariam legunt. Interrogative: Num propter iniquitatem suam meritas a Deo pœnas evadent? Assertive: Cum alii propter sua scelera apud istos Phelisthæos perfugium invenerint, me innocentem expulerunt. II. *Propter iniquitatem evasio erit eis*; id est, spem evadendi collocant in pravitate & versutia sua, & sperant se mala evasuros, si me innocentem peremerint. III. *Erit ne hæc iniquitas impunita illis*? *nequaquam*. IV. *Vanitate sperant se evasuros*. V. *Propter iniquitatem eiice, proiice, exclude eos*, vel *evome, exspue eos*, ex notione verbi Syriaca. VI. *Pro iniquitate parito eis*; id est, facito ut ipsis laboriosa & ærumnosa sit sua iniquitas: nam istos labores, iniquitatis pœnas, modo parere dicitur Deus, ut illorum auctor, modo improbus ipse, qui sibi sua improbitate generat malum, ut Psal. VII. 15. sic sumi notant id verbum Iob XXI. 10. & Michææ VI. 14. 7. *Sed frustra*: *elabetur enim ab eis*, scilicet anima mea.

V. 9. DEUS, VITAM MEAM ANNUNTIAVI TIBI. Heb. *Divagationem*, vel *divagari meum*, *numeravisti tu*. Varie alii. I. *Fugam*, vel. *fugas meas*, *numerasti tu*, vel *dinumeras*. II. *Quam sæpe fugere compulsus fuerim, tu diligenter numerasti*. III. *Fugas meas tu numeratas habes*. IV. *Tu vagationes meas in numerato habes*. Sæpius fugit David Saulem. POSUISTI LACRYMAS

MAS MEAS IN CONSPECTU TUO. Heb. *Pone lacrymam meam in utre tuo*. Alii. I. *Pone quamque lacrymam meam in utre tuo*; id est, ne patiaris inaniter in terram decidere: humanitus dictum. Hispanice simili locutione, *Poner in saco roto*. II. *Lacrymas meas repone in lagunculam tuam*. III. *Collige, quæso, lacrymas meas, & infunde in vitrum tuum, ut videas quam sint multæ*. SICUT ET IN PROMISSIONE TUA. Heb. *An non in numeratione tua?* Alij diversimode: 1. *Nonne in libro tuo sunt?* 2. *Nonne in commentario tuo sunt?* 3. *Nonne in rationibus tuis sunt?* 4. *Immo in libro rationum tuarum scribe eas*: 5. *An non in rationario tuo?* 6. *An non essent in numerato tibi?*

V. 11. IN DEO LAUDABO VERBUM, &c. Notant esse gloriosam fidei prædicationem, ut supra vers. 5. amplificatam per congeriem; quasi dicat: Non tantum celebrabo verbis, sed etiam re ipsa quemlibet voluntarium & legitimum cultum præstabo, vers. 13.

V. 12. IN ME SUNT VOTA TUA, DEUS. Hebr. *Super me, Deus, vota tua*. Quidam: *Vota tibi nuncupabo, Deus*; quasi dicat: Non ero ingratus tot acceptis beneficiis. Alii: *Mecum erunt, o Deus, vota tua*. Notant esse hoc versu conclusionem ætiologicam superiorum, qua ostendit Psaltes, se hæc officia præstiturum merito, quia pii e manu inimicorum suorum liberantur, ut sine metu serviant Deo cum sanctitate, & iustitia in ipsius conspectu, cunctis diebus vitæ suæ. Lucæ 1. 74.

V. 13. ET PEDES MEOS DE LAPSU. Heb. *Annon pedes meos de propulsione?* Gravissima confirmationis formula, per interrogationem, apud Hebræos, ut supra vers. 9. Vide in Gen. XIII. 9.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST. Intelligit exules, qui Davidem comitabantur, & ad Dei tabernaculum accedere non poterant, cum in exilio essent constituti. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hoc explicatum est initio Psalmi XV. CUM TENUERUNT EUM. Historiam habes I. Reg. XXI. 12. ALLOPHYLI. Vox est Græca ἀλλόφυλοι, & idem est quod *alienigena*: ἄλλης φυλῆς alterius tribus, generationis, gentis.

V. 2. CONCULCAVIT ME HOMO. Conterere, opprimere me conatus est. *Homo*, Achis, & eius aulici, I. Reg. XXI.

V. 3. BELLANTES; supple, sunt.

V. 4. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO. Ab altis, & summis periculis, propter profundas calamitates, quæ quotidie oriuntur propter mea periculosa tempora, timebo quidem, sed non sine spe in tuo auxilio. Alii cum D. Hieronymo: A divinis iudiciis timebo, quæ prodeunt ab altissimo lumine, quale est meridianum. Sed cum timore spem quoque adiungam.

V. 5. IN DEO LAUDABO SERMONES. Hebr. habet: *In Deo laudabo verbum eius*. Sensus est: In Deo laudabo, & cum laude prædicabo sermones eius ad me pertinentes, quibus promisit mihi exhibiturum se magnifica beneficia, & liberationem ab inimicis meis. CARO. Carnalis homo, & mortalis, homo infirmus.

V. 6. TOTA DIE, assidue, singulis diebus. VERBA MEA EXECRABANTUR. Abominabantur quidquid dicerem, vel facerem, calumniantes illud, & in peiorem partem rapientes. Apud Hebræos hæc vox *verbum* & verba, & opera significat. ADVERSUM ME, &c. Omnes eorum cogitationes huc spectabant, ut aliquod mihi malum inferrent.

V. 7. INHABITABUNT, &c. Aliqui ex Hebræo vertunt *congregantur*, ut scilicet mihi insidientur. Nostræ vulgatæ sensus esse videtur: Mecum simul habitabunt tamquam amici, & contubernales, & interim abscondent se, tecte, & occulte dolos machinantes. CALCANEUM MEUM OBSERVABUNT, gressus, & vestigia mea, quo irem, quid facerem, &c. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAN MEAM: quemadmodum ipsi expectaverunt, & desideraverunt animam meam perdere; ita & tu pro nihilo, &c.

V. 8. PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS: nullis precibus, nullo pretio, nulla conditione salvos illos facies, sed omnino perdes. Italice diceremus: *Non perdonarai loro a modo niuno*. IN IRA POPULOS CONFRINGES. Sed in furore tuo illos atteres, & perdes.

V. 9. VITAM MEAM, vitæ meæ neces-

 sita-

ſitates, & ærumnas. In conspectu tuo, ut illarum recorderis. Sicut et in promissione tua: ſicut hoc ipſum promiſiſti te facturum, ut nimirum earum recorderis, & miſeris opem feras.

V. 10. Tunc, cum ſcilicet me exaudiveris, & mihi opem tuleris. Convertentur, &c. in fugam dabunt ſe. Ecce cognovi: cum te invocavi, experimento didici, quoniam tu Deus meus, & qui mihi ades, & a malis eripis.

V. 11. In Deo laudabo verbum, &c. Vide dicta num. 5.

V. 12. In me sunt Deus vota tua: in memoria mea ſunt, ſive in intimis præcordiis, apud me conſervantur, ut non excidant vota tua, id eſt promiſſiones a me tibi factæ. Quae reddam laudationes tibi: quæ vota continent laudationes, & gratiarum actiones tibi aſſidue a me concinendas.

V. 13. Animam meam, vitam meam. Ut placeam coram Deo, ut ambulem placens Deo, in lumine viventium, id eſt in hac vita.

T I R I N I.

Verſ. 1. Pro populo, ſcilicet qui cum Davide fugerat, et longe factus, id eſt elongatus erat, a Sanctis, id eſt a ſanctuario, vel a ſancto populo Dei. In tituli inscriptionem; id eſt, ut titulo, ſeu columnæ in perpetuum monimentum inſcribatur.

V. 4. Ab altitudine diei, id eſt ab alto die, ſeu ab ortu & aſcenſu diei in altum; quaſi dicat: Timeo & horreo ipſum ſolis aſcenſum ſupra horizontem, eo quod metuam ne quid novi mali ſecum trahat.

V. 5. In Deo, id eſt Dei ope, favore, gratia adiutus, laudabo, & deprædicabo, sermones meos: Hebræus, Hieronymus, & Chaldæus, *verbum eius*, id eſt promiſſiones mihi factas, ſeu res olim mihi a Deo promiſſas, & iam reipſa præſtitas. Ita ſanctus Auguſtinus. Idem repetit verſu 11.

V. 7. Inhabitabunt: Hebr. *In unum ſimul habitabunt*; Hieronymus, & Chaldæus, *Congregabuntur*, ſeu conſpirabunt in me. Et abscondent ſuas inſidias, & perfida conſilia. Calcaneum meum. Hieronymus, & Chaldæus, *plantas meas*; Symmachus: Veſtigia, & *greſſus meos* omnes explorant, ſcilicet me ut decipiant & capiant. Sicut hactenus continuo sustinuerunt, Chaldæus, & Hieronymus, *expectarunt*, & ſperarunt, animam, id eſt vitam, meam mihi eripere.

V. 8. Pro nihilo; id eſt, pro nulla re mundi, nulla prece, aut pretio ſinas te induci ut ſalves illos, ſed confringe, & perde illos, in ira furoris tui.

V. 9. Vitam meam, ſeu vitæ præſentis ſtatum miſerum & ærumnoſum. Chaldæus vertit, *dies vagationis meæ*, id eſt exilii, fugæ, erroris mei; Hieronymus, *ſecretiora mea*. Et tu posuisti continuo lacrymas meas in conspectu tuo, id eſt attendere, & providere cœpiſti. Sicut et in promissione tua, id eſt ſicut promiſiſti te facturum, nempe te ſemper tuis affuturum. Theodoretus.

V. 12. In me, id eſt in mente & memoria mea, vel apud me, in manu & in promptu sunt; Chaldæus, *in me recepi*, vota tua, ſeu tibi a me facta, tibique debita, nempe laudes, gratiarum actiones & ſacrificia. Ita Hieronymus, Chaldæus, & Septuaginta.

V. 13. In lumine viventium, id eſt in hac vita, quamdiu luce ſolis inter viventes utar. Allegorice, in lumine fidei; anagogice, in lumine gloriæ. Ita ſanctus Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus.

G O R D O N I.

Quomodo *in finem*, vide Pſalm. iv. reliqua aliter fere ſunt in Hebræo, quam in Vulgato. Vide hiſtoriam I. Reg. cap. xxi. de Davide ducto ad Achis Regem Geth; & dimiſſo, poſt ſimulatam inſaniam, coactoſque ab eo viros 400. Populus pro quo ſcribitur hic Pſalmus, ſunt hi quadringenti viri exules, & qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant. Verba illa, *Tituli inſcriptio*, ſeu στηλογραφία, deſignant hunc Pſalmum fore velut memoriam ſempiternam huius rei, ac ſi eſſet inciſus metallo. Ceterum quod ad variam lectionem attinet, opinari debemus Sept. viros doctos vertiſſe prout tunc habebant incorrupti codices Hebræi.

V. 1.

Verſ. 2. INitium, cum perſecutionem patimur, debet eſſe a petitione divinæ miſericordiæ: ſic David, conculcatus (ut loquitur ipſe) tum a Saule, tum ab Achis Philiſtæo Rege, ſe geſſit.

V. 4. AB ALTITUDINE DIEI *non* TIMEBO. Sic Septuag. habent, cum negatione, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας, οὐ φοβηθήσομαι. Heb. *die*, ſeu *interdiu territus ſperabo*. Et Hieronymus in epiſtola ad Suniam putat negationem ſuperadditam; quamvis ipſe in commentario declaret utrumque ſenſum. Sed quid eſt, *Ab altitudine?* ſane vel ab altitudine malorum, vel altitudine diei, hoc eſt divini luminis; vel ab altitudine humanæ potentiæ. Hebr. מרום *marom*, *altitudo*, ut ſit vox una; aut, ut aliqui coniiciunt, *ab altitudine*, quo modo littera מ initio poſita, erit loco præpoſitionis מין *min*, *a*, vel *ab*: & ſit מרום *marom*, pro מרום *merom*, rad. רום *rum*, *altus fuit*.

V. 5. SERMONES MEOS. Septuag. λόγους μου. In Hebr. *Laudabo verbum eius*, hoc eſt promiſſionem: utroque vero modo legi poteſt; ſicut etiam erat Davidis, utpote Davidi facta: & quid ſi Septuag. legerunt דברי *devari*, *verbum meum*, non autem *devaro?*

V. 8. PRO NIHILO SALVOS FACIES; hoc eſt, pro nulla re, ſeu nullo modo ſalvos facies eos; ita ut pro nihilo, ὑπὲρ μηδενὸς, ſignificet præciſe negationem. In Hebr. male irrepſit hoc על און *bbal aven*, *pro iniquitate*. Sane Septuag. legerunt על אין *bbal ain*, *pro nihilo*, vel אין, *non*. Ergo ad verbum: *Propter quod non* (eſt) *laborare ipſis*. Denique quod eſt, *ſalvos facies*, aliqui codices habent in Græco ὤσεις, *expelles*; ſed legendum σώσεις, *Salvabis*.

V. 9. DEUS VITAM MEAM. Ita enim Septuag. ζωήν μου. At vox Hebræa eſt נודי *nodi*, *migrationem meam*: nam נד *nod*, *migrationem* ſignificat, aut mutationem: rad. נוד *nud*, *motus eſt*, *fugit*. Vitæ vero nomine זו נד recte expreſſerunt in ſua verſione Septuag. deſignant enim his verbis, τὴν ζωήν σου ἐξήγγειλα, curſum vitæ, & vitæ labores, ac mutationes. Lege autem ſic; non autem ἐξήγγειλας in ſecunda perſona, ſicut etiam Septuag. legerunt in Hebr. ספרתי, *numeravi*, *annuntiavi*, non autem ספרתה *ſaphartah*. Ceterum pro *conſpectu*, eſt in Hebr. נאדי *nodi*, & *utrem* ſignificat, aut neſcio quid aliud: utut ſit, Septuag. & Hieron. vertunt *in conſpectu tuo*. Illud בנאדך *benodecha*, aut alia vox, ſi quam legerunt, habet hic in Hebr. alluſionem nominum non invenuſtam.

V. 11. & 12. IN DEO LAUDABO. Idem ſenſus eſt cum verſiculo 5. ac pro his pollicetur David verſ. 13. ſe perſoluturum vota ſua Deo. IN ME, hoc eſt in memoria mea, SUNT VOTA TUA.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. & 3. MIſerere, &c. I. Reg. XXI. David fugiens a perſequente Saule, incidit in Philiſthæos, & in hoc novo malorum incremento, clamat ad Deum ſe conculcari, & tum diu, tum a tumultis.

V. 4. *Ab altitudine* divinæ potentiæ timebit, inquit, inter hæc mala; tamen non omittet inter hos timores ſperare in Domino. Hieron. ad Suniam, & noſtra editio reiiciunt negationem. Pergit: *In Deo laudabo verbum eius*, & promiſſiones mihi factas, quas ſpero implendas: *& tunc non timebo*, quid faciat homo.

V. 6. 7. & 8. *Tota die*, &c. Regreditur ad perſecutores. Tota die, inquit, cum mecum fuerunt, me, & *verba mea execrabantur*, *inhabitabunt*, & *abſcondent* (futurum pro præterito) hoc eſt, habitabant, & occultabant dolos ſuos. *Calcaneum*, & greſſus meos obſervabant. Verum ſicut illi *ſuſtinuerunt*, expectantes ut me perderent; ita tu Deus pro nulla re *ſalvos eos facies*, ſeu nullo modo parces illis, & tale erit ſupplicium inimicorum.

V. 9. & ſeq. *Deus vitam*, &c. Reliquum capitis habet orationem ad Deum. Cogitationes, & lacrymas ponit in conſpectu Dei; promiſſiones Dei reponit, de averiendis inimicis: pro his omnibus pollicetur actionem gratiarum, & vota. In me, & mea memoria ſunt, inquit, hæc vota. Huc refert repetitum verſum quintum.

BOS-

BOSSUET.

Verſ. 1. PRo populo, qui a Sanctis (a ſanctuario) longe factus est: quod forte accommodatus fuerit Pſalmus populo inter gentes exuli tempore captivitatis. At Hier. *Pro columba muta*: quod initium notæ cantilenæ. In tituli inscriptionem: ad rei memoriam. Hæc autem verba habet Heb. hic, & in quatuor Pſalmis ſequentibus. Qua de re vide titulum Pſalm. xv. Allophyli in Geth: Philiſtæi ſub Rege Achis I. Reg. xxi. 10. Vide titulum Pſalm. xxxiii. de eodem argumento conſcripti.

V. 2. Conculcavit me homo, Saul ſcilicet.

V. 3. 4. Multi bellantes....... ab altitudine, *altiſſime*, Hier. tamquam ab excelſo loco me oppugnant. Hæc ad tertium verſ. pertinent. Ad quartum vero: *quacumque die timebo*: Hier. In te sperabo: neque eo ſecius confidam tibi tot inter terrores.

V. 5. In Deo laudabo sermones meos. Senſus obvius: In ſermonibus meis id unum laudabo quod ad Deum referantur. At planius Hier. *In Deo laudabo verbum eius*. Deum laudabo propter verbum ſuum.

V. 6. Verba mea execrabantur. *Sermonibus me affligebant*: Hier.

V. 7. Inhabitabunt et abscondent. *Congregabuntur abſcondite*: Hie. Calcaneum meum observabunt: inſidioſe agent ſerpentis inſtar, de quo ſcriptum eſt: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius*: Gen. iii. 15. Sicut sustinuerunt: *expectantes animam meam*: Hier. vitæ meæ inſidiantes.

V. 8. Pro nihilo salvos facies: *quia nullus eſt ſalvus in eis*: Hier. nulla eis ab ira tua ſalus. Populos confringes: populos deiicies, o Deus. Vox Deus ad verſ. 8. revocanda Hier.

V. 9. Vitam meam annuntiavi tibi. *Fugam meam numeraſti*: Hebr. noſti quoties ad fugam adactus ſum. *Poſuiſti lacrymas meas*, &c. Ingentis ſolatii eſt quod flentem reſpiciat: neque id tantum; ſed addendum iſtud: Sicut et in promissione tua. *Nonne & in libro tuo?* Heb. ſupple, poſuiſti lacrymas meas: quod eſt, non tantum conſiderantis, ſed etiam ſtudioſe numerantis, & ſæpe reminiſcentis ne uſquam excidant animo.

V. 12. In me sunt Deus vota tua: vota tibi nuncupavi. Quae abundat. Reddam laudationes, *gratiarum actiones*, Hier. vota nuncupata reddam.

PSAL-

PSALMUS LVI. DEPRECATORIUS.

Deus omni ope destituto certus e cælo auxiliator.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori ut non disperdas David humilem & simplicem, quando fugit a facie Saul in speluncam.

MIserere mei Deus miserere mei: quoniam in te speravit anima mea, in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeant insidiæ.

Invocabo Deum altissimum: Deum ultorem meum.

Mittet de cælo & salvabit me, exprobrabit conculcantibus me. Semper.

Mittet Deus misericordiam suam & veritatem suam.

Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium: filii hominum dentes eorum lanceæ & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cælos Deus: in omni terra gloria tua.

Rete paraverunt gressibus meis, ad incurvandam animam meam:

Foderunt ante me foveam, ceciderunt in medium eius. Semper.

Paratum cor meum Deus: paratum cor meum: cantabo & psallam:

Surge gloria mea, surge psalterium & cythara: surgam mane.

Confitebor tibi in populis Domine: cantabo tibi in gentibus.

Quia magna usque ad cælos miseri-

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam (II. *Reg.* XXII. 1. & XXIV. 4.)

2. MIserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

3. Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.

4. Misit de cælo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, 5. & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

6. Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram gloria tua.

7. Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.

8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * cantabo, & psalmum dicam.

9. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara: exurgam diluculo.

10. Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus.

11. Quoniam magnificata est usque cor-

cordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cælos Deus: in omni terra gloria tua.

ad cælos misericordia tua: & usque ad nubes veritas tua.

12. Exaltare super cælos Deus; & super omnem terram gloria tua.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 8. *Cantabo, & psalmum dicam*. Non subiaceas *Domino*, sive *tibi*, quod quidam libri, multoque minus *in gloria mea*, quod est Psal. CVII. 1.

N O T A T I O.

Vers. 8. **C***Antabo, & psalmum dicam Domino*. Sic quidam libri cum Cassiodoro Romano Senatore, & Remigio Antissiodorensi Episcopo; ad quem modum apud Hilarium legitur: *Cantabo, & psalmum dicam tibi*. Alii vero libri nec *Domino*, nec *tibi* agnoscunt; dumtaxat *Cantabo, & psalmum dicam* legunt; tres Parisiensium, viginti octo nostri; quibus Ruffinus, Augustinus, Haymo, Bruno, Lombardus, Ludolphus, Pelbartus, Pastura suffragantur. Suffragantur & Hebraici, ac Chaldaici libri; denique etiam Græci cum Græco enarratore Euthymio: sed aliud quiddam (quod ipsum aut simile etiam Apollinaris, & Theodoritus legerunt, & quod mirum est inter Latinos Richardus Pampolitanus) adiiciunt: ἄσομαι κ' ψαλῶ ἐν τῇ δόξῃ μου, *cantabo, & psalmum dicam in gloria mea*: id quod recte a Vaticano exemplari omittitur: est enim CVII. Psalmo huic adiectum: quemadmodum ἐξεγέρθητι ἡ δόξα μου, *exurge gloria mea*, ex hoc illi adiectum nobis post D. Hieronymum (ad Suniam) videtur; quamquam in Hebraico ex Anglia Psalterio utroque Psalmo legatur. Itaque & quod plerisque Græcorum libris additur ἐν τῇ δόξῃ μου, transfodiendum est; & quod quibusdam Latinorum codicibus legitur *Domino*, iugulandum est. Sane a Dominis Hentenio, & Lindano reiectum est; & Lobiense, Tornacense manuscripta ac Iacobi editio concorditer Romanæ Psalmodiæ *Domino* addunt; Gallicanæ, quæ nostræ est editionis, demunt,

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Vers. 1. **I**N FINEM. Hebr. *Victeri*. NE PERDAS; hoc est, de his verbis quæ David dixit, ne perdas Saulem.

V. 3. DEUM QUI BENEFECIT MIHI. Hebr. *Ad Deum retribuentem mihi*; id est, qui solet mihi tribuere quidquid peto.

V. 4. DEDIT IN OPPROBRIUM CONCULCANTES ME. Hebr. *Ab opprobrio absorbentis me*.

V. 5. ET ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MEDIO CATULORUM LEONUM. Heb. *Anima mea in medio leonum* (est) *iacebo in medio inflammatorum*, id est irritatorum leonum, *inter filios hominis*, *quorum dentes lancea & sagittæ*, *& lingua gladius acutus*; id est, etiam cum ero constitutus in huiusmodi angustiis Deus liberabit me.

V. 6. ET IN OMNI TERRA GLORIA TUA. Hebr. *super*.

V. 7. LAQUEUM PARAVERUNT. Hebr. *rete*. Et incurvavit se anima mea, ut evitaret rete, & foderunt mihi foveam.

V. 11. ET USQUE AD NUBES VERITAS TUA. Hebr. *Usque ad æthera*.

S A.

De Dei auxilio in tribulatione.

Vers. 1. **D**ISPERDAS, scilicet me Domine; id est, ne sinas perire. DAVID, scilicet Psalmus. IN TITULI, &c. Vide Psal. LV.

V. 2. TRANSEAT, scilicet more tempestatis. INIQUITAS, scilicet hostium. Hieron. *insidiæ*. Chald. *tumultus*.

V. 4. MISIT, scilicet Angelum, vel auxilium. MISERICORDIAM; pro, secundum misericordiam; quasi dicat, ex bonitate sua. VERITATEM; id est, sicut promiserat.

V. 5:

V. 5. ANIMAM, id est vitam. CONTURBATUS; quasi dicat: Nec per noctem me quiescere hostes sinunt. ARMA. Hieron. & Chald. *lanceæ*.

V. 6. EXALTARE, &c. quasi dicat: Ostende te super omnia esse, & omnipotentem. GLORIA TUA, scilicet appareat.

V. 7. LAQUEUM. Hieron. *rete*. ET INCURVAVERUNT, id est depresserunt. Hieron. *ad incurvandum*. FACIEM MEAM, id est me.

V. 9. GLORIA, id est anima, seu musicæ Dei laudes, ut statim explicatur.

V. 10. IN, id est coram.

V. 11. MAGNIFICATA, id est exaltata. Hieron. & Chald. *magna*.

V. 12. GLORIA TUA, scilicet appareat.

ESTII

Vers. 7. FODERUNT ANTE FACIEM MEAM FOVEAM. Non est sensus, *Ante faciem meam*, id est me inspiciente; sed ante me, & mihi, & in via mea, qua eram iturus; ut in foveam mihi paratam inciderem. Sic alibi: ***In via qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.***

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, NE DISPERDAS; id est, ne me hostibus occidendum tradas. DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. *Davidis michtam*, de quo superiori Psalmo. CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM. Histor. I. Reg. XXIV. Opem implorat contra inimicos.

V. 2. DONEC TRANSEAT INIQUITAS, id est iniqui deficiant, in te sperabo.

V. 4. MISIT DEUS MISERICORDIAM; id est, usus est sua misericordia. ET VERITATEM, fidem in promissis.

V. 5. DE MEDIO CATULORUM LEONUM, Saulis, & militum eius eripuit me. DORMIVI CONTURBATUS, scilicet præ metu eorum. Hebr. *dormivi*, aut *iacui*, *ardentes*, pro inter ardentes, scilicet cupiditate me occidendi. FILII HOMINUM; pro, qui filii hominum. DENTES EORUM ARMA ET SAGITTAE; supple, sunt.

V. 6. EXALTARE SUPER CAELOS; id est, te esse excelsiorem cælis declara vindicta de impiis. ET IN OMNEM TERRAM GLORIA TUA: qua etiam gloria tua in omni terra conspicua erit, quæ nunc non apparet rebus perturbatis.

V. 7. ET INCURVAVERUNT. Hebr. *incurvavit*, scilicet Saul, in rete coniecit, aut conatus est coniicere. ANIMAM MEAM, id est me. ANTE FACIEM MEAM; id est, ante me foderunt foveam.

V. 8. PARATUM COR MEUM DEUS, ad omnia quæ volueris, sive prospera, sive adversa.

V. 9. GLORIA MEA; id est, anima mea exurge. Sic Kimhi. EXURGE PSALTERIUM: cane Dei laudes. Prosopopœia. Hebr. *nablum*: scilicet quod utre inflatur. EXURGAM DILUCULO; id est, cum aurora consurgam meis instrumentis armatus ad celebrandum Dei laudes.

V. 10. CONFITEBOR: laudabo te. IN POPULIS, id est inter omnes populos. Non in Iudæa se continebunt meæ laudes: pervenient ad omnes gentes. Sane Davidis Psalmi ubique resonant.

V. 11. EXALTARE SUPER CAELOS DEUS. Repetit versum sextum.

MALVENDAE.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Observant, his verbis summam petitionis exponi, quæ Psalmis hoc modo inscriptis continetur, hoc est genus Psalmi deprecatorium mortis: & perditionis, quæ tunc temporis Davidi imminere videbatur: sic etiam Psalmis sequentibus. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. *michtham*, vide in Psal. XV. 1. CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM, quæ erat in deserto Henghedi I. Samuel XXIV.

V. 2. MISERERE MEI DEUS, MISERERE MEI. Hebr. *Gratiam fac mihi Deus, gratiam fac mihi*. Geminatio petitionem vehementissimam continet, qua ostendit David fontem liberationis & salutis nostræ. ET IN UMBRA ALARUM SPERABO. Hebr. *Et in umbra alarum tuarum protectionem quæram*. Aliqui, *& ad umbram alarum tuarum me recepturus sum*: metaphora a pullis sub matre delitescentibus, donec milvus transiverit. DONEC TRANSEAT INIQUITAS. Varie ex Hebr. 1. *donec transibit anima mea confractiones*: 2. *donec transeant insidiæ*: 3. *donec transeat calami-*

lamitatum negotium, vel tempus: 4. *donec transeant corruptelæ*: 5. *donec transierit multitudo contritionum*: 6. *quo ad prætereterit scelerum colluvies*: 7. *donec transiverint ærumnæ*, seu *infortunia*.

V. 3. DEUM QUI BENEFECIT MIHI. Heb. in dativo: *Deo forti consummanti super me.* Alii: 1. *Ad Deum consummantem pro me*: *Ad Deum retribuentem mihi*: 3. *Ad Deum perficientem mihi*; subaudi, quæ promisit: 4. *Ad Deum complentem super me*, verba sua: 5. *Ad Deum reddentem mihi*, suam misericordiam: 6. *Ad Deum transigentem causam mihi* impendentem: 7. *Ad Deum qui me undique perficit*: 8. *Ad Deum illum qui perficiet quæ cœpit in me*: 9. *Ad Deum fortem perficientem erga me*: 10. *Ad Deum qui desinit super me*, providentia sua.

V. 4. ET LIBERAVIT ME: DEDIT IN OPPROBRIUM CONCULCANTES ME. Diversimode Heb. convertunt. I. *Et salvabit me in opprobrium absorbenti me.* II. *Et servabit me a probro deglutire volentis me.* III. *Et liberabit me opprobrio me absorbente.* IV. *Et salvabit me, probris affecit absorbentem me*; vel *infamem fecit deglutientem me.* V. *Ut servet me, afficiens eum probro qui me anhelus persequitur.* חרף *chereph* plerique nomen faciunt, *probrum*: alii verbum Pihel, *exprobravit*. De notione verbi שאף *schaaph*, *haurire*, *absorbere*, vide supra Psal. LV. 2. Adiicitur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*, *perpetuo*; 2. *Vehementissime*; 3. *Ita fiet*; 4. O iustum Dei iudicium liberantis me insontem, & punientis improbum.

V. 5. ET ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MEDIO CATULORUM LEONUM, &c. Hunc versum plurifariam ex Heb. transfundunt. I. *Anima mea in medio leopardorum* (*tamen iacebo*) *inflammantium est*: *filii Adam*, *tales sunt dentes eorum lanceæ & sagittæ*, *& lingua eorum gladius acutus*. Ordo est: Anima mea erat in medio leopardorum, id est commilitonum meorum in spelunca, qui me inflammabant ad necem Saulis, & dentibus, armisque minabantur mortem Sauli; sed ego tamen desistebam a tali instituto. II. *Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*, *filii hominum*, *dentes eorum lanceæ*, *& sagittæ*, *& lingua eorum gladius acutus*. III. *Anima mea est inter leones*, *iaceo inter urentes*: vel *habito inter flamma succensos*: seu *accubui inter flammis exurentes*, seu *inflammantes*, me suis sycophantiis, maledictis, delationibus: *inter filios hominum*, *quorum dentes sunt*, *ut lancea*, *& sagittæ*, &c. IV. *Liberabit animam meam in medio furentium leonum iacentem*, *nempe inter filios hominum*, *quorum dentes hastæ*, *& spicula sunt*, *lingua vero gladius acutus*. V. *Versari cogor inter leones potius quam homines*, *& dormire inter furiosos*, *& homines*, *quorum dentes similes sunt lanceis*, *& sagittis*, *& lingua gladio acuto*. VI. *Anima mea est in medio leonum*, *iaceo inter ardentes*, odio mei, vel *inter homines*, *qui flammis exurunt*, *quorum dentes velut lanceæ*, *& sagittæ*, &c. VII. *Anima mea*, id est *Ego*, ut Numeror. XXIII. 10. inter immanes leones sum, id est inter Sulem & copias eius furentes adversum me: *iaceo inter incendiarios*, id est ardeliones aulicos, qui Regis animum irritant, inflammantque mendaciis: ut ipse apud Saulem expostulat I. Samuel. XXIV. 10. *inter homines quorum dentes hastæ*, *& sagittæ sunt*, *& quorum lingua est gladius acutus*.

V. 6. EXALTARE SUPER CAELOS DEUS, &c. Notant esse versum amœbæum, exponentem summum petitionis suæ finem, nimirum gloriam Dei coniunctam salute supplicis: cui respondet alter amœbæus in fine Psalmi.

V. 7. ET INCURVAVERUNT ANIMAM MEAM. Heb. singulariter, vel intransitive: *Incurvavit se*, vel *incurvata fuit anima mea*: & verbum masculeum recte construitur cum *anima*, quæ alioquin solet interdum masculee usurpari: vel transitive: *Curvavit animam meam*, nimirum ille Saul cum suis, id est studuit me prosternere; vel quasi dicat: Me iam retibus ita constrinxerat, ut viderer mox corruiturus esse. ET INCIDERUNT IN EAM; id est, ipsi iusto Dei iudicio impelluntur, eo quo putabant me ruiturum præcipitem. Sic Psal. VII. sub finem. Additur hic *selah*, expone ut supra vers. 4.

V. 8. PARATUM COR MEUM DEUS, &c. id est, promptum tibi obsequi. Hunc versum dilucidius sic alii reddunt. I. *Optime animatus sum Deus*, *optime*, *inquam*, *animatus sum*: *quare & voce cantabo*, *& musicis instrumentatis psalmos modulabor*. II. *Erecto animo meo*, *o Deus*, *ere-*

erecto animo meo, canam & psallam; dicens. *Erectum animum* vocat per antithesim quem Deus restituit e laqueis, quorum violentia se incurvatum fuisse confessus est David, superiore versu. Aliqui exponunt: *Firmum & stabile est cor meum*; id est, præditus sum animo firmo & fidenti tua ope, de ea nihil dubito: constanti animo sum. Hic versus, & quatuor sequentes, iidem sunt cum vers. 2. 3. 4. 5. & 6. Psal. CVII.

V. 9. GLORIA MEA. Vide supra Psal. XV. 9. Aliqui exponunt, Id est inflatus divini spiritus ad canendam gloriam Dei. EXSURGAM DILUCULO. Heb. *Excitabo auroram*, id est præveniam. Alii. I. *Cum evigilavero, expergiscar in aurora*. II. *Mature surgam*: vel *quam maturrime expergiscar ipse*. III. *Ut modulatione suavi vel ipsam excitem auroram*: poetice dictum; quasi dicat: Non exspectabo, dum aurora me excitet a lecto, quin potius illam ego cunctantem excitabo antelucanis horis surgens ad hymnos canendos. IV. *Expergefaciam inde ab aurora*; id est, adeo cantu meo personabit orbis, ut populos excitem; quos nominat sequente versu.

V. 11. QUONIAM MAGNIFICATA EST, &c. Hunc versum ita alii elucidant. I. *Quoniam bonitas tua ingens est, & ad cælos usque pertingit; & fides tua ad æthera usque*; quasi dicat: Ubique omnes te veracem, & fidelem in præstandis promissis experiuntur. II. *Magnam esse usque ad cælos benignitatem tuam, & ad superiores usque ad nubes veritatem tuam*.

V. 12. EXALTARE SUPER CAELOS DEUS, &c. Amœbæus respondens superiori vers. 6.

MENOCHII.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Quid hæc verba significent incertum est. Alii aliter explicant. Probabilior videtur eorum sententia qui volunt Davidem pro se orare Deum ut non sinat eum occidi, & perdi. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Explicatum hoc est ad tit. Psal. XV. CUM FUGERET, &c. Historiam habes I. Reg. XXIV.

V. 2. IN UMBRA ALARUM TUARUM. in protectione tua: metaphora sumpta est a gallinis, & volucribus.

V. 3. DONEC TRANSEAT INIQUITAS, id est iniquorum hominum conatus, & studia contra me.

V. 4. MISIT DE CAELO auxilium, vel misericordiam suam. DEDIT IN OPPROBRIUM: opprobrio affecit. CONCULCANTES ME, eos qui me atterunt, & premunt, & perdere conantur. VERITATEM SUAM: misit veritatem suam fideliter servando quod promiserat.

V. 5. CATULORUM LEONUM, Saulis, & militum eius, hostium truculentorum, & ferocium. DORMIVI CONTURBATUS: inter quos cum magna animi perturbatione dormivi, præ nimio timore plenam requiem numquam habens. FILII HOMINUM, &c. Sensus est: Filii hominum tales sunt, ut dentes eorum sint veluti lanceæ (hoc enim sonat vox Heb. pro qua Septuag. reddiderunt *arma*) & sagittæ, & lingua eorum veluti gladius acutus. Notat linguæ virulentiam, quæ detractione, maledictis &c. expromitur.

V. 6. EXALTARE SUPER CAELOS DEUS: sublimis esto, excelsior appare cælis, vim & potestatem tuam declarando in impios. GLORIA TUA sit, diffundatur, spargatur.

V. 7. INCURVAVERUNT, depresserunt, humiliarunt. INCIDERUNT IN EAM. Nam Saul incautus dum me persequitur, non semel incidit in manus meas I. Reg. XXIV. & XXVI.

V. 8. PARATUM COR MEUM ad exequendas laudes tuas, & celebrandum te.

V. 9. EXURGE GLORIA MEA. Non invocat musas, ut profani poetæ, sed prophetiæ spiritum, quo actus, Psalmos, & hymnos ad Dei laudem componebat. Vel etiam gloriam suam appellat psalterium, & citharam musica instrumenta, quæ scitissime pulsabat, unde etiam illi decus proveniebat. EXURGAM DILUCULO. Adeste mihi instrumenta mea musica, cum matutino tempore exurgens, divinas laudes cantabo.

V. 10. CONFITEBOR: laudabo te.

V. 11. QUONIAM MAGNIFICATA, &c. Hæc est materia laudis apud omnes gentes, quod scilicet misericordia, & fidelitas Dei se maximas ostenderint, in Davide a periculis eripiendo.

V. 12. EXALTARE, &c. Quo modo misericordia, & veritas Domini pertingunt

usque ad cælos, sic etiam par est ut gloria, & laus eius cælum, & terram repleat.

TIRINI.

Vers. 1. NE DISPERDAS; id est, ne sinas me perire & disperdi. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Vide Psal. LV. nec hoc in posterum repetemus.

V. 2. DONEC TRANSEAT INIQUITAS, id est iniqui homines, qui sunt ante speluncam; Hieronymus, *insidiæ*; Chaldæus, *tumultus*.

V. 4. MISIT DEUS VERITATEM; id est, reipsa ostendit quam verax & fidus in complendis promissis suis, de ope submittenda iustis in necessitate. Ita Theodoretus. Allegorice, misit Christum, inquit Hieronymus, & Augustinus. Addit Chaldæus modum quo tunc Deus tutatus est suum Davidem in spelunca: *Accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me*: scilicet ut putaret Saul, neminem illuc ingressum esse. Simile factum S. Felici Nolano *a*, & quibusdam aliis sanctis.

V. 5. DENTES; id est, verba eorum dentata & aculeata lædunt quasi spicula, & gladii, & alia armá.

V. 7. INCURVAVERUNT. Vide Psalm. XXXVII. 5. & 7.

V. 8. PARATUM ad omnia excipienda quæ mihi immiseris, sive bona, sive mala.

V. 9. EXURGE GLORIA MEA, id est gloriosa laus, gloriosum canticum meum: est prosopopœia. Allegorice: Exurge Christe post tristem crucem & mortem. Ita S. Augustinus.

V. 11. USQUE AD CAELOS, ET USQUE AD NUBES. Vide Psalm. XXXV. 6.

(*a*) Martyol. XIV. Ianuarii.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, NE DISPERDAS DAVID, &c. Quidquid in hoc titulo habetur, notum est ex titulis Psalm. IV. & LV. Solum illud *disperdas*, obscurum est: Septuag. μὴ διαφθείρῃς. In Hebr. אל תשחת *al thaschet*, rad. שחת, *corrupit*. Probabilior sensus est: Ne disperdas Davidem, scilicet toties periclitantem. Argumentum ad litteram est de Davide in spelunca. Lege hanc historiam I. Reg. XXIV. Mysticus sensus est de Christo, eius passione, & resurrectione. Vide vers. 9. quem sensus hic satis elucidat Paraphrasis.

Vers. 3. DEUM QUI BENEFECIT MIHI. Septuag. τὸν εὐεργετήσαντά με. Hebr. גמר *gomer*, *retribuentem mihi*, vel *perficientem me*: גמר *finire*, *perficere*, scilicet promissa.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. *usq. ad* 6. MIserere, &c. Oratio est Davidis in spelunca: de quo vide I. Reg. XXIV. Petit protectionem, & orat magna spe suffultus: pollicetur sibi auxilium de cælo, ut eruatur de medio malorum.

V. 6. & 7. *Exaltare Domine*. Protende virtutem tuam in hos detractores, quorum linguæ sunt sagittæ. *Incurvaverunt*, & tristem reddiderunt *animam meam* sua detractione. En cur petam auxilium ab eorum laqueo, & fovea.

V. 8. & *seq. Paratum*, &c. Post petitum auxilium, & causam petitionis expositam, disponit se David, & præparat ad gratiam hanc recipiendam. Deinceps vitæ sanctitatem, & laudem Dei pollicetur. Tandem concludit Psalmum in laude divini nominis.

BOSSUET.

Vers. 1. NE DISPERDAS, me scilicet. Titulus frequens, quo admonemur Psalmum pertinere ad amoliendam iram Dei.

V. 2. TRANSEAT INIQUITAS, *insidiæ*, Hier.

V. 3. DEUM QUI BENEFECIT MIHI, *ultorem meum*: Idem.

V. 4. MISIT DE CAELO.... MISERICORDIAM, ut est in sequentibus: ad me liberandum alibi misit e cælo auxiliatricem manum: Psal. XVII. 17.

V. 7. ANIMAM MEAM....... DORMIVI CONTURBATUS. Quæ enim requies agenti inter leones? At Hier. *Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*. Tanta

ta ex fiducia in Deum securitas inerat. ARMA, *lancea*, Hebr.

V. 7. ET INCURVAVERUNT, *ad incurvandam*, Hier. ad prosternendum me.

V. 8. PARATUM COR MEUM. Vide initium Psal. CVII.

V. 9. GLORIA MEA, lingua, ut sæpe alias. Vide Psal. XV. 9. Act. II, 26.

PSALMUS LVII. MORALIS: INCREPATORIUS

in assentatores Saulis.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori ut non disperdas David humilem & simplicem.

SI vere utique iustitiam loquimini; recta iudicate filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniquitates manus vestræ appendunt.

Alienati sunt peccatores a vulva: erraverunt ab utero loquentes mendacium.

Furor eorum sicut furor serpentis: sicut reguli surdi obturantis aurem suam.

Ut non audiat vocem murmurantium: nec incantatoris incantationes callidas.

Deus excute dentes eorum ex ore eorum: molares leonum confringe Domine.

Dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt: intendit arcum suum donec conterantur.

Quasi vermis tabefactus pertranseant: quasi abortivum mulieris quod non vidit solem.

Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum: quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.

Lætabitur iustus cum viderit ultio-

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

2. * SI vere utique iustitiam loquimini: recta iudicate filii hominum.

3. Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant.

4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.

5. Furor illi secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas,

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.

7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: † molas leonum confringet Dominus.

8. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.

9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

11. Lætabitur iustus cum viderit

nem

nem : pedes suos lavabit in sanguine impii.

Et dicet homo : Vere est fructus iusto : vere est Deus iudicans in terra.

vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

12. Et dicet homo : Si utique est fructus iusto : utique est Deus iudicans eos in terra.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum*. Retinendum est nomen *recta*, non supponendum adverbium *recte*.

V. 10. *Sicut viventes, sic in ira absorbet eos*. Pro *sic* alii repetunt *sicut*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 7. *Molas leonum confringet Dominus*. In aliis libris est præteritum *confregit*, ut Græce.

NOTATIO.

Vers. 7. D*Eus conteret dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confringet Dominus*; Antiqua Epanorthotæ exemplaria scribunt : *Molas leonum confregit Dominus*, quæ & Brugensis manuscripti lectio est, quamquam alteram quoque annotatam babeat: Lugdunensia enim Biblia anni 1522. & Glossa ordinaria anni 1540. in margine alias *confregit* legi notant. Atque hæc Tractatoris Cassiodori dilucida est lectio. Videtur & Remigii Antissiodorensis fuisse. „ *Et molas leonum*, inquit, id est violentas „ & apertas damnationes, ut Crucifige, „ crucifige, *confringet Dominus* quando resur- „ rexit, & mors illi ultra non domina- „ ta est. " Similis est Richelii commentarius. Est autem hæc lectio Græcis libris consentanea : iis enim priori versus parte futurum συντρίψει; posteriori aoristus συνέθλασεν legitur; quibus Euthymius Græcus auctor consentiens scribit: „ Illud etiam „ considera, quomodo aliquando Propheta „ in futuro tempore dicat *conteret*; & ali- „ quando in præterito *confregit*: huiusmodi „ enim est Prophetarum mos, ut sæpius „ diximus. " Arnobius, Hieronymus, & Beda duplex habent futurum; Hilarius, & Augustinus duplex præteritum; Hebraice utrumque imperandi modo legitur : *Deus excute* (*contere*) *dentes eorum ex* (*in*) *ore eorum : molares leonum* (*catulorum leonum*) *confringe Domine*: quæ Hieronymi, & aliorum interpretatio est. Nota autem Anglicano codici pro נתוץ scriptum נתצו.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. SI VERE UTIQUE, &c. Hebr. *Num vere o congregatio iustitiam loquimini, & recta iudicatis filii hominum?*

V. 5. FUROR ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS. Hebr. *Venenum*.

V. 6. ET VENEFICI INCANTANTIS SAPIENTER, magi, qui doctus est in incantationibus. Sept. φαρμακοῦται φαρμακευομένη παρὰ σοφοῦ

V. 7. DEUS CONTERET DENTES. Hebr. *Deus contere, & confringe*.

V. 8. AD NIHILUM DEVENIENT TAMQUAM AQUA DECURRENS. Hebr. *Dissolvantur sicut aquæ, quæ ipsæ per se diffluunt*. INTENDIT ARCUM, &c. Hebr. *Intendat*, aut, *dirigat unusquisque eorum sagittas suas* (& sint) *quasi confringantur*; id est, nihil magis efficiant quam si confringerentur.

V. 9. SICUT CERA QUAE FLUIT, &c. Hebr. *Sicut limax liquescens abeat* (unusquisque eorum) *sicut abortivum mulieris, ne videant solem*.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE RHAMNUM. Hebr. *Antequam sentiant cacabi vestri rhamnum* (ardentem, antequam calefiant) *tamquam vivum*, aut *crudum quiddam*, *ira abripiet eum*.

eum, id eſt unumquemque eorum.

V. 11. MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS. Hebr. *pedes ſuos*.

V. 12. SI UTIQUE EST FRUCTUS IUSTO. Hebr. *Vere eſt fructus iuſto*.

S A.

De malis hominibus.

Verſ. 1. NE DISPERDAS. Vide Pſal. LVI.

V. 2. IUSTITIAM; id eſt, quod iuſtum eſt.

V. 3. ETENIM; quaſi dicat: Id ne iuſtum eſt? OPERAMINI, id eſt machinamini. IN TERRA, poteſt coniungi cum ſequentibus. CONCINNANT. Græc. *connectunt*, ſeu *implicant*.

V. 4. ALIENATI, ſcilicet a Deo, ſeu iuſtitia. A VULVA, id eſt iam inde a nativitate.

V. 5. ASPIDIS. Hieron. *Reguli*. OBTURANTIS; quaſi dicat: Sunt aſtutiſſimi.

V. 7. MOLAS, id eſt molares dentes. Hieron. *molares*. LEONUM, id eſt hoſtium.

V. 8. INTENDIT, ſcilicet Deus in eos. INFIRMENTUR. Hieron. *conterantur*.

V. 9. SUPERCECIDIT, ſcilicet eos. IGNIS, ſcilicet iræ Dei. SOLENT; quaſi dicat: Sunt privati luce, ſeu vita.

V. 10. INTELLIGERENT.... RHAMNUM. Hieron. *Creſcant in rhamnum*; quaſi dicat: Priuſquam illorum malitia creſcat. *Rhamnus* autem frutex eſt ſpinoſus, e quo quidam putant Chriſti coronam ſpineam confectam. SICUT VIVENTES; pro, ſic viventes; vel ut ſolent aliquando viventes mergi. ABSORBET. Hieron. *rapiet*. Chald. *deſtruet*.

V. 11. MANUS Hieron. & Chald. *pedes*. LAVABIT; quaſi dicat: More victorum poterit lavare.

V. 12. HOMO, id eſt qui viderit. SI UTIQUE. Hieron. *vere*. FRUCTUS. Chald. *præmium bonum*. Eos, ſcilicet iuſtos.

E S T I I.

Verſ. 9. SICUT CERA, QUAE FLUIT, AUFERENTUR: SUPERCECIDIT IGNIS, ET NON VIDERUNT SOLEM. Priorem partem vertit Hieron. *Sicut vermis tabefactus pertranſeant*. Alii *cochleam*, vel *limacem* verunt, ſimilitudine rei, quæ æſtum ſolis ferre non poteſt, cuiuſmodi eſt vel cera, vel limax, ſcilicet interitum impiorum ſignificare volentes. Porro pro eo, *Supercecidit ignis*, &c. Hieronym. ſic: *Quaſi abortivum mulieris quod non vidit ſolem*. Hic ſenſus clarus eſt. Secundum lectionem noſtram, ſenſus eſſe poteſt: Cecidit ſuper eos ignis vindictæ divinæ, ita ut penitus extincti ſolem non amplius viderent.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE RHAMNUM: SICUT VIVENTES, SIC IN IRA ABSORBET EOS. Obſcurus locus. Hebr. ſic ſonat: *Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum, quaſi viventes, quaſi in ira tempeſtas rapiet eos*. Eſt autem mutatio perſonæ etiam in eadem ſententia, quod apud Hebræos non eſt rarum: nam dicit, *rapiet eos*, pro eo quod diceret, rapiet ſpinas veſtras, vel vos. Senſus ergo eſt: Priuſquam veſtræ ſpinæ adhuc teneræ & exiguæ excreverint in ſilvam ſpinoſam: id, inquam, priuſquam fiat, tempeſtas iræ divinæ rapiet vos, ſuccidet vos: *ſicut viventes*; id eſt, ſicut ſucciduntur qui ſunt in flore vitæ. Auguſtinus pro *intelligerent*, legit *producerent*. Qui ſenſus convenit etiam cum Hebræis.

V. 11. LAETABITUR IUSTUS CUM VIDERIT VINDICTAM: MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS. Lætabitur non delectatione miſeriæ alienæ, quod eſt crudelitatis, ſed amore iuſtitiæ divinæ. Porro pro eo quod dicitur, *Manus ſuas lavabit*, &c. Hebraice eſt *pedes*, & eodem redit. Senſus enim eſt: Satiabitur vindicta ſumpta de impiis, eo quod ſanguis impiorum fundetur uſque ad ſatietatem vindictæ; ita ut iuſti etiam manus, & pedes, ſi vellent, in ſanguine eorum intingere, & lavare poſſent.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. IN FINEM, NE DISPERDAS, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM. De hoc titulo Pſalmo ſuperiori eſt dictum. Perituros impios ait: contra, pios fore felices.

V. 2. SI VERE UTIQUE IUSTITIAM LOQUIMINI; id eſt, ſi ex animo iuſtitiam ſecta-

sectamini, ut verbis ostenditis, operibus id monstrate. RECTA IUDICATE: in iudiciis pro veritate pronuntiate. Hebr. *An vere congregatio* (scilicet iudicum) *iustitiam loquimini? æquitates iudicabitis, o filii hominum*; id est, ex factis id notum fiet.

V. 3. ETENIM IN CORDE. Hebr. *Etiam in corde*; quasi dicat: Non est verum quod dicitis, quando in corde iniquitatem versatis. IN TERRA, ubique. MANUS VESTRAE CONCINNANT iniustitiam. Hebr. *appendunt*; quasi dicat: Opera, & cor a lingua discrepant.

V. 4. ALIENATI SUNT PECCATORES A VULVA: a primis annis se pravitati dederunt. LOCUTI SUNT FALSA. Hebr. *loquentes*, pro loquuntur: scilicet ab utero assueverunt mendacio: alia dicunt, alia faciunt.

V. 5. FUROR ILLIS, seu *virus*. Vox Hebr. חמת *hamath* utrumque significat. SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS. Hebr. *secundum similitudinem veneni*, aut *furoris serpentis*. AURES SUAS: cauda scilicet ne incantantem audiat, aures obturat aspis.

V. 6. ET VENEFICI, incantatoris, sapientis, & experti in ea arte, vocem non audit.

DEUS CONTERET. Quoniam in ore est fraus, ibi erit supplicium. MOLAS LEONUM. *Leones* vocat proceres, & iudices, quorum potentiam Deus auferet.

V. 8. AD NIHILUM DEVENIENT. Heb. *Liquescent*, *tabescent instar aquæ* (quæ) *fluit*. INTENDIT ARCUM SUUM. Hebr. *sagittas suas*, scilicet Deus. DONEC INFIRMENTUR. Hieron. *donec conterentur*, scilicet pravi; quasi dicat: Non mirum si tabescunt, Deum habent infensum.

V. 9. SICUT CERA, QUAE FLUIT. Heb. *Sicut limax fluens ibit*, pro ibunt. Limax facile perit. SUPERCECIDIT IGNIS, scilicet qui illos combussit. Hebr. *abortivum feminæ*, id est sicut abortivum, scilicet sunt, quod perit cito. NON VIDERUNT SOLEM, scilicet pravi: iuxta sensum Septuag. *aut limax & abortivum*, quibus impios comparat.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE, id est peccata vestra inveterascant. *Rhamnus* spina maior, & vetus est. SICUT VIVENTES, id est adhuc vigentes in media vita. SIC IN IRA. Iratus perimet eos Deus. Hebraice; *Antequam intelligant ollæ vestræ rhamnum*, id est ignem sentiant spinarum, qui ignis cito concitatur. *Sicut viventes*, id est crudos, non decoctos immatura morte. *Sic ira* (Dei) *turbine tollet eum*, pro eos.

V. 11. MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS: scilicet iustus. Hebr. *Pedes*, aut *gressus suos lavabit*, cautior ex eorum clade factus.

V. 12. SI UTIQUE EST FRUCTUS IUSTO. Si illi bene est, utique Deus id facit. Hebr. אך *ach*. *Tamen vere fructus iusto, vere est iudicans Deus in terra*. Ex piorum tutela colligit Dei providentiam.

MALVENDAE.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Vide Psal. LVI. 1. IN TITULI INCRIPTIONEM. Hebr. *michtham*. Vide in Psal. XV. 1. Notant deprecari Davidem hoc Psalmo periculum quod sibi a Saule, eiusque asseclis impendere videbatur.

V. 2. SI VERE. Hebr. *An fideliter*, *vere*, *revera*, *constanter*, *firmiter*. Appellat conscientias aulicorum Saulis, ac negat inesse boni quidquam in animis eorum. UTIQUE. אלם *elem* plerique exponunt *certe*, *utique*, *profecto*, *verumtamen*; ut sit idem quod אמנם *umnam*, ponaturque duplex asseverandi particula ad maius sententiæ incrementum. Alii, *obmutescentia*, *taciturnitate*, *silentio*; id est, ne mutire audentes contra meam innocentiam: vel obmutescentes, & convicti æquitate causæ meæ. Plerique tamen interpretantur, *O colligantia*, *colligatio*, *colligatura*, *congregatio*, *conspiratio*, *o manipule*; id est, aulicorum cœtus in Davidem conspirans; qui cum Saule a consiliis essent, iustum, æquum, & bonum procurare debuerunt. RECTA IUDICATE FILII HOMINUM. Heb. *Rectitudines iudicabitis filii Adæ*; id est, quam rectissime iudicabitis. Quidam in dativo reddunt, *filiis Adæ*; id est, ex recto & æquo ius dicetis, vel reddetis hominibus: sed prior lectio est aptior.

V. 3. INIUSTITIAS MANUS VESTRAE CONCINNANT. Ex Hebr. 1. *Violentiam manuum vestrarum librabitis*. II. *Vim*, *calumniam*, *iniustitiam manuum vestrarum appenditis*; id est, iniustas cupiditates vestras, & prava consilia audacter exequimini; ac si dicat:

cat: Quasi in pondere, & æquitate factum videri vultis quod per vim agitis. III. *Iniquitatem manuum vestrarum regulabitis*; id est, *pro iustitia habere vultis quæ iniuste facitis*. IV. *Violentiam manuum vestram ponderabitis*. V. *Iniuriam manuum vestrarum æquilibrabitis*; id est, iniuriam æquitatis, iustitiæ, & eodem loco iniuriam & ius habetis. VI. *Manus vestræ ad rapinam extenduntur*. VII. *Iniquitatem manus vestrę pro æquitate venditant*; *tamquam iusta statera vos omnia expendatis*. VIII. *Violentiam manuum vestrarum appenditis*; id est, nullam recti (cuius mentionem fecerat superiore versu) rationem habetis; sed omnia libratis atque ponderatis ad usum violentiæ vestræ. Possis reddere: *Violentiam manuum vestrarum ponderatis*, id est ponderosam, & gravem facitis: vel *ponderatis*, *expenditis*, *consideratis*; id est, scientes & prudentes, atque ex instituto, & meditato, persummam impudentiam, violentiam, & iniuriam in alios exercetis.

V. 4. ALIENATI SUNT PECCATORES A VULVA, &c. Observant esse hic amplificationem malitiæ & improbitatis, quam superiore versu exprobravit, primum a naturali & ingenita illorum corruptione, quæ posita est in alienatione & aberratione a Deo, hoc versu; deinde ab obstinato illorum studio se ipsos confirmandi in malo, & avertendi a bono, duobus sequentibus.

V. 5. FUROR ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS. Quidam: *Venenum est illis simile veneno serpentis*. Allegorica improbitatis obfirmatæ descriptio, ut Deuteron. XXXII. 33. SICUT ASPIDIS SURDAE, ET OBTURANTIS AURES SUAS. id est, sicut venenum aspidis insanabile: Deuteronom. XXXII. 33. *Nullo illus remedio*, *præterquam si confestim partes contactæ amputentur*: ut loquitur Plinius lib. VIII. cap. XXIII. *Surdæ*, id est callide agentis ad versus incantamenta, ut sequentia exponunt: nam aurem utramque ab ea obturari, alteram in terram defigendo, alteram extrema sui parte contegendo atque occludendo. Testes sunt in hunc locum S. Hieronymi nomine Auctor, S. Augustinus, Cassiodorus, & alii: S. Isidorus XII. Originum, cap. VI. Id genus aspidis *Palamnem* vocat Euthymius: forsan *Hypnale* scripsit, aut dicere voluit. Solinus cap. XXX. *Hypnale*, *quod somno necat*, *teste etiam Cleopatra*, *emittur ad mortem*.

V. 9. VOCEM INCANTANTIUM. Hebr. *mussitantium*, id est carmina sua submisse enuntiantium, & susurrantium ad incantandum eam: solent enim magi, incantatores, eiusmodi susurris & mussitationibus carminum uti ad incantandum. Aspidem non posse incantari, videtur innuere Aelianus Lib. I. cap. LIV. sed diserte affirmat Lucianus in Philoseude pag. 831. Vide Plinium Lib. XXI. cap. XX. & 31. ET VENEFICI INCANTANTIS SAPIENTER. Ex Hebr. alii: 1. *incantantis incantationes sapientis effecti*; 2. *iungentis coniunctiones*, *docti*; 3. *magi inter magos præstantis*; 4. *magi magicas artes scite exercentis*. 5. *quantumcumque docta sint carmina*; 6. *etiamsi incantandi artibus sint instructissimi*; 7. *coniurantis*, vel *consociantis consociationes*, *sapientificati*, *eruditi*; 8. *incantatoris*, *inquam*, *artibus magicis præstantis*; 9. *utentis incantationibus peritissimi*. Quod studium carminum ne quis hoc loco a Davide comprobari putet, ipsis interdicti verbis diserte utitur, quæ posuit Deus Deuter. XVIII. 11. nam fascinatores isti Hebræa appellatione nominantur *Consociantes consociationem*, quia diaboli societatem ad artes suas adhibent. Vide Notas in Deuteron. XVIII. 11.

V. 7. DEUS CONTERET DENTES EORUM, &c. Hebr. in imperativo: *O Deus*, *destrue dentes eorum*; id est, omnia quibus offendunt, media illis adime; sive illis cominus offendant, hoc versu, & initio sequentis; sive eminus, ut in fine sequentis versus ponitur. Plerique per *dentes*, & *molares leunculorum*, accipiunt delationes & calumnias sævorum hominum, qui Davidem apud Saulem traducebant.

V. 8. AD NIHILUM DEVENIENT. ימאסו *iimmaasu* sumunt pro ימססו *iimasesu*, Aleph pro Samech, *liquescent*, *dissolventur*, *diffluent*. Vide Notas in Iob. VII. 5. Alii verbum in sua natura relinquunt, *spernentur*, *reiicientur*, *reprobabuntur*, *fastidio erunt*, *sicut aquæ*, &c. SICUT AQUA DECURRENS. Hebr. *Sicut aquæ ambulabunt sibi*. Varie alii. I. *sicut aquæ*, ut iungatur superioribus: *Colliquescant sicut aquæ*,

& abeant sibi ipsis, id est evanescant; quasi dicat: Irriti sint conatus illorum, II. *ceu aquæ, quæ dilabuntur*. III. *sicut aquæ natura labiles*. IV. *Liquefiant sicut aqua, indesinenter abeant*. INTENDIT ARCUM SUUM DONEC INFIRMENTUR. Nos Hebræa verbatim in nostra translatione expressimus (*Vtabit sagittas suas, sicut circumcidere se se facient.*) Diverse alii. I. *Intendet sagittas suas, sicut si conciderentur;* id est, quasi in ipsa intensione arcus sagittæ confringantur, & in cassum abeant. II. *Intendet sagittas suas, subito conterentur*. III. *Tendet sagittas si exciderentur*, vel *essent excisæ*, IV. *Sagittas suas cum dirigunt, sicut illæ confringantur*. V. *Sagittæ, quas iaculantur, inter volandum confringantur*. VI. *Ut cum tendat sagittas, veluti succidantur*. VII. *Dirigat unusquisque eorum sagittas suas, sed sint velut fractæ*. VIII. *Ut cui tenso arcu sagittæ diffringuntur*. IX. Tremellius, & Iunius: *Intentantis sagittas suas, tamquam in spicas abeant sagittæ*. Exponunt: *Intentantis*, &c. id est eius qui semper est paratus & instructus armis ad iaculandum rectos corde, ut Psal. x. 3. *tamquam in spicas*, &c. id est, inepta ad nocendum & irrita efficiantur tela eorum, perinde atque si spicas tritici adhiberet spiculorum loco. Verbum enim Hebræum, quod hac coniugatione Hithpahel hic tantum legitur, ita accipimus, referentes ad coniugatam vocem, quæ legitur Deuteronom. XXIII. 25. Sed ego plane dubito possitne quidquam hac interpretatione frigidius & insulsius excogitari. X. *Intendat quisque eorum sagittas suas, sed sint ac si essent excisæ*. Buchananus:

Emissa fracta cuspide spicula
Intercidant, nec vulnera perferant.

V. 9. SICUT CERA, QUAE FLUIT, AUFERENTUR. Hebr. *Sicut limax liquefactionis abibit*, id est evanescet. Notant Hebræi, שבלול *schablul* esse reptile, quod egreditur e concha sua, saliva fluit ab ipso, donec plane liquescat & moriatur. *Limacem* vertunt omnes. Aristoteles Lib. V. de Historia Animal. cap. XXXII. *Limax testa detracta hebetescit*, seu *inutilis est sibi*. Hunc versum diversis modis ex Heb. tansferunt. I. *Quasi limax liquidus ibit, sicut abortivum mulieris, quæ non viderunt solem*. II. *Sicut limax tabefactus pertranseant, sicut abortus mulieris, qui non vidit solem*. III. *Sicut limax, quæ liquescit, abeat quisque eorum: sicut abortivum mulieris, ne videant solem*. IV. *Diffluant velut limax, & sicut abortivum feminæ prius quam solem videt*. V. *Similes fiant limaci, qua inter rependum colliquescit, & abortivo*, vel *talpæ quæ non videt solem*. VI. *Instar limacis colliquescentis, velut abortivum mulieris quod solem numquam aspexit*. De limace recens nata intelligunt, quæ parva causa vertitur in humorem, antequam perveniat ad iustum incrementum. VII. *Sicut limax liquescens abeat quisque, ut qui non viderunt solem*. Exponunt, *Sicut limax*, quo tempore nimirum e concha egreditur, tum enim hebetescit, & impotens fit, detracta testa; ut paulo ante ex Aristotele vidimus: *ut abortus mulieris*, vide Iob III. 16.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE RHAMNUM, &c. Diversimode hunc versum ex Hebr. explanant. I. *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum, quasi viventes, quasi ira tempestas rapiet eos*. II. *Antequam germinabunt spinæ vestræ rhamnum, quasi vivo, quasi ira tempestas ipsis erit:* metaphora; id est, antequam aculeatæ delationes vestræ efficiant Saulem comburentem me, ipsi Sauli vivo, in medio ætatis, eiusque asseclis ira divina aderit extrema tempestas. III. *Antequam sentiant ollæ*, seu *lebetes vestri ignem rhamni*, seu *calorem rhamni ardentis sub se: sicut caro cruda, sic ira ut turbo perdet eum*; id est, ut caro cruda rapitur ex olla antequam olla senserit ignem spinarum; id est, ut rapitur antequam coquatur; sic ira Dei ut turbo rapiet unumquemque improbum, antequam ad maturam perveniat ætatem. Aliter: Quam subito extinguitur ignis spinarum, qui brevis & momentaneus esse solet, antequam lebetes senserint ignem rhamni, unde caro remanet cruda; sic, vel tam cito ira Dei ceu turbo tollet impium. IV. *Priusquam spinæ vestræ*, o impii, *intelligant*, id est, *crescant, adolescant, in rhamnum, repente vivos*, id est in flore ætatis, *sicut acerrimo furore tollet, subvertet, eos turbo*. V. *Priusquam crescant spinæ vestræ in rhamnum, sicut crudum quid, sic ira turbine rapiet eum*; id est, quemadmodum vis venti poma ex arboribus cruda

da

da avellere solet; ita vis iræ Divinæ ducem vestrum immatura morte de medio tollet, antequam scelera & vitia vestra maiora fiant, & corroborentur. Affirmat impios celetrime perdendos antequam eorum perversitas adolescat. VI. *Priusquam percipiant ollæ vestræ rhamnum accensum, sicut crudum quid, sic furor exagitet eum*; hoc est, similes erunt carni raptæ antequam olla calorem conceperit rhamni ab igne accensi. VII. *Antequam sentient spinæ vestræ rhamnum adhuc in viriditate, sic furor crepando consumet eum*. VIII. *Cum nondum sentient*, pro *sentientur*, impersonaliter more Hebraico, *spinæ vestræ*, nimirum spinæ *cynosbati*, seu *rubi canini*: *tam redivivam, quam adustam procellet eum*, seu *unamquamque*. Exponunt: *Cum nondum sentientur*, id est statim a principio, antequam potueritis nocere gravius: apostrophe ad improbos: *spinæ cynosbati*, id est summe aculeatæ, & noxiæ; quasi dicat: Antequam a vobis experiantur mala: *tam redivivam, quam adustam*; &c. id est omnes omnino inde a principio, cum in malitia sua quasi vernare ceperint. Nam vernante primum cynosbato, aliæ spinæ sunt redivivæ, aliæ exsuccæ, aridæque. Sic ab enumeratione sublaturus omnia dicitur Dominus. SPINAE. סירים *sirim*, *ollas*, *lebetes*, & *spinas* significat: sed aptior est hic spinarum notio, præsertim quod ollæ in plurali non nisi terminatione feminea efferri soleant, סירות *siroth*. RHAMNUM. אטד *atad*. Vide Notas in Iudic. IX. 14. SICUT VIVENTES. חי *chai*, *vivum*, *crudum*, *viriditatem* interpretantur. SIC IN IRA. חרון *charon*, *ardor animi irati*, *excandescentiæ*, *æstus iræ*, *ardens ira*. Quidam hic, *adustum*, vel *siccum*, aut *aridum* vertunt: ut opponatur antithesi, *vivo*, *viridi*: *Sicut vivum, sic adustum*. ABSORBET EOS. ישערנו *iisgharennu*, *proturbabit*, *deturbabit*, *turbinabit*; hoc est, horribiliter deiiciet, velut tempestas: vel horribili tempestate proturbabit eum, distributive, id est unumquemque ex eis. Nos propius ad naturam verbi: *Horripilabit eum*, id est horrore obruet.

V. 11. LAETABITUR IUSTUS, &c. Lætitia, salus, pax Ecclesiæ, & prædicatio maiestatis & gloriæ Dei de iudiciis eius adversus improbos. MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS. Heb. *Pedes*, *passus*, *ingressus suos abluet in sanguine improbi*. Exponunt: Id est, proculcabit eos, & triumphabit victor in Christo. Hyperbole. Vide Malach. IV. de argumento huius, & sequentis versus.

V. 12. SI UTIQUE EST FRUCTUS IUSTO. Hebr. *Tantumodo est fructus iusto*, non improbo. Alii: *Profecto merces manet iustum*. Quidam: *Utique fructum afferet iusto iustitia sua*. Nonnulli: *Certe iustum manet suus fructus*. DEUS IUDICANS. Heb. *Elohim iudicantes*, vel *iudices*. Hic nomen *Elohim* construitur cum adiecto plurali, ut Iosue XXIV. 19. Vide Notas in Genes. I. I.

MENOCHII.

Vers. 1. NE DISPERDAS, &c. Hæc explicata sunt initio Psal. mi superioris.

V. 2. SI VERE, &c. si ex animo, & mentis sententia, & non fucate, iuste de rebus pronuntiatis. RECTE IUDICATE in meo negotio, nam me innocentem esse invenietis.

V. 3. ETENIM IN CORDE, &c. quasi dicat: Verum nihil minus facitis quam ut iustitiam loquamini, aut quæ iusta sunt iudicetis; nam corde iniqua machinamini. IN TERRA, in qua potestatem nacti estis. CONCINNANT: tam apte componunt, ut iniquitatem pro æquitate venditetis.

V. 4. ALIENATI SUNT PECCATORES A VULVA. Vix nati, se dant vitiis: ab utero matris statim a virtute deficiunt ad vitium. ERRAVERUNT AB UTERO. Est eiusdem sententiæ repetitio.

V. 5. FUROR ILLIS, &c. Vox חמת *chamath* etiam *venenum* significat. Rabiem, furorem, venenum habent quale serpens, non quilibet, sed nocentissimus, quem præ veneni, & rabiei copia incantator magico suo carmine mulcere, aut sopire non possit. OBTURANTIS AURES SUAS. Utrum verum sit, an fabulosum quod dicitur de aspide aures obturante ne audiat maleficum incantantem, non multum refert ad huius loci explicationem: nam David similitudinem ducit ab eo quod vulgo iactabatur, nihil definiens verumne sit, an falsum.

V. 6. INCANTANTIS SAPIENTER, in arte ma-

magica exercitatissimi: non enim laudat, aut probat artem magicam.

V. 7. DENTES EORUM, potentiam qua ad innocentes lacerandos, & devorandos quasi dentibus utuntur. MOLAS LEONUM. Tyrannidem, & potentiam impiorum molæ sunt molares, seu duriores dentes, quibus teritur, ac molitur quod manducatur.

V. 8. AD NIHILUM, &c. Liquefient, evanescent tamquam aqua torrentium, quæ magno quidem impetu fertur, sed statim delabitur, & cum perennis non fit, alveum arentem relinquit. INTENDIT Dominus. DONEC INFIRMENTUR: debilitentur impii, immo excindantur, & pereant.

V. 9. SICUT CERA, igni admota, AUFERENTUR, tabescent, tollentur e medio. SUPERCECIDIT IGNIS, divinæ ultionis. ET NON VIDERUNT SOLEM: e vita erepti, lucis, & solis huius usura caruerunt.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE RHAMNUM. Priusquam spinæ vestræ tenuiores, assecutæ sint rhamni modum, magnitudinem, & duritiem. *Rhamnus* est spina maior, quæ speciem arboris fere gerit. SICUT VIVENTES, &c. Ordo inversus, sic enim verba disponenda sunt: *Sic in ira absorbet os sicut viventes*. Dominus iratus ita illos absorbebit, quasi viventes. Furor iræ divinæ illos vivos devorabit. Vivos, virentes, valentes, & quasi crudos absumet. Italice diceremus: *Se li mangierà vivi*.

V. 11. LAETABITUR IUSTUS CUM VIDERIT VINDICTAM; tum quod hoc pacto iusti liberentur a periculo; tum quod in Dei gloriam cedat. MANUS SUAS LAVABIT, &c. De morte, & ultione impii ita lætabitur, quemadmodum solent victores insultantes, & gaudentes sanguinem hostium conculcare, & in eo manus suas tingere. Vel dici potest cum S. Augustino, iustum lavare manus suas, id est mundare opera sua, & in bene operando fieri diligentiorem, dum cernit sanguinem, id est mortem, ac supplicia impiorum.

V. 12. ET DICET HOMO: dicet quicumque hoc viderit. SI UTIQUE EST FRUCTUS IUSTO, &c. Sententia est: Si iustitia fructum aliquem affert, ut vere affert, ille maximus est, quod Deus summus omnium iudex, non finit impios impunitos, quemadmodum etiam iustis benefactorum mercedem tribuit.

TIRINI.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Vide Psal. LVI.

V. 2. SI VERE, id est si sincere, & ex animi sententia, ut videri vultis, LOQUIMINI, & amatis IUSTITIAM, RECTA IUDICATE; id est, reipsa id ostendite in iudiciis iuste ferendis. Nam iustitia non tam in verbis quam in opere consistit.

V. 4. ALIENATI SUNT, scilicet a Deo, a iustitia, ab omni virtute. Idque A VULVA & AB UTERO, id est a prima infantia, cum primum nati sunt: nempe habitualiter, per peccatum originale, & etiam actualiter, a primis rationis elucescentis annis. Unde fit hyperbole.

V. 5. FUROR, id est ira, & nocendi cupido, inest ILLIS obstinatissima, implacabilis & pestilentissima, qualis est ASPIDIS, maxime eius quæ *Palamnis* vocatur, quam Augustinus, Theodoretus, & Euthymius dicunt, alteram aurem terræ affigere, alteram cauda obturare, ne audiat carmen incantatoris magi, & sic mansuescat, ac virus ponat. Tales erant principes sacerdotum obturantes aures suas ad vocem S. Stephani, Actor. VII. & quorquot nolunt audire verbum Dei, vel instinctus bonos Spiritus sancti.

V. 7. MOLAS LEONUM, id est dentes molares, id est dentatas minas, vel robur & potentiam leoninam.

V. 9. SUPERCECIDIT, id est super impios quasi super ceram cecidit, IGNIS ultionis divinæ: ET ecce subito NON VIDERUNT SOLEM; id est, privati sunt sole, luce, vita. Ita S. Hilarius, & Hieronymus. Idque

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINAE VESTRAE RHAMNUM; id est, antequam spinæ intelligant, seu sentiant se adolevisse in rhamnum. Seu, ut Hieronymus cum Symmacho vertit, *Antequam* parvæ *spinæ eo excreverint*, ut rhamnum exæquent altitudine, duritie, acumine. Est proverbium; quasi dicat: Cum adhuc immatura sunt ætate, & de morte non cogitant. SICUT VIVENTES, id est plane vege-

vegeti, virentes, & valentes, Deus IN IRA SUA ABSORBET EOS; id eſt, violenta morte exſcindet eos: nempe antequam concepta animis malitia creſcat, roboretur, & in opus deducatur. Exemplo ſunt Antiochus, Herodes, Diocletianus, Maximinus, Licinius, & tot alii noſtro quoque ſæculo tyranni, mediis machinationibus ſuis immortui. Vatablus, & quidam alii recentiores vertunt, & eodem ſenſu: *Antequam lebetes*, ſeu *ollæ veſtræ ſentiant ignem rhamni*, *Deus tollet impium*; id eſt, quam celeriter avolat flamma, quæ ex ſpina in ignem coniecta excitatur (nempe quæ citius evaneſcit quam caro in lebete concaleſcat) tam celeriter perdet impios Deus.

V. 11. LAETABITUR IUSTUS, non cupidine vindictæ, aut perditione hoſtium, ſed amore & zelo iuſtitiæ. MANUS SUAS LAVABIT; id eſt, tam copioſam referet de proſtratis victoriam, ut, ſi lubeat, manus ſuas lavare poſſit in ſanguine occiſorum.

V. 12. SI UTIQUE EST FRUCTUS IUSTO; quaſi dicat: Si ſic agitur cum impiis, & contrario modo cum piis, *utique fructus eſt iuſto*: Chaldæus: *Præmium: profecto bonum eſt iuſto*; & utile eſt, atque operæ pretium iuſte vivere. Ita Theodoretus.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, NE DISPERDAS, &c. Conſtat ſenſus, notus ex titulo Pſalmi præcedentis, & Pſalm. LV. Pro argumento habet acrem reprehenſionem, tum perſequentium David; tum hinc nata occaſione, omnium impiorum perſequentium iuſtos. Accedit etiam mentio de præmiis iuſtorum: nec videtur negandum, quin hic etiam myſtice notentur occiſores Chriſti.

Verſ. 2. SI VERE UTIQUE. Septuag. εἰ ἀληθῶς ἄρα. Hebr. האמנם *baumnam*, *num vere?* ubi ה nota eſt interrogationis, ut etiam ſumi poteſt τὸ εἰ. Sic ſenſus erit: Num vere iuſtitiam loquimini? recta iudicabitis. Et eumdem habet ſenſum Latinus.

V. 6. SICUT ASPIDIS SURDAE. Hieronymus vertit, *reguli ſurdi obturantis aurem*. De natura aſpidis varia proferuntur a multis: immo venit in mentem aliquibus ex Scripturis haberi, aſpidem ſic aures obturare. Recte quidem alii non multum pertinere ad Pſalmi huius explicationem, ſitne verum, vel fabuloſum quod dicitur de aſpide claudente aures, ne audiat maleficium incantantis: quia David ſimilitudinem accepit ab eo quod vulgo ferebatur.

V. 9. SICUT CERA QUAE FLUIT. Certatur hic de vocibus שבלול *ſabbelul*: Septuag. vertunt *ceram*; quibus credendum de voce obſcura, & quæ tantum hoc loco reperitur. At pro vocibus illis, SUPERCECIDIT IGNIS, in Hebræo eſt נפל אשת *nephel eſeth*: Hieronymus vertit *abortivum mulieris*. Sane puncta mutata ſunt a Rabinis, aut non recte appoſita: nam ſatis apparet Septuag. legiſſe נפל אש *naphal eſ*, *cecidit ignis*: immo etiam Genebrardus putat hic אשת poſitum eſſe poetice pro אש.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. GRavi ſermone orditur David hanc perſecutorum reprehenſionem; ac ſi diceret: Si vos iuſtitiam colitis, ſane hoc oſtendent opera veſtra. *Iudicate recta*, & ſatis eſt. At certe opera vos damnant, dum concinnatis iniuſtitiam, erratis, & erraſtis ab infantia. Ferunt ſecum homines ab utero corruptam naturam, ut loquuntur Theologi, & ſtatim fere ac aliquid recte intelligunt, mentiri ſolent: tam vero creſcit in hominibus peccandi uſus ex verſ. 5. ut tandem fiant velut ſerpentes, qui numquam manſueſcunt. Non conſtat an aſpis utatur hac arte revera; ſed utitur hac proverbii ſimilitudine, ut doceat hos, qui reprehenduntur, peritos eſſe in ſua malitia, ut dicam ad verſum 6.

V. 7. *uſq. ad* 11. Mores, & peccata perſecutorum deſcripſit. En iam pœnam. Id ex varia ſimilitudine, nempe leonum, quibus licet fortibus, confringi poſſunt dentes, immo & molares dentes. Item cito evaneſcent ut aqua decurrens, & ſine memoria, vel erunt ut cera liqueſcens. Efficiet ignis, & ira Dei, ut non videant amplius ſolem, ſeu non erunt amplius. Denique ſuccidentur, ut ſuccidi ſo-

di solent spinæ teneræ, antequam intelligant rhamnum, seu antequam excrescant ad magnitudinem rhamni.

V. 11. & 12. Coronidem his malis addet lætitia iustorum, qui exultabunt de Dei iustitia puniente peccatores, & de sublata malitia: non tamen lætabitur amore vindictæ. At quomodo *iustus lavabit manus in sanguine peccatoris?* Certe quia videns peccatorem sic puniri, purgabit se magis: vel dum Deus sic palam puniet persecutorem, David quasi in hoc sanguine lavans manus, declarabitur innocens. Quod extremo versu habetur, *Si utique*, in Hebræo habemus, *Vere est fructus iusto*. Itaque particula *si* non est conditionalis, aut nota dubitationis; sed ex Græco irrepsit in Latinum: & hoc sensu: Si est fructus iusto, ut revera est (quod habet Hebr.) vere est Deus, &c.

BOSSUET.

Vers. 2. SI VERE. Sensus Vulgatæ planus, quem sequitur Hier. Invehitur autem gravissime in eos qui de iustitia multa, & præclara locuti, eam contemnunt in iudiciis. At Hebr. eodem fere sensu, sed vehementius: *Num vero ● congregatio*, IUSTITIAM LOQUIMINI? *num recta iudicatis filii hominum?* Cum enim videat vix ullum esse iustitiæ in tota civitate locum, non singulares homines, sed universam congregationem appellat; quasi diceret: Cur vobis iustitia in ore est? cur inane tantum nomen eius?

V. 3. IN CORDE, &c. Non tantum cogitatis iniqua, sed opere completis.

V. 4. ALIENATI SUNT PECCATORES A VULVA: ab ipsa nativitate errant pessimis exemplis, & præceptis instituti.

V. 5. FUROR: alii, *venenum*. SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS, *veneni serpentis*: Hebr. venenata lingua: venenatus ipse halitus ipsum aerem inficit: corrupta omnia.

V. 7. QUAE NON EXAUDIET: *ut non audiat*, &c. Hier. Comparatio ducta ex vulgari opinione. Ne audire quidem volunt quod eos possit a scelere revocare. INCANTANTIS SAPIENTER, ex artis occultis: id enim est sapienter secundum Hebræos.

V. 7. CONTERET: *excute*, Hier. MOLAS LEONUM, dentes molares, vim hominum crudelium.

V. 8. INTENDIT ARCUM SUUM, Deus scilicet.

V. 9. SICUT CERA: quasi vermis tabefactus, &c. Hier. SUPERCECIDIT: *quasi abortivum mulieris*, &c. Idem. In Vulgata autem *ignis* intelligendus ira Dei qua impii consumantur.

V. 10. PRIUSQUAM INTELLIGERENT, &c. antequam crescant, &c. Totus versus ex Hier. priusquam malitia vestra mihi noceat: tunc cum vigere incipit, dissipabitur.

V. 11. MANUS SUAS LAVABIT, tinget, IN SANGUINE PECCATORIS, ulciscendo eum, *pedes suos*, Hier. proculcatis hostium cadaveribus in suo sanguine volutatis. Tanta erit ultio. Totum autem hoc idem est ac si diceret: Lætabitur impiorum interitu. Sic Psal. LXVII. 26. *Ut intingatur pes tuus in sanguine:* quod ait non illudens peccatori, sed divinæ providentiæ cernens effectus. Theodor.

PSALMUS LVIII. DEPRECATORIUS, PROPHETICUS.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori ut non disperdas David humilem & simplicem, quando misit Saul, & custodierunt domum ut occiderent eum.

ERue me de inimicis meis Deus meus, & a resistentibus mihi protege me.

Libera me ab operariis iniquitatis, & a viris sanguinum salva me.

Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregantur adversum me fortissimi: absque iniquitate mea, & absque peccato meo Domine.

Non egi inique, & illi currunt & præparantur: surge ex adverso pro me & respice.

Et tu Domine Deus exercituum Deus Israel, evigila ut visites omnes gentes: non miserearis universis qui operantur iniquitatem. Semper.

Revertantur ad vesperam, & latrent canes, & circumeant civitatem.

Ecce loquuntur in ore suo, gladii in labiis eorum: quasi nemo audiat.

Tu autem Domine deridebis eos: subsannabis omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te servabo: quoniam tu Deus elevator meus.

Dei mei misericordia præveniet me: Deus ostendit mihi insidiatores meos.

Ne occidas eos, ne forte obliviscantur populi mei: disperge eos in forti-

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum eius ut eum interficeret (I. *Reg.* XIX. 11.)

2. ERipe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, & direxi.

6. Exurge in occursum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel,

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur ad vesperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.

8. Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?

9. Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es.

11. Deus meus, misericordia eius præveniet me.

12. * Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequantudi-

tudine tua & destrue eos: protector noster Domine.

In peccato oris sui, in sermone labiorum suorum, & capiantur in superbia sua: maledictionem & mendacium narrantes.

Consume in furore, consume ut non subsistant: & scient quoniam Deus dominator Iacob, in finibus terræ. Semper.

Convertentur ad vesperam, & latrent ut canes, & circumeant.

Ipsi vagabuntur ut comedant, & cum saturati non fuerint, murmurabunt.

Ego autem cantabo imperium tuum, & laudabo mane misericordiam tuam: quoniam factus es fortitudo mea, & refugium in die tribulationis meæ.

Virtutem meam tibi cantabo: quoniam Deus adiutor meus, Deus misericordia mea.

do obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine:

13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: & comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione & mendacio annuntiabuntur 14. in consummatione: in ira consummationis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ.

15. Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes: & circuibunt civitatem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, & murmurabunt.

17. * Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.

18. Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos.* Futurum *ostendet* mutandum non est in præsens, vel præteritum *ostendit*.

V. 17. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam.* Legendum est *exultabo* vocali quinta, non *exaltabo* vocali prima: quod scriberetur *exsultabo* addita littera *s*, cessaret erroris ansa.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 4. QUIA ECCE CEPERUNT, &c. Hebr. *Insidiantur animæ meæ, congregantur adversus me fortes.*

V. 5. NEQUE INIQUITAS MEA. Hebr. *Non iniquitas mea, non peccatum meum, Domine*; id est, sine ulla mea culpa, sine iniquitate (mea) *cucurrerunt & paraverunt se*; id est, irruerunt in me parati ad occidendum.

V. 7. ET FAMEM PATIENTUR, &c. Heb. *Tumultuabuntur ut canes*: futurum pro præsenti; id est, eunt, ac redeunt ad vesperam (servi Saulis ut observent me) & discurrunt (ut canes qui feram vestigant) & circumeunt civitatem.

V. 8. QUONIAM QUIS AUDIVIT. Heb. subaudi, dicunt: *Quis audiet*?

V. 9. AD NIHILUM DEDUCES, &c. Heb. *Subsannabis omnes gentes.*

V. 10. FORTITUDINEM MEAM. Hebr. legi-

legitur עזו, *fortitudo eius*: quod alii interpretantur, fortitudo illi (Sauli) est: *te observabo*; id est, mea fortitudo tu es. Alii: *Fortitudinem eius*, id est meam (ut de se loquatur in tertia persona) *apud te servabo*. Mihi multo melius videntur Sept. legisse עזי, *fortitudinem meam apud te servabo*; id est, in te solo reponam.

V. 11. DEUS MEUS MISERICORDIA. Hebr. חסדי. *Deus misericordiæ meæ præveniet me*; id est, citius succurret mihi, quam ego eum invocavero.

V. 11. DEUS OSTENDIT MIHI, &c. Heb. *Deus videre faciet me contra inimicos meos*, aut in inimicis meis (vindictam) eodem modo quo Psalm. LIII. 9. *Et super inimicos meos despexit oculus meus*. NE OCCIDAS EOS. Hebr. *Ne perimas eos Domine, ne forte obliviscantur populi mei*, id est pereant penitus a populo meo; sed *disperge illos*, &c.

V. 13. DELICTUM ORIS EORUM. Hebr. intellig. פיהו: *Propter delictum oris ipsorum, & verbum labiorum eorum, comprehendentur in superbia sua*. ET DE EXECRATIONE. Hebr. *Propter execrationem & mendacium narrentur*; id est, sint in ore omni populo, tamquam execratio & fabula. Melius videntur legisse Sept. יספרו, *narrabuntur*, quam nunc Hebræi יספרו, *narrabunt*.

V. 14. IN CONSUMMATIONE, &c. Heb. *Consume in furore, consume, & non erunt, & sciant quod Deus dominetur in Iacob, & usque ad fines terræ*.

V. 15. CONVERTENTUR, &c. Hebr. *Revertentur ad vesperum, & tumultuabuntur ut canis*: sicut supra vers. 8.

V. 16. IPSI DISPERGENTUR. Hebr. *Ipsi vagabuntur*, pro vagentur, *ad manducandum, si non fuerint saturati, & murmurabunt*, id est vagentur ad quærendum cibum, *nec saturentur, &* (præ fame) *ululent* (ut canes.)

S A.

Oratio in persecutione.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Vide Psal. LVI.

V. 2. IN ME, id est contra me.

V. 3. INIQUITATEM. Chald. *falsitatem*. VIRIS SANGUINUM. Chald. *homicidis*. CEPERUNT ANIMAM MEAM. Hieron. & Chald. *Insidiati sunt animæ meæ*.

V. 5. NEQUE INIQUITAS, &c. quasi dicat: Cum nihil eos offenderim. Hieron. *Absque iniquitate mea, & peccato*. CUCURRI, id est conversatus sum. DIREXI, scilicet vitam.

V. 6. VIDE. Hieron. *Respice*. VIRTUTUM. Hieron. *exercituum*. INTENDE. Hieron. & Chald. *evigila*. VISITANDAS, scilicet & puniendas.

V. 7. CONVERTENTUR, pro revertentur, scilicet me perdere quærentes. FAMEM, id est desiderium me perdendi. UT CANES, scilicet rabie perciti.

V. 8. GLADIUS; quasi dicat: De me occidendo loquuntur. QUIS AUDIVIT? scilicet dicunt; quasi dicat: Putant neminem audire quæ loquantur. Hieron. *quasi nemo audiat*.

V. 9. DOMINE, scilicet qui audis. Eos, id est eorum conatus. GENTES, scilicet tibi contrarias.

V. 10. AD TE, id est apud te.

V. 11. DEUS MEUS, MISERICORDIA EIUS; pro, Dei mei misericordia. Hebraismus. PRAEVENIET, scilicet ut eripiat, antequam illi noceant.

V. 12. OCCIDAS, scilicet statim, o Domine. OBLIVISCANTUR, scilicet iustitiæ tuæ, qua punis malos. POPULI MEI: nominativus pluralis, quamquam in quibusdam Græcis est λαῦ μȣ̃, quo sensu nescio. Symmachus vertit: *Nequando obliviscatur populus tuus legis tuæ*. DISPERGE, id est coge vagari. DEPONE. Hieron. *destrue*. Chald. *redige ad paupertatem*.

V. 13. DELICTUM. Chald. *ob delictum*: DE EXECRATIONE, id est ob execrationem, seu maledictionem. Chald. *periurium*. ANNUNTIABUNTUR, pro annuntiabunt; quasi dicat, quod loquuntur.

V. 14. IN CONSUMMATIONE, scilicet sint. Hieron. *Consume*. Chald. *Dele eos*.

V. 16. DISPERGENTUR. Hieron. & Chald. *Vagabuntur*.

V. 17. EXULTABO; id est, cum exultatione cantabo: sic sup. *Exsultabit lingua mea iustitiam tuam*. Hieron. *Laudabo*.

V. 18. MEA; quasi dicat, qui mihi miseretur.

ESTII.

Verſ. 7. CONVERTENTUR AD VESPERAM, ET FAMEM PATIENTUR UT CANES, ET CIRCUIBUNT CIVITATEM. De Iudæis dicitur, ut plerique exponunt, qui ad veſperam, id eſt in fine ſæculi ad Chriſtum convertentur. Sic Hieronymus, Caſſiodorus, & alii plures in hunc locum. Vide etiam noſtra in IV. Senrent. diſtinct. XLVII.

V. 11. MISERICORDIA EIUS PRAEVENIET ME. Vide ſupra ad illud Pſalm. XXII. *Miſericordia tua ſubſequetur me*. Item ad illud Eſther XV. *Convertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem*.

V. 17. ET EXULTABO MANE MISERICORDIAM TUAM. Ita legendum cum ultima vocali *u*, non cum prima *a exaltabo*, ut ante correctionem Sixtinam paſſim legebatur. Sic enim cogunt Græca, & multa etiam Ms. Latina. Sic & Pſal. L. *Exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM. Titulus ex iam dictis patet. QUANDO MISIT SAUL. Hoc habes I. Reg. XIX. 11. CUSTODIVIT DOMUM. Hebr. *Cuſtodierunt*, ſcilicet milites. Implorat Deum contra Saulem, & eius aſſeclas.

V. 3. VIRIS SANGUINUM; id eſt, de ſanguinariis eripe me.

V. 4. ECCE CEPERUNT. Hebr. *Inſidiati ſunt animæ meæ*, id eſt vitæ meæ. IRRUERUNT IN ME. Hebr. *Congregati ſunt contra me*. FORTES, violenti.

V. 5. SINE INIQUITATE, id eſt nullo meo merito. Hebr. *Non iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*; pro, non ob iniquitatem. SINE INIQUITATE CUCURRI, ET DIREXI. Hebr. *Non ob iniquitatem currunt, & comparant ſe*: ſic Hieronymus, & Chald. at Sept. Hebraica aliter haud dubium legerunt quam ſunt modo.

V. 6. ET TU DOMINE DEUS, Hoc iungitur cum proximo verſu. Dele punctum poſt *Iſrael*. DEUS VIRTUTUM. Hebr. *Deus exercituum*. INTENDE, ſive *exurge*, dormire videris. AD VISITANDAS. In malam partem ſumit *viſitare*, pro punire.

OMNES GENTES; pro; omnes homines; NON MISEREARIS OMNIBUS, id eſt nullis miſerearis.

V. 7. CONVERTENTUR AD VESPERAM; quaſi dicat: Si illos punieris, eo miſeriæ devenient, ut domum reverſi veſperi famelici ut canes cogentur circuire civitatem ad quærendum victum. Aut loquitur de militibus Saul, qui ut canes ſitientes Davidis ſanguinem, & domum cuſtodierunt, & urbem circuierunt, ne elaberetur. Græc. & Hebr. *ut canis*. Noſter, UT CANES.

V. 8. ECCE LOQUENTUR IN ORE SUO. Revertitur ad furorem inimicorum. QUONIAM QUIS AUDIVIT? id eſt, nemo teſtis eſt, qui hæc Davidi nuntiet, libere loqui poſſumus.

V. 9. AD NIHILUM DEDUCES tu Domine. Hebr. *Subſannabis*. OMNES GENTES, ſcilicet quæ tibi adverſantur.

V. 10. FORTITUDINEM MEAM. Hebr. *fortitudinem eius*: ſed vitioſe, quando Chald. & Hieron. habent *fortitudinem meam*. Olim עזו *buzi* legebatur, nunc עזו *buzo*. AD TE CUSTODIAM; id eſt, tibi accepram feram.

V. 11. DEUS MEUS, MISERICORDIA EIUS. Hebraiſmus; pro, Dei mei miſericordia.

V. 12. DEUS OSTENDET MIHI, ſcilicet vindictam quam fecit. Aut tribuit mihi vindictam de inimicis. Quid verbum *oſtendere* ſignificet, II. ad Timoth. IV. 14. dictum eſt. SUPER INIMICOS; contra inimicos. Hebr. *in inimicis meis*. NE OCCIDAS EOS, ſcilicet cito, ut ſit diuturna miſeria, & ne populi mei obliviſcantur auxilii mihi collati.

V. 13. DELICTUM ORIS EORUM; id eſt propter delictum oris, propterea quod locuti ſunt, diſperge eos, puni eos. ET DE EXECRATIONE ET MENDACIO, propter execrationem & mendacium. ANNUNTIABUNTUR; id eſt, infames erunt ubique. Hebr. *Ob periurium & mendacium* (quod) *narrarunt*, id eſt locuti ſunt.

V. 14. IN CONSUMMATIONE; id eſt, non ſolum in hac vita, ſed poſt mortem infames erunt. IN IRA CONSUMMATIONIS, id eſt poſt iram Dei, quæ conſumet eos. Hebr. *Conſume* (eos) *in ira, conſume, & non erunt*. DEUS DOMINABITUR IACOB, id eſt Iudæorum. ET FINIUM

NIUM TERRAE; id est, aliarum gentium dominatur Deus.

V. 15. CONVERTENTUR AD VESPERAM. Repetit vers. 7. Sic prior explicatio ibi posita præferatur.

V. 16. SI VERO NON FUERINT SATURATI. *Si*, pro vere. Profecto non saturabuntur. ET MURMURABUNT. Ergo cum satiati non fuerint, murmurabunt, contra Deum scilicet.

V. 18. ADIUTOR MEUS TIBI PSALLAM. Hebr. *O robur meum*. QUIA DEUS SUSCEPTOR MEUS; Hier. *adiutor*; Heb. *præsidium meum*. MISERICORDIA MEA: appositive, *Deus meus*, *misericordia mea*. Hebr. *Deus misericordiæ meæ*. Per *misericordiam* omnia beneficia Dei intellige.

MALVENDAE.

Vers. 1. NE DISPERDAS. Vide Psal. LVI. 1. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. מכתם *michtham*. Vide in Psal. XV. 1. Deprecatur hoc Psalmo David imminens sibi a Saule mortis periculum. QUANDO MISIT SAUL, &c. Historia extat I. Samuel. XIX. 11. & seqq. quæ fuit occasio conscribendi hunc Psalmum.

V. 4. IRRUERUNT IN ME FORTES. יגורו *iaeburu*, verbum militare: *Contrahent contra me copias & currus robusti*, seu feroces horribiles. Vide supra Psal. LV. 7.

V. 5. SINE INIQUITATE CUCURRI, ET DIREXI. Hebr. *Neutiquam iniquitas, current, & parabunt se*. Alii. I. *Absque iniquitate* mea *accurrerunt, & paraverunt se*, II. *Sine iniquitate sum, & tamen current, & præparabuntur*. III. *Non egi inique, & illi currunt, & præparant*. IV. *Nulla iniquitate mea abducti, accurrunt, instruxerunt sese*. V. *Citra crimen meum properant, & accinguntur*. VI. *Quamvis nulla re læsi sint a me, tamen currunt ut noceant mihi, & summo studio conantur perdere me*. VII. *Nulla iniquitate mea concurrunt, & comparant se*. Possis reddere: *Current, & ordinabunt, aptabunt, confirmabunt, consolidabunt se*.

V. 6. EXSURGE IN OCCURSUM MEUM, ET VIDE. Quidam: *Excitare ergo, ut mihi succurras, & respice* horum insaniam, vel quæ machinantur adversum me. Alii: *Evigila venturus obviam mihi, & respice:* humanitus dictum; id est, demonstra potentiam tuam, ut qui evigilat, respicit, &c. ET TU DOMINE DEUS VIRTUTUM, DEUS ISRAEL. Sunt hic tria nomina Dei, *Iehveh*, *Elohim*, *Tzebaoth*: puto ad indicandum mysterium divinæ Trinitatis: & secundum geminatur, fortasse propter geminam naturam in Christo. *Deus virtutum*, seu *exercituum*; id est, potentia instructissime, & fœdere coniunctissime. AD VISITANDAS OMNES GENTES. Exponunt: Ut cognitionem capias de gentibus. Vide in Genes. XXI. 1. Alii, *ad multandum omnes gentes*. *Omnes gentes*, istas. Exponunt, Id est copias Saulis, quæ eodem animo Davidem persequebantur, quo gentes alienæ a populo Dei facturæ fuissent. NON MISEREARIS OMNIBUS QUI OPERANTUR INIQUITATEM. Varie Hebræa reddunt. I. *Neque misericordem te exhibeas omnibus scelerate prævaricantibus*. II. *Nec misereat te eorum qui sunt in malitia obdurati*. III. *Ne gratiam facias ullis perfide agentibus iniquitatem*; id est, qui Deum cultu, & Davidem honore prosequi simulantes, perfide ea perpetrabanr, quæ sequentibus duobus versibus exegetice describuntur. IV. *Ne miserere omnium fallacium iniquitatis*. V. *Neque gratificabis omnes excursores desiderii*; id est, qui post prava sua desideria exscurrunt: vel qui pro libidine sua vi & iniuria in alios incurrunt, seu impetum faciunt. Apponitur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Summe*; 3. *Ita fiat*; 4. O iustum Dei iudicium, qui tandem pœnas sumet de improbis!

V. 7. CONVERTENTUR AD VESPERAM, vel *revertentur ad vesperam*, subaudiunt sequentem; id est, eunt & redeunt iuxta præceptum Saulis domum meam exploraturi, ut me capiant in lecto. Alii: *Revertuntur vesperi*, id est discurrunt, ut supra vers. 5. metalepsis. FAMEM PATIENTUR UT CANES. Quidam: *Perstrepunt ut canis*; id est, frendent inter se, & se ipsos ad lacerandum me comparant. Alii: *Fremunt ut canes*, id est latrant: metaphora a canibus venaticis, qui feram latratibus insectantur.

V. 8. ECCE LOQUENTUR IN ORE SUO. Hebr. *Ecce scaturient, eructabunt, in ore suo*; id est, evomunt ac profundunt inter se sermones nefarios: loquuntur ore suo nihil nisi cædem, sanguinem, immanita-

nitatem: aposiopesis. Aliqui reddunt: *Ecce ore suo obruunt*. Alii: *Ecce exundabunt ore suo*. Et gladius, seu, ut est Hebr. *gladii*, in labiis eorum sunt; id est, nihil nisi arma, ac cædem crepant. Quidam: *Gladios adhibent ad labia sua*; id est, præter minas etiam arma capiunt ad afficiendos conatus suos. Plerique: *Gladii in labiis eorum*; id est, delationes, nefarii sermones eorum sunt veluti gladii ad me perdendum. Quoniam quis audivit? Quidam reddunt: *Quis enim animadvertit in eos?* Alii: *Nec tamen quemquam esse putant, qui audiat*. Plerique: *Nam quis audit? inquiunt*, verba scilicet, & conatus percipit: synecdoche frequens, sive, ut Donatus vocat, metalepsis. Hoc illi dicebant, quasi David non intellexerit eorum consilium, quando circuibant, ut eum in domo comprehenderent.

V. 9. Et tu Domine deridebis eos, &c. Reddunt: *A tu Iehova ridebis eos*, &c. Notant esse antithesim ex adverso respondentem impiæ inimicorum confidentiæ, hoc modo: Quis audit? inquiunt illi: at tu non tantum audis, verum etiam audita, & perspecta rides, &c. Vide simile Psal. II. 4.

V. 10. Fortitudinem meam ad te custodiam. Varie ex Hebr. convertunt. I. *Fortitudinem eius*, Saulis, *ad te servabo*; id est, vires meas exiguas non opponam fortitudini Saulis; sed, eius fortitudinem tibi pervincendam, & proterendam reservabo. II. *Viribus illius adversarii mei ego te opponam*. III. *Robur eius*, id est meum: de se loquitur in tertia persona: *apud te habeo repositum*. IV. *Robur meum tibi acceptum fero*. V. *Robur* est *illi*, Sauli; at te observabo; quasi dicat: Fortis quidem est Saul, propterea pendebo ab te. VI. *Robur obtinente illo, te observabo*, id est tantisper dum Saul potitur rerum. Potes reddere: *Regnum, imperium, eius tibi observabo*; id est, non ego adimam illi regnum aut vitam, sed servabo in gratiam tuam, quousque tu illud mihi tradideris. Vide I. Samuel. XXIV. 7. & 8. & XXIII. 8. & 9.

V. 12. Deus ostendet mihi super inimicos meos. Hebr. *Deus faciet ut aspiciam observatores meos*. Vide supra Psal. LIII. 9. Ne occidas eos. Exponunt: Id est, illico, eodem momento, sed lento potius & diutino cruciatu contabescant: ut ratio proxime sequens, & antitheta imprecatio subiecta ostendunt. Sic alludit hac imprecatione ad sententiam quam Deus in Kainum tulit Genes. IV. 11. & 12. Ne quando obliviscantur populi mei. Hebr. *Ne quando obliviscentur populus meus*, id est populares mei: syllepsis. Quidam: *Ne populus meus negligens fiat*. Alii: *Ut non obliviscantur populares mei*; id est, ne hoc tam insigne exemplum iustitiæ & ultionis tuæ effluat e memoria populi mei. Disperge illos in virtute tua. Alii diversimode ex Heb. I. *Commove eos in fortitudine tua*. II. *Exagita eos virtute tua*. III. *Redde eos vagos in populo tuo*. IV. *Vagari coge eos de loco ad locum fortitudine tua*. V. *Dissipa eos tua virtute*. Et verbo etiam ipso alludit ad pœnam Kaini Genes. IV. 14.

V. 13. Delictum oris eorum, &c. Hunc versum nostra Translatio verbo tenus ex Heb. expressit (*Erratum oris eorum, verbum labiorum eorum, & capti fuerunt in superbia eorum: & de deieratione & abnegatione numerabunt.*) Plurifariam alii. I. *Peccatum oris eorum, sermo labiorum eorum, & capientur in superbia sua: & de execratione & tenuitate narrabunt*; id est, pravi sermones eorum noti sunt, item superbia eorum deprehensa: & de periuriis eorum, atque execrandis factis eorum, & quomodo alios attriverint, & attenuaverint, narrabunt posteri. II. *Propter peccatum oris eorum, propter verbum labiorum ipsorum, & capiantur propter superbiam suam: & ob execrationem, & mendacium* eorum, quod *narrant*; subaudi, proterne eos: nam iungunt fini antecedentis versus. III. *Propter peccatum oris eorum, propter sermonem labiorum ipsorum, atque superbiam eorum capiantur: propter periuria & mendacia singuli dicantur*. IV. *Peccatum oris illorum, & sermo labiorum illorum merentur, ut ipsi illis eisdem factuosis verbis capiantur: abominationes enim, & mendacia crepabant assidue*. Quidam posteriorem hanc partem ita reddunt: *Ob periurium, & mendacium, quod loquuntur*. Alii: *De maledictione eorum & macie enarrent*; id est, sint fabula vulgo: dicant omnes, quod a te maledicti sunt, & macie confecti. V. *Peccatum oris sui, verbum labiorum suorum, quando fuerint deprehensi*

in

in superbia sua, cum præ execratione, tum præ macie enarrent; id est, invitis, ut Kaiino, extorqueatur confessio nequitiæ suæ, pro horrore & gravitate iudiciorum tuorum, quandoquidem sponte nolunt resipiscere. *Præ execratione*, &c. id est qua persequeris eos usque ad maciem, & quidem tantam, ut corpora eorum contabescentia doceant eos confessionem peccati sui.

V. 14. In consummatione: in ira consummationis. et non erunt. Quidam Hebræa reddunt: *Consume æstu, consume, donec non sint amplius*; id est, tandem scilicet, postquam exagitaveris, deieceris, emaciaveris, & confessionem invitis expresseris. Alii: *Consume in furore, consume ut non sint*. Nonnulli: *Finem impone iratus execrationibus illorum, sic finem impone, ut nullæ sint amplius reliquiæ*. Et finium terrae. Hebr. *finibus, terminis, terræ*. Additur *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3 *Summe*; 4. O æternum, & infinitum Dei regnum!

V. 15. Convertentur ad vesperam, &c. Quidam reddunt: *Cum revertuntur vespere,ganniant ut canis, & circumdent civitatem*. Summa repetitio imprecationis, posito versu amœbæo, qui idem est cum vers. 7.

V. 16. Ipsi dispergentur ad manducandum. Diversimode Hebræa vertuntur. I. *Hi ipsi movebuntur, vagabuntur, ad comedendum*, vel *pro cibo*. II. *Se ipsos exagitant ad comedendum*; id est, in quærendo cibo. III. *Sic isti ad edendum dissipentur*. IV. *Ipsi discurrent de loco ad locum, ut comparent victum sibi*. Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. Multifariam alii Hebræa accipiunt. I. *Si non saturabuntur, & pernoctabunt*, id est persistent, immorabuntur, perseverabunt in quærendo victu. II. *Si non saturabuntur, ita pernoctabunt*; id est, iacebunt in perpetuis tenebris, ærumnis, & tandem exitio sempiterno. III. subaudiunt secundo loco negationem: *At nec satiabuntur, nec dormient*, quiescent, aut tectum eis, *ubi pernoctent, subire dabitur*. IV. *Sed inanes dormiant*. V. *Et quia non famelici invenient quo saturentur, cubabunt*. VI. *Nec satiati cubabunt*. VII. *Cum non fuerint saturati, tum cogantur pernoctare*; id est, frustra quærant cibum illi, & ieiuni in dormire compellantur. VIII. *Si non fuerint saturi, statim querulabuntur, eiulabunt, quiritabuntur, voces querulas emittent*. Sic sumitur id verbum Exod. xvi. 8. & Numer. xiv. 29. & hic est sensus Nostri.

V. 18. Adiutor meus tibi psallam, &c. Hebr. *Robur meum tibi modulabor*, vel *canam infones musicas*. Quidam: *Quicquid in me est roboris, tibi cantando acceptum feram*. Notant hunc versum esse antitheton vers. 10. supra.

MENOCHII.

Vers. 1. Ne disperdas, &c. Vide dicta ad titulum Psalmi lvi. Quando misit Saul, &c. Historiam habes I. Reg. xix. 11.

V. 3. De viris sanguinum, sanguinariis, & homicidis.

V. 4. Ceperunt animam meam. Hebr. *Insidiati sunt*, Græcus ἐθήρευσαν *venati sunt*, ut legit D. Aug. Fortes, viri potentes, qualis erat Saul Rex, Abner dux militiæ, & similes.

V. 5. Neque iniquitas mea, &c. scilicet in causa est, ut me ad mortem persequantur. Cucurri: vitæ cursum peregi. Direxi: actiones meas rectas facere conatus sum.

V. 6. Exurge in occursum meum: mihi te quærenti occurre, præsentem exhibe, & opem fer indigenti. Vide: ostende te videre vesaniam illorum, & innocentiam meam. Et tu Domine intende: animum adhibe. Ad visitandas omnes gentes, puniendas, iudicandas, ultionem sumendam. Gentes vocat homines feros, & impios, etiamsi sint de sua gente, ut etiam infra num. 9.

V. 7. Convertentur ad vesperam, &c. Sententia est: Si non miserearis eorum, ubi pervenerint ad vesperam, quo tempore solent homines requiescere a divinis negotiis ac laboribus, ac cibum quiete capere, famem patientur, & frement ut canes: nihilque habentes, neque quicquam per diem consecuti, cogentur discurrere quærendi victus, & hospitii causa. Vaticinium esse videtur de Iudæorum calamitatibus.

V. 8. Ecce loquentur, &c. Revertitur ad malitiam iniquorum: *Loquuntur in ore suo*; hoc est, submissa voce inter se

se loquentur. GLADIUS IN LABIIS EORUM; id est, verba ipsorum quasi gladius erunt. QUONIAM QUIS AUDIVIT? nam dicent impii: *Quis audivit?* id est, nemo audivit, secretus erit sermo.

V. 9. AD NIHILUM DEDUCES: eorum conatus irritos reddes.

V. 10. FORTITUDINEM MEAM AD TE CUSTODIAM: tibi servabo, & tibi acceptam feram fortitudinem meam, qua inimicis meis superior ero. SUSCEPTOR MEUS, adiutor meus.

V. 11. MISERICORDIA EIUS PRAEVENIET ME: mihi prius opem feres, quam illam implorem.

V. 12. OSTENDET MIHI supplicium, & ultionem de inimicis meis. NE OCCIDAS EOS; sed serva eos ad vitam miseram, ut langueant, & diu portent tuum iudicium; lento, & diuturno supplicio eos affice. Optime convenit Iudæis, quorum genus durat miserum, & contemptum. NE QUANDO OBLIVISCANTUR POPULI MEI. *Populi mei* est nominativus. Ne ultio inimicorum meorum penitus tradatur oblivioni a populo meo; sed illi semper versetur ob oculos. DISPERGE: dissipa, & vagari coge egentes, despicabiles, & miseros. IN VIRTUTE TUA, tua potentia, & fortitudine. DEPONE: deiice de dignitatis gradu, in quo sunt.

V. 13. DELICTUM ORIS EORUM. Ita, quæso, Domine, eos puni ob delictum oris eorum, impiumque sermonem labiorum ipsorum contra me. COMPREHENDANTUR IN SUPERBIA SUA, ut nihil eorum quæ illi superbe, & impie loquuntur, impleatur. In Hebræo est: *Capiantur in elevatione sua*; quod optime possumus interpretari de Iudæis, & Romanis captis ob superbiam suam, qua gloriabantur se esse filios Abrahæ, & liberos, & nemini umquam servisse, ut perspicuum est ex capite VIII. D. Ioannis. DE EXECRATIONE, ET MENDACIO ANNUNTIABUNTUR: propter execrationem, & mendacia annuntiabuntur, id est vocabuntur, accersentur, mittentur ad consummationem, & exitium. Vel *annuntiabuntur in consummatione*; id est, divulgabuntur, & infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consumetur omnis potentia eorum. Convenit enim Iudæis, qui non modo Christum crucifixerunt, sed etiam adversus eum iniurias, blasphemias, execrationes protulerunt, & mendacia concinnarunt.

V. 14. IN IRA CONSUMMATIONIS: in ira consummante peribunt, nec amplius erunt inter vivos, aut in sua civitate, & regno, sed huc, illucque vagi, & profugi fixas sedes non habebunt. ET SCIENT, &c. Id ubi factum fuerit, tum & ipsi, & omnes homines agnoscent Deum Iudæis, gentibus, & universo orbi dominari: in Græco est, *dominatur*, δεσπόζει, in præsenti.

V. 15. CONVERTENTUR AD VESPERAM, &c. Hoc supra explicatum est num. 7.

V. 16. IPSI DISPERGENTUR AD MANDUCANDUM, more mendicorum panem ostiatim quærentium. SI VERO NON FUERINT SATURATI, &c. Et quia frequenter accidet ut inopiam patiantur, nec saturari possint, propter impatientiam murmurabunt.

V. 17. CANTABO, celebrabo. FORTITUDINEM TUAM, potentiam tuam. EXULTABO MANE, &c. exultans laudabo misericordiam tuam. Id autem faciam *mane*, id est primo quoque tempore, ante omnia alia negotia: vel *mane*, id est inchoante die felicitatis æternæ in cælesti patria. SUSCEPTOR MEUS, adiutor meus.

V. 18. TIBI PSALLAM, in laudem tuam: MISERICORDIA MEA. Deus meus, qui es misericordia mea; id est, qui mihi misereris.

TIRINI.

Vers. 3. DE VIRIS SANGUINUM, id est e manibus homicidarum.

V. 4. ANIMAM MEAM, id est me, CEPERUNT; id est, captivum detinent, obsidentes, domum meam. Hieronymus, & Chald. *insidiati sunt*. Græc. *venati sunt*.

V. 5. DIREXI, supple pedes meos, vel viam meam; quasi dicat: Nulla prorsus culpa est in me.

V. 6. INTENDE. Hieronymus, & Chald. *Evigila, expergiscere*, AD VISITANDAS, scilicet tua vindicta, id est ad puniendas, GENTES.

V. 7. CONVERTENTUR, seu *revertentur*, ut vertit Hieronymus, AD VESPERAM, id est tota die; quasi dicat: Eunt, & red-

redeunt continuo hi satellites, quasi canes famelici, ut me devorent, & iuxta præceptum Saulis circumeunt, cingunt, & obsident omnia urbis loca, ne manibus ipsorum elabar. Ita fere Symmachus. Sanctus Augustinus id exponit de conversione Iudæorum ad fidem in fine mundi: S. Hieronymus, Hilarius, Theodoretus de dispersione Iudæorum post excidium Ierosolymæ per Titum.

V. 8. GLADIUS IN LABIIS EORUM; id est, perpetuo loquuntur, & mussitant de me occidendo. QUONIAM, inquiunt, QUIS AUDIVIT? quasi dicat: Nemo est qui nos audiat, qui insidias Davidi aperiat, aut nos impediat. Ita Symmachus, & Teodoretus. Hieronymus, *quasi nemo audiat*.

V. 10. AD TE CUSTODIAM. Chald. *apud te*; id est, tibi reponam, tibi accepτam feram; quasi dicat: Quantæcumque vires, vel industriæ mihi necessariæ sunt ad vim, & insidias Saulis evadendas, omnes mihi a te sunt sperandæ & expectandæ. Ita sanctus Augustinus, Theodoretus, & Genebrardus.

V. 12. DEUS OSTENDET MIHI, supple *ultionem*, inquit Chald. NE OCCIDAS EOS, supple *subito*, ut idem Chald. supplet; sed fac diu illos languere, & lento supplicio paulatim confici. NE QUANDO POPULI MEI, mihi subiecti, vel subiiciendi, OBLIVISCANTUR iustitiæ tuæ, & vindictæ divinæ qua punis impios. Ultionis enim subitaneæ memoria cito perit. DISPERGE ergo ILLOS, ut vagentur de urbe in urbem: ET DEPONE EOS de suo gradu ac fastu. Chald. *Expelle eos a domibus eorum, & ad paupertatem redigas eos a facultatibus ipsorum*. Sic iam depositi, & toto orbe dispersi sunt Iudæi, inquit sanctus Augustinus.

V. 13. & 14. DELICTUM; id est, *propter delictum*, ut habet Chald. ORIS EORUM, quo mihi mortem minati sunt. Allegorice, propter voces, *Crucifige, crucifige*, & horrenda maledicta in Christum. ET DE EXECRATIONE; id est, ob suam execrationem; Hieron. *maledictionem*; Chald. *periurium*, calumniam, & blasphemiam in me. ANNUNTIABUNTUR; id est, toto orbe traducentur, & erunt fabula vulgo. IN CONSUMMATIONE; id est, in sui destructione & internecione, qua ab irato Deo penitus destruentur, ET NON ERUNT amplius. Ita Theodoretus.

GORDONI.

Titulus, NE DISPERDAS, &c. Notus est hic titulus ex inscriptione Psal. LVI. & LVII. Historiam hanc de hoc Davidis periculo lege Lib. I. Reg. XIX. Solet David de suis agens afflictionibus, excurrere velut in locum communem, de iustorum afflictione: poteftque proinde hic Psalmus applicari iusto cuivis afflicto: immo & Christo resurgenti e sepulcro, frustratis spe sua satellitibus.

Vers. 5. NEQUE INIQUITAS, &c. Sistendo in sensu litteræ de Davide: non vult his verbis David, nullum penitus in se esse peccatum; sed negat esse in se peccatum commissum contra insequentem Saulem, ut adversarii fingebant: stabat enim pro Davide iustitia causæ. Ceterum in sensu de Christo est simpliciter verum, non fuisse in illo peccatum. Est nunc enallage numeri, & personæ, inter Vulgatum & Hebræum codicem. Verum recte legerunt Septuag. quos secutus est Vulgatus.

V. 10. & 11. FORTITUDINEM MEAM, &c. hoc est, potentiam omnem a te habeo, eam custodiam apud te, tuoque auxilio. Subditur: DEUS MEUS, MISERICORDIA EIUS PRAEVENIET ME. Sic etiam Septuag. & in Hebræo nunc est אלהי *Elohe*, *Dei* (scilicet misericordia) at Septuag. legerunt אלהי *Elohai*, *Deus meus*: hinc sequitur חסדו *chasdo*, *misericordia eius*, cum affixo tertiæ personæ. Sensus ergo in nostra versione est: Deus meus est, ideo misericordia eius præveniet me.

V. 12. DEUS OSTENDET MIHI, &c. Septuag. *δείξει μοι*, Heb. יראני *iareni*, *videre me* (in Hiphil) *faciet*: alii aliter, & per futurum, *ostendet mihi*. Quantum ad sensum clariora sunt hæc relata ad Christum; sed etiam recte ad Davidem, cui Deus ostendet pœnas super Iudæos inimicos suos. Orat tamen ne penitus deleantur, ne quando obliviscantur aliæ nationes POPULI MEI. Septuag. λαοῦ μου, ex Hieronymo epist. CXXXV. Aliter etiam, *τοῦ νόμου σου*, *legis tuæ*: sensus iam erit, quem dedit

Para-

Paraphrasis; hoc est, non pereant omnes, ne sic ignorent nationes punitionem factam propter calumnias, & iniurias Davidi illatas. Certe, inquit, maneat posteris exemplum; tamen DISPERGE eos, vel vagari fac, deiice, κατάγαγε αὐτούς. Recte hæc de Christo, & dispersione Iudæorum, mystice.

V. 13. ET DE EXECRATIONE ET MENDACIO ANNIHILABUNTUR. Passive dicitur hic, & apud Septuag. διαγγελήσονται; seu divulgabuntur, ut prostrati & infames, ob execrandas calumnias: nec amplius subsistet eorum potentia, regia potestas Saulis, aut Respublica. Quod sequitur in Hebræo, *consume*, כלה *calle*, vertitur a Septuag. ad sensum textus Hebraici; non autem verbum verbo: vide rad. כלה, *consummata est*. Iam interpretari hæc de Christo, de dispersione Iudæorum, & eversione regni, facile omnino est.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. 3. & 4. ERipe, &c. Sic loquitur David, ut præfatus sum, dum obsessus in domo sua a satellitibus Saulis, orat Deum ut liberetur ab his homicidis, viris sanguinum, *qui*, inquit, *ceperunt animam*, dum vitam habent velut conclusam in loco angusto: sane absque culpa, & iniquitate mea ulla in Regem. Loquitur enim de æquitate causæ, quæ est cum Lege Saule.

V. 5. 6. & 7. *Exurge*, &c. Excurrit velut in locum communem universe loquens, ubi seipsum quoque immiscet. Petit ut non misereatur Deus impiorum in die illo iudicii extremi (quod futurum est) vel est hoc de pœna in hac vita, quam prophetice partim prædicit (quod etiam futurum est) partim impleta est in Saule, & satellitibus. *Ad vesperam* ergo, quando finis adveniet, convertetur eorum malitia in pœnam, (quod varia similitudine explicat.) Sic, inquam, erit de impiis saltem ad vesperam mundi. Non desunt qui hoc interpretantur etiam de conversione Iudæorum vel in adventu Christi primo per Apostolos, vel in fine mundi, ex Rom. XI.

V. 8. 9. & 10. *Ecce*, &c. Promovet quod cœpit dicere de pœnis impiorum: & versu 10. miscet aliquid de seipso: fore nempe ut qui robur, & fortitudinem omnem a Deo præveniente accipit eam etiam Deo offerat, & custodiat.

V. 11. 12. & 13. *Deus ostendit mihi*, &c. Plerique hoc interpretantur dici a Davide in persona Christi. Excurrunt quidem sæpe Prophetæ ad novam materiam, præsertim cognatam; & maxime quia initio Psalmi, dixi hunc Psalmum habere suum sensum de Christo, & Iudæis Christi persecutoribus. Ergo utroque sensu Deus Davidi, vel Christo revelavit quid facturus sit de hostibus, & quod irrogaturus supplicium. Rogatur tamen Deus ne omnino extinguat populum Iudaicum; ne dicant gentes, eos non esse amplius: solum ad pœnam disperge eos in nationes, & decidant a pristina regali, & sacerdotali dignitate: nam hoc merentur ob delicta oris, & superbiam.

V. 14. 15. & 16. *Et de execratione*, *&c.* Pergit loqui de castigatione Iudæorum. Attingit prophetice tempus eversæ civitatis sub Vespasiano. Tunc, inquit, annuntiabuntur per orbem infames, proscripti, sine Rege, dignitate, & civitate, ac si omnino non essent: & scient inde, quod Deus sit Dominus Iacob, & tunc maxime scient in illo novissimo, ad vesperam mundi, quando plures miseri circuibunt ut canes civitatem, ac cætum iustorum, & murmurabunt in sua infelicitate. Hic versus 15. est ille septimus, de quo supra.

V. 17. *Ego autem*, &c. Conclusio Psalmi est, ubi conversio fit ad laudandum Deum, & exaltandam eius misericordiam. Verba hæc tribuuntur vel Davidi ad litteram, vel Christo, vel Ecclesiæ.

BOSSUET.

Vers. 4. CEPERUNT, &c. *insidiati sunt animæ meæ*: Hieron. IRRUERUNT: *congregantur*: Idem.

V. 4. NEQUE INIQUITAS; supple, ulla est. CUCURRI, ET DIREXI ad æquum gressus meos. At Hier. de inimicis: *Illi currunt & præparantur*: accingunt se ut me subvertant.

V. 6. EXURGE IN OCCURSUM MEUM: *ex adverso pro me*: Idem. OMNES GENTES: non in me tantum intende, sed in omnes oppressos quacumque terrarum: id enim

enim te decet orbis universi iudicem. Sic decet calamitosos ex ipso miseriæ suæ sensu pro omnibus æque laborantibus supplicare.

V. 7. CONVERTENTUR, &c. *Revertantur*, Hier. percussores quos mihi Saul summiserat, tamquam canes amissa præda. FAMEM PATIENTUR, *latrent*, Hier. CIRCUIBUNT CIVITATEM, ut me deprehendant.

V. 8. LOQUENTUR, petent: interrogabunt quoscumque occurrentes: QUIS AUDIVIT? ubi lateat David. ET GLADIUS IN LABIIS EORUM. Hæc voce sanguinaria ab omnibus quærent.

V. 9. AD NIHILUM DEDUCES, *subsannabis*, Hier. OMNES GENTES. Videtur Saul Davidi Gentiles submisisse satellites, qualis forte Doeg Idumæus & lingua, & manu promptus, atque ad cædem instructus: de quo vide in Psal. LI.

V. 10. FORTITUDINEM MEAM AD TE CUSTODIAM. In te mea est fortitudo non ad me, sed ad te: quia in exercendis virtutibus, tibi laudes refero semper, non meis viribus: Comm. Hier.

V. 12. OSTENDIT MIHI SUPER INIMICOS. *Ostendet mihi insidiatores meos*: Hier. id est, ostendet mihi iudicium suum occultum de ipsis: quod tale est ut sequitur: nempe NE OCCIDAS EOS: duret eorum supplicium, NEQUANDO OBLIVISCANTUR POPULI MEI: pluraliter in recto: ut popularibus meis documento sint, & exemplo: prophetice: Christiani divinæ ultionis oblivisci non possunt; dum Iudæi excidio suo superstites, & ubique vagari, pœnam suam, & pariter in testimonium eloquia divina circumferunt. August. & alii passim. DISPERGE ILLOS, vagos, qualis Cain.

V. 13. DELICTUM ORIS EORUM: *In peccato oris sui*, &c. Hier. supple, *disperge illos*. Dispergantur propter peccata oris sui; propter insanas illas & impias adversum me vociferationes: quod & Iudæis, & inimicis Davidis congruit. ET DE EXECRATIONE ET MENDACIO: his sceleribus convicti: ANNUNTIABUNTUR: omnibus innotescent: at Hier. *maledictionem & mendacium narrantes*; quasi diceret: Nihil nisi maledicta & mendacia in ore habent.

V. 14. IN CONSUMMATIONE, &c. *Consume in furore, consume*, &c. Hier.

V. 15. CONVERTENTUR, &c. *Revertantur .... latrent*, ut supra VII. Repetitur autem ille versus ad inculcandum inimicorum furorem, ac Dei liberatoris beneficium.

V. 16. DISPERGENTUR: *vagabuntur ad manducandum*: Hier. prædæ avidi discurrent undique.

V. 17. EXULTABO: prædicabo cum gaudio. MANE: recte, cum noctu fugerit: I. Reg. XIX. 12.

V. 18. DEUS MEUS MISERICORDIA MEA: *Deus misericordiæ meæ*: Hebr. vel Deus misericors meus: qui totus bonitas, totus misericordia est.

PSALMUS LIX. EUCHARISTICUS.

Ultus antiquos Israelitarum hostes Syros, a quibus olim oppressi fuerant sub Iudicibus: certam sibi ac singulis tribubus victoriam pollicetur.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro liliis testimonium humilis, & simplicis David ad docendum: quando pugnavit adversus Syriam Mesopotamiæ, & adversus Syriam Soba: & reversus est Ioab, & percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.

DEus proiecisti nos, scidisti nos: iratus es, convertisti nos.

Commovisti terram & diripuisti eam: sana contritiones eius, quoniam mota est.

Ostendisti populo tuo duritiem: potasti nos vino consopiente.

Dedisti metuentibus te signum, ut fugerent a facie arcus. Semper.

Ut liberentur amici tui; salva dextera tua, & exaudi me.

Deus locutus est in sanctuario suo: lætabor, dividam Sicimam, & vallem Soccoth dimetiar

Meus est Galaad, & meus est Manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda legifer meus.

Moab olla lavacri mei: super Idumæam incedam calceamento meo: mihi Palæstina fœderata est.

Quis deducet me ad civitatem munitam? quis deducet me usque ad Idumæam?

VERSIO VULGATA.

1. In finem,
Pro his qui immutabuntur, in tituli
inscriptionem ipsi David in doctrinam, 2. cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. (II. *Reg.* VIII. 1. & X. 7. & I. *Par.* XVIII. 1.

3. DEus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis.
4. Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.
5. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.
6. Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus:
Ut liberentur dilecti tui: 7. salvum fac dextera tua, & exaudi me.
8. Deus locutus est in sancto suo: Lætabor & partibor Sichimam: & convallem tabernaculorum metibor.
9. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.
Iuda rex meus: 10. Moab olla spei meæ.
In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.
11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Non-

Nônne tu Deus qui proiecisti nos, & non egredieris Deus in exercitibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: vana est enim salus ab homine.

In Deo faciemus virtutem, & ipse conculcabit tribulantes nos.

12. Nonne tu Deũs, qui repulisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione: † quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

BRUGENSIS

Lectionum Varietas.

Vers. 13. *Quia vana salus hominis*, Loco *quia* alii legunt *&*, Hebræo, & Græco conformiter: illud huius expositio est.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR. Hebr. על שישן ועידוד Nomen instrumenti musici. Monimentum Davidis ad docendum; quasi dicat, Ad perpetuam rei memoriam.

V. 2. CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM, &c. Hebr. *Cum bellum gereret adversus Mesopotamiam Syriæ, & adversus Syriam Sobah: & reversus Iacob percussit Edom.*

V. 3. ET DESTRUXISTI NOS. Heb. *Dispersisti nos: iratus es, convertere ad nos.*

V. 5. COMPUNCTIONIS. Hebr. *tremoris*; id est, quod nobis mentem de sede movet, & omne consilium eripit.

V. 6. DEDISTI METUENTIBUS, &c. Hebr. מפני קשט, *propter veritatem*: quod vix sensum habet: quare multo melius Sept. legerunt קשת, *arcus*. ET LIBERENTUR DILECTI TUI. Hebr. *ut liberentur.*

V. 8. DEUS LOCUTUS EST; id est, quandoquidem Deus locutus est per sanctitatem suam; id est, iuramento mihi promisit. LAETABOR ET PARTIBOR, Hebr. *Exultabo, & dividam*, id est possidebo.

V. 9. FORTITUDO CAPITIS MEI, id est defensio: erat enim Ephraim omnium tribuum fortissima. IUDA REX MEUS. Hebr. *legislator meus*, qui ex tribu Iuda Regem esse oportebat.

V. 10. MOAB OLLA SPEI MEAE. Hebr. LOTIONIS MEAE; id est, lavabit mihi pedes. IN IDUMEAM, Hebr. *In Idumæam proiiciam calceamentum meum*; id est, Idumæam possidebo. MIHI ALIENIGENAE SUBDITI SUNT. Hebr. *Super me Philistæa exulta.*

V. 14. AD NIHILUM DEDUCET. Hebr. *conculcabit.*

SA.

Imploratio divinæ misericordiæ.

Vers. 1. IMMUTABUNTUR, scilicet vitæ novitate. IN DOCTRINAM. Hieron & Chald. *ad docendum.*

V. 2. SOBAL. Hieron. *Syriam Soba*. CONVERTIT, scilicet se. Hieron. & Chald. *reversus est.*

V. 3. REPULISTI. Chald. *dereliquisti.*

V. 4. COMMOTA, scilicet calamitatibus.

V. 5. OSTENDISTI, id est fecisti experiri. VINO. Chald. *calice*. COMPUNCTIONIS, id est pungente, seu cruciante. Hieron. *consopiente*. Chald. *maledictionis.*

V. 6. SIGNIFICATIONEM. Hieron. *signum* ARCUS, scilicet hostilis.

V. 7. DEXTERA TUA, id est potentia tua. Hieron. *dexteram tuam.*

V. 8. SANCTO. Hieron *sanctuario*. PARTIBOR, scilicet velut possessionem propriam. SICHIMAM, &c. scilicet loca quæ possidebat Isboset contra David. *Sichem* quidem erat in Samaria; *Tabernacula* vero, seu *Succoth* in tribu Gad. METIBOR, pro metiar.

V. 9. CAPITIS, id est principatus; vel quasi dicat: Qui meum caput, id est viam, tueatur. REX; quasi dicat: Regno in Iuda. Hieron. *legifer*: scilicet Regis est ferre leges.

V. 10. OLLA SPEI MEAE; quasi dicat: Spero mihi subiectum iri, ut olla in qua pedes lavantur, aut carnes coquuntur. Hieron. & Chald. *olla lavacri mei*. CALCEAMENTUM; quasi dicat: Mihi subiiciam. ALIENIGENAE, scilicet Palæstini, seu Philisthæi.

V. 11. CIVITATEM, pro civitates, scilicet Idumæorum.

V. 12. ET NON, pro nonne. VIRTUTIBUS. Hieron. & Chald. *exercitibus*.

V. DE. Hieron. *in*. QUIA. Græc. *&* pro quia. HOMINIS. Hieron. *ab homine*.

V. 14. IN DEO, id est Dei ope. VIRTUTEM, id est fortia.

ESTII.

Vers. 6. POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS, videlicet aceto. Nam acetum ex vino est, & acore suo pungit sensum gustus. Alii aliter. Vide Genebrardum. Versio Vatabli habet, *vinum lætale*.

V. 10. MOAB OLLA SPEI MEAE. Hebr. *Moab olla lotionis meæ*; quasi dicat: Erit velut olla, seu pelvis in qua manus lavare soleo: erit mihi instar vilis mancipii. Vide an non matula significetur per ollam lotionis: consule Genebrardum.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR. Hebr. *Præfecto super Susan Heduth*: nomen instrumenti. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. *Michtam*, nomen cantilenæ.

V. 2. CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM SYRIAE, ET SOBAL. Hebr. *cum litigavit* seu *pugnavit cum Aram fluviorum* (id est Mesopotamia) *& cum Aram Soba* (id est Syria.) ET CONVERTIT IOAB. Hebr. *& reversus est Ioab*. ET PERCUSSIT IDUMAEAM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA. De hac re II. Reg. VIII. Populus implorat Dei opem iturus contra Idumæos.

V. 3. DEUS REPULISTI NOS olim. ET MISERTUS ES NOBIS. Hebr. *revertebaris ad nos*, scilicet mutato decreto factus propitius.

V. 4. TERRAM nostram, scilicet iratus turbasti modo. SANA CONTRITIONES EIUS, id est afflictiones. Fac quod ante facere solebas. Post iram misericordia succedat. QUIA COMMOTA EST. Hebr. *quia mutat*: proxima est periculo, & ruinæ.

V. 5. POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS. Hebr. *perturbationis*; id est, valde turbati sumus. Alii, *vino stuporis*: Sic Paulus Rom. XI. 8. vocat *spiritum compunctionis*, id est stuporis.

V. 6. SIGNIFICATIONEM. Hebr. *vexillum*, scilicet sustulisti. UT FUGIANT A FACIE ARCUS, scilicet hostilis: sic Hieron. Hebr. *ut eleventur*, seu *triumphent*, *propter veritatem*, scilicet eorum quæ illis promisisti. In voce Hebr. discrimen est. *Keset* cum Teth, est *veritas*, cum Tau, *arcus*. Hic est cum Teth. UT LIBERENTUR DILECTI TUI. Iunge hoc cum sequentibus propter *Sela*, quod Hebr. præcedit. Ergo sensus est: *Salvum fac*, scilicet populum, *dextera*, id est potentia.

V. 7. ET EXAUDI ME precantem, ut liberentur dilecti tui. Constructio inversa.

V. 8. DEUS LOCUTUS EST. Ex promisso urget. IN SANCTO SUO, in tabernaculo. ET PARTIBOR SICHIMAM. Ego lætus ut dominus dividam inter meos Sichimam. Hæc erat in Samaria. ET CONVALLEM TABERNACULORUM, ubi scilicet Arabes, & Nomades, habitant in tabernaculis. METIBOR, scilicet ut dividam inter meos. Populus loquitur, aut ipse David.

V. 9. MEUS EST GALAAD, &c. Hæc omnia iam possideo. ET EPHRAIM FORTITUDO CAPITIS MEI; id est, principatus mei ibi ero, vel sum Rex. Psal. CVII. 9. *Ephraim susceptio capitis mei*. Verum in Psalt. Rom. & Gotth. tum Hebr. ibi etiam pro *susceptione* legitur *fortitudo*, ut hic. IUDA REX MEUS, pro e Iuda. Hebr. *dux meus*, aut *legislator*; sed id pro Rege sumitur. Alii, *Iuda Rex meus*, pro regnum meum.

V. 10. MOAB OLLA SPEI MEAE. Hebr. *lotionis meæ*. Hieron. *olla lavacri mei*; id est, eam subiiciam, & ea utar ad vilissima ministeria. IN IDUMAEAM EXTENDAM;

DAM; id eſt, calcabo Edom quaſi mihi ſubiectam. ALIENIGENAE. Hebr. *Palæſtini*. SUBDITI SUNT. Hebr. *Palæſtina iubila mihi*, ſcilicet pro tot victoriis a me partis. Præcipit illi, quia iam ſubditam eam habebat. Id Sept. reſpexere, cum dicere: *Subditi ſunt*. Hieronymus: *Mihi Palæſtina fœderata eſt*. Variæ interpretationis occaſio vox התרועע *bitbrobabo*, varia ſignificans pro radice unde deducetur. Hi verſus repetuntur Pſalm. CVII. ubi pro *alienigenæ ſubditi ſunt*, in Vulgata eſt, *Alienigenæ amici facti ſunt*; in Hebr. *Cum Philiſtin iubilabo*; Græc. *Mihi alienigenæ ſubditi ſunt*.

V. 11. QUIS DEDUCET ME. Vota hæc ſunt & feſtinatio. IN CIVITATEM MUNITAM? id eſt caput, ſcilicet Idumææ.

V. 12. NONNE TU DEUS QUI REPULISTI NOS, ante. ET NON EGREDIERIS DEUS, pro egrediebaris, ſcilicet ante. IN VIRTUTIBUS NOSTRIS, id eſt Hebr. *in exercitibus noſtris*, nobis non aderas. Ergo da nobis auxilium.

V. 13. QUIA VANA. Hebr. *& vana*, Sic Gotth. & Roman. Pſalt. ſed *&* pro *quia*. SALUS HOMINIS, id eſt ab hominibus data, aut expectata, vana eſt, ideo tu opem fer.

V. 14. IN DEO, id eſt Dei ope. FACIEMUS VIRTUTEM, id eſt vincemus.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR. Hebr. *ſuper* שושן עדות *ſchuſan gheduth*. Vario exponunt. I. *Super lilium*, vel *roſam*, aut *florem teſtimonii*. Putant fuiſſe nomen alicuius inſtrumenti muſici, ſculptura aliqua lilii, vel roſæ inſigniti; ut ſolent apud nos etiam muſica iſtrumenta eiuſmodi ſculptis floribus ornari, ad cuius ſonum hic Pſalmus decantaretur. Alii volunt fuiſſe initium vulgaris cantionis, ad cuius tonos Pſalmus caneretur. Nec deſunt qui velint indicari hic fornicem aliquem triumphalem, & inſigne monumentum victoriarum Davidis, cum reverteretur capta Syria, cuius utcumque fit mentito II. Samuel. VIII. 13. II. *Super lilium ornatus*, ſeu *ornamenti*. Notant, vocem *Gheduth* hic capi pro certo ac ſingulari ornatus genere, quo Reges decorabantur, quodque erat inſigne regiæ maieſtatis, ſic dictum quaſi *teſtimonium*, quod Regibus adhiberetur in teſtimonium, & ſignum regiæ maieſtatis, & quod eos Reges eſſe teſtabatur, quale erat fortaſſe ſceptrum, veſtis aliqua inſignis, vel eius generis quidpiam aliud: ſic ea vox ſumitur II. Reg. XI. 12. & II. Paralipom. XXIII. 11. unde hic *lilium*, vel *roſam teſtimonii*, vel *ornatur*, intelligi volunt ſceptrum, vel aliquod inſigne regiæ dignitatis, de quo hunc Pſalmum compoſuerit David. Alii: *Super lilium teſtimonii*, id eſt legis, quæ ſæpe ita vocatur, ut Pſal. XVIII. 8. & alibi paſſim. III. *Pro liliis pulchritudinis*. IV. *In hexachordis teſtimonii*; id eſt, in inſtrumentis ſex cordarum, ſacerdotum proxime arcam teſtimonii in templo Dei ſubſiſtentium. Nam ipſa Arca *Teſtimonium* dicitur Exodi XVI. 34. De Hexachordis vide ſupra Pſal. XL. 1. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Hebr. מכתם *michtham*. Vide in Pſalm. XV. 1. AD DOCENDUM. Quia in hoc, inquiunt, multa docentur quæ ad ſalutem animarum pertinent. Hiſpanicus Interpres: *Pſalmo doctrinal precioſiſimo*: ut in titulis aliorum Pſalmorum dicitur משכיל *maſcil*, id eſt *eruditivum*.

V. 2. CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM SYRIAE. Varie ex Hebr. reddunt. I. *In rixando ipſum*, vel *cum rixaretur ipſe*, *contenderet*, *pugnaret*, *bellum gereret*, *contra Syriam fluviorum*, ſeu *cum Meſopotamis*. II. *Cum deſolaret*, *depopularetur*, *devaſtaret*, *ipſe Meſopotamiam*. Ex verbo: *Cum involaret ipſe in Meſopotamiam*, id eſt irrueret, obrueret: interim *exurendi*, & *ſuccendendi* ſignificatio recte retineri poteſt, ut letem. IV. Exſtat hæc hiſtoria, occaſio conſcribendi hunc Pſalmum II. Samuel. VIII. 13. ET SOBAL. Hebr. *Et Syriam Tzobah*: de qua vide Notas in I. Samuel. XIV. 47. Habes hanc hiſtoriam II. Samuel. VIII. 3. & I. Paralip. XVIII. 3. ET CONVERTIT IOAB. Hebr. *Et reverſus fuit Ioab*: exponunt, a cæde Syrorum, II. Samuel. VIII. 13. nam licet ibi id tribuatur David; at conſtat id bellum geſtum auſpiciis quidem Davidis primum, ſed imperatoribus Ioabo, & Abilaio fratre eius: vide Notas in eum locum. Alii reverſum Ioabum volunt, quando ſecundo rebellantibus Idumæis aſcendit Ioab ad eos perdomandos, & ſepeliendos præſidiarios

Iu-

Iudæos qui ab illis interfecti fuerunt, I. Reg. XI. 15. ET PERCUSSIT IDUMAEAM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA. At in ea valle octodecim millia percussa leguntur a Davide, II. Samuel. VIII. 13. vel ab Abisaio, I. Paralipom. XVIII. 12. Quod ad auctorem cædis spectat, facile conciliatur: nam bellum, ut paulo antea dicebamus, primum gestum est auspiciis Davidis, sed ducibus Ioabo, & Abisaio, & ita omnibus tribuitur cædes. Quod vero ad discrepantiam numeri interfectorum attinet, quidam diversas cædes statuunt in eodem loco: primam factam ab Abisaio octodecim millium, I. Paralip. XVIII. 12. alteram quando post aliquot annos rebellantibus Idumæis, reversus eo Ioab, I. Reg. XI. 15. duodecim millia eorum concidit, ut hic dicitur. Vide Caietanum hic. Alii ita conciliant: *Et reversus Ioab percussisset Idumæos in valle Salis duodecies mille*: nimirum postquam Abisai frater Ioabi prima acie adducta percussisset Edomæorum sex millia; quam victoriam in Ioab persecutus, duodecim millia occidit, qui hic numerantur. Ex his enim numeris collectis assurgit numerus octodecim millium, qui illis locis I. Samuel. & I. Paralipom. recensetur. Ita quidem Munsterus, Clarius, Tremellius, & Iunius, & eos secutus Agellius. Sed si hi non interfuerunt prælio, oportet eos laute divinare. Quanto satius fuisset in re tam obscura ignorantiam fateri. Ridicule Lyranus ait, in minori numero hic expresso, non negari maiorem illum, cum uterque versus fuerit. Minus absurdum fuerit ariolari, hic interfectos dumtaxat, ibi percussos seu profligatos: seu universe occisos simul & vulneratos, recensitos.

V. 3. REPULISTI NOS. Quidam: *Repuleras, reieceras, deserueras, elongaveras nos*: exponunt, id est defensionem nostri, exponens nos voluntati inimicorum. Vide totum librum Iudicum, & primum Samuelis. Vide vim verbi supra Psalm. XLII. 2. Quidam: *Auxilio tuo destitueras nos*. Sic vers. 12. ET DESTRUXISTI NOS. Alii: *Ruperas, discerpseras, dissipaveras, disieceras nos*. ET MISERTUS ES NOBIS. Heb. *Reverteris nobis*. Varie reddunt. I. *Proinde revertere ad nos*: seu, *Tandem ira deposita reverte ad nos*. II. *Ac redbibeas rursum te nobis placatum*. III. *Restitue te nobis defensorem, qui subduxisti te*. IV. *Aversaris nos*.

V. 4. COMMOVISTI TERRAM. Aliqui: *Commoveras terram*; id est, populum tuum externis bellis exagitaveras. Plerique ad terræ motum referunt. CONTURBASTI EAM. Verbum פצם *patzam* non alibi uspiam legitur: diversimode illud reddunt: *Scidisti, dirupisti, diffregisti, discidisti, in parva & multa frusta dispersisti eam*. Alii: *Aperuisti, hiare fecisti, eam*. Plerique: *Diffregeras eam*; id est, seditionibus & civilibus discordiis divisum inter se populum *vexaveras*; ut docet historia II. Samuel. a I. cap. ad IV. Buchananus:

> *Omnis ager rimis te concutiente dehiscit.*

SANA CONTRITIONES EIUS, QUIA COMMOTA EST. Plurifariam reddunt. I. *Medere confractiones eius, quoniam lapsa est*. II. *Sana rupturas eius, quia mota est* III. *Sana fracturas eius, quia nutat*. IV. *Refice rupturas eius, nam vacillat*. V. *Refice nunc tandem fissuras illius, vacillat enim*. VI. *Cura fragmenta eius, nam vacillat*; id est, nutat, & mox ruitura videtur ante acceptarum calamitatum nomine. Buchananus:

> *Committe rimas, refice quassatum solum.*

V. 5. OSTENDISTI POPULO TUO DURA. Hebr. *Videre fecisti populum tuum, intricatum*, seu *difficultatem*. Alii. I. *Fecisti experiri populum tuum dura*. II. *Feceras ut sentiret populus tuus rem duram*. *Videre* pro *sentire*, synecdoche. III. *Exhibuisti populo tuo spectacula durissima*. POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS. Varie ex Hebr. I. *Potasti nos vino veneni*, seu *venenato; intoxicato, letali, mortifero*. II. *Vino anxietatis*, seu *mæstitiæ*, vel *perturbationis, vino anxifico*. III. *Propinasti nobis vinum soporis*, seu *soporiferum, consopiens*. IV. *Potasti nos vino tremoris*, quale est ebriosorum, qui ex vino tremunt. V. *vino pavoris pleno*. VI. *vino, non quod bibentes exhilaret, sed mæstissimos faciat*. VII. *vino temulentiæ*, seu *ebrietatis*. VIII. *vino claudente & operiente cor*. IX. *Dederas bibendum nobis*, tamquam *vinum, horrorem*; id est, tremore nos inebriaveras. יין *iaiin* non est in regimine: quidam subaudiunt regimen: *Potare fecisti nos vinum, vinum* inquam *tremoris*; vel *vinum*, seu *tamquam vinum, loco vini, tremorem*.

V. 7.

V. 6. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Multifariam Hebræa vertuntur. I. *Dedisti metuentibus te signum, ad insignitos esse a faciebus veritatis*. II. *Dedisti metuentibus te vexillum, ut exaltentur a facie veritatis*. III. *At dedisti metuentibus te signum, vexillum, ad elevandum*, vel *ad sustollendum* ipsum, seu *quod erigant*, vel *signum ad triumphandum*, seu *ut triumpharent, propter veritatem*; id est, ut ostendas promissiones liberationis tuæ esse veras. IV. *Dedisti metuentibus te signum, ut extollantur propter firmamentum*, quod eis præstitisti. V. *Dedisti metuentibus te vexillum, ad agitandum se, propter securitatem* tuorum, id est ad agitandum vexillum, quod expansum vento fugatur, id est agitatur. VI. *Sed da, quæso, timentibus te signum, ut se se erigant sub adventum æqui, & recti*. VII. *Dabis his qui reverentur te, vexillum, ut erigant illud contra hostes suos, & viso eo in fugam convertantur: hoc enim factarum te pollicitus es*. VIII. *At sustulisti rursus timentibus te signum, trophæum, ut triumpharent; idque propter veritatem*, & constantiam tuarum promissionum. IX. *Dedisti metuentibus te signum ad effugiendum*; id est, signum fugæ, seu effugii tuis das, quia præstas quæ eis promisisti. X. *Dedisti timentibus te vexillum, ad vexillandum*, seu *quo utantur*; id est, populum tuum, quem antea afflixeras, cum luce promissionum tuarum, tum etiam opere, victoria hac recente contra Syros, & Idumæos edicta, ducendum recepisti, quasi præeunte vexillo tuo (sic a re præsente occasionem sumens, expostulationem terminat, ut ad petitionem porro benefaciendi commodius transeatur:) *propter veritatem*, id est promissionum tuarum constantiam, & fidem. XI. imperative: *Da cultoribus tuis vexillum, quod erigant, propter veritatem*. Optat dari militibus suis in bello animum; quasi dicat: Da iis qui te colunt, ut strenue militent cum hostibus sub vexillo explicato. *Propter veritatem*; id est, ut constet veritas ac fides tuarum promissionum; vel ad propugnandam veritatem, id est integritatem, iustitiam, æquitatem, seu omne fas & bonum. קשט *koscht* notant Chaldæam potius, aut Siriacam vocem esse, id est *firmitas, firmitudo, confirmatio, certitudo, fidei veritas, integritas, rectitudo, perfectio*. LXX. proculdubio legerunt קשת *keschetb*, Tet pro Thau, id est *arcus*. Apponitur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Potentissime*; 4. O quam constans & firma est veritas & fides promissionum Dei.

V. 7. Ut liberentur dilecti tui, &c. Hinc usque ad finem Psalmi omnia, fuut eadem cum Psalmo CVII. a 7. ad finem Psalmi.

V. 8. Deus locutus est in sancto suo. Heb. *In sanctitate sua*. Nonnulli, *In sanctuario, in sacrario suo*. Alii, *per sanctitatem suam*, id est per Spiritum sanctum suum: vel, Iuravit, promisit per sanctitatem suam, hæc se facturum: nonnulli, scilicet ut daret mihi hæc loca, in quibus Abner regnare fecerat Isbosethum filium Saulis, II. Samuel. II. 8. & 9. & etiam alia. Laetabor. Quidam: *Unde quare, exsultabo*, vel *quod lætabor*; id est, triumphaturus sum de hostibus meis in populo meo: quamobrem primum populum suum recenset gloriose, hoc versu, & sequente; deinde victoriam sibi pollicetur. Partibor Sichimam. Quidam in præsenti: *Partior Sechem*; id est, in partem obtineo Sechemum. Sic Psal. CVII. 8. Erat civitas cis Iordanem, de qua vide Notas in Genes. XII. 6. & XXXIII. 18. Et convallem tabernaculorum, sive *Suchoth*. Erat trans Iordanem; de qua vide in Genes. XXXIII. 17.

V. Fortitudo capitis mei. Quidam exponunt: Id est, hæ duæ tribus, Ephraim, & Manasse, sunt robur principatus ac regni mei: vel, Potentia & firmamentum regni mei est utraque hæc tribus ex Iosepho orta. Attingit enim metaphoram a cornutis animantibus, qua usus est Moseh benedicens Menaseh, & Ephraimo, Deuteronom. XXXIII. 17. Iuda Rex meus. Hebr. *Statuarius, constitutor, condens statuta, dictator, legislator meus*, id est ius administrationis, & auctoritatem obtinens in populo Dei, prout perfectissime completum est in Christo, quem olim adumbrabant typi: sic & verbo ipso alludit ad prophetiam Genes. XLIX. 10. Quidam exponunt: *Regio Iebudæ est regnum meum*. Alii: *Iuda a consiliis & dux meus*.

V. 10. Moab olla spei meae. Heb.

Moab

Moab olla lotionis meæ. Varie accipiunt. I. *Moab subiecta erit mihi ceu lebes* in quo lavo pedes: vel Moabitæ mihi serviliter subdi ti erunt. II. *Moab pollubrum meum*; id est, adeo despectus & abiectus est mihi, ut eum libere diffringam quasi testam: &, si quos voluero servare, ad sordidissima ministeria cogam. Vide II. Samuel. VIII. 2. IN IDUMAEAM EXTENDAM CALCEAMENTUM MEUM. Heb. *Super Idumæam proiiciam calceamentum meum*. Exponunt: Id est, immitam pedem meum, eam calcabo tamquam mihi subiectam. Alii: *Audaciter conculcabo*. Buchananus:

Oppida sub pedibus Syriæ calcabo superbe Moabum, Idumen.

Quidam explicant: Id est, possidebo Idumæam: quod calceus symbolum possessionis esset. Vide Ruth IV. 7. & Deuteronom. XXV. 9. Sed ea exempla huc non faciunt. MIHI ALIENIGENAE SUBDITI SUNT. Non uno modo Hebræa accipiuntur. I. *Super me Philisthæa clange*. II. *Mibi Philisthæa fœderata est*: nimirum ex verbi רעע *raghagh* significatione. III. *Super me Philisthæa iubila*. IV. *Ad me Philisthæa veni cum plausu*. V. *Mibi Palestina cum plausu acclama*. VI. *Philistæa, si sapis, ambi amicitiam meam*. VII. *Ad me Palestbina triumpha*. VIII. *Contra me Palestbina clangentem age*. Apostrophe ironica, qua exprobrat David antiquam Phelisthæorum insolentiam, qui contra Israelitas inde a temporibus Samsonis ferociverant. Vide Iudic. XVI. & I. Samuel. IV. & XXVIII. sic etiam Isaiæ XIV. 29. Hic locus infra Psal. CVII. 10. aliter effertur: vide ibi.

V. II. MUNITAM. Verbum יבל *iabal* proprie est: *Quis deducet me cum pompa, iubilo, comitatu*, &c. *Civitatem munitam* quidam accipiunt *Rabbath Hammonitarum*, II. Samuel. XII. 26. & I. Paralip. XX. 1. QUIS DEDUCET ME USQUE IN IDUMAEAM? Verbum נחה *nachah* proprie est: *Quis deduxit me placide, sensim perduxit?* Plerique hoc, & superius membrum optantis esse volunt: O si quis deduceret me, &c. Alii: *Quis deducet me?* nimirum alius præter Deum, qui promisit, & solus est omnipotens ad hæc præstanda? Sic accipiendum esse demonstrat versus sequens.

V. 12. NONNE TU DEUS, QUI REPULISTI NOS? Vide similem versum Psal. XLIII. 10. Quidam hic reddunt: *Annon tu Deus reieceras nos, ut non procederes, Deus, inter exercitus nostros?* Alii: *Nonne tu Deus, qui auxilio tuo longo nos tempore destitueras? nonne tu Deus nunc egredieris in prælium nobiscum, & dux eris exercituum nostrorum?*

V. 13. QUIA VANA SALUS HOMINIS. Aliqui: *Aliquin vanitas est auxiliatio humana*. Sic accipitur *Salus* II. Samuel. X. 8. & 18.

V. 14. IN DEO FACIEMUS VIRTUTEM. Nonnulli reddunt: *In Deo faciemus militiam, copias, exercitum*; id est, favente Deo pugnabimus, & egregia facinora edemus. Quidam: *Auxilio Dei designabimus fortia*. Alii: *Sed Dei virtute recte geremus rem*; id est, rempublicam fortiter ac feliciter administrabimus. Aliqui: *In Deo faciamus strenue*. Conclusio hortatoria ad exercitum, quasi iam conclamatis armis in procinctu esset ad conferendum manum cum hoste, ut loquitur Ioab I. Paralipom. XIX. 13.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR. Vide dicta ad titulum Psal. XLIV. IN TITULI INSCRIPTIONEM. Vide dicta initio Psal. XV. IN DOCTRINAM; sive ad docendos posteros quæ a se recte gesta essent; sive, quod cantori præcipuo datus sit Psalmus, qui ceteros inferiores doceret; sive, sublimiori sensu, ad docendum quid Ecclesiæ Christi esset eventurum, quod ad illius incrementum attinet.

V. 2. CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM, &c. Historia refertur II. Reg. VIII. 10. Non legitur quidem in libris Regum quod David succenderit Mesopotamiam, & Sobal, sed tantum quod ceperit. Ceterum non omnia scripta sunt in libris Regum, neque pugnat hic titulus cum ea historia, cum utrumque fieri potuerit. DUODECIM MILLIA. Lib. I. Paralip. cap. XVIII. dicuntur cæsi Idumæi ab Abisai fratre Ioab ad decem & octo millia: sed non est necesse ut de eadem cæde intelligamus titulum huius Psalmi, & locum Paralipomenon. Potest enim fieri ut & Ioab interfecerit duodecim millia, & Abisai alio tempore decem & octo millia.

V. 3.

V. 3. Repulisti nos, quasi paterna tua cura, & protectione indignos. Destruxisti nos, permittens nos vexari, opprimi, & destrui a Philisthæis, Idumæis, Moabitis, &c. Iratus es, ob peccata patrum nostrorum, & nostra. Et misertus es nobis: tamen postea nobis pœnitentibus placatus, misericorditer nobiscum egisti, & a periculis, & malis liberasti.

V. 4. Commovisti terram: populum nostrum gravi terrore, & magnis ærumnis concussisti. Sumpta est metaphora a terræ motu, nam in Hebr. est: *Fecisti tremere terram*. Conturbasti eam. In Hebr. *scidisti eam*; quod pertinet ad continuationem allegoriæ terræmotus, quo concussa tellus dehiscere solet. Contritiones eius, fracturas eius, quas scilicet terræ motus induxit: medere malis populi tui, quæ nobis præteritæ ærumnæ attulerunt.

V. 5. Ostendisti populo tuo dura: populum tuum gravia damna experiri voluisti. Vino compunctionis; id est, occasione huius flagelli fecisti ut rediremus ad cor, & biberemus calicem amarum, sed salutarem compunctionis. In Hebræo est vox תרגלה *thargelah*, quam aliqui *soporis* interpretantur. Itaque secundum hos sensus esset: Potasti nos vino soporifero stuporem inducente, id est malis adeo gravibus, ut stupidi, & attoniti redderemur.

V. 6. Dedisti metuentibus te significationem, &c. O Domine, qui dedisti olim signum cultoribus tuis, ut se servarent a malis imminentibus, sibique fuga consulerent; nunc idem præsta, & me salvum fac. Vel sensus est: Malis quibus populum tuum attrivisti, significationem dedisti metuentibus te, ut sibi consulant, & a peccatis caveant, ne eadem damna incurrant. Arcus. Allegoria arcus, & sagittarum, pœnas divinitus mortalibus immissas intelligit. Ut liberentur dilecti tui, &c. quasi dicat: Ut ergo liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua me Regem populi tui, & exaudi me pro universo populo deprecantem.

V. 8. Deus locutus est in sancto suo. Vel sensus est: Locutus est in me, quem sibi in Prophetam sanctificavit; quasi dicat: Iam divinum in me sentio responsum, victoriam promittens de inimicis. Vel *in sancto suo* idem est quod in suo sanctuario, in suo oraculo, in domo sanctuarii, in qua ex propitiatorio responsa dabat Dominus. Laetabor, victoriam adeptus. Partibor Sichimam. Samariam intelligit, in qua fuit Sichima, sive Sichem. Eam dividam; numerabo urbes, oppida, pagos, constituam in eis iudices, & magistratus. Convallem tabernaculorum metibor. Idem faciam in regione proxima, quæ Convallis tabernaculorum dicitur. Convallis tabernaculorum, sive Sochot, quod *tabernacula* significat, fuit in tribu Gad ultra Iordanem. Vide Gen. XXXIII. 18. Fortasse etiam nomine Convallis tabernaculorum intelligit Arabes, qui in tabernaculis habitabant, per deserta loca cum suis gregibus errantes.

V. 9. Meus est Galaad. Pergit David enumerare præcipuas regni sui partes. Galaad, & Manasses regni portiones erant, sitæ trans Iordanem. Ephraim. Alia regni pars cis Iordanem. Fortitudo capitis mei. Sic appellatur tribus Ephraim, quod strenuis abundaret militibus; quasi diceret: In quibus consistit præcipuum robur, & defensio capitis mei, seu vitæ, & regni mei. Iuda. Enumeratis decem tribubus sub nomine Ephraim, & Manasse, nunc etiam Iudæ meminit, cum qua tribu etiam Beniamin intelligitur. Sensus est: Mea est tribus Iuda, & tribus Beniamin. Rex meus, id est tribus Iuda, quæ principatum gerit in populo meo, vel ex qua prodierunt Principes patres mei, & prodibunt Reges filii mei.

V. 10. Moab olla spei meae. Aliqui ex Hebræo vertunt: *Lebes lotionis meæ*: sic Aquila: & hac metaphora significari dicunt, subigendos esse Moabitas, adeo ut vilissima ministeria adigantur. Huic expositioni consentit Syrorum versio, quæ dicitur habuisse λεχάνης καταπατήσεώς μου, *pelvis conculcationis meæ*. Alii volunt vocari ollam spei, quod regio esset uber, & abundans; quasi dicat: Provincia Moab mihi iam subiecta est instar ollæ plenæ carnibus, in cuius abundantia, & ubertate sperare possum. In Idumaeam, &c. Idumæa erat regio quam possidebant qui ab Esau fratre Iacob ortum ducebant. Extendam calceamentum.

TUM. Porro sequar prosequi victoriam de Idumæis obtentam, & vestigia ponere in regione, & solo prius ab illis possesso. MIHI ALIENIGENAE SUBDITI SUNT. Nomine alienigenarum Philisthæos intelligit, qui nullam cum Israelitis affinitatem habebant. Idumæi enim, Ammonitæ, & Moabitæ quamvis non essent filii Iacob, tamen erant affinitate aliqua illi coniuncti: nam Idumæi descendebant ab Esau fratre Iacob, Ammonitæ, & Moabitæ a Loth, nepote Abraham. Sensus ergo est: Pergam occupare Idumæam, nam iam mihi parent Philisthæi.

V. 11. QUIS DEDUCET ME IN CIVITATEM MUNITAM? Quo duce, quo auxiliante ingredi potero victor in Regiam Idumææ, quæ est civitas valdæ munita?

V. 12. QUI REPULISTI NOS: qui favore, & auxilio tuo longo nos tempore destitutos esse voluisti. ET NON EGREDIERIS, &c. *Non egredieris*, futurum pro præsenti: non comitatis nos, & exercitus nostros ad bellum prodeuntes. Bellarminus putat sensum esse: Qui non egrediebis confisus in virtutibus nostris, hoc est nostris exercitibus, sed in tua sola potentia.

V. 13. SALUS HOMINIS: quæ ab hominibus expectari potest. IN DEO, Dei auxilio. FACIEMUS VIRTUTEM: fortiter faciemus, hostes vincemus. AD NIHILUM DEDUCET, &c. perdet inimicos nostros, qui vexant nos.

TIRINI.

Verf. 1. PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR. Vide Psal. XLIV.

V. 2. SOBAL. In Hebræo, & Chaldæo est *Soba*: estque pars Syriæ, ut aiunt Septuag. & Iosephus, & constat ex II. Reg. VIII. *Et convertit se Ioab e Syria in Idumeam*, ad hanc quoque expugnandam.

V. 3. REPULISTI NOS. Hieronymus, *proiecisti*; Chaldæus, *dereliquisti*, nempe olim cum Philistæi, & aliæ gentes dominarentur Israeli.

V. 4. COMMOVISTI TERRAM, *Iudæam*, ut vertit Chaldæus, nempe incursione, & vastatione hostili.

V. 5. OSTENDISTI; id est, experiri nos fecisti. POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS, id est intime pungente, & viscera cruciante. Hebræum יין תרעלה *iaiaz tharelah* vertit Rabbi Salomon, *vino stuporis*; Hieronym. *consopiente*; Symmachus, *conturbationis*; Chaldæus, *calice maledictionis*; Rabbi David, *veneni mortiferi*; Aquila, *torporis*; proprie Rabbi Abraham, *tremoris*: quia רעל *rahal*, *tremore* significat; quasi dicat: Vehementi afflictione & dolore, quasi potenti ac venenato vino, ita nos potasti, ut eo roti tremuli, & stupefacti, nesciremus quid agere, vel quo nos vertere deberemus. Ira Theodoretus.

V. 6. & 7. SIGNIFICATIONEM; Hieronymus *signum*, Chaldæus *vexillum*; quasi dicat: Semper hactenus populum tuum certo signo tempestive præmonuisti, & velut erecto vexillo simul opportune iuvisti, UT FUGIANT A FACIE ARCUS; id est, ut manus hostiles effugerent. Simili modo iam quoque SALVUM FAC eumdem populum tuum eadem potenti DEXTERA TUA.

V. 8. DEUS IN SANCTO, id est *sanctuario*, ut Hieronymus, & Chaldæus vertunt, seu e propitiatorio, LOCUTUS EST olim, id est promisit mihi, quod LAETABOR, cum velut Rex PARTIBOR, id est tamquam propriam hereditatem dimetiar, & distribuam subditis meis terras illas quas occupavit Isboseth filius Saul, scilicet *Sichimam*, seu terram Samariæ, in qua erat Sichem: IN VALLEM TABERNACULORUM, Hebraice סכות *succoth*, quod retinet Hieronymus, utpote nomen proprium loci in quo Iacob olim sua tabernacula fixerat Genes. XXXIII. 17. in tribu Gad.

V. 9. MEUS EST MANASSES; id est, mihi data est regio quæ cessit mediæ tribui Manasse, totaque Galaaditis trans Iordanem. EPHRAIM, id est reliqua regio cis Iordanem attributa tribui Ephraim, est FORTITUDO CAPITIS MEI, Symmachus, *imperii mei*, id est firmamentum & robur regni mei, cui facile fidam protectionem capitis mei, nam tribus Ephraim abundabat strenuis militibus. IUDA REX MEUS. Hieronymus, *legifer*; id est, ex tribu Iuda Rex deinceps perpetuo desumendus, qui leges dictet ceteris.

V. 10. MOAB, id est regio Moabitica, est OLLA SPEI MEAE, id est quam spero mihi subiectum & pedibus substratum iri, quasi *ollam lavacri* (ut vertit Aquila, Hieronymus, & Chaldæus) id est ollam in qua pedes abluere possim; quasi dicat:

dicat: Moabitæ mihi in omnibus, etiam abiectiſſimis rebus, inſervient tamquam vilia mancipia: ut contigit II. Reg. VIII. Ita Theodoretus. IN IDUMEAM quoque EXTENDAM CALCEAMENTUM MEUM, in ſignum aditæ poſſeſſionis, & devictæ terræ illius, quam calceis, & pedibus meis calcabo, quaſi mihi ſubiectam, ut explicat Chaldæus.

V. 11. QUIS DEDUCET ME IN CIVITATEM MUNITAM? id eſt civitates munitas Idumæorum; quaſi dicat: Quis ergo iam me compotem faciet promiſſorum mihi a te factorum, niſi tu ipſe qui promiſiſti?

V. 12. NON EGREDIERIS? &c. Vide Pſal. XLIII. 10.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, PRO HIS QUI &c. De hiſtoria quæ hoc titulo attingitur, lege II. Reg. VIII. & X. item I. Paralip. XVIII. En fere argumentum Pſalmi, in quo David poſt perſecutiones, & mala, de quibus verſ. 3. canit victorias: quod etiam applicandum eſt Eccleſiæ, quæ poſt perſecutores creſcere cœpit. Quid ſit, *De his qui immutabuntur*, vide titulum Pſalm. XLIV. Græce ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων. IN DOCTRINAM. Hieron. *ad docendum*, ſeu εἰς σύνεσιν, ut ſupra Pſalm. XXXI. Quod eſt hic de ſucceſſione, non eſt expreſſa voce in citatis Libris Regum; ſed intelligendum eſt, magnam vaſtationem vix contingere ſine ſuccenſione: ac demum libri illi non negant vaſtationem. Senſum Pſalmi de Chriſto dat etiam Paraphraſis.

Verſ. 3. DEUS REPULISTI NOS, &c. Incipit a præteritis malis: quæ autem commemorat hic, poſſunt ſpectare ad res male geſtas ſub Iudicibus, ſub Saule, & ad certamen etiam Davidis cum domo Saulis. Fateor tamen valde eſſe probabile, quod de argumento huius Pſalmi erudite notavit noſter Salianus, ad annum Davidis XV. pertinere hunc pſalmum ad ſpem novæ victoriæ per Ioab contra Idumæos, poſt extinctos ab Idumæis præſidiarios Davidis milites.

V. 8. DEUS LOCUTUS EST IN SANCTO SUO, &c. Iam narrat orationem ſuam eſſe exauditam, & late partis victoriis dilatatum eſſe ſuum imperium. Ut *Deus locutus eſt in ſancto ſuo*, ſcilicet verbo Prophetæ, aut in ipſomet David uncto Rege. In Hebr. eſt nunc בקדשו *bekodſo*, *in ſanctitate ſua*. Tamen Septuaginta (ut conſtat ex eorum verſione) legerunt בקדשו *bekedoſo*, *in ſancto ſuo*. Solus Hieronymus in verſione legit cum Rabinis, *in ſanctuario*, tamen in commentariis legit *in ſancto ſuo*, hoc eſt in Chriſto. At in quo dialatatum eſt imperium? Certe PARTIBOR, inquit, SICHIMAM; hoc eſt, dominabor Samariæ. Vide Geneſ. XXXIII. & XLVIII. item Ioſue XXIV. ubi Sichem ſtuprator Dinæ nomen urbi facit: ibidem ſepultus Ioſeph, poſtea dicta Samaria. Lege Adricomium. Porro *convallem tabernaculorum* intellige vallem Socoth. Videtur vallis illuſtris, Geneſ. XII. 6. & cap. XXXIII. *Socoth*, *tabernacula*, non abeſt multum locus a Sichimis: his locis fuit initium poſſeſſionis Iacob. Recte ergo hinc incipit David dilatationem imperii, & mox enumerat alia loca verſ. 9. quæ ſane erant in tribu Ioſeph, omnium maxima; & per Manaſſem, & Ephraim comprehendit hic decem tribus, ex quibus poſtea factum eſt regnum Iſrael.

V. 9. IUDA REX MEUS. Iam recenſet regnum Iuda; poſtea Moab, & Idumæam, provincias hoſtiles debellatas. Senſus ergo eſt: *Iuda Rex meus*: tribus hæc regia, mea eſt. Sic Gen. XLIX. *Non auferetur ſceptrum de Iuda*. Recte ergo Rex meus eſt. At quid? MOAB OLLA SPEI MEAE? De his omnibus abunde dixi ad libros Regum. De Moab vide II. Reg. VIII. Habent Sept. Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου. Hebr. *Moab olla lotionis meæ*: radix רחץ eſt *lavare*. Quando ergo Septuaginta viri doctiſſimi verterunt ἐλπίδος, *ſpei*; debent aut aliud legiſſe quam quod nunc eſt in Hebræo; aut per vocem רחצי *rachtſi* intellexiſſe non tantum lotionem, ſed ſpem etiam: immo Chald. vox רחיץ *rechits*, Pagnino eſt *confidere*, ſignificans fiduciam, & ſpem, ut a Genebrardo, Richardo Cenomano, & aliis recentioribus obſervatum eſt. Dicitur vero *Moab olla ſpei*, quia uſurus David erat Moabitis, ut vaſe abiecto, & ſervili ad alendam ſpem amplioris regni; ſive ex tributo Moabitico; ſive ex ſubiectione hac, proſtratis

ſic hoſtibus, ubi fuerit tota Idumæa devicta : ut contigit poſtea II. Reg. cap. VIII. Quam ſpem coligo etiam ex verſ. 10. *In Idumeam extendam*; & verſ. 11.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 3. D*Eus repuliſti*, &c. David dicturus de ſuis victoriis, & felici rerum ſucceſſu, orditur a præteritis afflictionibus. Notæ ſunt afflictiones ex Lib. Iudic. & Reg. 1. Sed magna etiam rerum viciſſitudine Deus populum exercuit ad pietatem, & patientiam. Hæc etiam ad Chriſtum, & Eccleſiam referri poſſunt.

V. 4. uſq. 8. *Commoviſti*, &c. Recenſet afflictiones, commotiones populi duras, nec tamen ſine ſignificatione facta electis, ut fugiant malos, ſintque ab eis in die iudicii ſeparati. Ergo ut liberentur dilecti tui, adſis populo, & fave.

V. 8. & ſeq. *Deus locutus eſt*, &c. Venitur nunc ad datum a Deo auxilium, & victorias. *Deus*, inquit, *locutus eſt in ſancto ſuo*, Davidi, vel Chriſto (pro vario ſenſu.) Ex hac autem promiſſione, ſeu locutione de victoriis, David victorias recenſet ſuas (quas alio ſenſu refer ad Chriſtum victorem.) *Partibor*, & dominabor, inquit, ubi eſt Sichimam, ſeu Samaria, & ubi eſt Convallis tabernaculorum, de qua Geneſ. XXXIII. eo in loco Iacob fixit tabernaculum. Commemoratis aliis quibuſdam tribubus venitur ad tribum Iuda. Victi etiam Moabitæ : & erit mihi velut olla carnibus plena. Hæc prima eſt hoſtilis provincia. Hoc eſt, vel ut ſerviat ad vilia officia; vel, quod probabilius eſt, in ſubſidium regni mei, per tributa quæ pendet. De his Davidis victoriis lege Lib. II. Reg. VIII. Accedit devicta Idumæa ex eodem cap. VIII. Hæc autem munita civitas, de qua hic verſ. 11. erat regia Idumææ. Reſpondet hoc futurum ope Dei, qui licet aliquoties repulerit populum ſuum, nunc tamen aderit, & non in virtute noſtra, ſed ſua propria: hinc erit victoria.

BOSSUET.

Verſ. 3. ET MISERTUS ES NOBIS: *revertere ad nos*: Heb.

V. 4. COMMOVISTI TERRAM, Iudæam; tunc cum a Syris ſub Iudicibus vexata eſt.

V. 5. VINO COMPUNCTIONIS: *conſopiente*, Hier. id eſt lethali: alii, *horroris*.

V. 6. DEDISTI ... SIGNIFICATIONEM: UT FUGIANT, &c. More præclari ac providi ducis ſignificaſti tuis quando hoſtes imminerent: at Heb. *Dediſti ſignum, vexilium, verbum tuum: ut ſe extollant propter veritatem*; hoc eſt, ut promiſſis tuis, tua veritate nitantur.

V. 7. SALVUM FAC, &c. Hæc, & ſequentia vide repetita Pſal. CVII. 7.

V. 8. LAETABOR ET PARTIBOR SICHIMAM, urbem Amorrhæorum. CONVALLEM TABERNACULORUM, *vallem Soccoth*, Hier. Senſus eſt: Lætabor, potitus victoria: Sichimamque, & Soccoth regiones Philiſtinorum dimetiar, ut in plebem meam partiar.

V. 9. MEUS EST GALAAD, &c. Commemorat tribus Iſraelis quibus hoſtium agros, urbeſque diſpertivit. EPHRAIM FORTITUDO CAPITIS, firmamentum regni. IUDA REX MEUS, *legislator*, Hier. Mehoceci: ut Gen. XLIX. 10. Tribus Iuda regnum obtinebit ſub Davide, & poſteris.

V. 10. MOAB OLLA SPEI MEAE, *lavacri mei*, Hier. pelvis ad lavandos pedes. Subiiciam illum pedibus: Iſrael elegi, & ſprevi Moab, Idumæos, Philiſtæos, de quibus poſtea. IN IDUMAEAM EXTENDAM CALCEAMENTUM, *incedam*, Hier. proculcabo eam. ALIENIGENAE, Philiſtæi: & ita ſemper.

V. 11. & 12. QUIS DEDUCET ME USQUE IN IDUMAEAM? NONNE TU DEUS? quo duce David Idumæa potitus eſt II. Reg. VIII. 14.

V. 12. QUI REPULISTI: proieceras nos, & non egrediebaris, &c. qui tempore Saulis videbaris nos deſerere, nec præeſſe velle iam noſtris exercitibus; cum oracula, & ſolitum auxilium denegares, nunc victores præſtas.

V. 14. FACIEMUS VIRTUTEM: fortiter rem geremus.

PSAL-

PSALMUS LX. EUCARISTICUS.

Dei bonitatem expertus, certa iam spe eam implorat.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
Victori in Psalmis David.	In finem, 1. In hymnis David.
EXaudi Deus laudationem meam: intende orationi meæ.	2. EXaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.
De novissimo terræ ad te clamabo, cum triste fuerit cor meum: cum fortis elevabitur adversum me, tu eris ductor meus.	3. A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.
Fuisti spes mea: turris munitissima a facie inimici.	Deduxisti me, 4. quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.
Habitabo in tabernaculo tuo iugiter: sperabo in protectione alarum tuarum. Semper.	5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.
Tu enim Deus exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.	6. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.
Dies super dies Regis adiicies: annos eius donec est generatio & generatio.	7. Dies super dies Regis adiicies: annos eius usque in diem generationis.
Sedebit semper ante faciem Dei, misericordia & veritas servabunt eum.	8. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam & veritatem eius quis requiret?
Sic canam nomini tuo iugiter: reddens vota mea per singulos dies.	9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

COMMENTARIA MALDONATI.

Vers. 1. IN FINEM, &c. Hebr. *Victori in* בנגינות: ut Psalm. IV. 1.

V. 2. DEPRECATIONEM MEAM Hebr. *clamorem meum.*

V. 3. AD TE CLAMAVI. Hebr. *Clamabo, & exaudies me cum angetur cor meum, & in petram altiorem me deduces me*, id est in editiorem & tutiorem locum, quam in quo sum, aut in quem per me ascendere non queo.

V. 4. QUIA FACTUS ES SPES MEA: Hebr. *Quia tu es*: aut, *Tu enim eris spes mea*, &c.

V. 6. QUONIAM TU DEUS MEUS EXAUDISTI ORATIONEM MEAM. Hebr. *vota mea.*

V. 8. ET VERITATEM EIUS QUIS REQUIRET? Hebr. מן *præpara*; subaudi אשר, *quæ.*

quæ custodiant illum. Sept. legerunt מי, *quis requiret eius*.

S A.

Oratio afflicti, & liberati.

Verf. 1. IN HYMNIS; quasi dicat, Canticum. Hieron. *Super organum*.

V. 3. A FINIBUS, &c. quasi dicat, longe a templo remotus. PETRA-; quasi dicat, loco tuto.

V. 4. FACTUS ES. Hieron. *Fuisti*. FORTITUDINIS. Hieror. *munitissima*. A FACIE, id est coram.

V. 5. TABERNACULO, scilicet cælo.

V. 6. DEDISTI. Chald. *Dedisti in sæculo venturo*.

V. 7. REGIS. Chald. *Regis Christi*. DIEM, id est tempus. GENERATIONIS ET GENERATIONIS. Chald. *sicut generationes mundi huius, & venturi*.

V. 8. PERMANET. Hieron. & Chald. *sedebit*. REQUIRET, scilicet ut par est; vel quasi dicat: Quis possit investigare, seu comprehendere?

V. 9. PSALMUM DICAM. Hieron. *canam*. IN SAECULUM SAECULI. Hieron. *iugiter*. Chald. *in æternum*. DE DIE IN DIEM. Hieron. *per singulos dies*.

E S T I I .

ad Psalmum LX. nulla annotatio.

M A R I A N AE.

Verf. 1. IN FINEM, IN HYMNIS DAVID. Hebr. *Præfecto super musica instrumenta* (Psalmus) *Davidis*. Orat restitutionem ab exilio, seu liberationem a malis. Poteslque Psalmus de Christo intelligi, & de Davide, qui eius est typus. Infra vers. 7. & 8.

V. 3. A FINIBUS TERRAE, id est ab extremis terræ ubi exulo. IN PETRA, id est arce. EXALTASTI ME, id est collocasti me, ne quem timeam. Hebr. *In petram* (quæ) *altior me est*, *deduxisti me*. Ita initium versus sequentis ad hunc adiungunt Septuag. aliter multo habuerunt Hebraica. DEDUXISTI ME in eam petram.

V. 4. TURRIS FORTITUDINIS, id est fortissima. A FACIE INIMICI, id est contra inimicum. Tu es mihi instar turris fortissimæ.

V. 5. IN TABERNACULO TUO: scilicet in templo ab exilio restitutus habitabo. IN SAECULA, semper, dum vixero. PROTEGAR IN VELAMENTO. Hebr. *sperabo in abscondito alarum tuarum*. Metaphora a gallina.

V. 6. EXAUDISTI ORATIONEM MEAM: Hebr. *vota mea*, id est desideria. DEDISTI HEREDITATEM, unde sum pulsus. TIMENTIBUS: mihi, qui timeo nomen tuum.

V. 7. DIES SUPER DIES REGIS ADIICIES; id est, mihi dabis vitam longævam. De se loquitur in tertia persona. De Messia Chald. & Rabbini intelligunt, præsertim cum addat: ANNOS EIUS USQUE IN DIEM GENERATIONIS ET GENERATIONIS, quod perpetuitatem significat, id est per omnes generationes. Hebr. *annos eius & generatio & generatio*; id est, facies ut vita sit longæva. Sic quidam explicant.

V. 8. PERMANET IN AETERNUM. Hebr, *in sæculum*, scilicet Rex ille Christus. MISERICORDIAM ET VERITATEM EIUS QUIS REQUIRET? scilicet nemo; id est, dabit omnibus. Hebr. *Misericordia & veritas* (præpara) *custodiunt eum*. Sept. pro מן *man*, legerunt מי *mi*. Sensus est: *Misericordia & veritas* (adverte) *custodiunt eum*: illum eo celsitudinis perduxere, Christum scilicet aut Regem.

V. 9. SIC PSALMUM DICAM, id est propter has causas. UT REDDAM VOTA MEA; id est, laudibus iungam munera quæ promisi. Hebr. *ad reddendum vota mea*. DE DIE IN DIEM, id est diebus omnibus, semper reddam vota. Geminatio affert universitatem.

M A L V E N D AE.

Verf. 1. IN HYMNIS. Hebr. *Super* בנגינת *neghinoth*. Vide in Psal. IV. 1. DAVID. Exponunt, id est Ode, vel Psalmus David. Videtur, inquiunt, huius odes occasionem dedisse Davidis fuga a conspiratione Absalomi, II. Samuel. XV. & Alii volunt scriptum de Davide exsultante metu Saulis.

V. 3.

V. 3. A FINIBUS TERRAE AD TE CLAMAVI. Quidam: *Ab extremitate terræ te inclamo*; id est, ab extremo terræ sanctæ: nam traiecto Iardene, fugerat Machanaiima ad fines Israelis, II. Samuel. XVII. 24. DUM ANXIARETUR COR MEUM. Diversimode ex Hebr. convertunt: 1. *collabente corde meo*: 2. *cum triste fuerit cor meum*: 3. *cum defecerit cor meum*: 4. *dum in mærore est cor meum*: 5. *dum cor meum fere examinatum est*: 6. *quando obruitur cor meum*: 7. *cum obruitur animus meus*. Notant verbum עטף *ghataph*, quando de corde, de anima, vel de spiritu, aut vita hominis dicitur, tum significare, illa occultari, operiri, & obrui, ut cessent, deficiant, nec amplius conspiciantur; ut fit in ingentibus animi & spiritus perturbationibus, & angustiis, & in hypothymiis, ubi deficiunt, & deliquium patiuntur. Hispanice eleganter hanc phrasin repræsentamus, *quando se me cubriere el corazon*. Hispanicus Interpres, *quando desmayare mi coraçon*, id est patietur deliquium. IN PETRA EXALTASTI ME. Heb. *In petra exaltabitur præ me, deduces me*, id est in petram quæ exaltabitur præ me. Varie alii. I. *In petra, quæ elevabitur super me, duces me*. II. *In petra altiore me eris ductor meus*. III. *Ad petram quæ celsior est me*, id est quam ego conscendere nequirem, *deduces me*. IV. *In petram editiorem, quam ego conscendere queam, collocas me*, vel *subduc me*. V. *Ut veluti in rupem, ad quam viribus meis pertingere non potero, perducas me*. VI. *In rupem quæ sit editior me, deducito me*; id est, evehito me in tutum, unde inimicos possim despicere.

V. 4. QUIA FACTUS ES SPES MEA. Heb. *Quia fuisti protectio, receptio, receptus, asylum, mihi*. Notant esse ætiologiam petitionis ab antecedente experientia.

V. 5. PROTEGAR IN VELAMENTO ALARUM TUARUM. Ex Heb. alii. I. *Sperabo in abscondito alarum tuarum*. II. *Tutus ero*, vel *agam, sub umbra*, seu *in latibulo alarum tuarum*. III. *Securus sim tegumento alarum tuarum*. IV. *Recipiam me in occultum alarum tuarum*. Vide in Ruth II. 12. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Maxime*; 4. O quam tutum est latere sub alis Dei!

V. 6. QUONIAM TU DEUS MEUS EXAUDISTI ORATIONEM MEAM, &c. Sensum huius versus quidam ita concipiunt quasi dicat: Hæc duo pignora de regno Christi iam nobis data sunt, nimirum exauditio precum, & hereditas: quamobrem perge benefacere in Christo, &c. vers. 7. & 8, ut sit petitio publica pro Christo, & regno ipsius a Davide adumbrato.

V. 7. DIES SUPER DIES REGIS ADJICIES. Quidam: *Dies diebus Regis superaddito*; id est, largire vitam æternam, & benedictionum æternitatem per Christum, regnumque eius in sempiternum continua; ut sequens versus explicat. Alii volunt, Davidem typum Christi pro se hic orare, ut Deus sibi longam ac felicem vitam, regnumque sempiternum præstet: quod plene in Christo exhibitum est. ANNOS EIUS USQUE IN DIEM GENERATIONES ET GENERATIONIS. Heb. *Anni eius sicut generationis & generationis*: vel *anni eius erunt ut ætas, & ætas*; id est, quantum homo natura vivere solet, ipse vivet. Quidam: *Anni eius sint ut multarum generationum*. Alii: *Annos eius in multa sæcula produces*. Nonnulli: *Ut anni eius per singulas generationes durent*. Aliqui: *Quare anni vitæ illius erunt, non quales esse solent reliquorum hominum, sed generationum infinitarum*. Buchananus:

Nectes peractis sæcula sæculis.

Hæc potius Christo quam Davidi competunt, citra hyperbolem: regnumque Davidis in Christo eius filio est æternum; sit exponitur versu sequente.

V. 8. PERMANET IN AETERNUM IN CONSPECTU DEI. Heb. *Sedebit, præsidebit in æternum ad facies Dei*, tamquam Rex. Vaticinium de æternitate regni Christi, seu regni Davidis in Cristo. Alii optative: *Sedeat, maneat, coram Deo in sæculum*; id est, dignetur eum Deus suo aspectu semper, & illi faveat, non avertat faciem suam ab eo, in æternum. MISERICORDIAM ET VERITATEM EIUS QUIS REQUIRET? Diversimode ex Heb. transfundunt. I. *Gratia & veritas Man*; seu *Doni, custodient eum. Doni*, id est Spiritus sancti, nam *donum* est proprium nomen eius: vide S. Thomam I. Par. quæst. XXXVIII. art. 1. & 2. ut sit illud Ioann. I. 17. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Possit esse vaticinium sacræ Eucharistiæ, ut sit allusio ad *Man*, cælestem cibum,

cibum, Exod. XVI. 15. & 31. *Beneficentia, & fides Mannæ*, id est divini corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, *asservabunt eum*; id est, continebunt Christum in Eucharistia. In quo mysterio beneficentia Dei, & fides in ipsum potissimum habent locum. Hæc magis pie quam solide commentati sumus. II. *Misericordia & veritas præparationis*, seu *præparatæ*, *servabunt eum*. III. *Misericordiam & veritatem destina, quæ conservent eum*. IV. *Benignitatem & veritatem para, præpara, quæ conservent eum*. V. *Benignitatem & stabilitatem para illi, ut ea servent illum*. VI. *Benignitatem & fidem præpara, quæ custodiant eum*; hoc est, effice ut regnum illius sit iustissimum, & his duabus rebus instructissimum, quæ pertinent ad officium Regis, Proverb. XX. 28. מן *man* quidam hic nomen esse volunt, *donum*, *destinatum*, *manus*: alii imperativum defectivum, id est *numera*, *destina*, *distribue*, *sequestra*, *constitue*, *dispone*, *decerne*, *deputa*, *para*, *præpara*.

MENOCHII.

Vers. 1. IN HYMNIS DAVID. Vide dicta ad titulum Psal. IV.

V. 2. INTENDE. Hebr. *Ausculta*.

V. 3. A FINIBUS TERRAE, ab extremis terris, in quibus exul vitam inopem, vagam, & miseram dego. DUM ANXIARETUR COR MEUM. Hebr. *In deficiendo cor meum*: cum adeo cor meum esset anxium, ut prope deficeret. IN PETRA EXALTASTI ME: in sublimi, & tuto loco me constituisti. DEDUXISTI ME, in petram, in locum tutum, & munitum.

V. 4. FACTUS ES SPES MEA: te enim elegi in quem sperarem. TURRIS FORTITUDINIS, &c. turris fortis contra inimicos.

V. 5. INHABITABO, &c. commorabor, restitutus ab exilio, in tuo templo: manebo membrum Ecclesiæ tuæ in hac vita, & in alia transferar ad æterna tabernacula, ibi semper futurus. IN VELAMENTO ALARUM TUARUM, in protectione, & præsidio tuo. Similes affectus habes Psal. XXVI. 4.

V. 6. DEDISTI HEREDITATEM, terræ sanctæ, a qua eiectus sum; cælestis regni possessionem. DIES SUPER DIES REGIS ADIICIES, &c. Regem Christum immortalitate, & immortali imperio donabis.

V. 8. PERMANET IN AETERNUM, ad dexteram Patris sedens. QUIS REQUIRET? quis requiret, & scrutari poterit? quasi dicat: Quis plane observare, & considerare possit, quanta sit illius misericordia, & veritas, sive fides in promissis præstandis?

V. 9. SIC PSALMUM DICAM; quasi dicat: Itaque si mihi quæ precatus sum concesseris, Psalmis nomen tuum celebrabo. UT REDDAM, &c. ut per singulos dies reddam tibi quas novi gratiarum actiones.

TIRINI.

Vers. 3. A FINIBUS TERRAE, Israeliticæ; quasi dicat, Longe remotus a patria, a throno meo, a sanctuario tuo. IN PETRA EXALTASTI ME. Vide Psal. XXVI. 6.

V. 5. IN TABERNACULO TUO, id est in loco tabernaculi tui, id est in urbe Ierosolyma; allegorice in Ecclesia; anagogice in cælo.

V. 6. DEDISTI HEREDITATEM; id est, totam Chanaanitidem, a qua nunc exulo, dedisti mihi, meisque quasi hereditariam possessionem. Cælum quoque *in seculo venturo*, inquit Chaldæus, & Theodoretus.

V. 7. ANNOS Davidis USQUE IN DIEM GENERATIONIS; id est, facies ut David Rex in hac vita tum per se, tum per posteros suos vivat, & regnet in omnes generationes; in altera vero vita in æternum, ut ait Chaldæus. Sic

V. 8. PERMANET David Rex IN CONSPECTU DEI IN AETERNUM, id est in continuo favore ac benedictione Dei in hac vita, & postea in clara eiusdem visione in altera vita. Sed hæc longe aptius allegorice quadrant in Christum, ut Hilarius, & Hieronymus exponunt. MISERICORDIAM ET VERITATEM EIUS, scilicet Dei, QUIS REQUIRET, seu implorabit, supple frustra, ita ut non obtineat? quasi dicat, Nemo: quia semper præsto sunt egenti, & petenti. Hieronymus, & Chaldæus, *servabunt eum*, nempe Regem.

V. 9. DE DIE IN DIEM, id est singulis diebus, seu perpetuo.

GOR-

GORDONI.

Titulus: In finem in hymnis Davidis: notus est Psal. iv. Argumentum esse de Christo, notant Hieronymus, Augustinus, & Hilarius; sed Theodoretus vult esse orationem populi ad Deum in captivitate Babylonica. Negandum quidem non est, quin conveniat Christo secundum sensum mysticum. Tamen ad litteram videtur David loqui de seipso exule, vel persecutionem patiente sub Saule. Convenit etiam Ecclesiæ hic Psalmus.

Vers. 3. A Finibus terrae, &c. Exilium designat, & fugam. Heb. מקצה הארץ *miktseb baarets*; קצה, *finis*. Sept. ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς. At in Hebræo perturbata est illa oratio; hoc modo: *In petram exaltabitur a me*: sic enim habetur בצור ירום *betsur iarum*, *in petram exaltabitur*, ממני *minmeni*, *a me*, ubi non apparet sensus. Quare non videntur Septuag. legisse *iarum minmeni*, sed ירוממני *ieromemenni*, *exaltabit me* (quod futurum acceperunt Septuag. pro præterito, ut patitur Hebraismus) sicut vides Psal. xxvi. 5. ubi est ירוממני *ieromemenni*, *exaltabit me*. Vel denique legerunt LXX. תרום *tharum*, *exaltabis*, & vertunt *exaltasti*, & pro ממני ponunt *me*; non tam ad verbum, quam ad sensum.

V. 5. Inhabitabo in tabernaculo, &c. Posuit vers. 4. spem in Deo; hac spe fretus, non dubitat, quin sit habitaturus in tabernaculo Dei, & protectione. Hinc habes sensum tum litteralem de reditu, tum mysticum de Christo, vel anagogicum de cælo.

V. 8. Permanet in aeternum, &c. Dat Deus, ex vers. *6.* hereditatem, regnum in Iudam: &, quod nunc ait, *permanebit*, nec deficiet, donec veniat qui venturus est. Clarus etiam est sensus, tum de Christo, tum de beatitudine sanctorum. Ergo beatitudinem eius quis requiret? nempe quæ tot modis, & abundanter præsto est mortalibus. In Hebræo est: *Misericordiam & veritatem præpara, custodient eum*. כן *man*, *præpara*; ינצרהו *iintserebu*, *servabunt eum*. At certe Septuag. pro *man* legerunt מי *mi*, *quis*? Et quamvis נצר significet servare, significat etiam observare, scrutari, requirere; & bene vertunt LXX. *quis requiret?* qui vim vocis sciebant. Sed quorsum pronomen הו? Septuag. recte retrahunt, ac vertunt, ut habet textus noster, & legunt in singulari מי ינצרנו *mi iintserenu*, *quis requiret*? cum נו paragogico affixo, quamvis masculino.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 2. *usq. ad* 6. Exaudi, &c. David in finibus Iudææ, & ultra fines eius exul sub Saule, petit auxilium, sperans multum, & memorans concessum antea præsidium, quando expositus periculis, erat Dei beneficio positus velut in petra tutissima: quam etiam tutelam explicat tum per turrim fortissimam, tum per velamentum alarum.

V. 6. & 7. Sperat exaudiri, & cur speret, dat rationem, quia sæpe exauditus est; quia promisit Deus non deesse invocantibus eum; demum quia promisit hereditatem: fiet ergo ut eam tueatur suo auxilio. Hereditas hæc vel est terra promissionis olim populo Dei promissa, vel regnum in prima unctione Davidis, I. Reg. xvi. vel (quod textui magis convenit) æterna in cælo hereditas. Qui enim hanc promisit timentibus eum, dabit in hac vita progressum de die in diem: dabit, inquam, Ecclesiæ suæ per Christum.

V. 8. *Permanet*, &c. Dubium videri potest, quid illud sit, quod permanebit *in æternum*? Certe vel hereditas illa promissa, ut designans cælestem, æternam, & in quam per Christum erat transitura: vel est ipsum regnum David, quod in Davide quidem non est æternum, sed transiens in Messiam: & regnum Christi permanet in æternum, ut mox dicam. Hæc vero cum ita sint, quis requiret misericordiam Dei, cum adeo abundet?

BOSSUET.

Vers. 3. A Finibus terrae ... clamavi: a tam longinquo spatio; ab extremo angulo terræ sanctæ; procul a tabernaculo tuo; & tamen me audiebas: nam cum omnino deficerem,

IN PETRA EXALTASTI ME; qua &in altum erigerer, & firmo pede consisterem.

℣. 6. DEDISTI HEREDITATEM: regnum, & domum quam Deus Davidi stabilivit II. Reg. VII. 7.

℣. 7. DIES SUPER DIES REGIS, Davidis ac posterorum eius quibus regnum concessisti in longissima tempora; immo in æternum, cum Christo venturo dederis regnum David patris eius, & ipse in æternum in Iacob regnaturus sit: Luc. I. 32.

℣. 8. PERMANET IN AETERNUM, ipse, & regnum eius, cuius non erit finis: Luc. ibid. MISERICORDIAM... EIUS, &c. Planus Vulgatæ sensus sive ad Deum, sive ad Davidem referas: nemo in Deo, nemo in Davide requiret misericordiam & iustitiam. At Hier. *Misericordia & veritas servabunt eum*, Davidem: quod videtur sublimius.

℣. 9. DE DIE IN DIEM? quotidie.

PSALMUS LXI. CONSOLATORIUS.

Tempore Absalomi, ut videtur, desertus ac deceptus ab omnibus, seque, & populum divini auxili spe sustentat. De titulo vide in Psalm. XXXVIII.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro Idithun canticum David.

ATtamen apud Deum silebit anima mea: ex eo salus mea.

Attamen ipse est scutum meum & salus mea: fortitudo mea non commovebor amplius.

Usquequo insidiamini contra virum, interficitis omnes, quasi murus inclinatus & maceria corruens.

Partem enim eius cogitaverunt expellere, placuerunt sibi in mendacio: ore suo singuli benedicunt, & corde suo maledicunt. Semper.

Verumtamen Deo retice anima mea: ab ipso enim præstolatio mea.

Sed ipse est fortitudo mea & salus mea: susceptor meus non timebo.

In Deo salutare meum & gloria mea: robur fortitudinis meæ & salus mea in Deo.

Sperate in eo omni tempore, po-

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. Pro Idithun, Psalmus David.

2. NOnne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

4 Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus, & salvator meus: adiutor meus non emigrabo.

8. In Deo salutare meum & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo omnis congregatio

puli

puli effundite coram eo cor vestrum: Deus spes nostra est. Semper.

Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri in stateris dolosis: fraudulenter agunt simul.

Nolite confidere in calumnia & in rapina; ne frustremini: divitiæ si affluxerint, ne apponatis cor.

Unum locutus est Deus, duo hæc audivi: quia imperium Dei est.

Et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opus suum.

puli, effundite coram illo corda vestra: * Deus adiutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: † ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum

11. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, † quia potestas Dei est, 13. & tibi Domine misericordia: * quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Deus adiutor noster in æternum*. Non omittas Postremum *in æternum*.

V. 13. *Quia tu reddes unicuique secundum opera sua*. Cave legas *tua* secundæ personæ pronomen, pro *sua* tertiæ.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 10. *Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*. Pronomen *ipsi* non esse iungendum cum verbo *decipiant*, Græca, & Hebræa ostendunt.

V. 13. *Quia potestas Dei est*. Antiqui Latini libri omittunt *est*, non minus quam Græci, & Hebræi.

NOTATIONES.

Vers. 5. *Cucurri in siti*, constanter scribunt Latini codices, unanimiter exponunt Latini tractatores. Hoc igitur modo Latinus Interpres reddidit. Est autem Græce ἔδραμον ἐν (G q. δίψῃ) δίψῃ id quod totidem verbis in carmen tanstulit Apollinaris. Id vero tam *cucurrerunt in siti*, quod textus consequentia exigere videtur, quam *cucurri in siti* verti potest (quod etiam Ambrosius annotavit) est enim aoristi secundi tertia pluralis par primæ singulari. Itaque Græci Enarratores Basilius, Theodoritus, atque Euthymius *cucurrerunt in siti* intelligunt, atque exponunt. Atque hoc modo intelligenda vertendaque Græca, Hebræa, ex quibus illa reddita sunt, docent: neque enim ambiguum est ירצו כזב. Id autem alii interpretantur: *Placuerunt sibi in mendacio* (quod Symmachi, Ambrosio teste, atque Hieronymi est) vel *diligunt*, seu *volunt mendacium*. Nam רצה plerumque *velle*, *placere* significat; aliquando *ambulare currere*. Aut fortasse legerunt LXXII. ירצו a themate רוץ, quod proprie denotat *currere*: כזב *veritatis defectum*, id est *mendacium* signat: LXX. vero *ad potus defectum*, id est sitim, transtulerunt, subaudita Beth præpositione *in*.

V. 9. *Deus adiutor noster in æternum*. Romana Psalteria omittunt τὸ *in æternum*, (Gallic. Aug. Gq. H. C.) *quia*, habent, *Deus adiutor noster* (Gallic. Aug. G. H.C.) *est*; Goticum, Lobiense, Tornacense, Stapulense (Goticum est manuscriptum, quod in Bibliorum margine notatum est) idque conformiter Psalterio veteri, quo Cassiodorus, Augustinus, Hilarius, & Arnobius usi sunt (quamquam Veteri ne, an Romano Psalterio Cassiodorus sit usus, multum ambigam) & consentanee Græcis codicibus, quibus fere non aliud legitur quam (Gq.) ὅτι ὁ θεὸς βοηθὸς ἡμῶν: (o. ὑμῶν.) Nostræ editionis Psalteria addunt quidem *in æternum* (quemadmodum est apud Ruffinum, ac mediæ, postremæque ætatis Latinos tractatores reperitur) sed obelo confodiunt, quæ notis huiusmodi signantur, Iacobo teste: nos id in uno Herbipolensis Episcopi Psalterio vidimus. Est autem obelus præfixus ex Hieronymi sententia, qui ad Suniam & Fretelam scripsit: In xxi.: "*Quia* „ *Deus adiutor noster in æternum*; pro quo „ in Græco sit ὁ θεὸς βοηθὸς ἡμῶν; idest,

„ *quia Deus adiutor noster*; ergo *in aeternum* „ obelus est, " Hæc Hieronymus. Videtur autem ex eo additum quod Hebraice sit *sela*. אלהים מחסה לנו סלה *Deus spes nostra, Sela*. *Sela* quidam interpretantur *in aeternum*; ex quibus Chaldæus Paraphrastes est (*Deus*, habet hoc loco, *spes nostra in aeternum*) Alii, quod idem unum est, reddunt *semper*, ex quibus sunt Aquila, & Hieronymus, ut significetur semp terna e'e quæ dicta sunt. LXX. διάψαλμα transferunt; unde Græca antigrapha Vaticanum, & Nebiense, & Latina exemplaria Brugense, Lobiense, Tornacense, Herbipoiense huic loco *Diaplasma* adiiciunt, quod & Hilarius, ac Cassiodorus agnoverunt. Græca Tornacensis manuscripti editio addit *is ton eona*, quod est *in aeternum*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IDITHUN insignis cantor. Vide Psalm. XXXVIII.

V. 2. NONNE DEO SUBIECTA ERIT ANIMA. Hebr. *Tantum in Deo silet anima mea*; id est, sola Deo secura requescit.

V. 3. NON MOVEBOR AMPLIUS. Hebr. *Non movebor multum*; id est, non titubabo.

V. 4. QUOUSQUE IRRUITIS IN HOMINEM? &c. Hebr. *Usquequo insidiamini homini?* id est proximo vestro. *Interibitis*, aut concidetis, *omnes vos, tamquam paries inclinatus, & maceries impulsa*.

V. 5. VERUMTAMEN PRETIUM MEUM COGITAVERUNT REPELLERE. Hebr. *Tamen ne exaltetur* (homo, id est ego) *consultant deturbare*.

V. 6. VERUMTAMEN DEO SUBIECTA ESTO ANIMA MEA. Hebr. *Deo sile*, id est in Deo confide.

V. 9. SPERATE IN EO OMNIS CONGREGATIO POPULI. Hebr. *omni tempore*. Sept. πᾶσα συναγωγὴ λαῶν.

V. 10. STATERIS. Hebr. *Si in bilances ascendant ipsae vanitates* (vaniores sunt.)

V. 11. NOLITE SPERARE IN INIQUITATE, &c. Hebr. *In calumnia ne vani efficiamini, cum substantia creverit, ne ponatis cor*.

V. 12. DUO HAEC AUDIVI. Hebr. *Bis*, (id est sæpe, aut non semel) *hoc audivi*.

S A.

De spe in Deum.

Vers. 1. PRO IDITHUN; quasi dicat, datus canendus ipsi Idithun.

V. 2. SUBIECTA ERIT. Hieron. *Silebit*. SALUTARE. Hieron. *salus*. Chald. *redemptio*.

V. 3. SALUTARIS, id est Salvator. Hieron. *salus*. Chald. *redemptio*. MOVEBOR, scilicet a statu quieto. Hieron. *commovebor*. AMPLIUS, id est multum.

V. 4. HOMINEM, id est me. INTERFICITIS, id est conamini interficere. PARIETI, scilicet irruitis. INCLINATO, scilicet ad ruinam. DEPULSAE, scilicet ad casum. Chald. *ruptae*. Hieron. *corruenti*.

V. 5. PRETIUM, id est honorem, seu dignitatem. REPELLERE, id est a me auferre. IN SITI, id est magno affectu, scilicet ad Deum confugiens.

V. 6. SUBIECTA ESTO. Hieron. & Chald. *Tace*. PATIENTIA. Hieron. *spes*.

V. 7. EMIGRABO. Hieron. *movebor*, scilicet loco, seu statu meo. Chald. *commovebor*.

V. 8. SALUTARE, id est salus.

V. 9. EFFUNDITE, id est exponite.

V. 10. IN STATERIS; quasi dicat: Si appendantur, apparebit non tanti esse quanti putantur. DE VANITATE, id est vane, Hieron. *fraudulenter*. IN IDIPSUM, id est simul; quasi dicat: Una omnes se ipsi varie decipiunt, dum se putant plus esse quam revera sint.

V. 11. APPONERE, id est affigere; quasi dicat, nimium amare.

V. 12. SEMEL. Hieron. *unum*. LOCUTUS, scilicet mihi per revelationem. DUO, scilicet esse potentem, & misericordem.

V. 13. MISERICORDIA, scilicet adest. REDDES, scilicet per potentiam, & misericordiam.

ESTII.

ESTII.

Verf. 5. VERUMTAMEN PRETIUM MEUM COGITAVERUNT REPELLERE, CUCURRI IN SITI: ORE SUO BENEDICEBANT, &c. Pro *pretium*, Græce eſt τιμήν, quod & pretium ſignificat, & honorem, ſed ex Hebræo magis apparet honorem ſignificari: vox enim Hebræa ſignificat *exaltationem*. Ceterum quod dicitur, *Cucurri in ſiti*, Græce eſt ἔδραμον, quod ambiguum eſt ad *cucurri*, & *cucurrerunt*. In Hebræo nulla eſt ambiguitas: habetur enim ibi verbum tertiæ perſonæ pluralis numeri. Ambroſius quoque Lib. V. de Fide, cap. VII. *Cucurrerunt in ſitim*. Hebr. eſt: *Dilexerunt mendacium*.

MARIANAE.

Verf. 1. IN FINEM, PRO IDITHUN, PSALMUS DAVID. Idithun erat peritiſſimus in arte canendi, cui hic Pſalmus decantandus committitur. Docet, debere nos a Deo pendere.

V. 2. NONNE DEO SUBIECTA ERIT? Hebr. *ſilebit anima mea*. Silent qui ſe Deo ſubiiciunt ſua ſorte contenti, ut infra verſ. 6. AB IPSO ENIM SALUTARE MEUM. Hebr. *ſalus mea*.

V. 3. DEUS MEUS. Hebr. *rupis mea*. ET SALUTARIS MEUS. Hebr. *ſalus mea*. SUSCEPTOR MEUS, id eſt adiutor. Hebr. *præſidium meum*. NON MOVEBOR, non nutabo. AMPLIUS. Hebr. *valde*, id eſt lapſu gravi.

V. 4. QUOUSQUE IRRUITIS? Hebr. *cogitatis mala*. IN HOMINEM, id eſt me, vel in homines, promiſcue. TAMQUAM PARIETI INCLINATO; pro, tamquam in pariete inclinato; id eſt, ac ſi murus eſſet deiectus, & omnia ad iniuriam, & cædem aperta, ſic irruitis.

V. 5. PRETIUM MEUM, dignitatem, honorem. Hebr. *Ab excellentia eius cogitaverunt expellere*. Sed facile Iod mutatur in Vau ſimilem litteram, id eſt *in eum*, *in eius*. CUCURRI IN SITI, per loca arida, ut eorum inſidias evaderem. Hebr. *voluerunt mendacium*. ORE SUO fraudulenter agebant, ut ſcilicet me deciperent.

V. 6. SUBIECTA ESTO. Hebr. *Sile anima mea*. PATIENTIA MEA. Hebr. *ſpes mea*.

V. 7. QUIA IPSE DEUS MEUS. Repetit verſum tertium, totidem verbis ferme. NON EMIGRABO. Hebr. *non movebor*, non nutabo.

V. 9. OMNIS CONGREGATIO. Hebr. *omni tempore*. EFFUNDITE CORAM ILLO CORDA VESTRA; id eſt, vota veſtra illi cum fiducia aperite. DEUS ADIUTOR NOSTER. Hebr. *tutela noſtra*. IN AETERNUM. Hebr. *Sela*; quæ vox elevationem vocis ſignificat, propter ſententiæ cui additur, nobilitatem. Sept. *in æternum* verterunt pro *ſela*.

V. 10. VANI FILII HOMINUM. Hebr. *Vanitas filii Adam*, id eſt plebeii. MENDACES FILII HOMINUM. Hebr. *mendacium filii* איש *is*, id eſt nobiles. IN STATERIS: UT DECIPIANT DE VANITATE, in ſuis iudiciis: ſic decipiunt ſe, & alios de vanitate, id eſt propter eam vanitatem. Heb. *in ſtateris ad aſcendendum* (pro, ſi aſcendant, ſi illis imponantur) *ipſi præ vanitate*, ſcilicet leviores ipſa vanitate invenientur. IN IDIPSUM. Hebr. *ſimul*: ſcilicet omnes, nullo excepto, tales ſunt.

V. 11. NOLITE SPERARE. Dixit in hominibus non fidendum, quia vani: modo ait, neque in rapina, neque in divitiis. NOLITE CONCUPISCERE. Hebr. *ne vaneſcatis*; id eſt, ne vana ſectemini, qualia ſunt pravitas, rapina, divitiæ etiam.

V. 12. SEMEL LOCUTUS EST DEUS; id eſt, ſemel vaticinatus eſt. DUO HAEC AUDIVI; id eſt, in uno vaticinio duæ erant ſententiæ. Hebr. *Unum dixit Deus*: *duo hoc*; id eſt, ſemel & ſecundo, ſemel & iterum *eſt locutus*: ſic quidam non inepte. Itaque *unum*, id eſt ſemel, *duo hoc*, id eſt ſecundo: ſequitur, *Audivi*, ſcilicet hæc. QUIA POTESTAS DEO EST; id eſt; poteſt, & vult benefacere. Quare debemus in eum ſperare, non in alio. Pagn. *Semel locutus eſt Deus*, *bis hoc audivi*; id eſt, & ſemel & iterum locutus eſt, ſe eſſe potentem, & pium. Hebr. Scholiaſtes: Iam admonuit Deus pluribus civibus, vice poſt vicem, quod poteſtas eſt Domino.

MAL-

set, *consultant*, *moliunturque impellere*. V. *Utique exaltationem eius consultarunt deiicere*, vel *dignitatem eius deturbare cogitant*. VI. *Certe propter exaltationem eius inierunt consilium*, *ut expellant*; id est, ne exaltetur, consultant eum expellere. VII. *Equidem de elevari ipsum*, id est ne ipso elevetur ad regni dignitatem, *consultant ut impellant*. VIII. *Dumtaxat ineunt consilium de statu eius ad deiiciendum*. IX. paraphrastice: *Causa certe odii in virum illum ea fuit præcipua, quod videbant illum auxilio Dei crescere: hoc ut impedirent stulti, inito consilio satis ridiculo subvertere illum conabantur*. X. *Tantummodo de excellentia eius*, scilicet viri Davidis: de hac autem excellentia vide I. Samuel. XVIII. *consilia ineunt depellendi eum*. CUCURRI IN SITI. Hebr. *Volent*, *diligent*, *amabunt*, *affectabunt mendacium*: vel *bene sibi complacebunt*, *delectabuntur mendacio*, hoc est falaci & inani spe, vel fraude, impostura, dolo.

ET CORDE SUO MALEDICEBANT. Additur hic *selah*; id est, 1. *Perpetuo*; 2. *Pessime*; 3. *Vehementissime*; 4. *O quantum malum fraudulenta! adulatio!*.

V. 6 VERUMTAMEN DEO SUBIECTA ESTO ANIMA MEA, &c. Hic versus & sequens amœbæi sunt, respondente 2. & 3. vers. supra.

V. 9. SPERATE IN EO. Hebr. *Confidite in eo*, solo nimirum, ac non ulli hominum, versu sequente. ADIUTOR NOSTER. Heb. *Protectio*, *recepturus*, *asylum*, *nobis*, vel *recepturus nobis est*: sic versu præcedente. Adiicitur hic *selah*, quam vocem Noster hic reddidit, *In æternum*. Alii, 1. *Ita res habet*; 2. *Maxime* 3. *O quale*, *quantumque præsidium*, *& quam tutum asylum nobis in Deo!*

V. 10. VERUMTAMEN VANI FILII HOMINUM, &c. Hunc versum nos more nostro verbotenus ex Hebr. expressimus (*Tantummodo vanitas filii hominis*, *mendacium filii viri in bilancibus ad ascendere: ii de vanitate una.*) Alii maiore perspicuitate. I. *Attamen filii hominum vani sunt*, *mendaces sunt filii virorum eousque ut si in bilancem contra vanitatem pones ista*, *cunctos simul propendeat*. II. *Tantummodo vanitas sunt nati plebeo homine*, *mendacium sunt nati præstante viro*: *lancibus illi simul impositi*, *ascensuri essent supra vanitatem*. Notant esse ætiologiam, cur non sit in ullo homine fiducia collocanda; quæ docet manifeste in superiore versu, hanc orationem antithetam desiderari, *Non esse fidendum homini*: cuiusmodi anantapodota multa in Scriptura exstant. *Lancibus illi simul impositi*, &c. id est, si ex æquo librari possent, invenirentur omnes homines ipsa vanitate, seu nihilo leviores. Est autem vocibus Hebraicis synchysis poetica, quam evidentiæ causa suo ordine reposuimus. III. *Videte ne spem vestram in ullo homine ponatis*; *sunt enim ipsissima vanitate vaniores*, *tam plebei*, *quam principes*; *quod palam fieret*, *si appenderentur in bilance cum ipsa vanitate*: *plus enim ponderis inesse deprehenderetur vanitati ipsi*, *quam omnibus illis*, *in altum tamquam re levissima sublatis*. Buchananus:

> *Ventosa regum & principum potentia*
> *Est vanitate vanior:*
> *Adeoque fumo levior*, *ut si principum*
> *Hac lance vires omnium*,
> *Inanitatem hac colloces*; *cunctis simul*
> *Inanitas præponderet*.

De hac locutione, *Filii homines*, & *filii viri*, vide Psal. XLVIII. 3.

V. 11. IN INIQUITATE. עשק *ghoschek*, *fraude*, *sycophantia*, *calumnia*, *fraudulentia*, *oppressione*, hic pro re fraude parta accipiunt. Alii *iniuriam*, alij *calumniam* reddunt.

V. 12. SEMEL LOCUTUS EST DEUS, DUO HAEC AUDIVI. Hebr. *Una locutus fuit Deus*, *duabus istud audivi*. Varie alii. I. *Vice una locutus est Deus*, *atque secundo*, *quod & audivi*: vel, *Semel atque iterum locutus est Deus*, *idque audivi*, id est sæpius audivi, nempe in lege, & Prophetis. II. *Semel locutus est Deus*, *quod ego iterum atque iterum audivi*. III. *Unum quiddam locutus est Deus*, *sed sæpe numero illud audivi*. IV. *Semel locutus est Deus*, *bis idem audivi*; hoc est, sæpius docuit me, & confirmavit Deus, nimirum de sequentibus, Deum esse fortem, potentem, misericordem, iustum, ad ea perficienda quæ supra dicta sunt.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO IDITHUN. Vide dicta ad titulum Psal. XXXVIII.

V. 2. NONNE DEO? &c. Certe Deo subiecta erit anima mea, & eius iudicia pa-

patienter feret; & voluntatem expectabit. SALUTARE MEUM: nam ab ipso pendet ſalus mea. SUSCEPTOR MEUS: qui me ad ſe confugientem ſuſcipit: qui mihi fert auxilium.

V. 3. NON MOVEBOR AMPLIUS, etiam ſi ab inimicis meis graviter impugner.

V. 4. QUOUSQUE IRRUITIS IN HOMINEM? Convertit orationem ad inimicos ſuos; quaſi dicat: Numquamne ceſſabitis me impetere, & vexare? INTERFICITIS: perdere, & interficere conamini. TAMQUAM PARIETI INCLINATO, &c. In me incurritis qui ſum infirmus, & ruinæ proximus, ſimilis parieti ruinam minanti, aut maceriæ, cuius lapides diſiecti ſunt, male ſibi compoſiti, & cohærentes.

V. 5. PRETIUM. In Hebr. eſt משאתו *maſſeoth*, *exaltationem*. Septuag. habent τιμὴν, quæ vox & honorem ſignificat, & pretium. Senſus erit: Honorem meum, ad quem videbant me a Deo evectum, a me auferre meditati ſunt. Idem poteſt eſſe ſenſus Latinæ noſtræ editionis. Quod mihi eſt pretioſum, eripere mihi conati ſunt, hoc eſt, honorem a Deo mihi collatum. CUCURRI IN SITI. Græcum ἔδραμον verti poteſt *cucurrerunt*, & *cucurri*. In Hebr. eſt. ירצו *irtſu*, *complacuerunt*; ſed legi poteſt ירצו *iarutſu*, *cucurrerunt*; & ſenſus erit: Magno ſtudio me perſecuti ſunt, cucurrerunt uſque ad ſitim contrahendam. Quod vero ad ſententiam attinet, parum refert ſive legamus *cucurri*, ſive *cucurrerunt*, qui etiam David cucurrit uſque ad ſitim, ut perſequentes inimicos euaderet. ORE SUO, &c. ficte etiam loquebantur, in præſentia quidem blande, & benigne appellantes, intrinſecus autem mihi malum machinantes.

V. 6. AB IPSO PATIENTIA MEA, expectatio mea, & ſpes ſalutis.

V. 7. NON EMIGRABO: non movebor de meo ſtatu, non vacillabo, non labar.

V. 8. SALUTARE MEUM, ſalus mea. DEUS AUXILII MEI, auxiliator meus.

V. 9. OMNIS CONGREGATIO POPULI, omnes plane populi. EFFUNDITE CORAM ILLO CORDA VESTRA, vota, & poſtulata veſtra illi aperientes.

V. 10. VANI FILII HOMINUM. Vani ſunt homines, imbecilli, mendaces, ut ſtultum ſit in ipſis ſpem locare. IN STATERIS, &c. Senſus eſt: Adeo ſunt homines inanes, & vani, ut ſi in alteram libræ lancem ipſa vanitas ponatur, in altera omnes ſimul homines, præponderatura ſit ipſa inanitas. Ita ut ipſi pariter, id eſt ſimul, in ſtateris poſiti, decipiant de vanitate; id eſt, quod ad vanitatem attinet, decipiant, quia nullus fuiſſet qui adeo inanes crediſſet, ut revera ſunt.

V. 11. IN INIQUITATE, in calumnia, & bonorum oppreſſione. RAPINAS, bona ex rapina, & aliena cum iniuria parta. COR APPONERE: multum ad illas affici, & in eis ſpem locare.

V. 11. SEMEL LOCUTUS EST DEUS, &c. Concludit, rationem reddens, cur divitiæ appetendæ non ſint, & cur ab omni iniquitate, & rapina ſit abſtinendum. *Semel*, id eſt immutabiliter, *locutus eſt Deus*: ſic namque Pſalm. LXXXVIII. 36. dictum eſt: *Semel iuravi in ſancto meo, ſi David mentiar*: & Iob cap. XXXIII. 14. *Semel loquitur Deus*, *& ſecundo idipſum non repetit*. DUO HAEC AUDIVI: quæ ſcilicet ſtatim ſubdit, quod ſcilicet Deus miſericors ſit, & quod ſimul ſit iuſtus, ideoque reddat unicuique ſecundum opera eius.

TIRINI.

Verſ. 1. PRO IDITHUN. *Idithun* præfectus erat cantorum unus, & pſaltes egregius: I. Paral. XXV. Vide Pſal. LVIII. 1.

V. 3. DEO SUBIECTA ERIT, ſcilicet per firmam ſpem, reſignationem, & obedientiam uſque ad mortem, inquit Theodoretus. Unde Hieronymus, & Chaldæus vertunt, *Silebit Deo*, ſe totam permittens nutui providentiæ divinæ.

V. 4. INTERFICITIS animo, & reipſa conamini interficere, HOMINEM miſerum, me ſcilicet. TAMQUAM PARIETI INCLINATO ad ruinam, ET MACERIAE DEPULSAE, e loco ſuo & libella, & iam proclivi ad caſum: ſic vos mihi, ſeu in me, IRRUITIS. Tropologice S. Hilarius: Quouſque hominem natura ſua proclivem ad vitia, veſtris monitis ad ea propellitis, o mali ſocii?

V. 5. PRETIUM MEUM (ſanctus Auguſtinus, Ambroſius, Hilarius, Baſilius & Theodoretus legunt *honorem meum*, id eſt decus, & dignitatem meam regiam) conati ſunt REPELLERE, id eſt a

me

me auferre, pro qua CUCURRI IN SITI; id est, tam anxie laboravi, & sudavi.

V. 6. AB IPSO PATIENTIA (Hieron. *spes*) MEA, id est salus, mea, quam spero, & patienter exspecto.

V. 7. NON EMIGRABO, e loco, statu, regno meo. Hieronymus, & Chaldæus: *Non movebor*, a vera religione, & obsequio Dei, inquit Theodoretus.

V. 10. MENDACES IN STATERIS; id est, fraudulenter agunt, & fallunt alii alios venditione suarum mercium: & DE VANITATE; id est, vana & mendaci statera se mutuo decipiunt, IN IDIPSUM, id est, *simul omnes*, ut Hieronymus vertit, quasi dicat: Se suaque falso iactant tamquam magna, & mira, cum revera non sint nisi mera vanitas, immo *ipsa vanitate vaniores & leviores*, ut vertunt Chaldæus, Vatablus, Genebrardus, & Iansenius: adeo ut, si in una lance ponas omnes homines, in altera vanitatem, lanx vanitatis sit ponderosior futura. Est hyperbolica miosis, ad quorumlibet fastum deprimendum.

V. 12. & 13. SEMEL, id est firmiter & inconcusse, LOCUTUS EST DEUS, id est statuit, & significavit nobis. Ex eo statuto, seu *lege*, ut vertit Chaldæus, collegi HAEC DUO. Primum, Deo inesse omnipotentiam, qua facit quid quid vult. Secundum, inesse etiam misericordiam infinitam, qua REDDET UNICUIQUE IUXTA OPERA SUA, seu bona, seu mala, & non secundum solam fidem, ut fingunt hæretici. Ita sanctus Hieronymus, Hilarius, & Theodoretus.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM PRO IDITHUN, &c. Quod est hic *Idithun*, explicatum est Psalm. XXXVIII. Cetera nota sunt ex Psal. IV. Argumentum etiam ex verbis Psalmi perspicuum est: habet enim adhortationem ad patientiam in adversis, & confidentiam in Deo. Occasio videtur fuisse crebra Davidis fuga sub Saule.

Vers. 5. PUncta Rabinorum male invertunt hunc locum, in his tribus vocibus, *meum*, *cucurri*, *in siti*. Omitto quod aliqui monent de voce *Pretium*. Nomen משאתו *misetho*, sive honorem, sive exultationem, sive pretium significet, in idem recidit. Septuag. τιμὴ, *honor*, *pretium*, vox Hebraica est a radice נשא. Ceterum putandum est Septuaginta legisse משאתי, *pretium meum*, non autem *eius*, ut nunc est in Heb. Restant duæ voces, CUCURRI IN SITI. Septuag. ἔδραμον ἐν δίψῃ. Hieronymus in Commentario, & Augustinus legunt *cucurri*: nec dubium esse debet quin sic etiam legerint Septuag. suo tempore in Hebræo. Idem dico de voce *siti*. Coniicit Lorinus Septuag. legisse אכזב *acbzau*, ubi est א privativum, negans scaturiginem aquarum, quam alioquin significaret vox כזב *chazau*.

V. 9. SPERATE IN EO *omni tempore*, ut habet Hebræus; sed corruptus est locus, est enim positum עת *bheth*, quod significat tempus, pro עדת *bhadath*, quod congregationem designat.

V. 12. REDDIS UNICUIQUE IUXTA OPERA SUA. Sane sicut in meritis iustorum intervenit gratia ut fundamentum (unde dignitas operis) & promissio Dei sub conditione operis; ita in retributione videmus Dei potentiam & misericordiam non obstantem iustitiæ, & præsertim ubi aliquid ultra condignum est, ut hunc locum explicant Theologi. Male vexat hic locus novatores, qui bonis operibus detrahunt dignitatem ac valorem; immo & Deo iustitiam in retributione præmii. En interim opera bona quæ secundum suam dignitatem accipiunt mercedem iusti laboris. At, inquies, Deus habet rationem bonorum operum, tantum quia indicant fidem. Falsum est. Nam in primis quid dicent de ipso opere fidei, quod bonum est. Deinde, Scriptura hic loquitur universe de bonis, cur hunc valorem restringunt ad solam fidem? Porro cum ait Scriptura, præmium reddi secundum opera (κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ Hebr. כמעשהו *chemahhawehu*) impie corrumpunt textum, dum dicunt reddi præmium, non secundum opera, nec propter ea, sed post ea. Sunt certe pugnantia hæc dari secundum opera; & dari ac si opera non essent. Non ergo, ut confingunt illi, ex sola benignitate, aut quia fides præcessit; sed ex operibus, ut causa propter quam, & meritoria, secundum dignitatem.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. *uſq. ad* 6. NOnne Deo? &c. Vel David ſub perſecutione, vel vir iuſtus tentatione crebra pulſatus, ſic exclamans per interrogationem, ſignificat, ſatius eſſe ſemper Deo adhærere, quam peccare ſuccumbendo tentationi. Subdit rationem verſ. 3. quia Deus aſtat adiutor. Ac demum verſ. 4. cum quadam indignatione expoſtulat, quod hoſtes tam ferociter invadant hominem fragilem, & infirmum ad tot mala repellenda: quod ſignificat per parietem non ſolidum, & inclinatam maceriam.

V. 6. 7. & 8. *Verumtamen*, &c. Hi ſunt hoſtium conatus, ut privent me optato pretio laboris, hoc eſt vel Davidem regno, vel iuſtum vita æterna; iuxta varium ſenſum. Ego, inquit, ſudavi multum, ut hoc bravio potirer; illi vero nectunt in me dolos: ſed, ex verſ. 6. in vanum laborant; ut repetitione præcedentium verſuum declarat: nam ſtat, inquit, conſilium adhærere Deo, in quo ſpes eſt.

V. 9. 10. & 11. *Sperate*, &c. Reliquo hoc Pſalmo duo præſtat: unum hic verſ. 9. ubi hortatur omnes, ut ſperent in Deo, quia vere adiutor eſt; alterum verſ. 10. ubi invehitur in improbos, eorumque mores. Et verſ. 11. dehortatur eos a rapinis, & nimio amore divitiarum.

V. 12. & 13. *Semel locutus eſt Deus*, &c. Hoc ſatis eſſe debet ad cohibendos impios, quia Deo eſt potentia ad puniendum, & miſericordia ut parcat pœnitenti: immo & iuſtitia, ut rependat quod quiſque meretur. Et hæc *ſemel locutus eſt Deus*, hoc eſt firmiter, nec mutabitur, aut impedietur verbum eius.

BOSSUET,

Verſ. 2. NONNE DEO? &c. *Certe Deo ſilebit anima mea*: Heb. imperante Deo ne mutiet quidem; tanta erit obedientia.

V. 3. NAM ET IPSE: certe utique, ut ſupra.

V. 4. QUOUSQUE IRRUITIS IN HOMINEM .... TAMQUAM PARIETI INCLINATO? Ita irruitis in me, tamquam eſſem mutus, iam impulſus in ruinam, ac facile ruiturus; at non ita eſt: Deus enim me ſuſtentat. Hic ordo verborum; ſed interiectum illud: INTERFICITIS UNIVERSI VOS: omnes me ad internecionem quæritis. Toto enim corde univerſus Iſrael ſequebatur Abſalom: II. Reg. XV. 13.

V. 5. VERUMTAMEN, utique, ut ſupra. PRETIUM MEUM, *partem eius*, Hier. de ſe enim in tertia perſona loquitur, ut verſ. 3. Senſus eſt: Pretium meum, partem meam quæ mihi eſt pretioſiſſima, Deum ſcilicet a me alienare ſe poſſe putant, ſed fruſtra ſunt. CUCURRI IN SITI: ita fugi ut cervus ſitibundus actus a venatoribus: at planius Hier. *Placuerunt ſibi in mendacio*: unde ſubdit: ORE SUO BENEDICEBANT, &c.

V. 6. DEO SUBIECTA ESTO. *Deo retice*: Hier. eodem ſenſu, ut patet verſ. 2.

V. 7. NON EMIGRABO: nihil me commovebit: *non mutabo*: Heb. in eius fide, & amore perſiſtam.

V. 9. OMNIS CONGREGATIO POPULI: addit Hier. *omni tempore*.

V. 10. VANI FILII HOMINUM, *filii hominis*, Heb. MENDACES FILII HOMINUM, *filii viri*, Heb. tam plebeii quam nobiles: vide Pſ. XLVIII. 2. IN STATERIS: *in bilance attolluntur ipſi præ vanitate ſimul*: Heb. ſtatim atque bilancibus ſunt impoſiti, vanitate ſunt ipſa leviores: vel, quod eodem recidit, omnes ſimul, ſua vanitate leves, in bilance ſtatim attolluntur: nullo pondere, nulla vi.

V. 11. IN INIQUITATE: *in calumnia & rapina*: nolite in eiuſmodi fidere: *ne fruſtremini* (ſpe veſtra) Hier. DIVITIAE SI AFFLUANT: *robur ſi affluat*, &c. Heb. eodem ſenſu cum ex divitiis robur exiſtat.

V. 12. SEMEL LOCUTUS EST DEUS. Quod ait *ſemel*, firmitatem dictorum oſtendit: Comm. Hier. SEMEL, *unum*, Hier. DUO HAEC AUDIVI: ex uno & irretractabili decreto Dei, hæc duo intellexi: hæc ſumma decretorum, ut omnia poteſtate adminiſtret: vim illam potentiſſimam & indeclinabilem adhibita miſericordia temperet.

V. 13. QUIA TU REDDES UNICUIQUE: quod eſt ſummæ poteſtatis officium.

PSAL-

PSALMUS LXII. CONSOLATORIUS.

In deserto, sanctuarii memor, sacris conventibus mente se sistit: Deumque certissimum vindicem se habere lætatur. Hæc summo mane evigilans canit. Unde hic psalmus matutinus dicebatur. Chrys. in Psalm. CXL.

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus David,
Cum esset in deserto Iudææ.

DEus fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te.

Sitivit te anima mea, desideravit te caro mea: in terra invia & consitiente, ac sine aqua.

Sic in sancto apparui tibi, ut videam fortitudinem tuam & gloriam tuam.

Melior est enim misericordia tua quam vitæ: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam tibi in vita mea: in nomine tuo levabo manus meas.

Quasi adipe & pinguedine implebitur anima mea, & labiis laudantibus canet os meum.

Recordans tui in cubili meo: per singulas vigilas meditabor tibi.

Quia fuisti auxilium meum, & in umbra alarum tuarum laudabo.

Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

Ipsi vero interficere quærnut animam meam: ingrediantur in extrema terræ.

Congregentur in manus gladii: pars vulpium erunt.

Rex autem lætabitur in Deo, laudabitur omnis qui iurat in eo; quia obstruetur os loquentium mendacium.

VERSIO VULGATA.

Psalmus David.
1. Cum esset in deserto Idumææ (I. *Reg.* XXII. 5.)

2. DEus Deus meus ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multiplicer tibi caro mea.

3. In terra deserta, & invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

5. Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

6. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

7. * Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te; 8. quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, 9. adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua:

10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: 11. tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

12. Rex vero lætabitur in Deo, † laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Si memor fui tui super stratum meum*. Pro *sic* adverbio similitudinis, Romani Patres correxerunt *si*, quæ est conditionalis coniunctio.

Ibid. *In matutinis meditabor in te*. Non substituas præteritum imperfectum *meditabar*, pro futuro *meditabor*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in te*. Antiqui libri, etiam Epanorthotæ, legunt numero singulari, *Laudabitur omnis qui iurat in eo*, consentanee Hebræo, & Græco.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IDUMAEAE Hebr. Iudææ.

V. 2. DEUS DEUS MEUS AD TE DE LUCE VIGILO &c. Hebr. *Deus Deus meus es tu, mane quæram te: concupivit te caro mea.*

V. 3. INVIA ET INAQUOSA. Hebr. *sitienti & sine aqua*. SIC IN SANCTO APPARUI TIBI. Hebr. *Sic in sancto tuo*, id est in templo tuo, *videbo te*; id est, utinam mihi liceat videre te in templo tuo, ut contempler fortitudinem tuam, & gloriam tuam.

V. 6. SICUT ADIPE ET PINGUEDINE REPLEATUR ANIMA MEA. Hebr. *Saturabitur anima mea*; subaudi, si mihi aliquando liceat videre te in templo tuo.

V. 7. SI MEMOR FUI TUI, &c. Hebr. *Si recordatus fuero tui in strato meo, in ipsis nocturnis vigiliis meditabor de te*.

V. 10. IPSI VERO IN VANUM QUAESIERUNT ANIMAM MEAM. Hebr. *Illi vero* (hostes mei) *frustra quærent animam* (cum me dextera tua sustentet) *introibunt in inferiora terræ*; id est, deprimentur usque ad imas terræ partes: aut, Illi qui frustra quærunt animam meam, introibunt in inferiora terræ.

V. 11. TRADENTUR IN MANUS GLADII. Hebr. *Conicient eum*, id est illos *in manus*, in aciem gladii, *pars vulpium erunt*.

SA.

De cælestium desiderio.

Vers. 1. IDUMAEAE. Græc. Hieron. & Chald. *Iudææ*.

V. 2. DEUS MEUS. Hieron. & Chald. *Fortitudo mea tu es*. AD TE; quasi dicat, quærens te. IN TE. Hieron. *ad te*. Chald. *te*. QUAM MULTIPLICITER, id est magnopere. TIBI. Hieron. *ad te*. Chald. *te*. CARO; quasi dicat: Totus te desidero.

V. 3. SIC IN SANCTO; pro, quasi essem ad sanctuarium. APPARUI; quasi dicat: Me tibi præsento. VIDEREM VIRTUTEM. Hieron. *videam fortitudinem*; quasi dicat, ut tuam Maiestatem contempler.

V. 4. SUPER VITAS, id est plus quam vita. Hebr. *vita* dicitur plurali numero, ut Latine *tenebræ*.

V. 5. SIC, scilicet te contemplando. IN NOMINE TUO, id est te, invocando. LEVABO, scilicet in oratione.

V. 6. REPLEATUR. Hieron. *implebitur*, scilicet gratia tua, & consolatione. EXULTATIONIS, id est exultantibus.

V. 7. SI MEMOR; quasi dicat: Cum tui recordabor & in lecto, & mane surgens. IN, pro & in. MEDITABOR. Græc. *meditabar*. IN TE, id est de te, scilicet quod sequitur.

V. 9. POST TE. Chald. *post vias tuas*; quasi dicat, te sequens. SUSCEPIT. Chald. *sustentavit*.

V. 10. IN VANUM, id est frustra, vel sine causa. QUAESIERUNT, scilicet perdedere. INTROIBUNT IN INFERIORA TERRAE, id est sepulcra; quasi dicat: Morientur. Hieron. *Ingredientur in extrema terræ*; quasi dicat: Longe expellantur.

V. 11.

V. 11. MANUS GLADII, id est cædem. PARTES, pro pars, seu sors; quasi dicat: Fient esca vulpium.

V. 12. REX, id est ego. IN DEO, id est qui talem Deum habeat. IN EO, id est per eum; quasi dicat, qui Deum colunt. OBSTRUCTUM EST. Hieron. *obstruetur*. INIQUA. Hieron. & Chald. *mendacium*.

ESTII.

Vers. 2. & 3. SITIVIT ANIMA MEA, QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA. IN TERRA DESERTA, ET INVIA, ET INAQUOSA: SIC IN SANCTO, &c. Obscuritatem parit incommoda distinctio. Nam illud, *In terra deserta*, &c. iungendum omnino videtur cum præcedenti. Item pro eo, *Quam multipliciter tibi caro mea*, Hieronymus, & alii ex Hebræo vertunt: *Desideravit te caro mea*. Secundum nostram quoque Versionem subaudiendum videtur *desideravit*, vel aliquid simile. E hic erit sensus: Sitivit ad te anima mea, vehementerque, ac multipliciter desideraAit te caro mea, scilicet in terra deserta, &c. Ac deinde sequatur: *Sic in sancto apparui tibi*; quasi dicat: Eo tendit omne meum desiderium, ut aliquando in sanctuario coram te appaream; ut ibi videam virtutem tuam, & gloriam tuam. Hinc & aliqui sic vertunt: *Sic ut in sancto apparui tibi*.

V. 10. INTROIBUNT IN INFERIORA TERRAE, TRADENTUR IN MANUS GLADII, PARTES VULPIUM ERUNT. De hostibus hoc dicit; & Hieronymus vertit imprecative: *Introeant in extrema terræ*, id est moriantur & pereant. *Partes vulpium erunt*, vel *pars* Hebr. Id est, cadavera eorum vorabuntur a vulpibus, aliisque bestiis, iisque cedent in sortem.

V. 12. LAUDABUNTUR OMNES QUI IURANT IN EO. Non significatur, quod quisquis per Deum iurat, recte faciat, sive verum, sive falsum iuret, sive circumspecte, sive temere & sine causa; sed figurate ponitur actus exterior pro interiori, videlicet iuramentum per Deum, pro cultu interiori, quo solus Deus populi illius, pro vero agnoscatur. Itaque sensus est: Quicumque Deum verum colit & veneratur, ille *laudabitur*, id est publice ab omnibus agnoscetur, quando non iurat; nisi in vero Deo, non autem in idolis. Vide etiam Ioelis 11.

MARIANAE.

Vers. 1. PSALMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IDUMAEAE. Hebr. & Græci quidam codices, *in deserto Iudææ*: sic & in Regiis: sed S. Hieronymus in Commentariis Vulgatam sequitur, & dictionem *Idumæa* exponit: & Septuag. τῆς Ἰδουμαίας habent. Hoc narratur I. Reg. XXII. 5. Seipsum in exilio solatur.

V. 2. DE LUCE VIGILO. Hebr. *manico*; id est, mane surgo ad celebrandum tuas laudes. SITIVIT IN TE. Hebr. *Te sitivit*, concupivit anima mea. QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA; id est, anima & corpore te sitio, quia multis indigeo, & corpore maxime, cuius multæ indigentiæ sunt. Hebr. *Desideravit ad te caro mea*: sic Hieronymus. Vox *camah* & *quantum*, & *desiderare* pro ratione punctorum significare potest.

V. 3. IN TERRA DESERTA, scilicet sitivi te: iunge cum præcedentibus, ut est Hebr. SIC IN SANCTO APPARUI TIBI; pro vidi te; id est, non minori affectu erga te sum in exilio, quam quo tempore in tuo tabernaculo te videbam. *Sic* quidam pro *sicut* accipiunt. UT VIDEREM VIRTUTEM TUAM: versabar in tabernaculo hoc animo ut viderem virtutem, id est prodigia, quæ ibi faciebas.

SUPER VITAS; id est, plus quam vita est tua misericordia. Ideo te laudo.

V. 5. SIC BENEDICAM. Itaque benedicam te; te sublatis in cælum manibus laudabo. Levabo manus meas.

V. 6. SICUT ADIPE ET PINGUEDINE; id est, ut palatum iis delectatur, sic anima mea cupit repleri tua dulcedine, ut labia mea exaltent te. ET LABIIS EXULTATIONIS. Hebr. *Laudationum*, aut *præconiorum labiis te laudabo*.

V. 7. SI MEMOR FUI TUI; id est, vere memor fui tui semper, & in lecto, & mane cum surgo. Hebr. *in vigiliis nocturnis*, *cum*, scilicet expergiscor. Ergo memor fui tui in lecto, cum expergiscebar.

V. 8. ET IN VELAMENTO. Hebr. *umbra alarum tuarum*. EXULTABO, pro exulto, id est lætor.

V. 9.

V. 9. Ipsi vero, scilicet hostes. In vanum; id est, frustra, sine effectu quæsierunt me occidere, ut qui Dei præsidio tutus essem. Hebr. *In exitium quæsierunt animam*, id est vitam meam ut occiderent. Introibunt in inferiora terrae, id est sepulcrum. Ipsi potius ex morbo peribunt.

V. 10. Tradentur in manus gladii. Alii morte violenta peribunt. Hebr. *Occident eum* (pro eos) *per manus gladii*, id est gladio. Partes vulpium erunt. Cedent in ferarum cibum.

V. 12. Rex vero. De se loquitur in tertia persona. Laetabitur in Deo, id est Dei ope liberatus. Laudabuntur omnes, id est gloriabuntur. Qui iurant in eo, id est fideles, qui in Deum credunt. Quia obstructum est os loquentium iniqua. Hebr. *mendacium*: scilicet eorum os est obstructum, qui Davidem calumniabantur, illique imponebant crimina.

MALVENDAE.

Vers. 1. Cum esset in deserto Idumaeae. Hebræa, Græca, Chaldæa *Iudææ* habent, non *Idumææ*. Plerique hic desertum Iudææ accipiunt illud de quo I. Samuel. xxiii. 14. & 15. vel 24. & 25. quod desertum Idumææ quoque dicatur, quod monti Sehir Idumæorum esset confine: vide Notas in Iosue xv. 55. Alii illud de quo I. Samuel. xxii. 5. De deserto Iehudæ vide Iosue xv. 61. Chaldæus Interpres habet: *In tempore quo erat in deserto, in finibus tribus Iuda*.

V. 2. Deus, Deus meus. Augustinus Iustinianus subolfecit hic mysterium sacræ Triadis; quasi possit reddi: *Dii*, id est tres Divinæ personæ, *Deus meus es*, id est unus Deus; quasi dicat: Trinus in personis, unus in essentia. Ad te de luce vigilo. Heb. *aurorizabo te*. Vide notionem verbi שחר *schicher* in Notis ad Iob vii. 21. Varie alii: 1. *mane vigilabo ad te*; vel *quæram te mane*: 2. *ad te maturabo*: 3. *summo diluculo te quæro*: 4. *Tempestive requiro te*; id est, summo studio desidero tranquille versari in Ecclesia Dei. Sitivit in te, vel tibi, anima mea. Quidam: *Sitiens est tui anima mea*. Vide Psal. xli. 2. & 3. Quam multipliciter tibi caro mea. Verbum כמה *camah* varie reddunt: 1. *Concupivit, amavit, desideravit, tibi, ad te, te, caro mea*: 2. *Exaruit, arida facta fuit ad te* exspectans *caro mea*: 3. *Æstuavit desiderio, flagravit ardenter, exarsit, concupivit, ad te caro mea*: 4. *Tota, totalis fuit tibi caro mea*; id est, tota tota quanta est, tua fuit, vel in te fuit caro mea, id est corpus meum; quasi dicat: Totus ego corpore & animo te sitio, & in te sum. Deducunt a כמה *camah, quot, quoties*: quod Noster secutus est. Non tam recte alii: *Infremuit desiderio ad te caro mea*.

V. 3. In terra deserta. Heb. *In terra siccitatis*, id est in deserto horrido, & summis angustiis. Et invia. Heb. *& fessa, lassa, defatigata*. Exponunt, Id est quasi satiscente præ ariditate nimia: metaphora ab animantibus. Alii, *sitibundam*, seu *siticulosam*, per catachresim accipiunt. Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam. Hunc versum varie transferunt. I. *Sic in sanctitate vidi te, ad videndum fortitudinem tuam, & honorem tuum*; id est, in sanctitate & puritate mentis meæ, vel in tua, quam habes sanctitate, & munditia, vidi te sanctissimum. II. *Sic ut in sanctitate vidi te*: vel *sic quasi in sanctuario complector te*: aut *sic in sacrario contemplabor te*: *ut videam fortitudinem tuam, & gloriam tuam*. III. *Sic in sancto videre te cupiam*; id est, non minori affectu videre te cupiam in tabernaculo, ubi erat arca, quam hic manens in solitudine procul ab ea. IV. *Sic ut te contempler in sanctuario tuo*, &c. V. *Ego te in loco sanctitati tuæ destinato videre cupivi, & contemplari potentiam tuam, & maiestatem tuam*. VI. *Perinde appareo coram te atque* in sacra æde, ad contemplandam fortitudinem tuam, & gloriam tuam. VII. *Ad videndum robur tuum, & gloriam tuam; sicut in loco sancto videbam te*. Hysterosim, inquiunt, evidentiæ causa transposuimus, quæ alioquin futura fuisset obscurior: & verba recte sic nectuntur superioribus. Exponunt, *Robur tuum*, id est arcam: vide in I. Paralipom. xvi 11. *& gloriam tuam*, id est tabernaculi tui, & ministerii ecclesiastici: *sicut in loco sancto videbam te*; id est, sicut ante observabam cultum tuum, a quo nunc indigne arceor.

V. 4.

V. 4. QUONIAM MELIOR EST MISERICORDIA TUA SUPER VITAS: LABIA MEA LAUDABUNT TE. Quidam (*Nam benignitas tua melior est vita*) *ut labia mea laudent te*: prius membrum parentheſi includunt; poſterius iungunt cum eo verſus præcedentis, *Ad videndum robur tuum*, & *gloriam tuam*: *ut labia mea laudent te*; id eſt, ut prædicem gloriam tuam, & exerceam cultum tuum, qui eſt finis meus, ob quem reſtitui cupio.

V. 5. LEVABO MANUS MEAS, ſive *attollam*, id eſt invocabo te: ſynecdoche.

V. 6. SICUT ADIPE ET PINGUEDINE, &c. Hunc verſum dilucidius alii reddunt. I. *Sicut*, *quaſi*, *tamquam*, *non aliter quam ſi adipe* & *pinguedine*, *veluti delicatiſſimis cibis*, *tum saginabitur anima mea*, *quam labiis exſultatione pleniſſimis laudes tuas decantabit os meum*. II. *Anima ſaturatur velut adipe* & *pinguedine*, *cum os meum exſultantibus labiis collaudat te*; quaſi dicat: Laudare te æque ſuave eſt mihi atque veſci cibis ſuaviſſimis.

V. 7. SI MEMOR FUI TUI SUPER STRATUM MEUM, &c. Quidam: *Cum recordor tui ſuper ſtrata mea*, &c. Notant, ſe ipſum conſolari Davidem hoc modo: Et ſi nunc adeo ſitiens tui avertor importunitate hoſtium, & adverſariorum adeundo te: hoc tamen in terra temporis conſolatur me, quod recordor tui ſemper, hoc verſu: ante accepta beneficia commemoro, ſequente verſu: denique animo tibi adhæreſco, & tu viciſſim confirmas me. SUPER STRATA MEA, id eſt in tam multis ſtationibus, ad quas cogor exſul me recipere. IN MATUTINIS MEDITABOR IN TE. Hebr. *In obſervationibus*, *cuſtodiis*, *excubiis*, *vigiliis*, id eſt per noctem, quam per certas vigilias deſtribuebant veteres, ut Marci XIII. 35. Innuit ſe ſingulis quatuor vigiliis nocturnis meditatum de Deo. De Vigiliis vide Vegeticum Lib. III. cap. VIII. Cenſorinum de Natali die, cap. XXIII. Suidam.

V. 8. ET IN VELAMENTO ALARUM TUARUM EXSULTABO. Hebr. *Et in umbra alarum tuarum ovabo*. Quidam: *Ita ut in umbra alarum tuarum canerem*, id eſt in tuto & ſecuro loco ſub defenſione tua: metaphora a pullis ſecure pipientibus ſub alis matrum.

V. 9. ADHAESIT ANIMA MEA POST TE. Hebr. *Adglutinata fuit anima mea poſt te*. Quidam: *Apprehendit anima mea te*; id eſt, vehementer te adamavit, ut Geneſ. XXXIV. verſ. 3. Alii: *Cum adhæreſcens anima mea ſequitur te*.

V. 10. IPSI VERO IN VANUM QUAESIERUNT ANIMAM MEAM, INTROIBUNT IN INFERIORA TERRAE. Ex Hebr. alii. I. Et ipſi Sauliſtæ *deſolationi*, ſeu *ad deſolationem quærent animam meam*: *venient* debellati *in inferiora terræ*; id eſt, abdent ſe in cavernis, antris, ſpecubus metu Pheliſthæorum: ut alias etiam feciſſe leguntur I. Samuel. XIII. 6. II. *Ipſi autem ad præcipitium quærunt animam meam*; id eſt, ut præcipitent vitam meam: *ſubibunt infirma terræ*, id eſt inferna; hoc eſt, morientur, & peribunt. III. *Quamobrem iſti qui vaſtationi quærunt animam meam*: hypallage; pro, *qui vaſtationem quærunt animæ meæ*: *pervenient ad imas partes terræ*, id eſt morientur, in terram corruentes. Sic prædicit David hoc, & ſequente verſu cladem Iſraelitarum, de qua I. Samuel. XXXI.

V. 11. TRADENTUR IN MANUS GLADII. Varie alii ex Hebr. I. *Facient fluere* ſanguine, vel *fundere* ſanguinem, vel ſpiritum, Pheliſthæi, *eum*, Saulem, & ſocios eius, *ſuper manus gladii*, in monte Gelboe. II. *Abibunt ad eam partem ubi gladius vaſtat*. III. *Eum qui dux fuit illorum*, *proſcindent acie gladii*. IV. *Trahent eum ſuper acies gladii*. V. *Adigent eum in acies gladii*. VI. *Facient* Pheliſthæi, *ut diffluat eorum quiſque per manus gladii*, ſeu *per gladium*: catachreſis. Buchananus:

Ferro profundent ſpiritum nefarium.

PARTES VULPIUM ERUNT. Quidam: *Similitudo vulpium erunt*, id eſt ſimiles vulpibus, quæ ſub terram ſe condunt, foveas & cuniculos ſubeuntes. Alii: *Portio*, *ſors*, *vulpium futuri ſunt*; id eſt, inſepulti iacebunt in montibus, ut beſtias paſcant: cedent vulpibus, & feris in eſcam; vorabuntur a beſtiis.

V. 12. REX VERO, id eſt qui tunc regnaturus eſt. Sic modeſte de ſe ipſo per enallagem perſonæ loquitur: vel ſublimiori ſenſu, Chriſtus Rex ſempiternus, cuius typum geſſit David. LAUDABUNTUR OMNES QUI IURANT IN EO. Hebr. *Gloriabitur quiſquis iurat per eum*. Exponunt, Id eſt Deum ex animo profitetur, & colit:

lit: synecdoche, ut videre est Deuteronom. VI. 23. QUIA OBSTRUCTUM EST OS LOQUENTIUM INIQUA. Quidam: *Cum obturabitur os loquentium mendacium*; id est, cum finis impositus fuerit calumniis, & desolationibus: nam alii morte abripiendi, alii pudore confundendi erant.

MENOCHII.

Vers. 1. CUM ESSET IN DESERTO IDUMAEAE. In textu Hebræo, & Græco est, *In deserto Iudææ*: in quo eum latuisse discimus ex I. Reg. XXII. & XXIII. Desertum Iudææ videtur vocari desertum Idumææ, amplificandi causa, hoc enim latius patens, & longius dissitum erat a Ierusalem. Sic amplificandi causa Ierusalem aliquando a Prophetis vocatur Sodoma.

V. 2. AD TE DE LUCE VIGILO, te quærens, ad te suspirans, & de te attente meditans. SITIVIT IN TE: sitivit te anima mea, quæ summo desiderio in te fertur. QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA. Qui animi effectus etiam in corpus redundant. Videtur sensus versiculi esse: Ego omnibus viribus meis, corporis scilicet, & animæ, frequenter, & multis de causis, te sitio.

V. 3. IN TERRA DESERTA, in hac solitudine in qua dego. INVIA, ET INAQUOSA: quæ vestigiis hominum non teritur, quæ arida est, & aquis carens. SIC IN SANCTO APPARUI TIBI. Sensus esse videtur: Sicut in sanctis locis sistebam me tibi, ut te colerem, & orarem, sic facio in deserto, non secus ac si Ierosolymis essem ante ipsam arcam: nam corpore sum absens, præsens spiritu. UT VIDEREM, ut contemplarer. VIRTUTEM TUAM, potentiam tuam.

V. 4. MELIOR EST MISERICORDIA TUA SUPER VITAS. Pluris facio benignitatem, & misericordiam tuam, quæ me amplius consolatur in his angustiis, quam vitas, id est quam ea omnia quæ ad corpus bene habendum pertinent, & in quibus mortales cum voluptate acquiescunt, immo quam ipsam vitam. Latinus Interpres dixit in plurali *vitas*, quia vox Hebræa חיים *chaiim* formam habet numeri multitudinis, licet significationem habeat numeri singularis.

V. 5. SIC, itaque; ob hanc causam. IN VITA MEA, dum vixero. IN NOMINE TUO, &c. & cum invocatione nominis tui extollam in oratione manus meas.

V. 6. SICUT ADIPE, ET PINGUEDINE, &c. Adeps, & pinguedo symbola sunt gratiæ, & consolationum divinarum. Gratia tua saginetur anima mea: tunc te lætis labiis os meum celebrabit.

V. 7. SIC MEMOR, &c. Sententia est: Si etiam postquam me vesperi in lectulo composui ad quietem capiendam, tui memor fui; multo magis cum mane evigilavi, iam non amplius somno gravis de te meditabor, illud præsertim recolens, quod fuisti adiutor meus.

V. 8. IN VELAMENTO ALARUM TUARUM EXULTABO. Inter meditandum ea cogitatione potissimum excitabor ad lætitiam, quod me umbra alarum tuarum veles, & protegas.

V. 9. ADHAESIT ANIMA MEA POST TE, &c. per fiduciam, & amorem, numquam tui immemor, ideoque me dextera tua iuvit, & e periculis eripuit.

V. 10. IPSI VERO, inimici nimirum mei, IN VANUM, frustra, nulloque successu, QUAESIERUNT ANIMAM MEAM, ut illam perderent; vitam mihi eripere conati sunt. INTROIBUNT IN INFERIORA TERRAE: in infernum detrudentur.

V. 11. TRADENTUR IN MANUS GLADII: gladiis hostilibus conficientur. PARTES VULPIUM ERUNT. Eorum corpora vulpibus cedent, quæ illa lacerabunt, & discerpent.

V. 12. REX VERO, ego vero Rex, LAETABITUR IN DEO: quem tam benignum in se expertur. LAUDABUNTUR, gloriabuntur, vel *laudabuntur* ab iis qui recte sentiunt, & a Deo iudice. QUI IURANT IN EO: qui eum colunt ut Deum, & cum iurare opus habuerint, non aliud numen agnoscunt, per quod iuramenta concipiant. QUIA OBSTRUCTUM EST OS LOQUENTIUM INIQUA: gloriabuntur, & lætabuntur, quod ora mendacium, & iniqua loquentium tam insignibus suppliciis Deus obstruxerit.

TIRINI.

Vers. 1. CUM ESSET IN DESERTO IDUMAEAE. Id est, occasio hunc

hunc Psalmum scribendi fuit fuga Davidis ob metum Saulis, & latebræ in deserto *Idumææ*: in Hebræo, Græco, & Chaldæo est, *Iudææ*. I. Reg. XXII. vers. 5.

V. 2. QUAM MULTIPLICITER, id est quamplurimis modis, magnopere, valde ardenter, SITIT TIBI, seu ad te, CARO MEA, id est corpus meum; quasi dicat: Totus, & ex toto te desiderio, inquit Symmachus, ut nempe in patria mea, & templo tuo cum universo populo Dei laudem te, & fruar te. Licet etiam modo.

V. 3. SIC IN SANCTO, id est perinde ac si essem in sanctuario tuo, si in loco exilii mei *appareo tibi*, id est te mihi ob oculos præsentem statuo, te laudo, te oro, *ut videam*, seu contempler maiestatem tuam, & obtineam *virtutem*, seu opem *tuam*. Ita Theodoretus.

V. 4. MISERICORDIA TUA, & consolatio spiritualis, quam in hac solitudine exul experior, MELIOR, mihique suavior EST SUPER VITAS; id est, plus quam vita quævis corporalis, quantumcumque longa, delitiosa, felix. Ita Theodoretus. Quia enim Hebræum nomen חיים *chaiim*, id est *vitæ*, caret numero singulari (ut apud Latinos *tenebræ*) ideo noster Interpres vertit non *vitam*, sed *vitas*.

V. 5. IN NOMINE TUO, id est te, tuamque maiestatem, & misericordiam invocando, LEVABO MANUS MEAS, in oratione. Ut

V. 9. REPLEATUR ANIMA MEA, cælesti tua gratia & consolatione, SICUT ADIPE pingui & delicata, inquit sanctus Hieronymus.

V. 7. SI MEMOR FUI TUI. Ita etiam Septuag. & Chald. Hieronymus, *recordans tui*, seu quandocumque recordor tui, in *strato*, seu lecto *meo*: quod maxime fit IN MATUTINIS, seu tempore matutino, tunc *meditor* IN TE; id est, attente & presse cogito de te. Ita Iansenius.

V. 9. ADHAESIT. ἐκολλήθη, id est *agglutinata est tibi*, scilicet glutino caritatis, quo quasi philtro vel amatorio poculo me tibi totum rapuisti & agglutinasti. Ita S. Augustinus, & Theodoretus.

V. 10. INTROIBUNT IN INFERIORA TERRAE loca, id est in infernum.

V. 11. PARTES, id est portio, sors, hereditas, VULPIUM, quibus maxime abundat Iudæa; ut patet ex 300. vulpibus Samsonis; quasi dicat: Nulla sepultura fruentur, sed erunt esca bestiis terræ. Puta quando cæsi sunt, *in montibus Gelboe*, I. Regum ult. Allegorice *vulpibus*, id est dæmonibus, tradendi sunt impii.

V. 12. REX, scilicet ego David. IN EO, supple colendo, & solo adorando: vel *in eo*, pro *per eum*, id est per Deum, quia scilicet eum solum ut verum Deum norunt & colunt, ideoque cum opus est, iurant per illum, non vero per idola. Ita S. Hilarius, & Augustinus.

GORDONI.

Titulus: PLAMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IDUMAEAE. Quodnam sit hoc desertum, non satis constat, an sit *Iudææ*, ut in textu Hebræo, & Græco habetur; an vero *Idumææ*, ut legunt Latini; & præsertim Hieronymus, & Augustinus. Pro utraque lectione stat gravis auctoritas: neutram damno sententiam. At quid si idem desertum hic significetur; tamen quod duo haberet nomina: & cum esset Iudææ, tamen quia versus Idumæam erat, inde nomen acciperet, quasi desertum respiciens Idumæam? Argumentum Psalmi est velut deploratio peregrinationis in deserto, quod describit vers. 3. & ex sensu litteræ refertur ad David sub Saule; alioquin ad iusti alicuius desiderium, suspirantis ad patriam cælestem.

Vers. 3. QUAM MULTIPLICITER. Septuag. ποσαπλῶς. In Hebræo legendum כמה *chammach*, cum puncto Mappik, *quoties*; quod recte ad sensum vertunt Septuag. *Quam multipliciter*. Vide rad. מה.

V. 10. & 11. IPSI VERO IN VANUM. Sept. εἰς μάτην. In Hebr. לשואה *lesoah*, in *desolationem*. Ita nunc quidem; sed recte coniiciunt recentiores aliqui, Septuag. legisse לשוא *lesvau*, *in vanum*: facilis punctorum mutatio est. Vide rad. שוא. Quod hic sequitur: *In inferiores partes terræ*: commode non sepulcrum, sed infernum designat: nam Septuag. habent, εἰς τὰ κατώτατα. Sic Ephes. IV. 9. Christus dicitur descendisse ad inferiores partes ter-

ræ, nempe ad limbum, & purgatorium. Unde apparet audax corruptela, quam dant novatores, qui interpretantur Christum descendisse tantum ad sepulcrum; & ideo dici descendisse ad inferiores partes terræ, quod in sepulcro sustinuerit inferorum pœnas. Blasphemia est, & contra articulum Symboli: præterquam quod vox Græca ᾅδης numquam pro sepulcro accipiatur.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. *usq. ad* 6. Deus *Deus meus*, &c. His verbis exprimuntur affectus animi respicientis Deum, & suspirantis in loco deserto, tamquam in sanctuario. Sic quidem David in persona tum sua, tum sanctorum in hac valle lacrymarum suspirantium ad Deum, ut haberet a Deo scientiam, gratiam, & gloriam, quoniam talis misericordia longe melior est quam ulla vita longa, & felix in hoc mundo. Sunt, qui per vitas intelligunt functiones hominum, & vitæ conditiones.

V. 6. & seq. *Sic benedicam*, &c. Pollicetur unionem cum Deo, per benedictionem, invocationem, & laudes: idque non uno tantum in loco, sed passim, nec semel. Tandem vers. 10. prædicit interitum persecutorum: occidentur descensuri in infernum, & cedent in partes vulpium, ac ferarum, seu dæmonum, qui ut vulpes insidiantur hominibus. Regi vero David, aut Christo restabit læta victoria, &c.

BOSSUET.

Vers. 1. IN DESERTO IDUMAEAE: *Iudaea*, Heb. & LXX. apud Theodor. in deserto Ziph, quæ in tribu Iuda. I. Reg. XXIII.

*V.*2. QUAM MULTIPLICITER, &c. *desideravit te caro mea*: Hier. Affectus animi præ vehementia in ipsum corpus redundant.

V. 3. SIC IN SANCTO, quasi in sanctuario, quod quidem assidue animo volutabam.

V. 4. SUPER VITAS: melior omni vita divitum, potentium, hominum suaviter viventium, cuiuscumque generis.

V. 6. SICUT ADIPE, &c. tamquam cibo suavissimo repleor, cum te laudo.

V. 7. SI MEMOR FUI TUI, &c. cum recordor tui in cubili meo, tum exultat os meum: ex vers. præced.

V. 8. IN VELAMENTO, *in umbra*, Hier.

V. 10. IN VANUM QUAESIERUNT, &c. *Interficere quærunt animam meam* (me) Hier. IN INFERIORA TERRAE, in sepulcrum.

V. 11. PARTES VULPIUM, &c. pars vulpium, & eorum cibus: bestiis laniandi relinquentur.

V. 12. REX, David. QUI IURANT IN EO, Rege scilicet, per cuius salutem iam libere iurabitur, Saule, & inimicis extinctis. Theodor. LOQUENTIUM INIQUA, *mendacium*, Hier.

PSAL-

PSALMUS LXIII. DEPRECATORIUS, ET INCREPATORIUS.

In maledicos, qui conspiratione facta Saulem in ipsum instigabant.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori Psalmus David.

Audi Deus vocem meam loquentis: a timore inimici serva vitam meam.

Absconde me a consilio malignorum: a tumultu operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt quasi gladium linguam suam: tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.

Ut sagittarent in absconditis simplicem: subito sagitabunt & non timebunt.

Confortaverunt sibi sermonem pessimum, narraverunt ut absconderent laqueos: dixerunt quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio, & cogitatione singulorum, & corde profundo.

Sagittabit ergo eos iaculo repentino: inferentur plagæ eorum.

Et corruent in semetipsos linguis suis: fugient omnes qui viderint eos.

Et timebunt omnes homines & annuntiabunt opus Dei, & opera eius intelligent.

Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & exultabunt omnes recti corde.

VERSIO VULGATA.

In finem,
1. Psalmus David.

2. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

3. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas intenderunt arcum rem amaram, 5. ut sagittent in occultis immaculatum.

6. Subito sagittabunt eum, & non timebunt: & firmaverunt sibi sermonem nequam.

5. Narraverunt ut absconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos?

7. Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

† Accedet homo ad cor altum: 8. & exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: 9. & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos: 10. & timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.

11. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 7. *Defecerunt scrutantes scrutinio*. Non est opus sextum casum numeri singularis *scrutinio* vertere in quartum pluralis *scrutinia*.

Lectionum Varietas.

V. 7. *Accedet homo ad cor altum*. Multi libri pro *ad* præpositione, habent coniunctionem *&*, quemadmodum Græca, & Hebræa: qua de re nostræ Notationes.

Notationes.

Vers. 7. Defecerunt *scrutantes scrutinio*. Hæc communior est lectio. Quædam vero exemplaria legunt: *Defecerunt scrutantes scrutinia*: unum Parisiensium, Moguntinum, tria Hentenii, tria nostra, Lobiensis codicis Gallicum Psalterium, Cathenæ Francisci de Puteo adiunctus textus, & Psalmi R.D. Lindani; consentientibus Enarratoribus Beda, Remigio, Ludolpho, Richelio, & Pastura. His accedit Romanum Psalterium, quod cum Cassiodoro Senatore singularis numeri quarto casu habet: *Defecerunt scrutantes scrutinium*; quo modo & latum Plantini antigraphum legit. Suffragatur eisdem D. Augustini lectio: *Defecerunt scrutantes scrutationes*. Consonant Græci libri ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσει; quibus Euthymius monachus adhæret, qui exponens ait: „ hoc est, Defatigati sunt „ quærentes dolosas artes." Apollinaris carmine in hunc modum reddidit: *οἱ δ' ὀλιγηπελίησιν ἀπείριτα μαστεύοντες*, *sed defecerunt intermina perquirentes*. Hebraice est תמנו; חפש מחפש; quod Felix interpretatus est: *Perfecerunt scrutinium investigatum*. Alius: *Exequuntur quod scrutando excogitatum est*. Hieronymus ut LXXII. transtulit: *Defecerunt scrutantes scrutinio* (R. *Scrutinium*; O *Scrutationes*) nam תמם, a quo deducunt תמנו, quandoque *deficere* significat. Putant autem Nun aut loco alterius Mem (תממנו) aut loco Daghesch, quod ipsi Mem insigendum erat (תמנו) positum, quemadmodum & in Numeris, capitis XVII. versu 13. Hebraica nostra manuscripta Psalteria, Anglicanum, & alterum Societatis Iesu scribunt טמנו ח מ (quamquam illud Societatis videatur ח supra scriptum habere) quod est, *occultaverunt scrutinium investigatum*, præsertim si per Cametz legas טמנו; sed punctum Cametz Anglicanus codex non agnoscit. Atque hanc *tamenou* per ט litteram, sciptionem videtur & Felix Pratensis observasse, cuius altera ad marginem versio est: *Absconderunt scrutinium investigatum*. Immo D. Bredembachius hanc pro Hebraica lectione recitat, atque interpretatur. Porro ut ad Latinorum codicum varietatem redeamus, eodem fere recidit utriusque lectionis, *scrutinio*, *scrutinia*, sensus. Significatur enim utraque diligentissima perscrutatio, perinde ac si diceretur, quod sæpe alias occurrere solet, Defecerunt scrutando scrutantes. Si vero referre placeat *scrutinio*, non tam ad *scrutantes*, quam ad *defecerunt*, etiam hoc ex altera satis intelligitur lectione. Defecerunt enim scrutantes scrutinia, in scrutiniis utique. Defecerunt autem in scrutiniis, vel quia consilium commodum invenire non potuerint, vel quia inventum commode perficere non quiverint.

Ibid. *Accedet homo ad cor altum*. Ea frequentior est Latinorum codicum scriptura, quæ & eorum commentariorum esse videtur, quæ Hieronymo adscribuntur. „ Si, „ habent, cum sapientia Dei ad alti cordis „ intellectum quis accedens ista discrimi- „ net, id est veritatem, ac falsitatem di- „ scernat, tunc Deus exaltabitor." Huic similis est ea littera, cuius Hugo Cardinalis meminit: *Ad cognitionem altam*. Altera est non paucorum exemplarium scriptura: *Accedet homo & cor altum*. Sic enim antiqua Epanorthotæ; quatuor Parisiensium, Vet. Di. a. M. Ge. L. ar; Duo Hentenii, quorum alterum, haud dubito, Atrebatensis Collegii est; tria aut quatuor nostra, Brugense, Gallicum codicum Tornacensis, & Stapulensis, Romanum Lobiensis. Sic Lugdunensia Biblia alias legi in margine notant. Sic denique in quibusdam Benedictinorum Psalteriis D. Iansenius reperit: hæc esse videtur commentariorum Arnobio attributorum lectio. „ Videntes, habent, se de- „ fecisse, & hominem accedere ad superio- „ rem gradum iustitiæ, faciunt ei cor al- „ tum, ut per elationem cordis eius exal- „ tet se Deus ab eo." Hanc secuti sunt

Bru-

Bruno, & Richelius: utramque exponunt Petrus Lombardus, Haymo, & Remigius. D. Augustinus quid legerit difficulter statui posset: *ad* costaoter in commentariis eius reperitur: *&* autem legendum ex ipsa commentariorum enarratione R. D. Iansenius ostendere adnititur. Certe V. Beda, dum eam quæ ex Augustino sumpta esse videtur, explicationem profert, diserte *& cor altum* legit atque exponit, subiungitque: „ Habet nostra translatio: *Ad cor altum*, „ quod satis congrue legi potest sic " &c. Theodoritus, atque Euthymius Græci Tractatores *& cor altum* legunt. Sic & Græci codices habent: προσελεύσεται ἄνθρωπος, καὶ καρδία βαθεῖα. Notatom habemus Vaticano exemplari καρδίᾳ legi; id quod convenire non videtur, nisi legas προσελεύσεται ἄνθρωπος καρδίᾳ βαθείᾳ; aut προσελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδίᾳ βαθείᾳ. S. προσελεύσεται: quibus modis lectioni *ad cor altum* suffragetur. Græcum Apollinaris carmen est κεκοθεν ἰδμοσι μήτιν ἔχων προσελεύσεται αὐτό; cuius sensus est: *Accedet vir prudenti consilio ex imo* (petito) *instructus*. Hebraici codices habet וקרב איש ולב עמק, quod est: *Et accedet homo & cor altum*. LXXII. legerunt וְקָרַב, quod est *& accedet*; vel יִקְרַב, quod est, *accedet*. Nostra Biblia יִקְרַב punctata sunt; itaque transfert Felix: *Et interius viri & cor profundum*; subaudi ex præcedentibus, *perfecerunt*. Alius: etiam intimum cuiusque & cor profundum. S. exquirunt. Sensus est: Inquisierunt vel inquirunt quidquid humano ingenio humanaque diligentia inveniri potest. Ad similem modum & Hieronymus interpretatus est (a. *Et) Cogitationibus (l. cogitatione) singulorum & corde profundo. S. defecerunt*: in pervestigandis, scilicet variis profundisque consiliis defeceruot. Inter hæc autem Hebræis coniunctio constanter legitur (*& cor*) non præpositio; quamobrem castigatores D. Lindanus, Iacobus, Parisienses, Psalterium emendarunt: *Accedet homo & ad cor altum*. Cuius sensus, Euthymio auctore, est: Ad pravos istos perversa huiusmodi consilia investigantes, accedet homo aliquis illorum pravitati inserviturus: acceder, inquam, homo qui sit cor altum, hoc est magni & profundi consilii. Beda codicum quos consuluit depravatione falsus, ut videtur, nostræ translationi, *ad cor altum* tribuit. Porro non absimiliter ea lectio intelligi possit. *Accedet homo ad cor altum*, utetur alto profundoque consilio. Id quod eodem plane modo priori lectione significabitur, si verbum *accedet* subaudiendo repetas.

(a) *Utramque lectionem P. Lombardus agnoscit.*

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. EXAUDI DEUS ORATIONEM MEAM CUM DEPRECOR. Heb. *vocem meam in oratione mea.*

V. 3. PROTEXISTI ME. Hebr. *Protege me.*

V. 4. INTENDERUNT ARCUM. Hebr. *Emiserunt sagittam suam*, id est tamquam sagittam suam, *verbum amarum*, id est maledicum.

V. 6. FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM. Hebr. *Confirmaverunt sibi verbum malitiæ*; id est, obstinati sont in suo malo consilio. NARRAVERUNT UT ABSCONDERENT LAQUEOS. Hebr. id est, contulerunt inter se sermones quomodo laqueos absconderent.

V. 7. DEFECERUNT SCRUTANTES SCRUTINIO. Hebr. *Perficiunt investigationem investigatam*; id est, exequuntur excogitata callide consilia; aut, investigant & excogitent quidquid investigari excogitarique potest. ACCEDET HOMO, &c. Hebr. וקרבאיש ומק ומק וירםאלהים; id est, *etiam intimum viri* (id est cuiusque investigant) *& cor profundum*. Deus autem sagittabit eos sagitta repente. Sepr. mutatis punctis legerunt קרב, & ירם προσελεύσεται ἄνθρωπος, καὶ καρδία βαθεῖα, καὶ ὑψωθήσεται ὁ Θεός.

V. 8. SAGITTAE PARVULORUM. Hebr. *Repente factæ sunt plagæ eorum*; aut, sagitta improvisa factæ sunt illis plagæ; id est, subito vulnerati sunt a Deo. Septuag. pro פתאום legerunt פתאים, *parvulorum*, βρεφώδεις νηπίων.

V. 9. ET INFIRMATAE SUNT. *Offendere facient contra semetipsos linguam suam*; id est, ipsi se sua mordacitate perdent, & movebunt se quicumque viderit eos, id est attonitus erit.

V. 10. ET TIMUIT OMNIS HOMO, &c. Hebr. *Et videbunt omnes homines, & annuntiabunt opus Dei, & factum eius intelligent*, aut considerabunt.

SA.

SA.

De Christi passione, & resurrectione.

Vers. 2. A TIMORE, scilicet ne timeam. ANIMAM. Hieron. *& vitam.*

V. 3. PROTEXISTI. Græc. *protege*. Hieron. *abscon de*.

V. 4. QUIA. Græc. & Chald. *qui*. ARCUM. Hieron. *sagittam suam*. REM AMARAM: appositive. Chald. *sagittis unctis veneno mortifero*.

V. 6. TIMEBUNT, scilicet Deum. FIRMAVERUNT SIBI; id est, inter se constituerunt animo obfirmato. SERMONEM NEQUAM, id est rem pessimam, scilicet perniciosum consilium de Christo occidendo. NARRAVERUNT; id est, inter se tractarunt.

V. SCRUTATI SUNT, id est excogitarunt. INIQUITATES, id est varios nocendi modos. DEFECERUNT; id est, fatigati sunt quærendo. ALTUM, id est profundum; quasi dicat: Profundo corde mala machinantur.

V. 8. EXALTABITUR; id est, ostendet se superiorem, destruendo consilia eorum, & puniendo illos, Christumque resuscitando. SAGITTAE PARVULORUM, &c. quasi dicat: Tamquam stulti Dei sagittis interficientur.

V. 9. INFIRMATAE, &c. quasi dicat: Ea mala quæ contra alios loquebantur, in ipsos recident. EOS, scilicet a Deo punitos.

V. 11. LAUDABUNTUR. Hieron. *Exultabunt*.

ESTII.

Vers. 8. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM, ET EXALTABITUR DEUS. De hoc loco ita F. Lucas: „ Non „ iudicarunt Romani Correctores præpo„ sitionem *ad* commutandam cum con„ iunctione *&*; quod alii multi iudicant. " Sic ille. Videtur tamen Auctor Libri de Oper. Cardinal. apud Cyprianum in Præfat. legisse, *ad cor altum* „. Quantumlibet, „ inquit ad cor altum homo ascendat, „ exaltetur Deus.„ Est auctor ille Salvianus Augustino posterior.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID. Contra calumnias, & fraudes implorat Deum seu David, seu Christus.

V. 2. A TIMORE INIMICI, ne eum timeam: vel *a timore* quo timeo inimicum, eripe me.

V. 3. PROTEXISTI ME. Grec. *σκέπασον* *protege*. Hebr. *abscondes me*, pro abscon de: sic Hieronymus. A CONVENTU. Hebr. *a consilio*; sed *consilium* sumitur, & significat *conventum*, sicut & סוד *sod* Hebr.

V. 4. QUIA. Græc. *qui*. Hebr. vox אשר *aser*, *qui*, & *quia* significat. EXACUERUNT ad maledicendum. INTENDERUNT ARCUM. Hebr. *sagittam suam*. REM AMARAM: appositive. Hebr. *verbum amarum:* scilicet sagitta est verbum amarum, quod ex ore & lingua ut sagittam emittunt.

V. 5. UT SAGITTENT IN OCCULTIS, id est ex insidiis.

V. 6. SUBITO, de improviso. FIRMAVERUNT SIBI: firmiter statuerunt male loqui, aut male agere: nam *dabar* & *rem*, & *verbum* significat, ut & vers. 4. ubi ait, *rem amaram*. NARRAVERUNT, id est se mutuo hortati sunt. QUIS VIDEBIT EOS? scilicet laqueos: Insidias quis videbit? sic dixerunt.

V. 7. SCRUTATI SUNT: investigarunt, excogitarunt iniquitates, id est quo modo mihi nocerent. DEFECERUNT: sic Hieronymus, non *perfecerunt*, ut alii vertunt. SCRUTINIO. Hebr. *investigatione investigata*: in irritum abiit conatus eorum. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM; id est, homo id in corde occulte machinabitur. Hebr. *intimum viri & cor profundum*: scilicet defecerunt omnes illæ fraudes.

V. 8. ET EXALTABITUR DEUS, scilicet cum eorum consilia dissipaverit. Hebr. *Et sagittabit eos Deus*; id est, evertet eorum consilia. SAGITTAE PARVULORUM, id est sine viribus. Hebr. *sagitta repente:* scilicet sagittabit eos Deus, existent plagæ eorum scilicet repente aut subito. Sæpe una vox in lingua Hebr. debet duplicari, Pro פתאם *pitheom*, id est *subito*, Septuag. legerunt פתאים *pethaim*, id est *parvulorum*.

V. 9. ET INFIRMATAE SUNT: nihil præstitere. Hebr. *Et offendent seipsos lingua*

sua. Sic Chald. Conturbati sunt, videntes Dei iudicia.

V. 10. Et timuit: sic lege, non *vidit*, ut quidam vertunt. Hieron. & Chald. *Timebunt omnes homines*: nam Hebr. est in plurali, quod Septuag. in singulari. Et annuntiaverunt, pro annuntiabunt. Opera Dei, supplicia, prudentiam, miracula, quibus conatus pravos pervertit.

V. 11. Et laudabuntur: gloriabuntur, triumphabunt recti corde.

MALVENDAE.

Vers. 2. Cum deprecor. Hebr. *In sermone meo, in oratione mea, in precatione, querimonia, meditatione mea*: proprie *in enaratione mea*, ex corde. Quidam: *In commemoratione calamitatum mearum*. A timore inimici. Hebr. *a pavore malevoli*, id est quem mihi affert malevolus. Alii hypallagem esse volunt, ab hoste metuendo, & formidabili.

V. 3. Protexisti me a conventu malignantium. Quidam: *Abscونde me ab arcano consilio maleficorum*; id est, consilium eorum mihi nocere possit. Alii: *Abscondere me a multitudine pravorum secreto consultantium adversum me*. Nonnulli: *Tuere me ab occultis artibus malignorum*. A multitudine operantium iniquitatem. Vocem רגשת *reghaschah* varie reddunt: *A congregatione, conspiratione, conventiculo, societate, fremitu, tumultuatione, operantium ex concupiscentia*, seu *operam dantium pravis cupiditatibus*: nos ex proprietate vocis diximus, *A tonitru*: nam improbi quasi tonitribus & fulminibus in probos invehuntur. Vide in Psal. LIV. 15.

V. 4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas. Allegoria, qua aulicas criminationes cum armis castrensibus comparat, ut Psal. x. 2. & Psal. LVI. 5. Intenderunt arcum rem amaram. Diversimode alii ex Hebr. I. *Tetenderunt sagittam suam verbum amarum*. II. *Intentant ut saggitam suam verbum amarulentum*, id est virulentum atque venenatum: metaphora a sagittis. III. *Ceu tenso arcu amara verba pro sagittis eiaculantur*. IV. *Sagittis, quibus hostes capitales peti solent, similis factus est virulentus sermo illorum*. V. *Intendunt sagittam suam ut rem tristem*.

V. 5. Immaculatum. Hebr. *Consummatum, integrum, sincerum, simplicem, perfectum, innocentem*. Sic nominatim probat innocentiam suam, & se comparat cum adversariis, quos maleficos, & operarios iniquitatis nominavit vers. 3. Et non timebunt. Per præsens alii: *Et non timent*: nullo timore, nulla reverentia Dei a facienda iniuria bonis abducuntur, nulla humanitatis lege: nulla est apud eos religio.

V. 6. Firmaverunt sibi sermonem nequam, narraverunt ut absconderent laqueos. Non uno modo ex Hebr. transferunt. I. *Corroborant sibi ipsis verbum nequam*; id est, multis technis corroborare student noxiam delationem apud Saulem: *narrant*, id est commentantur, recensent, conferunt consilia, & sermones, *de abscondendis laqueis*. II. *Confirmant, obfirmant se in re mala*. III. *Costituerunt inter se rem iniquam, collocuti sunt ut laqueos clam tendant*. IV. *Animo obfirmato constituerunt inter se rem perpetrare execrabilem: post multa ultro citroque habita verba, abscondere decreverunt laqueos*. V. *Confirmant sibi rem malam, narrant de abscondendis laqueis*; id est, vi aperta, & cuniculis agunt. Dixerunt. Exponunt: Rebus instructis, & comparatis ad dolum, gloriantur non posse integrum effugere: quod etiam amplificatur sequente versu. Quis videbit eos? Plerique intelligunt, nimirum laqueos; quasi dicat: Laqueos ea arte abscondunt, ut neminem fraudem illam deprehensurum sibi persuaserint. Alii volunt esse enallagen personæ, *eos*, id est nos.

V. 7. Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum. Multifariam hunc versum ex Hebr. explanant. I. *Inquirent obliquitates*, id est omnes vias obliquas quibus me perdant: *compleverunt inquisitionem inquisitam*; vel *absolverunt scrutationem perquisitam*, seu *perquirendam*; id est, nullam rationem aut viam prætermiserunt me diligentissime perquirendi: nihil omiserunt, quod perquiri poterat adversum me: *& medio viri, & corde profundo*; id est, intimo Sauli & corde eius profundo excogitatam. II. *Scrutati sunt obliqua, compleverunt scrutari scrutationes, in ventre viri, & corde acuto*. III. *Scrutantur iniquitates, perficiunt scrutinium scrutatum*,

tatum,

tatum, *& intimum uniuſcuiuſque*, *& cor profundum*, ſubaudi perficiunt, ſeu abſolvunt: quaſi dicat: Quidquid inveniri, aut excogitari poteſt intimo & profundo corde hominis, ſeu quavis humana diligentia, illud exequuntur. IV. *Inveſtigant pravitates*, *conſummarunt perveſtigatam veſtigationem*. V. *Scrutantur occaſiones*, *perficiunt ſcrutinium aſtute perveſtigatum*. VI. *Exquirunt malitias*; id eſt, ſummo ſtudio quærunt qua ratione poſſint mihi nocere: *& exequuntur, quod ſcrutando ſcrutatum eſt: etiam intimum viri*, *& cor profundum*. VII. *Denudabunt*, ſive ſcrutabuntur, *iniquitates*, iniuſtitias, *abſconderunt nudationem nudandam*, vel *nudatam*, id eſt rem perſcrutatam; hoc eſt, celant quod ſcrutinio ſcrutati ſunt: vel *perveſtigabunt malitias*, *abſconderunt perveſtigationem perveſtigatam*, *& mente quiſque & corde profundo*. VIII. *Perſcrutantur iniquitates*, *conficimur perſcrutatione perſcrutata*, id eſt iis quæ callidiſſime ſunt perſcrutati: *adeo intimum viri*, *& cor profundum eſt*. Exponunt: Id eſt, ut ipſorum iudicio, non poſſumus artes tam ſubdolas percipere, nedum effugere; ſic etiam agnoſcimus non eſſe poſitum in facultate noſtra, ut mala quæ nobis comparant, poſſimus opera noſtra effugere, aut induſtria cognoſcere. Hoc autem verbum ita accipiendum eſſe oſtendit, cum ſeries argumentorum, tum etiam loci conſimiles, Numeror. XVII. 13. Lamentat. III. 22. *Viri*, ſive Saulis nominatim, ſive univerſe omnium: nam utrumque verum eſt: vide Ierem. XVII. 9. IX. *Scrutati ſunt iniquitates*; id eſt, veſtigant varias nocendi artes: *perfecerunt ea quæ ſcrutati ſunt*: *etiam intimum cuiuſque & cor profundum*; id eſt, etiam intimos animorum ſenſus ſcrutantur, adeo ſunt callidi & malitioſi. X. *Inquirunt prava conſilia*, *toti ſunt in inveniendo*, *quiſque in ſinu & pectore ſuo*. XI. *Excogitaverunt varios nocendi modos*, *abſolverunt conſilia ſua*, *& in unum contulerunt*, *quidquid ulla diligentia excogitari potuit ab animo humano*, *etiam ſumma prudentia prædito*. Hiſpanicus Interpres: *Eſcudrinnan*, *inquiren*, *iniquidades*, *perficionan la inquiſicion de lo inquirido*; id eſt, *ponen en effecto lo que inventaron*: *y lo que invento lo intimo de cadauno:*, *y el coraçon inventivo*. Defecerunt. תמנו *thamnu*. Hebræi notant poſitum pro תמנו *thamenu*, *conſummaverunt*, *perfecerunt*. Alii volunt poni pro טמנו *tamonu*, prima perſona, *conſummavimus*, *perfecimus*: ut ſit mimeſis, ſeu proſopopœia: vel intranſitive, *conſumpti*, *confecti ſumus*, ut Numer. XVII. & Lamentat. III. 22. Notant Forſterus, Leo Iudas, Bredembachius, Schindlerus, quædam exemplaria legere cum Tet, טמנו *tamenu*, *abſconderunt*, *occultaverunt*, *perſcrutationem perſcrutatam*, &c.

V. 8. Et exaltabitur Deus. Sagittae parvulorum factae ſunt plagae eorum. Noſtra Translatio hunc verſum ordine ex Hebr. transfudit (*Et iaculatus fuit eos Elohim ſagitta ſubito: fuerunt percuſſiones eorum.*) Alii dilucidius ita. I. *Et iaculatus eſt in eos Deus ſagittam ſubito*, *mox fuerunt plagæ eorum*; ſed illis. II. *Sed petet eos Deus ſagitta de improviſo*, *qua plagis afficientur*. III. *Quin potius Deus iaculabitur in eos ſagittas de improviſo*, *variis vulneribus conficiet eos*. IV. *Et ſagittabit eos Deus ſagitta repentina*, *exſtabunt plagæ eorum*. V. *Itaque iaculabitur in eos Deus ſagittam ſubito: ſubito exiſtent plagæ* Subaudiunt iterum vocem *ſubito*, quod Hebræis dictiones in medio poſitæ facile repeti intelligantur, quo ad utramque partem referri queant. VI. *Sed ubi iaculis petierit eos Deus*, *a ſagitta repentina fuerunt plagæ eorum*. Ut iudicia Dei ſunt velociſſima, & præſentiſſima illius manus: ſic pergit Propheta in allegoria, oſtendens multo validius uſurum Deum armis ſuis contra illos, quam illi contra Davidem poſſint. Antitheſis ſuperioris verſus quinti. Buchananus:

Aſt illos ſubiti cuſpide ſpiculi
Incautos feriet magna Dei manus,
Et letalia certa
Figet vulnera dextra.

Ratio verſionis LXX. facilis eſt, & expedita: quam Explanatores paſſim elucidant.

V. 9. Et infirmatae ſunt contra eos linguae eorum. Hebr. *Et impingere fecerunt eam ſuper eos linguam eorum*: Varie alii. I. *Et fecerunt impingere ipſum* Saulem; id eſt, aulici eum perdiderunt: *ſuper ipſos lingua eorum*; id eſt, in ipſos reciderunt criminationes eorum, quibus me petebant. II. *Et impingere fecerunt in ſemetipſos ipſam linguam ſuam*; id eſt, fecerunt ut ſua ipſorum lingua in eos impin-

pingat; quasi dicat: Suis delationibus perituri sunt. *Tunc corruent in eos linguæ eorum*. IV. *Et impingere facient eam linguam suam contra se*. V. *Prosternentque super se linguam suam*. VI. *Fecerintque ut ipsa lingua sua in se ipsos impingant*; id est, se suo gladio iugulaverint, & sibi ipsis, suis delationibus creaverint malum, vel perniciem ipsi sibi petulantissima sua lingua comparaverint. VII. *Et exprobraverunt hæc videntes eamdem eis illam linguam virulentam, quam ipsi in alios exacuerant*. CONTURBATI SUNT OMNES QUI VIDEBANT EOS. Nos Hebræa reddimus (*Removere se se facient omnis videns in eis*.) Alii diversimode. I. *Movebuntur omnis videns in ipsis*. II. *Fugient, exagitabuntur, commovebuntur, stupebunt, trepidabunt, omnes videntes ipsos*; id est, tanta erit eorum pœna, ut quicumque videat eam, mox consternatus fugiat, timens ne similibus pœnis involvatur. III. *Ut contremiscat quisquis eos viderit*. IV. *Movebunt*, scilicet caput, tamquam illudentes, & insultantes hoc gestu, eorum calamitatibus, omnes qui viderint eos. V. *Attoniti facti sunt, propter subitum illorum casum, quotquot aderant spectatores*. VI. *Quicumque aspexerint eos, stupefacti facessent*. VII. *Vagi se in fugam dabunt quisquis* improbus *viderit eos*: ut ostendit antithesis versus 11. Itaque est hic ecclipsis antitheti, ut infra Psal. LXV. 20.

V. 10. ET TIMUIT OMNIS HOMO. ET ANNUNTIAVERUNT OPERA DEI. Hebr. *Et timuerunt*. Alii: *Et viderunt*: nam levi mutatione utroque modo potest legi. Nonnulli reddunt: *Quicumque autem homines reverentur Deum exercentem iudicia sua, nuntiabunt opus Dei*.

MENOCHII.

Vers. 2. A TIMORE INIMICI: ne inimicum timeam.

V. 3. PROTEXISTI ME. In Græco est σκέπασον, *protege*. A CONVENTU MALIGNANTIUM: a factiosa coitione eorum qui maligne agunt, & mihi malum machinantur. A MULTITUDINE. Hebr. *a tumultu*, vel *fremitu*. OPERANTIUM INIQUITATEM, hominum deditorum iniquitati exercendæ.

V. 4. REM AMARAM, arcum amare, & perniciose ferientem.

V. 5. IN OCCULTIS, ex occulto loco, per insidias. IMMACULATUM, innocentem.

V. 6. SUBITO, de improviso, citra ullum Dei, aut hominum metum. FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM: firmiter, & pertinaciter statuerunt sermonem, id est consilium suum nefarium perficere, confirmaverunt se ad rem malam perpetrandam. NARRAVERUNT UT ABSCONDERENT LAQUEOS: consilium inierunt ut tenderent insidias.

V. 7. SCRUTATI SUNT INIQUITATES: vestigarunt iniquas nocendi vias, excogitarunt varias nocendi rationes, & modos. DEFECERUNT, &c. excogitando, & quærendo dolosas artes fatigati sunt. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM: ad altas, profundas, & callidas cogitationes.

V. 8. ET EXALTABITUR DEUS; quasi dicat: Conati sunt Deum quodammodo fallere, & comprehendere suis astutiis, & cordis profunditatibus; sed Deus profundiore, & altiore sua sapientia conatus illorum lusit. Vel sensus est: Verum hæc illis agentibus exaltabitur Deus, qui inefficacia reddet eorum cogitata, & inventa, comprehendens sapientes in sapientia sua. SAGITTAE PARVULORUM invalidæ, & vulnus inferre non valentes. PLAGAE EORUM, ictus eorum.

V. 9. INFIRMATAE SUNT CONTRA EOS LINGUAE EORUM: infirmæ factæ sunt ut eis nocere non possent. CONTURBATI SUNT: timuerunt, horruerunt videntes, quam graviter illos punivisset Deus.

V. 10. ANNUNTIAVERUNT: celebraverunt divinam iustitiam. FACTA EIUS INTELLEXERUNT, quam scilicet sit in bonos beneficus, & in malos severus vindex.

V. 11. LAETABITUR IN DOMINO, Dei opem in se expertus. LAUDABUNTUR OMNES RECTI CORDE: cum laude gloriabuntur iusti omnes: vel iusti laudabuntur, si recte vixerint, ideoque a Deo bona consecuti sint.

TIRINI.

Verſ. 4. ARCUM REM AMARAM: appoſitio, id eſt arcum, qui eſt res amara, quia eiaculatur ſagittas mortiferas, nempe *unctas veneno mortifero*, inquit Chaldæus. Talis eſt lingua calumniatorum, quæ verba vibrat amariſſima, & lethifera.

V. 5. FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM; id eſt, ſtatuerunt rem peſſimam exequi; puta, Davidem opprimere; allegorice, Chriſtum occidere.

V. 6. NARRAVERUNT; id eſt, inter ſe tractarunt.

V. 7. SCRUTATI SUNT, id eſt ſtudioſe excogitarunt, INIQUITATES, id eſt iniquas nocendi vias, & modos; ſed DEFECERUNT SCRUTANTES SCRUTINIO; Hieronym. *ſcrutinium*; id eſt, laſſati ſunt in ſuo ſcrutinio, & fruſtra ſcrutati ſunt: nam congruam rationem perdendi me reperire nequiverunt. Ita ſanctus Auguſtinus. Tropologice aptatur hæreticis qui perperam interpretantur Scripturas.

V. 8. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM, id eſt profundum; quaſi dicat: Homo nequam profundo, corde & conſilio varios, & miros modos excogitabit perdendi me, & poſtea etiam Chriſtum. Sed EXALTABITUR DEUS; id eſt, ſemper Deus longe illo altior & profundior erit, patefaciendo, & diſſipando omnia illius diabolica conſilia, atque in illiuſmet perniciem retorquendo. Unde Symmachus, Aquila, & Theodotion vertunt: *Mentem & cor profundum hominis Deus configet*. Hieronymus, & Chaldæus adnectunt præcedentibus, hoc modo: *Defecerunt ſcrutantes machinationem*, intra ſe, & *corde profundo*: defecerunt, inquam, quia *illo* profundo *altior eſt Deus*.

V. 9. SAGITTAE EORUM, id eſt calumniæ impiorum, FACTAE SUNT imbecilles, ſicut PARVULORUM PLAGAE, id eſt ſicut plagæ quas imbelles infantuli obtuſa ſagittæ cuſpide inferre conantur, nec poſſunt. Et potius CONTRA EOS, id eſt in ipſoſmet auctores, reflexæ ſunt, & reciderunt LINGUAE, id eſt calumniæ, EORUM, eoſque *infirmarunt*, & debilitarunt. Ita vertunt iidem Symmachus, Aquila, Theodotion, & probat Theodoretus. Hieronymus, & Chaldæus ad Deum id referunt, hoc modo: *Excutiet in eos Deus ſagittam repente, & plagas iis inferes*: nempe diverſis punctis pro פתאים *pethaim*, id eſt *parvulorum*, legerunt פתאום *pitheom*, id eſt *ſubito*, *repente*.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM PSALMUS DAVID. Pro argumento habet orationem Davidis contra perſecutionem Saulis. Aliqui ſolum de Chriſto eſſe intelligunt. At forte de utroque, & de Davide ut typo Chriſti. Referri etiam poteſt ad quemvis iuſtum in hac ſolitudine & deſerto ſuſpirantem.

Verſ. 7. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM. Sept. προσελεύσεται καὶ καρδία βαθεῖα. Heb. *Et cogitatione viri, & corde profundo, & ſagittabit eos Deus*. Nunc quidem eſt in Hebræo כרב *chereb*, hoc eſt *intimum*, vel *cogitatio*. Sed Septuag. legerunt כרב *charab*, *acceſſit*. At quomodo habent Septuag. &? Sane in Græco textu nunc habetur, & (καὶ καρδία βαθεῖα) tamen olim Hieronymus, Hilarius, & Auguſtinus legerunt in Græco, *ad cor altum*. Poſtremo recte Septuag. verterunt: *Et exaltabitur*: nam hoc ſignificat ויורם *vaiorem*, *exaltabitur*, in coniugatione Hophal, a radice רום *rum*, *altus fuit*, *evexit*. Alioquin ſi deduceretur *vaiorem* a radice ירה *iarah*, ſignificabit *ſagittabit*. Vide Pſalm. LX. verſ. 3.

V. 8. SAGITTAE PARVULORUM. Septuag. βέλος νηπίων. In Heb. eſt, *ſagitta repentina*. Oportet Septuag. legiſſe פתאים *petaim*, *parvulorum*; non vero פתאם *pitheom*, *repentinum*. Vide rad. פתה

V. 9. CONTURBATI SUNT OMNES. Septuag. ἐταράχθησαν Heb. יתנודדו *iithnodedu*, a radice נדד *nadad*, *commovebunt ſe*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. *uſq. ad.* 8. EXaudi Deus, &c. Qui hic petit liberari a perſecutoribus, eſt David vexatus a Saule, & alio ſenſu ut typus Chriſti, aut etiam martyrum, & iuſtorum. Et continuo uſque ad verſum 8. perſequentium deſcri-

ſcribit perverſitatem. Quæ ſane omnia recte conveniunt perſecutoribus Chriſti.

V. 8. *& ſeq.* Sane etiam ſi ad litteram hæc pars Pſalmi referatur ad Chriſtum, ſatis commode omnia ei conveniunt: ille enim accedens ad paſſionem, acceſſit ad cor altum, obiiciens ſe morti, tamquam infirmum. Sed homo ſic ſe humiliat, exaltatus eſt Deus, quando in reſurrectione demonſtrata eſt ſapientia, & patientia Dei, & ex reſurrectione apparuit, plagas, & tela iniecta a Iudæis fuiſſe invalida, velut ſagittas puerorum. Conturbati ſunt & illi, & qui viderunt eos, & ex conſequenti, cognita potentia timuerunt. Prædicare denique cœperunt, & annuntiare facta Dei mirabilia; & inde merito lætabitur iuſtus. Atque hæc de Chriſto. Sed neque difficile eſt hæc ad Davidem referre, qui perſecutiones a potenti hoſte illatas, pertulit magno animo, & corde alto. Itaque fecit, ut proſtrato hoſte, tela adverſariorum redderentur inania.

BOSSUET.

Verſ. 3. PROTEXISTI. *Abſconde*, Hier. protege. A MULTITUDINE, *a tumultu*: Idem.

V. 4. ARCUM: *ſagittam ſuam verbum amariſſimum*: Hier. hoc enim ſagittæ inſtar.

V. 6. FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM: frontem obfirmaverunt ad aggerendas calumnias. QUIS VIDEBIT EOS? laqueos ſcilicet. Tantæ artes, tam occultæ tendiculæ, ut nullus cautioni locus.

V. 7. SCRUTATI SUNT INIQUITATES: vias nocendi ſtudioſe exquiſierunt. DEFECERUNT SCRUTANTES, &c. *perfecerunt ſcrutinium ſcrutinii*: Heb. occultiſſimum ac profundiſſimum. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM, ad intima hominis. Cum facta deſint quæ arguant, etiam corda ſcrutantur, & arcanas cogitationes accuſant. Sic enim David ipſe queritur ad Saulem: quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adverſum te. I. Reg. XXIV. 20.

V. 8. EXALTABITUR DEUS, ulciſcendo & puniendo. Senſus apertus; ſed aliter Hier. SAGITTAE PARVULORUM FACTAE SUNT PLAGAE EORUM: ut hoc ad vindictam pertineat quod *ſagittæ parvulorum*, imbecilles licet, tamquam infirma manu iactæ, tamen alte infigantur. Sed Heb. cui congruit Hier. *Sagittabit eos Deus iaculo repentino: inferentur eis plagæ*: quod eſt: Declinare non poterunt ictus. Atque ita Theodot. apud Theodor.

V. 9. INFIRMATAE SUNT, &c. *Corruent in ſemetipſos linguis ſuis*: Hier. ſibi mutuo nocebunt; ac tam varia fingent, ut nec ipſi ſibi conſtare poſſint.

V. 10. TIMUIT OMNIS HOMO. Cum viderint iniquos mutua veluti cæde confectos, ac Deum iuſtum eſſe, clamabunt. ANNUNTIAVERUNT OPERA DEI ... INTELLEXERUNT: *annuntiabunt ... intelligent*: Hier.

PSALMUS LXIV. EUCHARISTICUS.

Oblatis primitiis, vel frugibus collectis mense septimo; certe in magna solemnitate. Unde: Omnis caro ad te veniet.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori Psalmus David Cantici.

TIbi silentium laus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.

Exaudi orationem, donec ad te omnis caro veniat.

Verba iniquitatum prævaluerunt adversum me: sceleribus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegeris & susceperis: habitabit enim in atriis tuis, replebimur in bonis domus tuæ; sanctificatione templi tui.

Terribilis in iustitia exaudi nos Deus salvator noster: confidentia omnium finium terræ, & maris longinqui.

Præparans montes in virtute sua, accinctus fortitudine.

Compescens sonitum maris, fremitum fluctuum eius, & multitudinem gentium.

Et timebunt qui habitant in extremis a signis tuis: egressus matutini & vesperi laudantes facies.

Visitasti terram & irriga eam, ubertate dita eam, rivus Dei plenus aqua: præparabis frumentum eorum, quia sic fundasti eam.

Sulcos eius inebria, multiplica fruges: pluviis irriga eam, & germini eius benedic.

Volvetur annus in bonitate tua, & vestigia tua rorabunt pinguedine.

VERSIO VULGATA.

In finem, Psalmus David,
1. * Canticum Ieremiæ, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

2. TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ierusalem.

3. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

4. Verba iniquitatum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

5. Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, 6. mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: 8. qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, 9. & timebunt qui habitant terminos a signis tuis: † exitus matutini & vespere delectabis.

10. Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.

11. * Rivos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pin-

Pinguescent pascuæ deserti, & exultatione colles accingentur.

Vestientur agnis greges: & valles plenæ frumento coæquabuntur & canent.

13. Pinguescent speciosa deserti; & exultatione colles accingentur.

14. Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Canticum Ieremiæ & Ezechielis*. Ut non oportet addere *Aggai*, *Zachariæ*, aut *Ezechiæ*; ita non oportet omittere *Ieremiæ & Ezechielis*, qui duo Prophetæ, incipientis transmigrationis tempore vixerunt.

Ibid. *Populo transmigrationis, cum inciperent exire*. Non præponas ablativo *populo* præpositionem *de*: nec scribas mutatis casibus *de populi transmigratione*: multoque minus vel substituas, vel addas *de verbo peregrinationis*; quæ altera translatio est. Ad hæc *exire* melius est quam *proficisci*. Denique non est pars ista tituli, *Ieremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire*, facile omittenda, quamvis Hebraice non extet.

V. 11. *Rivos eius inebria*. Noli mutare verbum *inebria* in participium *inebrians*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 9. *Exitus matutini & vespere delectabis*. *Vespere* scribitur a quibusdam ut nomen genetivi casus, non minus quam *matutini*; non absque causa.

NOTATIO.

Vers. 1. TAnta est in huius Psalmi titulo codicum varietas, quanta vix alibi. In Latinis Lovaniensium Bibliis ad hunc modum se titulus habet: *In finem Psalmus David, Canticum Aggai, Ieremiæ, & Ezechiæ, populo transmigrationis, quando incipiebant proficisci*. Quidquid igitur ab hoc titulo varie legi deprehenderimus, ex ordine proferemus. Latinum manuscriptum sericatum Collegii Atrebatensis omittit *in finem*: quod tamen Græce, Hebraice, & Chaldaice, & aliis plerisque Latinis exemplaribus, Latinisque, & Græcis Tractatoribus constanter legit.

Psalmus David. In Græcis quibusdam exemplaribus est ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαυίδ, *Psalmus cantici David*: sed, ut existimo, aut istud ᾠδῆς superfluit (certe a S. Victoris Græco codice, & aliis quibusdam tollitur) aut illud ᾠδῆς quod statim sequitur. Nam tam Hebraice, quam latine semel dumtaxat legitur. *Canticum* omittit exemplar Hunnæi C., sed cum ab aliis plerisque non omittitur, tum Græce, Hebraice, & Chaldaice legitur.

Aggæum prætermittunt Lobiensis, & Tornacensis cænobiorum manuscripta, Atrebatensis Collegii sericatum exemplar, & Herbipolensis Psalterium conformiter Græcis libris, similiterque Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, Apollinari, & Theodorito.

Alterum Atrebatensis Collegii exemplar pro *Ieremia* nominat *Zachariam* ab aliis omnibus dissentiens, nisi quod Ruffinus varietatem hanc insinuasse videatur. Sericato rursus, & quidem soli, additur *Ieremia propheta*. Quædam & *Zachariam*, & *Ieremiam* nominant, Iacobo de Valentia teste: sed *Zacharias* neque ab antiquis Tractatoribus, neque a Græcis codicibus agnoscitur: posset tamen, quod Richelius sentit, tam Zacharias addi, quam Aggæus, & Ieremias.

Brugense manuscriptum, R. G. & F. Hunnæi, & latum Plantini suffragantibus, ut apparet, Arnobio Remigio Antissiodorensi, & Brunone, *Ezechielem* prætermittunt; cuius prætermissionem alia complura significare videntur manuscripta, quæ disiunctiva coniunctione scribunt *vel Ezechielis*; qui tamen a D. Hieronymo, Augustino, Apollinari, Theodorito, & Græcis codicibus concorditer additur. Ruffinus variam agnovit lectionem. „Quidam, inquit, „tituli loco Aggæi ponunt Ezechiel.“ Similiter Beda: „Quidam libri non Aggæum habent, sed Ezechiel, corrupte autem pro „Ezechiel *Ezechiam* quidam nominant.“

Populo transmigrationis; sic & Lobiensis codex. Græce est secundo casu: τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας: nonnulla autem Græca antigrapha præponunt coniunctionem καὶ τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας; quomodo in Hieronymi commentariis legitur: *Et populi de captivitate*. Græca Basileensium editio (anni 1550.) habet ὑπὲρ τῆς τοῦ λαοῦ παροικίας: ad quem modum Herbipolense Psalterium legit, *de populi transmigratione*. Alii quidam Latini codices cum Cassiodoro habent *a*, *de populo transmigrationis*. Alii vero non pauci cum V. Beda, Remigio Antissiodorensi, &

Bru-

Brunone Carthusiano scribunt: *De verbo peregrinationis* b. Utriusque lectionis Richelius meminit, & longe ante Richelium Ruffinus. „ Ubi, inquit, hic dicitur *de verbo* „ *peregrinationis*, quidam dicunt *ex populo* „ *transmigrationis*, ubi etsi verba discrepant, „ sententia non discordat. " Plurimi autem libri cum Ordinaria Glossa, & Hugone Cardinali utramque iungunt, & fere disiunctiva coniunctione: *De verbo peregrinationis* c, *vel de populo transmigrationis* d. Videtur autem illud *de verbo peregrinationis*, altera esse ex Græco translatio, ex eo originem habens, quod sit Græce pro λα.., lectum λόγου ὑπὲρ τοῦ λόγου τῆς παροικίας; hoc est, *pro*, *aut de verbo*, seu *negotio peregrinationis*. Coniuncta est autem, ut videtur utraque translatio, altera quæ in margine, aut inter lineas notata erat, in textum assumpta. Utra vero assumpta sit, dici non facile potest: sed hoc certum est, plerosque eorum librorum, qui utramque connectunt, Haymone suffragante, priorem habere *de verbo peregrinationis*; posteriorem cum disiunctiva coniunctione, *de populo transmigrationis*; ita ut hæc videatur quemadmodum ad marginem notata erat in textum relata. Brugense etiam manuscriptum omnium facile accuratissimum cum reliquis quæ Ezechielem prætermittunt, & Beda, Remigius, ac Bruno id solum *de verbo peregrinationis* agnoscunt e non id tamen præferendum assero.

Quando incipiebant proficisci. Alii libri, *cum inciperent* e *proficisci*. Tornacensis codex cum Augustino, *cum inciperent exire*. Græce est: ὅτε ἤμελλον ἐκπορεύεσθαι, *quando erant exituri*.

Porro hæc in Hebraicis, & Chaldaicis codicibus non leguntur. Non aliud namque in titulo habent quam: *In finem*, *Psalmus David*, *Canticum*. Theodoritus Græcus auctor, „ In nonnullis, inquit, exemplaribus adiun„ gitur: Canticum Ieremiæ, & Ezechielis, „ & populi peregrinationis, cum profecturi „ essent: hæc non leguntur neque in He„ braico, neque in aliis Interpretibus, ne„ que apud LXX. in sextuplici. " Testatur Card. Sirletus Vaticanæ Bibliothecæ Græco codici non aliud legi, quam, εἰς τὸ τέλος ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαβίδ. Quæ ultra adduntur, D. Hilarius Latinus enarrator non agnoscit. Nos ea obeliis confossa in Latinis Psalteriis Lobiensi, & Herbipolensi vidimus. Videntur autem Nicolaus de Lyra, & Iacobus de Valentia significare hæc Latinis quibusdam exemplaribus deesse: immo Iansenius Latinorum, ac Græcorum plerisque codicibus omitti asserit; ac proinde addita ab expositoribus aliquibus putat, qui ex quorum persona Psalmus intelligendus esset, indicare voluerint: quæ & Lyrani, ac Richelii, Bredembachiique sententia est. Nonnulli ex eo opinantur hæc addita, quod ii qui hic nominantur, hoc Davidis Psalmo sint usi; hoc Davidis Canticum & ipsi decantarint; cuius sententiæ Arnobius esse videtur. „ In Hebræo, inquit, non habet „ nec Ieremiam, nec Aggæum, nisi solum „ David. Sed Esdra habens caritatem eo„ rum, voluit eos memorare asserens istum „ Psalmum David cecinisse eos in prophe„ tationis suæ initio, &c. "

(a) Ex Aug. Tor.
(b) 1. MS. *Transmigrationis*.
(c) Lind. & *de populi trasmigratione*.
(d) o. *murmurationis*.
(e) 2. MS. Hier. *inciperet*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. TE DECET HYMNUS DEUS IN SION. Hebr. *Tibi silet*; id est, tibi parata est, te manet, laus.

V. 3. EXAUDI ORATIONEM. Heb. *Exaudis orationem*, *ad te omnis caro venit*, id est quia exaudis: aut, Si exaudiveris orationem, ad te omnis caro veniet,

V. 4. VERBA INIQUORUM. Hebr. *Verba iniquitatum prævaluerunt super me*. Melius videntur Septuag. legisse מִמֶּנִּי, quia statim sequitur פְּשָׁעֵנוּ.

V. 5. SANCTUM EST TEMPLUM TUUM. Hebr. *In sancto templo tuo*.

V. 6. MIRABILE IN AEQUITATE, &c. Hebr. *Terribilia in iustitia respondebis nobis*; id est, de templo tuo dabis nobis admiranda responsa, & iustitiæ plena. *Spes omnium finium terræ*, *& maris longinquorum*, id est eorum qui sunt citra ultraque mare.

V. 7. PRAEPARANS MONTES IN VIRTUTE TUA. Hebr. *Qui* (Deus, tertia persona pro secunda) *parat montes in virtute sua*, id est qui explanat montes.

V. 8. QUI CONTURBAS, &c. Hebr. *Qui mitigat agitationem maris*, & *strepitum undarum*, & *tumultum populorum*.

V. 9. EXITUS MATUTINI Hebr. *Exitus matu-*

matutinos & vespertinos, *laudare facies* (te) id est ortus solis, & stellarum.

V. 10. Visitasti terram, &c. Hebr. *Visitasti terram* (pluvia) *& desiderare fecisti eam*, id est postquam desiderare fecisti eam; aut (ut legerunt Septuag. simplici פי) *irrigasti eam*, valde locupletasti eam. Flumen Dei. Hebr. *Rivus Dei*; id est, nubes repletæ sunt aquis: *præparasti frumentum eorum* (agricolarum) aut : *frumento eorum*, *quia sic præparas eam*; id est, tam bene præparas terram pluvia, ideoque mollem reddis ut non sit opus arare, sed statim possit seminari frumentum.

V. 11. Multiplica genimina eius, Hebr. *Sulcos eius inebriabis*, *deduces lineas eius*; id est, ipsa pluvia sulcabis eam: aut pluviam quasi manu duces per lyras eius, stillis liquefacies eam, & benedicis germini eius.

V. 12. Benedices coronae, &c. Hebr. *Coronabis annos bonitate tua*; id est, munificentia tua dabis uberem annonam, & cæli tui stillabunt pinguedinem.

V. 13. Pinguescent speciosa deserti. Hebr. *Stillabunt habitationes deserti* (pinguedine) id est terræ incultæ, ubi ante solæ aves, & feræ habitabant.

V. 14. Induti sunt arietes ovium. Hebr. *Vestientur campi* (pascui) *ovibus*, id est operientur, *& valles tegentur frumento*. *Clamabunt*, *& hymnos dicent*; id est, ipsi campi ubertate sua laudem Dei prædicabunt.

S A.

De Christi Ecclesia per terram significata.

Vers. 2. Te decet hymnus. Hieron: *Tibi silentium laus.*

V. 3. Caro, id est homo; quasi dicat, Omne hominum genus.

V. 4. Verba, id est facta. Nos, id est vires nostras; vel quasi dicat, contra nos.

V. 5. Elegisti. Hieron. *Elegeris & susceperis*. Templum, scilicet cæleste, vel anima iusti, vel Ecclesia.

V. 6. In aequitate, id est iustitiæ rectitudine. Mari, id est insulis, scilicet habitantium. Longe; quasi dicat, a terra remotis,

V. 7. Praeparans, id est stabiliens.

V. 9. Terminos, id est fines, scilicet terræ. Signis, scilicet cælestibus, vel miraculis. Exitus; pro, per exitus; quasi dicat: Ortu solis mane, & lunæ noctu homines lætificas. Vel *exitus matutini* vocat Orientem; *exitum* autem *vesperæ*, seu noctis, Occidentem; quasi dicat, Orientales, & Occidentales: omnes enim homines ad salutem per Christum vocati.

V. 10. Inebriasti. Hieron. *Irrigasti*, Multiplicasti locupletare; id est, multipliciter locupletasti. Hieron. *ubertate ditasti*. Flumen Dei, scilicet nubes. Parasti, scilicet sic. Illorum, scilicet hominum. Eius, scilicet terræ; quasi dicat: Per pluviam paratur terra ad ferendos fructus.

V. 11. Rivos. Hieron. *sulcos*. Inebria, id est irriga. Genimina. Hieron. *fruges*. Stillicidiis, id est pluvia. Eius, id est in eam, scilicet terram cadentibus. Germinans, scilicet terra; vel pro, germen.

V. 12. Coronae, id est circulo: vel fructibus quibus velut coronatur, seu ornatur annus. Benignitatis tuae, id est quem tua bonitate fertilem facis. Tui, id est terræ tuæ.

V. 13. Speciosa. Hieron. *pascua*. Exultatione, id est læto gramine.

V. 14. Induti sunt. Hieron. *Vestiuntur*. Ovium, pro ovibus. Hieron. quasi dicat: Multos edent fetus. Clamabunt. Chald. *iubilabunt*, scilicet homines ob proventus.

E S T I I

Vers. 2. Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Ierusalem. Secundum lectionem nostram sensus satis apertus est, qui tamen non caret mysterio, modo intelligamus illud *in Sion* non esse iungendum cum *Deus*, sed cum verbo *decet*, vel nominativo *hymnus*; ut ordo sit, & sensus: Te decet, tibi gratus, & acceptus est hymnus qui canitur in Sion; & sola ea vota acceptas, & rata habes, quæ tibi redduntur in Ierusalem. Per *Sion* enim, & *Ierusalem* Ecclesia intelligitur. Hebraice paulo aliter habetur: *Tibi silentium laus Deus in Sion*; quasi dicat: Tibi silet

let laus in Sion. Et hoc duobus modis exponitur. Vel hoc modo: Tanta sunt opera tua, ut nemo te digne in Ecclesia laudare possent, ac proinde laus te digna silet. Vel hoc modo: Tibi silet, id est te manet, te expectat laus; quasi dicat: Te suis laudibus prædicandum tota expectat Ecclesia. Qui enim expectat, in silentio expectare solet. Sic Isaiæ xxx. *Salvi eritis in silentio, & in spe erit fortitudo vestra*.

V. 3. EXAUDI ORATIONEM MEAM: AD TE OMNIS CARO VENIET. Hoc quidam referunt ad resurrectionem generalem, & extremum iudicium, in quo omnis caro sistetur tribunali Dei. Sed ita intellecta sententia non satis cohæret cum præcedenti, & sequentibus. Hebr. tantum legitur: *Exaudiens orationem*, & non additur *meam*: & sensum hunc reddunt: Cum tu exaudias orationem eorum qui te invocant, ideo omnis caro ad te veniet; id est, omne genus hominum necessitate aliqua pressorum ad te confugient, & opem tuam implorabunt, ut eis subvenias. Immo quidam extendunt non ad homines solum, sed etiam ad cuncta animalia, quæ omnia suo modo a Deo expectant alimenta sua, iuxta illud: *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore opportuno*, &c.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID, CANTICUM. Quæ sequuntur in titulo, *Ieremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire*, neque Hebr. sunt, neque Græce, in Bibliis Roman. ne Latine quidem in Fabri Psalterio. Quare Græcus Scholiastes ait addititium id videri. Vocatur *Psalmus Canticum*, quoniam adinstar Cantici sit compositus; quo sane genere carminis, ignoratur. Deum esse laudandum ait, tum annum fertilem describit.

V. 2. TE DECET HYMNUS. Hebr. *Tibi silentium laus*. Deus silentio colitur, ut qui nostra laude & cognitione maior sit. Aut sic: *Tibi tacet laus*; id est, maior omni laude es tu. IN SION: quia ibi tabernaculum. ET TIBI REDDETUR VOTUM, scilicet in Sion. IN IERUSALEM non est Hebr. neque Græc. in Romanis, nec in Hieronymo.

V. 3. EXAUDI. Hebr. *exaudiens*; pro, si exaudieris orationem, id est preces, MEAM. Hoc non est Hebr. AD TE OMNIS CARO VENIET. Omnes gentes se tibi adiungent, scilicet ea spe, & experimento allecti.

V. 4. VERBA INIQUORUM. Hebr. *verba iniquitatum*; pro, iniquitates fortiores nobis extiterunt. Idcirco propitiare nostris malis. PRAEVALUERUNT SUPER NOS. Heb. *super me*: me superarunt. Sed se exemplum pro omnibus ponit, quando addit, IMPIETATIBUS NOSTRIS.

V. 5. ASSUMPSISTI. Hebr. *approximasti*, scilicet ad te. Is est beatus. IN ATRIIS TUIS. In tabernaculo habitabit. REPLEBIMUR. Hebr. *satiabimur bonis tuis*. Vox Davidis, aut fidelium promiscue.

V. 6. MIRABILE IN AEQUITATE. Heb. *terribilia in iustitia*, scilicet in eo templo fiunt. Punis iniquos. ET IN MARI LONGE; id est, eorum spes es, qui procul in insulis maris degunt.

V. 7. PRAEPARANS MONTES, id est ornans arboribus, aut stabiliens. IN VIRTUTE TUA, tua potentia. Hebr. *virtute sua*. Mutat personas subinde; sed excurrit tamen in Dei laudes.

V. 8. QUI CONTURBAS. Hebr. *sedans*. Hieron. & Chald. *compescens*. PROFUNDUM MARIS. Hebr. *fremitum maris*. TURBABUNTUR GENTES. Hebr. *& tumultum gentium*, scilicet sedas. Iungitur Hebr. cum superioribus. Septuag. *tabamun* pro *vehamon* legerunt.

V. 9. QUI HABITANT TERMINOS, scilicet terræ: qui ubique habitant. A SIGNIS TUIS, id est miraculis quæ operaris, timebunt. EXITUS MATUTINI, scilicet sideris. Hebr. *exitus diluculi*, id est regiones Orientis & Occidentis. DELECTABIS, id est exultare, seu triumphare facies.

V. 10. VISITASTI TERRAM in bonum. MULTIPLICASTI, id est bonis replesti. Descriptio fertilitatis. FLUMEN DEI. Iordanis exundat. PARASTI CIBUM: frumentum scilicet ut crescat providisti. ILLORUM, scilicet indigenarum, QUONIAM ITA EST PRAEPARATIO EIUS. Hebr. *quia sic præparas eam*, scilicet terram, nempe copiosis pluviis, & inundatione fluvii,

qua

qua rigantur agri: quod fit omnibus annis, Nili ad instar.

V. 11. RIVOS EIUS INEBRIA. Hebr. *Sulcos eius inebria*, imple aqua. MULTIPLICA GENIMINA EIUS, terræ scilicet. Hebr. *Fac descendere* (in) *liras eius*, scilicet copia pluviarum. *Lira* est quod in sulcis est depressum, vacuum inter duos sulcos. IN STILLICIDIIS EIUS. Hebr. *In pluviis liquefacies eam*. LAETABITUR GERMINANS, scilicet terra. Hebr. *germen eius*; pro, & germen eius liquefacies, scilicet emollies ut crescat.

V. 12. BENEDICES, pro multiplicabis. CORONAE, id est ubertati, frugibus. ET CAMPI TUI. Hebr. *& vehicula tua* (quibus fruges demessæ efferuntur) *stillabunt pinguedinem*, id est ubertatem ostendent.

V. 13. PINGUESCENT; id est, deserta, & colles aliis annis infrugifera replebuntur frumento.

V. 14. INDUTI SUNT: scilicet copia pastus arietes vestientur lana optima. ARIETES OVIUM, id est ex ovibus nati, seu arietes gregum. צאן *zon* proprie *gregem* significat. Verum ברים *agnos*, & *agros* significat. Sic quidam vertunt: *Induti sunt campi ovibus*: Pagn. CLAMABUNT: scilicet homines præ lætitia iubilabunt.

MALVENDAE.

Vers. 1. PSALMUS DAVID, CANTICUM, &c. Vide in Psal. XLVII. 1 Videtur autem, ut quidam volunt, hic Psalmus a Davide conscriptus esse, postquam populo fame, pestilentia liberato, exoratus est Iehova terræ, & cohibita plaga ab Israele II. Samuel. XXI. 14. XXIV. 25.

V. 2. TE DECET HYMNUS DEUS IN SION. Ex verbo: *Tibi silentium*, *laudatio Deus in Tziione*. Varie alii. I. *Te expectat laus Deus in Tzijone*; id est, non vana, sed certa spe expectat divina beneficia, & divinam gratiam, in Tziione, ubi erat tabernaculum, & arca Dei, ac divinus cultus; quasi dicat: Divinus cultus, qui peragitur in Tziione, promeretur divina beneficia, quæ certissime consequetur. II. Tibi *silentium* alibi, at *laus est in Tziione*; id est, quod alibi siletur, hoc laudatur in Tziione; quasi dicat: Cum alibi in toto orbe terrarum sit perpetuum silentium legitimarum Dei laudum; laudes tamen tuæ, o Deus, rite celebrantur in Tziione. III. *Tibi silens*, vel *tacita est*, *laus Deus in Tziione*; quasi dicat: Tanta sunt opera tua, ut te nemo digne laudare in Ecclesia possit: eximia opera tua superant omnem laudem: divina silentio potius religioso, quam verbis celebranda. IV. *Te expectat*, *te manet*, *laus Deus in Tziione*; id est, ita munificus es in tuos, ut novam quotidie materiam laudis illis suppedites. V. *Tibi silens est*, id est ἀναντίῤῥητος, incontroversa, irrefutabilis, incontradicta, & ἀναντιφώνητος, irresponsibilis, cui nihil opponi, aut responderi potest: vel *tibi debetur certa laus, o Deus, qui es in Tziione*. VI. *Tibi silet*, *acquiescit*, *congruit*, *aptatur*, *in te conquiescit*, *laus o Deus in Tziione*. VII. *Tibi silentium laudis Deus in Tziione*; id est, in patientia laus est tibi in Tziione. VIII. *Te manet laus Deus in Tziione*. Nullo enim loco præterquam Ierosolymis fas erat templum ædificare, aut sacrificium facere. Tziion hic typus Ecclesiæ, extra quam nullus est legitimus Dei cultus, aut salus. IX. quidam ex sono vocis: *Tibi est domitura*, & *laus Deus in Tziione*; id est, anima mea domatur tibi, & laudat te. Possis accipere: *Tibi domatio* est *laus Deus in Tziione*; id est, laude ipsa & cultu quasi domaris, & flecteris, Deus. Sed hæc sunt argutiora. X. *Tibi tranquilla laus in Tziione*; id est, ibi reddetur tibi in tranquillitate votum laudis: hic enim in perturbatione sum. V de Psal. LXI. 2.

V. 3. AD TE OMNIS CARO VENIET; id est, omnis homo, ut Genes. VI. 12. & alibi passim: *veniet*, per fidem: vaticinium de vocatione gentium.

V. 4. VERBA INIQUORUM PRAEVALUERUNT SUPER NOS, &c. Ex Hebr. vertunt. I. *Verba iniquitatem roboratæ sunt plus me*; id est, res, gesta, actus, reatus maculæ, & huiusmodi peccatorum superaverunt me. II. *Res iniquæ prævaluerunt mihi*; quasi dicat: Magna certe peccata commiseramus. III. *Ratio peccatorum nostrorum superat nos*. IV. *Gravissimæ iniquitates nostræ superaverunt vires cuiusque nostrum*. Buchananus:

Nostra nunc iustis scelera facta,
Nos premunt pœnis.

ET IMPIETATIBUS NOSTRIS TU PROPI-

TIABERIS. Varie alii ex Hebr. I. *Rebelliones nostras tu donabis ipsas*. II. *Transgressionibus nostris tu veniam dabis*. III. *Defectiones nostras*; vel *scelera nostra tu expiabis, condonabis, ea*. IV. *Quare pro peccatis nostris, ut ipse tu satisfacias necesse est*. V. *Transgressiones nostras tu expiavisti*, vel *expias*. Hæc iusta est materia laudum, remissio peccatorum per gratiam Dei.

V. 5. ET ASSUMPSISTI. Hebr. *Et appropinquare fecisti*. Quidam: *Et adiunxisti tibi*. Alii: *Et sociasti tibi*. Nonnulli: *Et tibi propinquum fecisti*. Aliqui: *Et adhibuisti tibi*. Alii: *Et admoves*; id est, ex electione tua adiungis tibi, & Ecclesiæ. REPLEBIMUR IN BONIS DOMUS TUAE. Hebr. *Saturabimur in bono domus tuæ*: vel *saturabimur bono domus tuæ*, id est *omni spirituali benedictione*. Quidam: *Perfruemur elegantia domus tuæ*. SANCTUM EST TEMPLUM TUUM. Hebr. *Sanctum*, vel *sancto basilicæ tuæ*, scilicet saturabimur. Alii. I. *Rebus sancti templi tui*. II. *Sacrario templi tui*, vel *in sacrario templi tui*; id est, saturabimur deliciis, hoc est donis Spiritus sancti in Ecclesia tua sancta. III. *Sacris templi tui*. IV. *Loco sanctiore regiæ tuæ*. V. *Sanctimonia*, vel *sanctitate palatii tui*.

V. 6. & 7. MIRABILE IN AEQUITATE, EXAUDI NOS DEUS SALUTARIS NOSTER. Plurifariam ex Heb. interpretantur. I. *Terribilia in iustitia respondebis nobis Deus salutis nostræ*. II. *Terribilis in iustitia responde nobis salvator noster*. III. *In terribilibus* miraculis *in iustitia exaudies nos, Deus salutis nostræ*; vel *per stupenda* miracula *pro tua iustitia exaudies nos, Deus*, &c. IV. *Stupenda ex iustitia tua annues nobis, Deus*, &c. V. *Terribilia*, vel *terribiliter, in iustitia*, vel *pro iustitia tua respondebis nobis*, &c. VI. *Per admirabilem iustitiam tuam exaudi nos Deus salus nostra*, VII. *Dictu mirabile! cum simus peccatores, tamquam iustos exaudies nos Deus auctor salutis nostræ*. VIII. *Res reverendas in iustitia proloqueris nobis, o Deus salutis nostræ*, id est angustissimas promissiones in futurum, comprehensas verbo tuo. Alii, prodigia & stupenda miracula, quæ Christus per se, & suos in propagatione Evangelii designavit, accipiunt. ET IN MARI LONGE. Hebr. *& maris longinquorum*, vel *remotorum*. Alii: 1. *& insularum maris distantium*: 2. *& maris longinquarum*, scilicet extremitatum: 3. *& eorum, qui remoti degunt in mari*, vel *qui procul* a Tziione *ad mare habitant*: 4. *& maris extremas oras incolentium*: 5. *& maris immensi*, vel *longinqui*.

V. 8. QUI CONTURBAS. Participium מַשְׁבִּיחַ *maschbiach*, proprie, *commendans, provehens, promovens, excitans*: quod LXX. & Noster secuti videntur: & contraria significatione, *cohibens, compescens, mitigans, mandato continens, coercens*.

V. 9. A SIGNIS TUIS, id est miraculis & prodigiis, quæ edes, vel edere soles. Alii, a signis cælestibus, & stupendis portentis, quæ in cælo seu aere apparent, virtute tua. EXITUS MATUTINI, ET VESPERE DELECTABIS. Ex Hebr. I. *Exitus matutini & vespertini* temporis *laudare facies*, in Tziione, ubi mane & vespere quotidie offerebatur iuge sacrificium: ut istud respondeat ei vers. 2. *Et tibi persolvetur votum*. II. *In progressibus matutinis & vespertinis laudem excitas*. III. *Ob exitus matutinos & vespere exsultare facis, homines*; hoc est, vicissitudine diei & noctis, cum mane oritur sol, & vespere stellæ, & luna, cognoscitur admiranda Dei potentia, & ob id excitantur pii ad laudes Dei. IV. *Egredientes mane & vespere exhilaras*. V. *Quæ vespere aut mane prodeunt, læta reddis ad laudandum*. VI. *A signis tui cælestibus, & illorum matutino exortu, & vespertino occasu exhilarabis eos*, scilicet, habitantes in ultimis terræ finibus. VII. *Egressus auroræ & vespere laudantes facies*. VIII. *Facis ovare exitus matutini & vespertini* temporis; id est, facies lætari Orientales & Occidentales. Quidam totum versum ita convertunt: *Qui facis ut canant exortus matutinos & vespertinos, incolæ extremitatum terræ, reverentes a signis tuis*; id est, qui totos dies a principio ad finem consumis in docendis hominibus laudem tuam. Hunc autem versum ex Poetica synchysi paulo obscuriorem, transpositis membris declaravimus.

V. 10. VISITASTI TERRAM, subaudiunt *pluvia*: ut promiserat Deuteronom. XI. 10. Est autem *visitare* humanitus dictum, pro eo quod est præstare rem quam promiserat Deus: vide Genes. XXI. vers. 1. quasi

quasi dicat: Abunde effundis pluviam super hanc terram. ET INEBRIASTI EAM. Varie convertunt. I. *& irrigavisti eam*. II. *& potum dedisti ei*. III. *& excurrere fecisti eam*, id est exundare prae abundantia aquarum. IV. *& desiderare fecisti eam*; vel *postquam desiderare fecisti eam*, subaudi benedictionem pluviae. V. *& desiderare fecisti* nos *eam*, ut optimam, & opimam. VI. *& cupivisti, appetivisti, eam*, vel *desiderasti eam, ut eam satiares*: seu *te desiderantem & praeoptantem exhibuisti erga eam*, ad illam obsaturandam, quasi hoc illi praeter cetera praestare velles. Futurum cum affixo ותשקקה *vathe schkekeah*, a שקה *schakah*, est: *& potavisti, irrigavisti eam*; a שוק *schok*: *excurrere fecisti, desiderasti*, vel *desiderare fecisti eam*. FLUMEN DEI. Hebr. *Rivus Elohim*. Quidam, *Rivi magni*, ut nomen Dei augere solet: & fit synecdoche numeri, *rivus magnus*, pro *rivi magni*. Alii, singulariter, Iordanem intelligunt, qui tempore messis solitus erat ripas implere, Iosue III. 15. Aliqui exponunt: *Rivo Dei pleno aquae, paras frumentum illorum*: Sed accentus Athnach separat vocem *aquae* a sequentibus. PARASTI CIBUM ILLORUM. Hebr. *Parabis, dispones, instrues, frumentum eorum*: de quibus vers. 4. 5. & 6. Notant, hanc speciem benedictionis synecdochice esse omnibus aliis accommodandam, quas percipimus a Deo ad praesentem vitam.

V. 11. MULTIPLICA GENIMINA EIUS. Diversimode ex Hebr. exponunt. I. *Descendere fac* pluviam *in sulcos eius*. II. *Dimitte* pluviam *in valliculas eius*. III. *Deprime, complana, resolve turmas, cuneos, cumulos*, id est *glebas eius*, in modum cuneorum exstantes. IV. *Frange contumaces glebas eius*. V. *Occa glebas eius*. VI. *Descendere fac pluviam in lineas, liras, fossas, eius*, quae sunt inter porcam, & porcam.

V. 12. BENEDICES CORONAE ANNI BENIGNITATIS TUAE. Hebr. *Coronavisti annum boni tui*. Alii. I. *Tinges, cumulabis, exornabis velut corona* bonis omnibus, *annum bonitatis tuae*, id est in quo bonitatem tuam exeres. II. *Coronasti annum bonitatis tuae*; id est, integrum annum in plenum circulum evolvisti, & implevisti bonitate tua. III. *Coronas annum tuis bonis*. IV. *Tamquam corona exornasti annum pro benignitate tua*. V. *Coronas annum bonitatis tuae*; id est, facis ut annus unus aliis praestet, quemadmodum rex praestat popularibus, vel reddis annum ut regem beneficum, qui omnibus benefacit. ET CAMPI TUI REPLEBUNTUR UBERTATE. Diversimode alii. I. *Et semitae tuae, viae tuae, actus tui, vestigia tua, stillabunt pinguedinem*; id est, nubes, super quas Deus ambulare dicitur. II. *Et orbitae currus tui pinguedine stillant*. III. *Quacumque iveris, apparebunt in vestigiis tuis signa fertilitatis maximae*. IV. *Et orbitae tuae stillant pinguedinem*; id est, quacumque placet tibi ambulare ad exerendum benedictiones tuas, summam rerum omnium copiam & ubertatem diffundis. Hyperbole elegantissime, hic & duobus sequentibus versibus. Nos aptissime ad institutum, ex nativa vocis notione reddidimus: *Et mapalia tua stillabunt pinguedine*; id est, casae pastoritiae tuae abundabunt agnis, lacte, caseo, adipibus, &c. ut interim sit allusio ad septa Ecclesiae, omni ubertate Spiritus sancti referta. Vide in Psalm. XXII. 3. & in Psalm. XVI. 5.

V. 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI. Hebr. idem verbum quod paulo ante: *Stillabunt nomi, mapalia, pascua, tesqua deserti*. Plerique, quia verbum *Stillabunt* est masculeum, & nomen נאות *neoth, nomi*, femineum, reddunt: *Stillabunt*, scilicet, orbitae tuae, seu nubes, *in caulas deserti*, sive *super habitacula pastoritia*, seu *super pascua deserti*; quia pastorum casae in deserto pascuis vicinae sunt, & in loco pascuo fieri solent: subaudi, pinguedinem. At non sunt insolentes eiusmodi enallages generum in Scriptura sacra. De cuius nominis notione vide Notas in Exod. XV. 13. & in Iob V. 3.

V. 14. INDUTI SUNT ARIETES OVIUM. Ex Hebr. alii. I. *Vestient se campi ove*, id est multitudine ovium. II. *Vestitae sunt planities ovibus*. III. *Induerunt se pascua pecore*, vel *pecudibus*. IV. *Vestientur gregibus campi*. V. *Vestiuntur prata ovibus*. VI. *Vestitae sunt ovium caulae*. VII. *Vestient gramine pascua gregem*. VIII. *Induent arietes oves*; id est, inscendent eas; quasi dicat: Erit maxima foetura gregum, quem sensum Chaldaeus Interpres secutus est.

Clamabunt. Hebr. *Clangent*, *iubilabunt*, *triumphabunt*, *taratantarizabunt*, *classicum canent*; vel prata, vel valles, metaphorice; vel ipsi homines, ob tam largas benedictiones Dei. Verbum ex Hithpahel mirifice significatum intendit, atque clarissimum clangorem, iubilum, triumphum indicat: sic supra Psalm. lix. 10.

MENOCHII.

Verf. 1. Canticum Ieremiae, &c. Hæc inscriptio non est in textu Hebraico, sed postea addita est. Non significatur, Ieremiam cantici, sive Psalmi huius esse auctorem; sed Ieremiæ, & Ezechieli tribuitur, quoniam hi duo Prophetæ prædixerunt reditum populi de Babylone in Ierusalem, & fingitur decantatus ab his Prophetis initio egressionis Hebræorum de captivitate in patriam. Hinc vero ad sublimiorem sensum aditus aperitur, ut scilicet Psalmum interpretemur, de conversione infidelium ad Ecclesiam, & reditu spiritualium peregrinorum ad patriam cælestem.

V. 2. Te decet hymnus: tibi debet tribui laus. In Sion: peculiariter in Sion, in quo etiam peculiarem sedem tibi delegisti. Tibi reddetur, &c. tibi persolventur vota in Ierusalem civitate quam elegisti.

V. 3. Ad te omnis caro veniet. Id si feceris, omnis generis homines confluent ad te laudandum, & adorandum in monte Sion. Videtur prædictio vocationis gentium.

V. 4. Verba iniquorum, facta iniusta: nam *verbum*, ut notum est, frequentissime apud Hebræos *rem* significat. Vel *verba*, calumniæ, blasphemiæ, &c. Praevaluerunt super nos: adeo multiplicata, & aggravata sunt, ut vires nostras superent. Et impietatibus nostris propitiaberis; quasi dicat: Quia propter peccata nostra prævaluerunt impii super nos, petimus, ut nobis reddaris propitius, ut e tantis malis emergere possimus.

V. 5. Elegisti, et assumpsisti. Hebr. *Appropinquare fecisti*, is quem voluisti ad te accedere per fidem, & bona opera, & ad vitam æternam ordinasti. In atriis tuis, in Ecclesia, & postea in cælo. Replebimur in bonis domus tuae. Se cum electis numerans David, ex eorum omnium persona ait, fruituros se bonis sempiternis in domo Dei. Sanctum est templum tuum: in quo Deus ipse sanctissimus, & chorus omnis Angelorum, & sanctorum inhabitat.

V. 6. Mirabile in aequitate, plenissimum æquitate; admirandæ æquitatis: nam illinc impii, polluti, profani, peccatores excluduntur. Illic regnat iustitia, puritas, sanctitas, castimonia, religio, &c. Spes omnium finium terrae, &c. id est, in te sperant gentes omnes, etiam quæ longe dissitæ sunt, & in remotissimis insulis habitant.

V. 7. Praeparans montes in virtute tua, Deus, qui tua potentia disponis montes, illosque instruis herbis, arboribus, metallis, &c. Accinctus potentia, omnipotentia instructus, ut quæcumque vis, facere possis.

V. 8. Qui conturbas profundum maris, &c. qui cum vis, profundum maris tempestatibus commoves, & excitas fremitum fluctuum eius. Turbabuntur, timebunt.

V. 9. Qui habitant terminos, omnes gentes, illæ etiam quæ extremos terræ fines habitant. A signis tuis. Timebunt propter signa tua; id est, coruscationes, tonitrua, fulmina, &c. iuxta illud I. Reg. ii. *Formidabunt Dominum adversarii eius, & super ipsos in cælis tonabit*. Exitus matutini, exortum auroræ. Græce, ἐξόδους πρωίας. Et vespere. Hoc etiam est genitivi casus in Græco ἑσπέρας. Delectabis: delectabilem facies exortum, & occasum solis: utrumque enim homines delectat: ortus quidem, quia lux redditur post tenebras, & opera intermissa licet repetere; occasus vero, quia fatigatis, per noctis caliginem, qui escendi opportunitas conceditur.

V. 10. Visitasti terram, &c. Laudavit divinam potentiam, nunc etiam bonitatem, celebrat, quæ ex pluviis fertilitatis conciliatricibus apparet. *Visitare terram*, hoc loco idem est quod beneficio afficere, illam arentem, & sitientem aquis molliendo, & satiando, & multipliciter ditando floribus & frugibus. Flumen Dei: singulare pro plurali: flumina in-

ingentia (quæ enim magna sunt phrasi Scripturæ *Dei* dicuntur, ut montes Dei, cedri Dei .) REPLETUM EST AQUIS ; id est, etiam ingentes fluminum alveos aquis reples, ut largius rigari terra, & homines illorum beneficio mercimonia exercere, & alias commoditates percipere possint. PARASTI CIBUM ILLORUM : sicque beneficio aquarum terras fœcundantium paras victum hominum. QUONIAM ITA EST PRAEPARATIO EIUS : quoniam sic fundata, & disposita est terra, ut per aquarum irrigationem fœcundetur, & fructus suos pariat.

V. 11. RIVOS EIUS INEBRIA ; id est, sulcos terræ copioso aquæ humore madefacito. MULTIPLICA GENIMINA EIUS, scilicet germina terræ. IN STILLICIDIIS EIUS, &c. id est, pluvia Dei desuper cadente, lætabitur terra germinans.

V. 12. BENEDICES CORONAE ANNI, &c. fecundabis coronam anni, qui tua benignitate erit fertilissimus. Coronam anni vocat gyrum, circulum, & revolutionem omnium anni partium.

V. 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI: pinguia fient, & speciosa pascua deserti olim sterilis. EXULTATIONE COLLES ACCINGENTUR: lætis segetibus, fructibus, & ubere omnium rerum proventu, quasi præclaro quodam amictu exornabuntur.

V. 14. INDUTI SUNT ARIETES OVIUM, copiosis, puris, & nitidis velleribus. *Arietes ovium*, sunt arietes qui inter oves versantur ad creandam agnorum sobolem. In Hebræo ad verbum est : *Induti sunt agni pecore* ; id est, agni in uberibus pascuis habiti facile adolescunt, & a parvitate agnorum ad iustam molem ovis, aut arietis crescunt, eamque magnitudinem quodammodo induunt. VALLES ABUNDABUNT frumento : quod felicius in planitie provenit, quam in supinis collibus. CLAMABUNT, &c. iubilabunt, lætitia gestient. Est non infrequens prosopopœia, qua montes & colles, aut aliæ res inanimatæ plaudere, aut alia lætitiæ signa edere finguntur.

TIRINI.

Vers. 1. CANTICUM IEREMIAE ET EZECHIELIS, datum POPULO TRANSMIGRATIONIS, seu qui in Babylonem transmigrarat, ut illud festivo cantu canerent, CUM INCIPERENT EXIRE e captivitate, & in patriam regredi. Hoc in Hebræo non habetur, neque in Chaldæo, neque in plerisque Græcis.

V. 3. AD TE laudandum IN SION, id est in Ecclesia, VENIET OMNIS CARO, id est omnis homo, omne genus humanum; supple, si viderint me a te in necessitate exaudiri & iuvari, ut præcessit. Ita S. Augustinus.

V. 4. VERBA, id est facta, & machinationes, INIQUORUM hostium nostrorum, verbi gratia Babyloniorum, PRAEVALUERUNT SUPER NOS, nam captivos abduxerunt nos. Sed TU Deus PROPITIABERIS aliquando peccaris NOSTRIS; propter quæ nobis hæc mala obvenerunt.

V. 5. & 6. BEATUS, QUEM ELEGISTI. Hieronymus: *Beatus*, *quem elegeris & susceperis*, supple, ut ex hac infami & crudeli captivitate redux fiat in patriam, & rursus *inhabitet atria* templi tui. REPLEBIMUR; id est, quotquot ita reduces erimus, plene fruemur BONIS omnibus quæ in DOMO TUA, seu templo tuo, solent a te obtineri. Præ omnibus vero gaudebimus *sanctitate templi tui*, ut vertit Hieronymus, & Chaldæus: quia SANCTUM EST tum in se, utpote tibi dedicatum, & a te inhabitatum; tum in alios, seu inhabitantes, seu frequentantes, quia sanctificat ipsos sancta doctrina, sanctis sacrificiis, precationibus, laudibus divinis, &c. Sed simul est, MIRABILE IN AEQUITATE; Hebraice, *stupendum*; Hieronymus, *terribile*; Chaldæus, *timendum in iustitia*; supple, exercenda in delinquentes: ut res ipsa docuit tam alias, tum in recenti excidio Ierosolymitano. Allegorice hæc conveniunt omnia Ecclesiæ Christi. SPES OMNIUM FINIUM; id est, a quo bona omnia sperant qui habitant in finibus TERRAE, ET IN MARI LONGE, id est in remotissimis insulis.

V. 7. PRAEPARANS MONTES, in usum hominum, & bestiarum, dum scilicet vestis montes herbis, arboribus, metallis, &c.

V. 9. QUI HABITANT TERMINOS, seu fines terræ, TIMEBUNT A SIGNIS TUIS; id est, prodigiis & miraculis variis quæ soles patrare. Subinde tamen etiam recreabuntur donis & beneficiis tuis tum cæ-

cælestibus, tum terrestribus, quibus soles oblectare. EXITUS, id est extrema loca, MATUTINI ET VESPERE; id est, orientis, & occidentis solis, id est mundum universum.

V. 10. INEBRIASTI terram, scilicet fecundis pluviis, & ita *multiplici* frugum ac fructuum proventu, *locupletasti eam*. FLUMEN DEI, id est *flumina magna*, ut vertit Symmachus, & Vatablus, abundant AQUIS, per quas, dum terram irrigant, PARAS CIBUM ILLORUM, scilicet hominum: QUONIAM ITA irrigando terram, fit PRAEPARATIO EIUS ad fructus proferendos.

V. 11. RIVOS EIUS; id est, *sulcos terræ*, ut vertit Hieronymus, & Chaldæus, INEBRIA; id est, frequenti & copioso imbre repleas. IN STILLICIDIIS enim EIUS, id est guttis frequentioribus pluviæ & roris quibus terra irrigatur, LAETABITUR GERMINANS terra, seu id quod germinat in terra. Allegorice, donis Spiritus sancti fœcundantur animi: ita S. Hilarius, Hieronymus, Theodoretus.

V. 12. BENEDICES CORONAE ANNI, id est toti circulo seu revolutioni anni, BENIGNITATIS TUAE, id est quem tua benignitate felicem & fertilem facis. Allegorice est tempus gratiæ sub Christo, & annus *Domini acceptus*, Lucæ IV. 19.

V. 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI (Hieronymus *pascua*; Chaldæus: *Laudabilia dulcescent*) ET COLLES ACCINGENTUR, id est circumdabuntur, EXULTATIONE, id est læto gramine, pomis & uvis, quæ cor hominis exultare faciunt.

V. 14. ARIETES INDUTI SUNT, supple densis & pulchris velleribus, ex pinguedine pascuorum. Unde summo gaudio CLAMABUNT passim homines, ob tam lætos frumenti, & arietum proventus. Allegorice ob ingentia Ecclesiæ bona, inquit Iansenius ex Euthymio.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, PSALMUS DAVID, &c. Ex argumento constabit de titulo. Genebrardus putat agi hic de laude Dei, ob beneficentiam Dei erga Sionem. Iansenius referens hunc Psalmum ad tempora Davidis, putat optari liberiorem hominum ex omnibus locis conventum in Ierusalem, ibique ut laudetur Deus. Sed docent insuper omnes attingi hic captivitatem Babylonicam hoc titulo (a quocunque demum appositus sit) & tunc præsertim, quando instabat reditus in patriam. At cur, & a quo appositus est hic titulus, mentionem faciens captivitatis? Certe Psalmus ipse est Davidis, ut habet prior particula tituli. Incertum vero est, quis reliquam adiecerit: nec tamen contemni debet, quamvis non passim reperiatur in quibusdam editionibus. Adscribitur vero Canticum hoc his duobus Prophetis, non quod ab ipsis compositum sit; nec quod Psalmum hunc cantaverint, cum redire inciperet populus; immo Ieremias non ivit in Babyloniam, sed vivere elegit in patria, & occisus est in Ægypto, idque ante solutam captivitatem: sed ideo horum Prophetarum facta est hic mentio, quia ut Psalmus est de reditu a captivitate, ita hi Prophetæ non solum de hoc reditu prophetarunt, sed etiam suum desiderium de reditu populi expresserunt, per verba similia his quæ sunt in hoc Cantico. Quis hic loquatur, iam dicam.

Vers. 1. TE DECET HYMNUS DEUS, &c. Ex his quæ dicta sunt, intelligi potest David loqui vel in sua persona, vel in persona redeuntis populi a captivitate, vel etiam Ecclesiæ militantis, & cuiusvis iusti, uti hic ostendit Paraphrasis. At quomodo in Heb. positum est, *Tibi silentium*, pro *decet?* quia vox Heb. דמיה *dumiia*, a radice דמה, significat silentium, immo & similitudinem, sicut etiam si deducatur a rad. דום, *dum*, significat quod decet, & convenit. Vide rad. דמה.

V. 7. PRAEPARANS MONTES, &c. *Conturbas profundum*. Septuag. ὁ συνταράσσων. At quomodo ergo in Heb. *Qui mitigas*? quia mutata est vox Heb. Nam LXX. legerunt מבעת *maubbit*, *conturbans*, participium rad. בעת, *turbare*, non autem משביח *mashbiach*, *mitigans*.

V. 8. TURBABUNTUR GENTES, At in Heb. est *multitudo gentium*. Septuag. ταραχθήσονται. Immutatus est in hoc codex Heb. ubi LXX. suo tempore legerunt

runt המו hamu, *turbati sunt*. a rad. המה, *turbatus est*, non autem המון, *multitudo*. Postremo quod est in fine versiculi, DELECTABIS EXITUS MATUTINI ET VESPERE (exitus accusativi casus est) sic aliqui vertunt: *Exitus matutinos & vespertinos lætantes facies*. LXX. ἐξόδους πρωΐας, καὶ ἑσπέρας τέρψεις. Sic sane quia exitus auroræ & vesperæ delectant homines ex hac varietate dierum aut noctium. Ergo delectabis exitus illos, vel homines propter illos exitus. Putat Lorinus מוצאים *motsaim*, *exitus*, tantum significare ortum diei, non vero occasum. Verum vox hæc cur non etiam ad exitum noctis significandum recte referetur? Nam מוצא, *exitus* est a radice יצא, quod est *exire*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. & 3. TE *decet*, &c. Merito hæc putatur vox populi redeuntis a captivitate, quem Propheta prævidens introducit sic loquentem. Exordium est: Tibi domine, ut summo bono, debetur hymnus, & laus persolvitur, præsertim in Ierusalem: certe vel maxime in cælesti. Petitur vers. 3. felix reditus in patriam, & ut fit concursus populorum ad Deum. Mysticus sensus hic facile apparet de spirituali reditu.

V. 4. & 5. *Verba iniquorum*, &c. Ista sunt vel parentum eorum, qui nati in Babylonia iam redeunt; vel universe Iudæorum. Quidquid horum sit, petitur propitiatio; quæ si plene contigerit, beatum, Domine ex tuo beneficio prædicabit se populus tuus, & inde sibi pollicebitur bona multa, præsertim in civitate, & iuxta sanctum templum tuum, & mirabile in æquitate. Talem expectant civitatem Dei, vel Ierusalem; vel alio sensu, Ecclesiam militantem, & cælestem.

V. 6. *Exaudi*, &c. Ergo exaudi, Domine: & ratio datur, quia & noster præsertim, & sane omnium salvator es. Item quia potens es, tu certe, cuius imperio nec maria resistere possunt, nec montes, quos tu condidisti; tu qui pro potentia tua nunc terres humanum genus per cælestia signa; nunc delectas, & recreas vicissitudine diei & noctis; tu denique, qui pro bonitate tua terram inebriando locupletas, ut sic fructus reddat. Et hoc divinæ bonitatis donum, magis insequenter declarat, vers. 10. & deinceps.

V. 10. *Flumen Dei*, &c. Explicatio est, quomodo terra locupletetur; quia tu rivos (qui sunt flumen Dei) terræ, reples aquis ad fertilitatem; & paras cibum viventibus in terra: sic enim est præparatio eius; seu sic paranda est terra ut sit fertilis. Idem repetit aliis verbis vers. 11. Sic, inquit, multiplicat Deus genimina germinantis, scilicet terræ; sic benedices, Domine, toti anno, qui sicut corona revolvitur in seipsum, (*hinc* ἐνιαυτὸς vocatur) sic colles exultabunt, immo & desertum. Sic erit in gregibus, in frumento, & ceteris, quæ tibi, Domine, laudis hymnum more suo ponuntiabunr. *Arietes ovium*, gregum, vel ex ovibus nati.

BOSSUET.

Vers. 1. IEREMIAE. Aliqui addebant Aggæi; sed hæc desunt Hier. Heb. & a Theodoreto respuuntur.

V. 2. TE DECET. *Tibi silentium laus*: Hier. cum nihil de te digne dicit possit. IN IERUSALEM deest Heb.

V. 3. OMNIS CARO, omnes homines.

V. 4. VERBA INIQUORUM, *verba iniquitatum*, Hier. res iniquæ: verbum pro ipsa re, noto Hebraismo.

V. 5. BEATUS QUEM ELEGISTI: Beati Sacerdotes & Levitæ templum inhabitantes. REPLEBIMUR, &c. Nos quoque sacris cibis satiabimur. SANCTUM EST TEMPLUM: *sanctificatione templi tui*: Hier. nempe victimis, instructo ex eis sacro epulo.

V. 5. & 6. TEMPLUM TUUM, *mirabile*, terribile, IN AEQUITATE. Terrentur qui cogitant quam pure, quam sancte sit adeundum. ET IN MARI LONGE: & *maris longinqui*, Hier: in te sperant & qui terram incolunt, & qui navigant.

V. 7. PRAEPARANS MONTES: condens iam inde ab origine mundi: VIRTUTE TUA; *sua*, Hier.

V. 8. QUI CONTURBAS, &c. tu nempe tempestates cies: at Hier. *compescens sonitum maris.... & multitudinem gentium* elegantissime: Deus enim animata ac inanima

nima æque in poteſtate habet, motuſque omnes ſuis ſubdit legibus.

V. 9. TIMEBUNT QUI HABITANT TERMINOS, ſupple terræ; A SIGNIS TUIS, a miraculis, quæ in gratiam populi tui edidiſti. EXITUS MATUTINI .... DELECTABIS: *laudantes facies*: Hier. facis ut te laudent qui ſeu mane, ſeu veſpere ad ſacrificia procedunt.

V. 10. INEBRIASTI: *immiſſa pluvia deſiderare feciſti eam*: Hebr. cum areſceret & aquas ſitire videretur. MULTIPLICASTI LOCUPLETARE: admodum locupletaſti dato imbre copioſo: quo factum eſt ut FLUMEN DEI: quod eſt flumen ingens, Hebraiſmo noto: Iordanis ſcilicet intumeſceret. Id autem Iordani contingit meſſis tempore, ut videre eſt Ioſ. III. 15. unde ſorte ad Pentecoſten Pſalmus pertinet. CIBUM ILLORUM, *frumentum*, Hier. ITA EST PRAEPARATIO: *ſic fundaſti eam*, Idem, terram ſcilicet: ſic comparaſti eam ut irrigata ferax eſſet.

V. 11. RIVOS, *ſulcos*: Idem & LXX. GENIMINA, *fruges*, Hier. IN STILLICIDIIS, &c. *pluviis irriga eam*, *&* *germini eius benedic*: Idem.

V. 12. BENEDICES CORONAE ANNI: *Coronabis annum benignitate tua*: Hebr. cinges, exornabis, cumulabis frugibus. CAMPI TUI, *veſtigia tua*, &c. Hier. id eſt itinera terræ ſanctæ, quam Deus inhabitare, & inambulare videbatur.

V. 14. ARIETES OVIUM, *agnis greges*, Hier. eodem ſenſu: Fœcundabuntur oves, agnis abundabunt. HYMNUM DICENT, agricolæ, pro tanta anni fertilitate rerum, que copia.

PSALMUS LXV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Populo a calamitatibus liberato.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA
Victori canticum Pſalmi.	In finem, 1. Canticum Pſalmi reſurrectionis.
IUbilate Deo omnis terra. Cantate gloriam nomini eius: date gloriam laudi eius.	IUbilate Deo omnis terra, 2. pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
Dicite Deo, quam terribile opus tuum: in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.	3. Dicite Deo quam terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te & canat tibi: canat nomini tuo. Semper.	4. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.
Venite & videte opera Dei, terribilia conſilia ſuper filiis hominum.	5. Venite, & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.
Convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætamur in eo.	6. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.

Qui

Qui dominatur in fortitudine tua fæculo, oculi eius gentes aspiciunt, qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis. Semper.

Benedicite populi Deo nostro, & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animam nostram ad vitam, & non dedit in commotionem pedes nostros.

Probasti enim nos Deus: igne nos conflasti sicut conflatur argentum.

Introduxisti nos in obsidionem: posuisti stridorem in dorso nostro.

Posuisti homines super capita nostra: transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Ingrediar domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea.

Quæ promiserunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: faciam boves cum hircis. Semper.

Venite audite & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecerit animæ meæ.

Ipsum ore meo invocavi, & exaltavi in lingua mea.

Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Ideo exaudivit Deus: & attendit vocem deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam, & misericordiam suam a me.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

8. Benedicite Gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius,

9. Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: 12. imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea. 14. quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. * Ad ipsum ore meo clamavi, & axaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 17. *Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea.* Hic contra quam superius Psalm. LVIII. 17. legendum est *exaltavi* vocali prima, verbum scilicet deductum a nomine *altus*, non exultavi vocali quinta, verbum deductum a *salio*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. PSALMUM DICITE NOMINI EIUS, Hebr. *Pſallite gloriam nominis eius*.

V. 3. MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI. Hebr. *Mentientur tibi*, id eſt evaneſcent ante te, *propter magnitudinem fortitudinis tuæ*.

V. 5. TERRIBILIS IN CONSILIIS. Hebr. *Terribile opus ſupra filios hominum* (videte) id eſt ſupra omnium opinionem. Aut *terribilis* (eſt Deus) *opera, erga filios hominum*.

V. 6. IN FLUMINE PERTRANSIBUNT PEDE. Hebr. *Per flumen pertranſibunt pede* (homines) id eſt, efficiet ut tranſire poſſint.

V. 7. OCULI EIUS SUPER GENTES RESPICIUNT. Id eſt, providentiam habet omnium gentium quæ rebelles ſunt; non exaltabuntur in ſemetipſis, non effugient impunes eius providentiam.

V. 9. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM ... PEDES NOSTROS. Hebr. *Animas noſtras, & pedes noſtros*.

11. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM. Hebr. *Induxiſti nos in rete, poſuiſti in lumbis noſtris coarctationem*, id eſt vinculum. Deſcriptio captivitatis.

V. 12. IMPOSUISTI HOMINES SUPER CAPITA NOSTRA. Hebr. *Equitare feciſti hominem*; id eſt, dominari nobis, & uti nobis tamquam iumentis.

V. 15. HOLOCAUSTA MEDULLATA. Hebr. *agnorum pinguium*.

17. ET EXULTAVI SUB LINGUA MEA. Hebr. *Exaltatus eſt* (Deus) *ſub lingua mea*.

S A.

Verſ. 1. RESURRECTIONIS, id eſt de reſurrectione. DEO, id eſt in honorem Dei. Chald. *coram Domino*. TERRA. Chald. *habitatores terræ*.

V. 2. DATE GLORIAM LAUDI EIUS, id eſt glorificate eum laudando.

V. 3. TERRIBILIA, id eſt ſtupenda. IN MULTITUDINE, id eſt ob magnitudinem. MENTIENTUR TIBI; id eſt ſe, tibi ficto animo ſubiicient.

V. 5. TERRIBILIS, id eſt admirabilis: genitivus eſt. Græc. tamen eſt nominativus, addito *quam*, ſcilicet ὡς φοβερός.

V. 6. MARE, ſcilicet rubrum. FLUMINE, ſcilicet Iordane. PERTRANSIBUNT. Chald. *tranſierunt filii Iſrael*. LAETABIMUR, pro, læteti ſumus. IPSO, DEO.

V. 7. QUI EXASPERANT, ſcilicet Deum. Hieron. *increduli*. Chald. *rebelles*. EXALTENTUR, id eſt ſuperbiant. Chald. *exaltabuntur*; quaſi dicat, Deprimentur.

V. 8. AUDITAM. Chald. *auditi*.

V. 9. AD VITAM, pro in vita. DEDIT IN COMMOTIONEM, id eſt permiſit labi.

V. 11. LAQUEUM, id eſt anguſtias, ſeu captivitatem.

V. 12. IGNEM ET AQUAM, id eſt varias tribulationes.

V. 13. IN HOLOCAUSTIS. Chald. *cum holocauſtis*.

V. 14. DISTINXERUNT, id eſt diſtincte nuncuparunt. Hieron. *promiſerunt*. ET, pro, & quæ.

V. 15. MEDULLATA. Chald. *pinguia*. ARIETUM: iungendum cum *holocauſta*. OFFERAM. Hebr. *faciam*.

V. 16. OMNES: iungendum cum *venite*.

V. 17. EXALTAVI, id eſt laudibus extuli, ſcilicet illum. SUB, pro in: ſic, *Sub lingua eius labor, & dolor*, pro in lingua: & : *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, id eſt in labiis.

V. 18. INIQUITATEM. Chald. *mendacium*. SI ASPEXI; quaſi dicat: Si ad iniquitatem cor applicuiſſem, non me Deus exaudiſſet.

V. 20. AMOVIT, id eſt repulit.

E S T I I.

Verſ. 9. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM. Cum anima ipſa ſit vita, quomodo poſuit animam ad vitam? niſi quomodo alibi dicitur anima mori, & interfici, ut anima pro ipſo homine vivente, & habente animam ponatur. *Poſuit* ergo *animam meam ad vitam*, quia cum periclitaret de vita, eam mihi Do-

Dominus conservavit, eripiens me periculo. Quod & altero membro significatur: ET NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS.

V. 18. INIQUITATEM SI ASPEXI IN CORDE MEO, NON EXAUDIET DOMINUS. Sensus est: Si cogitavi iniquitatem facere, si machinatus sum aliquid mali in corde meo, non exaudiat me Dominus. Non est autem sensus: Si sum mihi alicuius peccati conscius, non exaudiet me Dominus: quia sic non fuisset exauditus Publicanus, qui dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM, CANTICUM PSALMI RESURRECTIONIS. Hebr. *Præfecto, Canticum Psalmus*. Vox *resurrectionis* Hebr. non est, neque in Hexaplis erat, ut ait Scholiastes Græcus: sic videtur redundare. Gratiarum actio pro beneficiis. IUBILATE DEO OMNIS TERRA: terræ habitatores iubilate.

V. 2. DATE GLORIAM. Hebr. *ponite gloriam*.

V. 3. TERRIBILIA; id est, mirifica sunt opera tua Deus. MENTIENTUR TIBI, simulato animo iungent fœdus tecum inimici: sic cum potentioribus fit.

V. 5. TERRIBILIS. Septuag. ὡς φοβερὸς *quod est terribilis*: id videre.

V. 6. MARE, rubrum scilicet vertit in aridam. IN FLUMINE PERTRANSIBUNT PEDE, scilicet Iordane, quando siccis pedibus transiit populus. LAETABIMUR, aut *lætati sumus*. IN IPSO, eius ope liberati.

V. 7. IN VIRTUTE SUA: per suam potentiam dominatur. QUI EXASPERANT: qui rebellant Deo, non erunt felices.

V. 9. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM; id est, qui in vita conservat animam meam.

V. 10. QUONIAM. Iunge causalem cum illis verbis verſ. 13. *Introibo in domum tuam*; eas gratias referam ob id, quia probasti nos. PROBASTI NOS DEUS, id est examinasti nos.

V. 11. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM; quasi dicat: Te permittente factum, ut iniqui nos in suos casses inducerent. POSUISTI TRIBULATIONES, id est onera gravia in lumbis nostris, quo scilicet nos probares.

V. 12. PER IGNEM ET AQUAM; id est, varia mala sumus passi. IN REFRIGERIUM. Hebr. *in irriguam*, scilicet terram, bonis affluentem.

V. 13. INTROIBO IN DOMUM TUAM IN HOLOCAUSTIS, pro cum holocaustis.

V. 14. QUAE DISTINXERUNT. Hebr. *quæ operuerunt labia mea*, id est promisi. ET LOCUTUM EST; pro, & quæ locutum est os meum, ea scilicet reddam. Iunge cum superiori hemistichio, ut est Hebr.

V. 15. MEDULLATA. Hebr. *pinguia*, aut *pinguium*. CUM INCENSO ARIETUM, id est suffitu ex adipe arietum.

V. 16. OMNES; pro, o omnes qui timetis Dominum, audite.

V. 17. EXALTAVI. Sic lege ex Græco, & Hebr. non, *Exultavi*. Ergo ipsum laudavi, extuli verbis Deum.

V. 18. SI ASPEXI; pro aspexissem iniquitatem, nisi essem innocens. NON EXAUDIET; pro, non exaudisset meas preces.

V. 19. PROPTEREA EXAUDIVIT, scilicet quia sum sine noxa. Hieronymus ait *ideo*: alii vertunt, *Vere exaudivit Dominus*. אכן *acben*, id est *vere* Argumentum innocentiæ meæ id est.

V. 20. QUI NON AMOVIT. Hebr. *abstulit*. ORATIONEM MEAM. Qui in precibus perseverat, is de misericordia Dei non dubitat: Augustin. hic.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTICUM PSALMI. Vide in Psalm. XLVII. verſ. 1. Videtur, inquiunt nonnulli, hic Psalmus a Davide conscriptus esse, postquam Israelitæ ab immani Philisthæorum tyrannide liberati sunt, & ipse a persecutionibus.

V. 2. PSALMUM DICITE NOMINI EIUS; Hebr. *Psallite gloriam nominis eius*, id est gloriosissimum nomen eius. Quidam: Id est, promulgate gloriam Christi in tota terra. DATE GLORIAM LAUDI EIUS. Quidam: *Apponite gloriam laudi eius*; id est, laudate & glorificate eum: cuius laudationis forma exponitur verſ. 3. prædicandæ vero gloriæ verſ. 4.

V. 3. QUAM TERRIBILIA SUNT OPERA TUA! Heb. *Q am terr bile op ra tua*! Participium singulare iungitur nomini plurali, quod ita Hebræi resolvunt: Quam terri-

 bile

bile est unumquodque ex operibus tuis! Alii: 1. *Quam terribilis*, *tremendus*, *metuendus es operibus tuis* ! 2. *Quam reverendus es factis tuis* ! 3. *Quam suspiciendus es propter opera tua* ! MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI. Vide de hac locutione in II. Samuel. XXII. 45. Quidam reddunt: *Magnitudine potentiæ tuæ mendaces palam deprehendentur fuisse in te hostes*, *qui divinitatem non tribuebant tibi*. Alii: *Amplitudine roboris tui*, vel *ob magnitudinem virtutis tuæ supplices tibi fient licet falso & invite*, *hostes tui*. Buchananus:

Quanta virtus! qua protervos
Mente fracta, *cogis hostes*
Supplices procumbere.

Bochius:

Invictumque tuis, *& formidabile robur*
Hostibus, *& fictos metus extorquebit honores*.

V. 4. PSALMUM DICAT NOMINI TUO. Hebr. pluraliter: *Psallent*, *modulabuntur*, *incisiones musicas canent*, *nomini tuo*. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*, *semper*; 2. *Ita fiet*; 3. *Ut cum maxime*; 4. O quam immensa est divini nominis maiestas, quam tota terra celebrat!

V. 6. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM. Exod. XIV. vers. 21. & seqq. IN FLUMINE PERTRANSIBUNT PEDE. Iosue III. XIV. & seqq.

V. 7. OCULI EIUS SUPER GENTES RESPICIUNT. Vide supra Psalm. X. 5. QUI EXASPERANT NON EXALTENTUR IN SEMETIPSIS. Diverse alii ex Hebr. I. *Rebelles non exaltabuntur sibi ipsis*, id est in suum commodum aut bonum. II. *Qui increduli sunt*, *ne exaltentur in semetipsis*. III. *Defectores non extollent se ipsos*, sed cadent dignitate sua. IV. *Desertores Dei non exaltabuntur*, *quamvis diversum ipsi sibi persuaserint*. V. *Qui rebelles sunt*, *ne efferantur apud se ipsos*, nimirum amplius, sed potius Deum laudent atque glorificent. Apponitur hic *selah*; id est, 1. *in sempiternum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Admodum*; 4. O quam considerandus miserrimus eventus omnium quotquot a Deo descifcunt!

V. 9. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM. Hebr. *Ponens*, *disponens*, *animas nostras in vitam*. Alii. 1. *Qui restituit animam nostram in vitam*, id est redimit nos a morte, letalibusque periculis: 2. *Qui vita donat nos*: 3. *Qui conservavit nos in vita*. ET NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS. Vide supra Psalm. XXXVII. 17. & Psalm. LV. 14.

V. 10. QUONIAM PROBASTI NOS DEUS, &c. Quidam hunc versum ita reddunt: *Postquam probasti nos Deus*, *conflasti nos ut conflatur argentum*. Exegesis allegorica malorum, & liberationis acceptæ, quæ summatim proposuerat vers. 9. & prima allegoria est hic a metallis probatis & fusis ad ignem.

V. 11. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM. מצודה *metzudah*, exponunt, *in receptum*, id est in carcerem receptus: nam accipi volunt pro receptu, seu custodia, & carcere qui est in arce seu loco munito. Alii, *in rete venatorium*: ex verbo, *in venationem*: secunda allegoria a venatione sive aucupio. POSUISTI TRIBULATIONES IN DORSO NOSTRO. Vocem מועקה *mughakab*, reddunt *pressuram*, *constrictionem*, *coarctationem*, *angustiam*, *afflictionem*, *molestiam*, *anxietatem*, *arctum vinculum*, seu morbum constringentem, *catenam*, *stridorem*, *fremitum*, *crepitum*, flagelorum, vel catenarum, *in lumbis nostris*. Idem fere quod עקה *ghakab*, supra Psalm. LIV. 4. Nonnulli reddunt: *Imposuisti cingulam asinariam lumbis nostris*: tertia allegoria a iumentis, quibus clitellæ sub axillaribus loris alligantur per transversum corpus: synecdoche, pro eo quod est, clitellas, & grave onus afflictionum iniecisti nobis.

V. 12. IMPOSUISTI HOMINES SUPER CAPITA NOSTRA. Varie ex Hebr. I. *Imponis velut iumento hominem capiti nostro*. II. *Et invexeris nihili hominem in caput nostrum*. III. *Fecisti ut insideret mortalis in caput nostrum*; id est, indignissimo cuique subiecisti nos. Sic attingit comminationem Dei, quæ habetur Deuteronom. XXVIII. 43. & 44. de tyranno plerique accipiunt. TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQUAM. Hebr. *Ingressi sumus per ignem*, *& per aquam*; id est, omnia quamvis durissima subivimus: proverbiale dictum: quarta allegoria. ET EDUXISTI NOS IN REFRIGERIUM. Hebr. *in irriguam terram*, vel *in irrigationem*. Quidam, *ad hanc saturitatem*, id est ad hanc bonorum copiam ex tanta inopia. Alii: *Tandem tamen ex omnibus his eripuisti nos*, *& perduxisti nos*

in

in locum ubi omnium rerum copia est summa.

V. 13. REDDAM TIBI VOTA MEA. Exponunt, Id est colam te legitime.

V. 14. QUAE DISTINXERUNT LABIA MEA. Hebr. *Quæ ample aperuerunt labia mea*. Quidam: *Quæ amplificaverunt labia mea*, id est quæ ample voverunt. Alii: *Quæ numcupaverint aperta labia mea*. Nonnulli: *Quæ effecerunt ut aperirem labia mea, & ut loqueretur os meum*, &c. Aliqui: *Quorum me damnant labia mea*.

V. 15. HOLOCAUSTA MEDULLATA OFFERAM TIBI. Hebr. non conveniunt genere, *Holocausta medullata*: nam *holocausta* est femineum; *medullata*, masculeum: proinde fere vertunt: *Holocausta medullatorum, pinguium*, scilicet *agnorum*, *offeram tibi*. Nonnulli versum ita reddunt: *Holocausta pinguium arietum offeram tibi cum suffitu*; *parabo boves cum hircis*. Poeticam, inquiunt, verborum antithesim evidentiæ causa fugimus, quemadmodum etiam in sequente versu. OFFERAM TIBI BOVES. Hebr. *Faciam tibi*, id est *sacrificabo tibi*, notissima locutione Hebraica, & Latina: ridicule igitur alii: *Parabo tibi*; & insanissime negant verbum *facere* pro *sacrificare* sumi. Vide notas in Exod. XXIX. 36. & Bochium hic. CUM HIRCIS. Apponitur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita faciam*; 3. *Potentissime*; 4. O quam grata Deo sunt legitima sacrificia! vel, hæc umbra erant sacrificii Christi.

V. 16. VENITE, AUDITE, ET NARRABO, &c. Hunc versum perspicuitatis ergo, immutato situ verborum, ita reddunt: *Agite, audite, quicumque timetis Deum, ut enarrem, quæ fecit animæ meæ*.

V. 17. ET EXALTAVI SUB LINGUA MEA. רוֹמַם *romam* quidam præteritum Puhal quadrari volunt: *Et exaltatus fuit Deus sub lingua mea*; id est, extuli Deum lingua mea. Alii nomen: *Et elevatus sub lingua mea*, Deus. Aliqui reddunt: *Et fui elatus* pro sermonibus *linguæ meæ*; id est, ereptus & evectus ex meis calamitatibus, propterea quod certa fiducia invocavi eum.

V. 18. INIQUITATEM SI ASPEXI, &c. Notant esse exegesim proxime præcedentis membri, nempe Psaltem libero a rebus iniquis & vanis animo Deum adiisse, ac proinde gratiose exauditum esse. Vide Iacobi IV. vers. 3. & sequentibus. Alii exponunt: Id est, si cum fuco orassem, aut hypocrisi, si precatio mea fuisset simulata, &c. quasi dicat: Oratio mea non tantum fuit ore, sed & ore & corde.

V. 19. BENEDICTUS DEUS. Conclusio Eucharistica. QUI NON AMOVIT ORATIONEM MEAM. Quidam: *Qui non avertit orationem meam*; subaudi, *a se* Eclipsis antitheti sequentis, & benignitatem suam *a me*, ut supra Psalm. LXIII. vers. 9.

MENOCHII.

Vers. 1. CANTICUM PSALMI. Vide dicta ad tit. Psal. XXIX. RESURRECTIONIS. Hæc vox non est in textu Hebræo, sed postea addita ad indicandum mysterium: nam Psalmus est propheticus de mundi regeneratione, & quasi resuscitatione, id est de Gentium conversione, & martyribus. Ita Genebrardus. Bellarminus putat additam illam vocem, quia Psalmus continet gratiarum actionem pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta felicitate post omnes finitas calamitates, quod sine dubio in Resurrectione erit. OMNIS TERRA, omnes terræ incolæ.

V. 2. DICITE, canite. NOMINI EIUS, in nominis eius honorem. DATE GLORIAM LAUDI EIUS: laudem eius gloriosam dicite, & celebrate. Hebr. *Ponite gloriam laudem eius*; id est, non solum laudate, sed etiam (quod maius est) glorificate.

V. 3. DICITE DEO, &c. Hæc est materia laudis Dei, opera scilicet potentiæ, & sapientiæ eius. QUAM TERRIBILIA! quam miranda, & stupenda! IN MULTITUDINE VIRTUTIS TUAE, propter multam tuam potentiam. MENTIENTUR TIBI, &c. Non solum tibi subiicientur qui te diligunt, sed etiam inimici tui serviliter, fictoque animo tibi supplices fient, voluntariam subiectionem simulantes, quamvis inimicos contra te animos gerant.

V. 5. TERRIBILIS: est genitivi casus, licet in Græco nominativus habeatur, ὡ φοβερός, *quam terribilis*. IN CONSILIIS. Symmachus vocat μηχανήματα, *machinas*: sapientes scilicet machinationes, quibus humanum genus gubernat,

V. 6.

V. 6. Qui convertit mare in aridam. Duo subiicit exempla operum mirabilium Dei, quæ nullo umquam humano consilio fieri potuissent. *Qui convertit mare in aridam*, quod Dominum fecisse discimus ex xiv. Exodi. In flumine pertransibunt pede: quod factum est, siccato alveo Iordanis, Iosue iii. Ibi, in hisce mirabilibus. Laetabimur in ipso: lætabimur & gloriabimur in Deo nostro, qui ut olim, sic nostris temporibus, cum opus fuerit veterem miraculorum suorum memoriam renovabit.

V. 7. Qui dominatur: in ipso qui dominantur. In virtute tua, per suam potentiam, & omnipotentiam. Super Gentes respiciunt, omnia contemplantes, & omnibus sua providentia prospicientes. Qui exasperant: qui Deum irritant peccatis. Non exaltentur in semetipsis: non superbiant, nec cristas erigant; nam omnipotens illos deprimet.

V. 8. Auditam facite: ita enunciate divinas laudes, ut alii exaudiant. Vocem laudis eius, vocem qua illum laudatis.

V. 9. Qui posuit, &c. qui me in vita conservavit, vel vitæ restituit. Non dedit in commotionem, &c. nec permisit ut laberentur pedes mei, egoque in exitium ruerem.

V. 10. Quoniam probasti nos Deus, &c. variis experimentis, & tentationibus nos exercuisti. Examinasti, probasti.

V. 11. Induxisti nos in laqueum: permisisti nos laqueis variarum calamitatum constringi. Posuisti tribulationes, &c. onere tribulationum nos premi reliquisti.

V. 12. Imposuisti homines super capita nostra: impios homines, & tyrannice dominantes, nobis præesse passus es. Transivimus per ignem et aquam: proverbialis loquendi formula: contrariis malis per vices vexati sumus. Conveniunt hæc Martyribus. Eduxisti nos in refrigerium: ex malis eductos recreasti, & refocillasti.

V. 13. In domum tuam, in templum. In holocaustis, holocausta, & sacrificia gratiarum actionis immolaturus. Reddam vota, &c. persolvam vota, quæ concepi.

V. 14. Distinxerunt labia mea; quæ distincte, & clare protulerunt labia mea. Et locutus est, &c. Repetitio eiusdem sententiæ. In tribulatione mea, cum malis premerer.

V. 15. Holocausta medullata, pinguia, adipe, & medulla plena. Cum incenso arietum. Incensum arietum appellat odorem, sive nidorem, qui ex incensis arietum carnibus exhalet.

V. 16. Venite, audite, &c. Ordo est: Venite omnes qui timetis Deum, audite, & narrabo quanta fecit animæ meæ.

V. 17. Exaltavi sub lingua mea, in corde, & pectore quæ subsunt linguæ. Vel certe idem est, *sub lingua mea*, quod in lingua mea, vel simpliciter lingua mea.

V. 18. Iniquitatem si aspexi in corde meo: si aspexissem iniquitatem in corde; si animo fuissem iniquo & improbo, me Dominus non exaudivisset.

V. 19. Propterea exaudivit Deus: quia nimirum ipse scrutatur corda, & vidit me ab iniquitate abhorrere. Attendit, &c. exaudivit me.

V. 20. Amovit, repulit, sprevit.

TIRINI.

Vers. 1. Canticum Psalmi resurrectionis. Ita sanctus Augustinus. Licet ea vox in Hebræo, aut Chaldæo non habeatur.

V. 3. Mentientur, pro subiicientur, tibi iuxta dicta Psal. xvii. 46.

V. 6. Convertit mare rubrum in aridam, seu in aridum alveum, Exod. xiv. In flumine Iordane pertransibunt; Chaldæus, *transierunt*, sicco pede. Ibi, id est in eo transitu, valde læti fuimus, semperque laetabimur in ipso, Deo, & ope divina. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus.

V. 7. Qui exasperant Deum sceleribus suis; Chaldæus, *rebelles*; Hieronymus, *increduli* Deo; non exaltentur, id est ne superbiant, quia scilicet Dei scientiam & potentiam evadere non possunt.

V. 9. Posuit ad vitam, id est ad vivendum, & non ad cito moriendum, ut optant & conantur hostes mei.

V. 10. Igne, tribulationis. Vide Psal. xvi. vers. 3.

V. 11.

V. 11. In laqueum; Hieronymus *in obsidionem*, qua tamquam laqueo circumdamur, & strangulamur. Tropologice in angustias quibus quasi laqueis constringimur, & suffocamur.

V. 12. Imposuisti homines, tyrannos. Chaldæus, *auctores exactionis*, qui nobis quasi iumentis suis *inequitent*.

V. 14. Distinxerunt; id est, distincte pronuntiarunt, & promiserunt tibi.

V. 15. Holocausta medullata, id est medullis plena, id est *pinguia*, ut Chaldæus vertit. Cum incenso arietum. Septuag. & Chal. *Cum suffitu aromatico & sacrificio arietum*. Tropologice dicuntur hæc in persona martyrum, inquit S. Hilarius, Hieronymus, & Euthymius

V. 17. Sub lingua mea, Hier. in lingua: & ita legit Euthymius.

GORDONI.

Titulus: In finem, Canticum Psalmi resurrectionis. Vide titulum Psalmi IV. vox Resurrectionis (ἀναστάσεως) si creditur Theodoreto, non fuit apud LXX. sed postea addita: sane non est in Heb. nec est apud Hilarium; & quamvis incerti auctoris, non tamen reiicienda vox est. Nam non parum attingit Psalmi argumentum, qui est gratiarum actio pro acceptis beneficiis, post multas calamitates, cum spe introeundi in magnam felicitatem; certe per Christum post resurrectionem.

Vers. 6. Qui convertit mare, &c. Hoc Psalmo invitat ad laudem Dei; & vers. 2. proponit pro materia laudis potentiam Dei, ac sapientiam in operibus; quorum aliqua enarrat hic vers. 6. ac duo præsertim, de arida in mari, Exod. XIV. & flumine converso retrorsum, Iosue III.

V. 11. Induxisti nos in laqueum, &c. Hieronymus: *Introduxisti nos in obsidionem*. Videtur ergo ille legisse מצורה *metsurah*, constrictio est. Sed habes in Hebr. *metsudah*, per daleth, & significat rete. Septuag. etiam habent παγίδα Ceterum permittit nos Deus in tentationem cadere, & aliquando inducit; sed non sinit nos tentari supra id quod possumus, I. Cor. x. 13. numquam vero inducit ad peccatum.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 2. *usq. ad* 9. Iubilate, &c. In hac gratiarum actione, pro acceptis beneficiis, Psalmista invitat statim initio electos in resurrectione iustorum, ad Deum laudandum. Et mox vers. 3. subdit quid dicere debeant. Mentiuntur vero illi omnes Deo, qui vel obloquuntur ut athei, & infideles; vel profitentur se esse Dei cultores, & ficto corde agunt. Id ne fiat, hortatur vers. 4. & 5. ac demum ostendit vers. 6. ex mirabilibus Dei operibus, quam sit dignus hac laude. Hinc obiter vers. 7. monet eos qui mentiuntur Deo, ne ex sua potentia lædant alios; quia Deus, qui est mirabilis in operibus suis, & sane potens dominatur in æternum: ille, inquit, tuebitur afflictos: ergo laudate potius: vers. 8.

V. 9. *Qui posuit animam meam* &c. Quod hinc usque ad versum 13. dicit, est huiusmodi: dat caussam cur invitaverit omnes ad Deum laudandum, ea est, quia post multas tribulationes (quas apposite hic explicat variis metaphoris) tandem posuit me Deus in refrigerio. Bene etiam hoc convenit electis, qui ut aurum in igne probati tribulationibus, tandem cælesti excipiuntur refrigerio. Ita sane quamvis impii conculcent iustos, adeo ut pedes ponant super capita iustorum; tamen Deus *ponit ad vitam*; hoc est, vivere facit; & non sinit commoveri pedes eorum a recto tramite.

V. 13. & seq. *Introibo*, &c. Est quasi epilogus eorum quæ hactenus dixit. Pro acceptis beneficiis, sibi speciatim collatis, promittit holocausta. Annuntiabit aliis Dei beneficia; & præsertim se exaudiri; quia iniquitatem in corde non aspexit. Tandem definit Psalmus benedicendo.

BOSSUET.

Verſ. 1. RESURRECTIONIS, deeſt Heb. etiam apud LXX. teſte Theodor.

V. 3. MENTIENTUR TIBI, &c. præ timore negabunt ſe Iſraelitis adverſari..

V. 6. MARE, rubrum Hebræis pervium. *In flumine*, in Iordane: quod factum eſt ſub Ioſue, Ioſ. III. IBI LAETABIMUR IN IPSO, in Deo.

V. 7. QUI EXASPERANT NON EXALTENTUR: contumaces ne ſuperbiant.

V. 8. GENTES, populi: Ammim. at Iſraelitæ plerumque populus ſingulari numero.

V. 9. ANIMAM MEAM, *animas noſtras* Heb. PEDES MEOS, *noſtros*, Heb.

V. 11. IN LAQUEUM, in obſidionem, Hier. in anguſtias. TRIBULATIONES, *ſtridorem*, Hier. IN DORSO NOSTRO: immiſiſti hoſtes tergo inſiſtentes cum duris comminationibus.

V. 12. IMPOSUISTI HOMINES, nobis graves, *inequitantes*, Heb. quaſi humeris inſidentes. IN REFRIGERIUM, *in irriguam*, Heb. ſupp. terram.

V. 14. DISTINXERUNT, *promiſerunt*, Hier. clare, & aperte pronuntiaverunt. ET LOCUTUM EST; ſupple, quæ vota feci, & quæ ſum locutus, &c.

V. 15. MEDULLATA: pinguia, opima.

PSALMUS LXVI. DEPRECATORIUS.

Populus Deo tutore lætus, accinere ſibi gentes omnes, eiuſdemque cultus participes fieri optat.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori in Pſalmis Canticum carminis.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nos: illuſtret faciem ſuam ſuper nos. Semper.

Ut nota fiat in terra via tua: in univerſis gentibus ſalus tua.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & laudent gentes quoniam iudicas populos in æquitate: & gentium quæ in terra ſunt ductor es ſempiternus.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit germen ſuum: benedicat

VERSIO VULGATA.

In finem,

1. In hymnis, Pſalmus Cantici David.

2. DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

3. Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

5. Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

6. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: 7. terra dedit fructum ſuum.

nos

nos Deus, Deus noster.
Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ:

Benedicat nos Deus, Deus noster, 8. benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. Quoniam iudicas populos in aequitate, & gentes in terra dirigis. Quidam legunt futuro tempore *diriges*: sed verisimile est, Interpretem duplici præsenti usum vertisse *iudicas, dirigis*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN FINEM Heb. *Vincienti* לַמְנַצֵּחַ: ut Psal. IV. 53. 54. 60.

V. 3. SALUTARE TUUM. Hebr. *Salutem tuam*, cum inter gentes afflicti erimus, experiamur: aut *in omnibus gentibus salus tua*; id est, omnibus salutem affers, ut intelligatur quia.

V. 5. ET GENTES IN TERRA DIRIGIS, id est iuste regis.

V. 8. BENEDICAT NOS, &c. Hebr. futurum pro præterito: Benedixit nobis Deus (cum terra dedit fructum suum) benedixit nobis Deus. Metuent autem eum omnes fines terræ. Aut: Quia nobis benedixit, metuent eum omnes fines terræ.

S A.

De gratia Dei per Christum.

Vers. 1. CANTICI, id est in laudem Dei.

V. 2. BENEDICAT, id est benefaciat. ILLUMINET, id est hilarem & propitium ostendat.

V. 3. SALUTARE, id est salutem. Chald. *redemptionem*.

V. 5. AEQUITATE, id est iustitia. DIRIGIS, scilicet ne errent.

V. 7. FRUCTUM, scilicet Christum.

V. 8. DEUS. Ter nominatur ob mysterium Trinitatis. FINES; quasi dicat, Etiam qui extrema terræ incolunt.

ESTII

nulla in hunc Psalmum annotatio.

MARIANAE.

Vers. 2. IN FINEM, IN HYMNIS, PSALMUS CANTICI DAVID. Heb. *Præfecto in instrumentis Psalmus, Canticum* Ad Deum preces, ut se cognoscendum omnibus exhibeat.

V. 2. ILLUMINET VULTUM SUUM: se nobis hilarem ostendat. ET MISEREATUR NOSTRI. Hoc Hebr. non est, neque in Apollin. neque in August. neque in Græc. Roman. & videtur redundare, quippe iam initio positum.

V. 3. UT COGNOSCAMUS, id est beneficium quod petit. VIAM TUAM, id est legem tuam. SALUTARE TUUM. Hebr. *salutem tuam*, qua omnes per Christum liberabis a servitute diaboli.

V. 4. CONFITEANTUR: laudent pro salute illis collata te populi.

V. 5. IUDICAS, regis. DIRIGIS, deducis, more scilicet pastoris populos.

V. 7. TERRA DEDIT, pro dabit. FRUCTUM SUUM: cumulabit nos bonis, si homines Deum laudaverint. Aut laudent, quia iam dedit fructum, bona protulit.

V. 8. BENEDICAT NOS DEUS, DEUS NOSTER, BENEDICAT NOS DEUS. Trina repetitio nominis *Elohim*, tres in Deo hypostases indicat.

MALVENDAE.

Verf. 1. IN HYMNIS. Hebr. *In neghinoth.* Vide Pfal. IV. verf. 1. PSALMUS CANTICI. Vide in Pfal. XLVII. verf. 1. Notant, Ecclefiam hoc Pfalmo poftulare adventum regni Dei in Chrifto.

V. 2. ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS. Quidam: I. *Oftendat vultum fuum nobis*. II. *Illuminet facie fua nos*. III. *Palam lucere faciet lucem vultus fui erga nos*. IV. *Illuftret nos lumine vultus fui*. V. *Illuftret faciem fuam erga nos*: vide Pfal. IV. verf. 7. Additur *felah*; id eft, 1. *In perpetuum, femper*; 2. *Ita fiet*; 3. *Maxime*; 4. O quantum intereft illuftrare Deum faciem fuam erga nos, & benevolo nos vultu refpicere?

V. 3. VIAM TUAM. Explicant, Id eft opus & adminiftrationem tuam, falutaremque gratiam omnibus hominibus, ut Paulus vocat ad Titum II. verf. 11. SALUTEM TUAM, in Chrifto. Nofter, *Salutare tuum*, ut magis indicet Chriftum.

V. 4. CONFITEANTUR TIBI POPULI, DEUS, &c. Nimirum exhibito Filio tuo in carne. Vaticinium de fide gentium, ut verf. fequente. Quidam: *Accepta tibi referent omnia fua, populi, Deus*, &c.

V. 5. QUONIAM IUDICAS POPULOS IN AEQUITATE, &c. Hebr. *Quia*, vel *cum*, *iudicabis populos rectitudine*, &c. id eft, regem, & paftorem ages omnium. Hæc autem ad Chriftum pertinere, res ipfa loquitur. ET GENTES IN TERRA DIRIGIS. Hebr. *Et nationes in terra deduces*; id eft, placide & fenfim deduces, ficut paftor gregem, aut pater puerum fuum manu ducit. Quidam reddunt: *Et omnium, qui in terra degunt, tu te ducem præbebis*. Alii: *Et nationes per orbem temperabis*. Hifpanicus Interpres: *Y paftoreares las gentes en la tierra*. Adiicitur *felah*; id eft, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Potentiffime*; 4. O quam bonum eft Chriftum habere ducem! vel O quam amplum erit regnum Chrifti in terris!

V. 6. CONFITEANTUR TIBI POPULI, DEUS, &c. Verfus amœbeus, idem cum verfu 4. initium faciens infigni poftulato, ut Deus etiam in præfenti vita benedicat fidelibus, tamquam populo uni & adunato per Chriftum, ad gloriam ipfius: qui fummus eft omnium poftulatorum finis.

V. 7. TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM. Varie explicant: 1. Id eft Chriftum: ut Pfal LXXXIV. 13. 2. Incolæ terræ dabunt fructus bonorum operum in Chrifto: 3. Terra fundet large proventum fuum, annonam. BENEDICAT NOS DEUS Pater, DEUS NOSTER, Filius, nofter per affumptam humanitatem, eiufdem nobifcum naturæ.

V. 8. BENEDICAT NOS DEUS. Spiritus fanctus. Hic enim myfterium divinæ Trinitatis plerique agnofcunt. Vide Auguftinum Iuftinianum hic, & Glatinum Lib. II. cap. 1.

MENOCHII.

Verf. 1. IN HYMNIS. Vide dicta ad titulum Pfal. IV. PSALMUS CANTICI. Vide dicta ad titulum Pfalm. XXIX.

V. 2. ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS: lucere faciat, lucidum, faventem, placidum exhibeat.

V. 3. VIAM TUAM, rectam religionem, & viam divinæ legis per quam ambulare debemus. SALUTARE TUUM, tuam falutem, five Salvatorem Chriftum a te miffum.

V. 5. DIRIGIS, tamquam bonus paftor fideles tuos deducens ac dirigens ad viam veritatis ne errent, nec aliquo eos bono carere permittens, qui fe tibi committunt.

V. 7. TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM. Chriftum intelligit: hic eft enim fructus terræ fublimis, de quo Ifaiæ cap. IV. dicitur: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ fublimis*. Utitur autem David tempore præterito pro futuro, quia in eius prænotione iam factum erat, quod nobis futurum prædicabat.

V. 8. METUANT EUM, &c. Deum verum timeant timore fancto, reddentes ei tributum obedientiæ, & laudis ufque in æternum.

TIRI-

TIRINI.

Verſ. 1. **Illuminet vultum suum super nos**; id eſt, hilarem, propitium, liberalem ſe nobis exhibeat, ut dixi Pſal. iv. verſu 7.

V. 4. **Confiteantur tibi**, id eſt laudent te.

V. 7. **Terra dedit fructum suum**, ſcilicet nobiliſſimum quem umquam edidit, nempe Chriſtum, ex Maria terra Virgine prognatum, inquit S. Hieronymus, & Euthymius, & cum Chriſto, ac per Chriſtum, immenſam ſanctorum hominum meſſem.

V. 8. Deus. Ter nominatur, ad innuendum myſterium SS. Trinitatis, quæ operata eſt incarnationem Filii Dei. Secundo autem loco non dicitur ſimpliciter *Deus*, ut primo & tertio loco, ſed cum addito, Deus noster, id eſt Emmanuel, propter perſonam Filii, qui per incarnationem ſingulari modo *noſter* effectus eſt, inquit S. Hieronymus, & Genebrardus.

GORDONI.

Titulus. **In finem, in hymnis Psalmus cantici**, &c. Eſt David hic Pſalmus: nam in titulo licet in Hebræo non ſit *David* (excidit forte) tamen eſt in Græco, & Latino, & apud Hieronymum, Hilarium, & Auguſtinum. Argumentum Pſalmi eſt oratio pro omnibus, cum gratiarum actione. Exprimere etiam videtur David magnum ſuum illud deſiderium, quo tenebatur de adventu Meſſiæ, & redemptione generis humani. Porro Latini Patres multi cum Hilario hic agi volunt de incarnatione, & vocatione gentium. Quod eſt hic Hebraice מזמור שר *mizmor wir*, exponi poteſt *Canticum carminis*. Cetera Paraphraſis.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 2. *Deus miſereatur*, &c. Totus hic Pſalmus plenus votorum eſt, & iuſti deſiderii, ut præfatus ſum, de adventu Meſſiæ. Hinc verſ. 2. hanc petit Pſalmiſta miſericordiam, ut ſic (verſ. 3.) in vocatione gentium, Deus in toto orbe colatur; & gentes ipſæ (quod ſubiungit) in æquitate, ac vera iuſtitia dirigantur, indeque lætentur, & ſancte confiteantur Deo, quando tandem terra dedit mortalibus fructum tam expetitum. Concludit iterum petens hanc benedictionem.

BOSSUET.

Verſ. 1. **David**: deeſt, Hier.

Verſ. 2. **Et misereatur nostri** deſunt Hier. LXX. Primus autem hic verſus deſumptus eſt ex Num. vi. 27. & erat ſolemnis formula qua Sacerdotes conceptis verbis populo benedicerent.

V. 7. **Dedit fructum**: cum & univerſæ gentes ad Deum convertentur, & electi abundabunt bonis operibus, rerumque omnium copia.

PSALMUS LXVII. EUCARISTICUS.

Dum arca ad Sionem transfertur, populus Dei veterum sub Mose mirabilium memor, instar Mariæ sororis Mosis lætatur atque in hostes Dei opem implorat. II. Reg. vi. 5. Psal. xlvi.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori David Psalmus Cantici.

EXurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius.

Sicut deficit fumus deficiant: sicut tabescit cera a facie ignis: sic pereant impii a facie Dei.

Iusti autem lætentur & exultent in conspectu Dei, & gaudeant in lætitia.

Cantate Deo, canite nomini eius: præparate viam ascendenti per deserta, in Domino nomen eius, & exultate coram eo.

Patre pupillorum, & defensore viduarum: Deus in habitaculo sancto suo.

Deus inhabitare facit solitarios in domo, educet vinctos in fortitudine: increduli autem habitaverunt in siccitatibus.

Deus cum egredereris ante populum tuum, & ambulares per desertum. Semper.

Terra commota est, & cæli distillaverunt a facie tua Deus, hoc est in Sinai: a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam elevasti Deus: hereditatem tuam & laborantem tu confortasti.

VERSIO VULGATA.

In finem,
1. Psalmus Cantici ipsi David.

2. EXurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, a facie eius.

3. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

4. Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.]

Exultate in conspectu eius, * turbabuntur a facie eius, 6. patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: 7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo:

Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8. Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.

9. Terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

10. Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: & infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Ani-

Animalia tua habitaverunt in ea: præparasti in bonitate tua pauperi Deus.

Domine dabis sermonem, annuntiatricibus fortitudinis plurimæ.

Reges exercituum fœderabuntur: fœderabuntur, & pulchritudo domus dividet spolia.

Si dormieritis inter medios terminos pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in virore auri.

Cum divideret robustissimus reges in ea, nive dealbata est in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis: mons excelsus, mons pinguis.

Quare contenditis montes excelsi adversus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo? siquidem Dominus habitabit. Semper.

Currus Dei innumerabilis millia abundantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.

Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus: insuper & non credentes inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus per singulos dies, portabit nos Deus salutis nostræ. Semper.

Deus noster Deus salutis, & Domini Dei: mortis egressus.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis: perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, de Basan convertam: convertam de profundis maris.

Ut calcet pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum: ex inimicis a temetipso.

Viderunt itinera tua Deus: itinera Dei mei, regis mei in sancto.

Præcesserunt cantatores eos, qui post tergum psallebant in medio puellarum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo: Domino de fontibus Israel.

11. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

12. Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.

13. Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ,* & posteriora dorsi eius in pallore auri.

15. Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: 16. Mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: 17. ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus:

Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

20. Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

21. Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

23. Dixit Dominus: Ex Basan convertam,* convertam in profundum maris.

24. Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

25. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei: regis mei qui est in sancto.

26. Prævenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuvencularum tympanistriarum.

27. In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

Ibi

Ibi Beniamin parvulus continens eos, principes Iuda in purpura sua: principes Zabulon, principes Nephtali.

Præcepit Deus tuus de fortitudine tua, conforta Deus hoc quod operatus es in nobis.

De templo tuo, quod est in Ierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa bestiam calami, congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas: disperge populos qui bella volunt.

Offerantur velociter ex AEgypto: AEthiopia festinet dare manus Deo.

Regna terræ cantate Deo: canite Domino. Semper.

Qui ascendit super cælum cæli a principio: ecce dabit voci suæ vocem fortitudinis.

Date gloriam Deo: super Israel magnificentia eius, & fortitudo eius, in cælis.

Terribilis Deus de sanctuariô suo: Deus Israel ipse dabit fortitudinem, & robur populo, benedictus Deus.

28. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

29. Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

30. A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent reges munera.

31. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt:

32. venient legati ex AEgypto: AEthiopia præveniet manus eius Deo.

33. Regna terræ, cantate Deo: psallite Deo, 34. qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,

35. date gloriam Deo super Israel, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

36. Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *Turbabuntur a facie eius*. Nequaquam omittenda sunt verba hæc.

V. 23. *Convertam in profundum maris*. Quidam pro quarto casu legunt sextum *profundo*, vel *profundis*.

NOTATIO.

Vers. 23. MUltorum librorum, & Ruffini ac posteriorum Tractatorum lectio est: *Convertam in profundum maris*; quam ut recitavit D. Augustinus, subiungit: „ Si *convertam*, quare *in profundum maris*? In seipsum quippe convertit „ Dominus eum salubriter convertit, & „ non est utique ipse in profundo maris. „ An fallit forte Latina locutio, & pro eo „ positum est *in profundum*, quod est *in profundo*? " Sic S. Augustinus: fortasse autem fallit Latina lectio. Nonnulla manuscripta antigrapha cum Epanorthotæ libro scribunt in profund'; id quod recte *in profundis* legas. Codex Cathedralis Ecclesiæ Brugensis cum antiquitate, tum integritate præstantissimus diserte scribit, *In profundis maris*: quo modo Græcus quidam S. Augustini liber (quod ipse paulo post adfert) ἐν βυθοῖς legit, atque omnes nostri cum Euthymio Græco Enarratore similiter: ἐπιστρέψω ἐν βυθοῖς θαλάσσης. Interlinearis glossa, quibusdam *in profundo* legi annotat, id quod diserte in Haymone reperio, atque idem unum est. Beda: *Convertam*, habet, *in profundo*, sive in *profundum maris*: fuit olim librorum quorundam, alterius forte editionis lectio: *Convertar in profundum maris*: quam D. Hilarius secutus est, & Romanum psalterium retinuit, quam etiam Augustinus agnoscit, atque exponit. Huic belle convenit *in profundum*; huius

ita

itaque occasione mutatum est fortasse *in pro. fundis*, seu *in profundo*, quod alterius erat editionis, in *in profundum*; hoc autem, *Convertam in profundis*, seu *in profundo maris* intelligit Augustinus: Convertam eos qui sunt in profundo maris, qui in huius sæculi profundo iacent, demersi pondere peccatorum. Euthymius Monachus docet, *in profundis* exponi posse, pro *ex profundis*; ut sit præpositio pro præpositione: hoc modo exponunt Arnobius, & Hieronymus; quamquam quid legerint non constet; *in profundo* an *de profundo*: ;nam *in profundum*, etsi sic adscriptum sit, non videntur legisse. Sub finem commentariorum in Michæam, *de profundo* legit Hieronymus. Cassiodorus ut omnem evitaret quæstionem, Hieronymi translationem, utpote dilucidiorem, secutum se fatetur: *Convertam de profundis maris*: sic enim est Hebraice, & quidem ad verbum: *Convertam*, vel *reducam de profundis maris*. Chaldæi paraphrasis est: *Reducam iustos qui sunt submersi, & quos devorarunt pisces* (Venet. Neb.) *in profundis maris*; ad resurrectionem respexisse videtur.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 3. SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT. Hebr. *Sicut dispellitur fumus, dispelles* (eos.)

V. 5. ITER FACITE EI QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Hebr. *Exaltate eum qui equitat super cælos*. DOMINUS NOMEN ILLI. Hebr. *In IAH nomen eius*; id est, *IAH* est nomen eius.

V. 6. PATRIS ORPHANORUM. Hebr. *Pater orphanorum, & iudex viduarum Deus* (est) *in habitaculo sanctitatis suæ*.

V. 7. QUI HABITARE FACIT, &c. Hebr. *Qui habitare facit unicos in domo*; id est, eos qui ante uni erant, & soli liberis carentes, multiplicat in amplam familiam. *Educit eos qui vincti sunt compedibus. At rebelles habitabunt in deserto & arido loco*; id est, soli erunt sine liberis.

V. 9. ETENIM CAELI. Hebr. *Et cæli stillaverunt a facie Dei. Sinai, ipse* (stillavit) *a facie Dei Israel*; id est, metu Dei liquefacti sunt.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM, &c. Hebr. *Pluvia voluntaria aspersisti hereditatem tuam*, id est ad voluntatem & votum agricolarum. *Si infirmata est, tamen eam reparasti*.

V. 11. ANIMALIA TUA, &c. Hebr. *Congregatio tua... parasti in bonitate tua pauperi Deus*; id est, bonis tuis replesti eam, ut ea pauper frueretur.

V. 12. DOMINUS DABIT VERBUM. Hebr. *Dominus dedit verbum*, id est materiam copiosam laudis: *annuntiantium* (mulierum laudem Dei) *exercitus magnus* (fuit) aut, *mulieribus annuntiantibus virtutem magnam*, aut *exercitum magnum*.

V. 13. REX VIRTUTUM, &c. Hebr. *Reges exercituum*, id est potentes, *fugerunt, & mulier domus*, id est delicata, quæque domi desidet, *divisit spolia*. Possunt hæc verba intelligi quasi contorta a mulieribus, aut tamquam a Davide dicta, si a Davide dicuntur, vertenda erunt per futurum.

V. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, &c. Hebr. *Si iacueritis*, aut, *si iacuistis inter tripodes*, שפתים, in loco ubi tripodes, & cacabi, & cetera culinæ instrumenta reponuntur, ita ut sordidi, squallidi, & fuligine pleni sitis, *similes eritis pennis columbæ quæ tegitur argento, & cuius alæ in virore auri*, id est similes auro rutilanti. Simile est illud Isai. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*.

V. 15. DUM DISCERNIT, &c. Hebr. *Cum dissipaverit Omnipotens Reges propter eam* (mulierem delicatam & domi sedentem. Intelligit autem Ierusalem) *dealbabitur in Selmon*, id est sicut mons Selmon, qui tectus est nivibus; aut, eam *nive asperget* (Omnipotens,) *sicut Selmon*.

V. 16. MONS DEI, MONS PINGUIS. Hebr. *Mons Dei, Mons Basan*, id est similis monti Basan, qui fertilissimus erat: aut, *Mons Basan* (est) *mons Dei. Mons altus, mons Dei*. UT QUID SUSPICAMINI. Hebr. *Quorsum exultatis montes excelsi?* id est, quorsum vos erigitis & iactatis (subaudi contra hunc montem) Mons hic est in quo Deo placuit habitare. Vocat montem Dei Sion, per quem intelligit totum populum Iudaicum, ut Psalm. LXXIII. 2. *Mons Sion in quo habitasti in*

in eo : & Psalm. LXXV. 3. *Et habitatio eius in Sion* : & Psal. LXXVII. 68. *Sed elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit* : & Psalm. CXXXI. 13. *Elegit Dominus Sion, elegit in habitationem sibi.*

Allegorice autem significat Christum, & Ecclesiam, quæ eius mons est, Daniel. II. 34. 35. *Abscisus est lapis de monte sine manibus, & factus est mons magnus.* Alios autem montes contra hunc se se erigentes vocat Hæreses, *quæ adversus* Ecclesiam *non prævalebunt*, Matth. XVI. 18. etenim Dominus habitabit in finem (in hoc monte.) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII. 20.

V. 18. CURRUS DEI DECEM MILLIBUS, &c. Hebr. *Currus Dei*, id est equitatus Dei, *viginti millia* (curruum) *millia Angelorum* : *Dominus inter eos in Sinai in sancto*, id est quasi in sacrario suo.

V. 19. ASCENDISTI IN ALTUM, &c. Hebr. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem*; id est, si ascenderis in altum. Ioann. XII. 31. *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Accepit dona* באדם *in hominibus.* D. Paulus ad Ephes. IV. 8. legit λλλλ; quod neque apud Hebræos, neque apud Septuag. est: quare credendum est intellexisse illud באדם pro hominibus; id est, ut inter homines distribueret: quod cum iam fecisset Christus tum, cum scripsit D. Paulus, non dixit *accepit*, ut Propheta, sed *dedit*. Ita Hier. in I. cap. Matth. & IV. ad Ephes. ETENIM NON CREDENTES, &c. Hebr. *Etiam rebellibus* (accepit dona) id est, gentibus, quæ Spiritum sanctum acceperunt, sicut & Iudæi, Act. X. 47. Aut, ut alii interpretantur, Etiam ut rebelles habitent Dominum Deum, id est cum Domino Deo. Sed melius, ut Deus habitet in illis, quod revera factum esse testantur epistolæ Ioann. I. 14. Rom. VIII. 9. I. Corinth. III. 16. Ephes. III. 17. II. Timoth. I. 14. Iacob. IV. 5.

V. 20. PROSPERUM ITER FACIET. Hebr. *Afferet nobis Deus salutem nostram*, vel *onerabit*; id est, locupletabit nos donis Deus salutis nostræ.

V. 21. DEUS NOSTER, &c. Hebr. *Deus noster Deus est ad salutem, & Domino Deo meo exitus ad mortem*; id est, multis modis servare potest, vel perdere. *Ego occidam, & ego vivere faciam*: Deut. XXXII. 39. I. Reg. II. 6. Iob. XIII. 2. Sap. XVI. 13.

V. 22. & 23. VERUMTAMEN DEUS, &c. id est, non latebit Deum iniquus ut puniat, nec bonus ut liberet. Sed malos quidem, quantumvis sese extulerint, in ipso vertice percutiet. Bonos vero etiam si in monte Basan dispersi fuerint, aut in profundum maris demersi, inde liberabit, aut ex Basan, & ex profundo maris eruam (inimicos meos) ut hæreat quod sequitur.

V. 24. UT INTINGATUR PES. Hebr. *Ut rubeat pes tuus*, (id est Dei, ex inimicis,) & *lingua canum tuorum*, (rubescat) *ex inimicis ab ipso*, id est propter ipsum sanguinem inimicorum. Isai. LXIII. 3. *Conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.*

V. 25. VIDERUNT INGRESSUS TUOS DEUS. Hebr. *Videbunt* (hostes) *incessus tuos* (quod incedas in medio populi tui) & *timebunt*; aut, *videbunt* (homines) *incessus tuos*, id est pompam tuam; quam statim describit.

V. 26. PRAEVENERUNT PRINCIPES, &c. Hebr. *Præcedent cantores, sequentur psaltæ, in medio puellæ tympanistriæ.*

V. 27. DE FONTIBUS ISRAEL, Hebr. *Ex vena*, id est qui estis ex sanguine Israelitarum.

V. 28. ADOLESCENTULUS. Hebr. *Parvulus*: quia Beniamin erat minima tribus: I. Reg. IX. 21. IN MENTIS EXCESSU. Hebr. *Dominator eorum*, propter Saulem Regem de tribu Beniamin, aut Principes qui dominantur in tribu Beniamin.

V. 29. MANDA DEUS, &c. Hebr. *Mandavit Deus tuus* (o Israel) *virtutem* (fortitudinem) *tuam*, id est dedit.

V. 30. A TEMPLO TUO, &c. Hebr. *Propter templum tuum, quod est in Ierusalem*: scilicet quia sentient inde sibi auxilium venire.

V. 31. INCREPA FERAS ARUNDINIS, &c. Hebr. *Disperde congregationem calami*, id est populum cassia & cinnamomo divitem. *Cœtum eorum, qui potentes sunt vitulis populorum*: hypallage, pro popu-

lis

lis vitulorum, id est gregibus: *qui gloriatur* (cœtum) *laminis argenteis*. *Dissipa* (eos) *qui bellis delectantur*.

V. 32. Venient legati ... AEthiopia praeveniet, &c. Hebr. *Principes.. AEthiopia currere faciet manus suas ad Deum*; id est, celeriter dedet se; aut, prompte munera offeret.

V. 34. Qui ascendit, &c. Hebr. *Qui sedet in cælis cælorum initii*; id est, qui ab initio sunt. *Ecce dabit vocem suam, vocem fortem*, id est tonitru. Aut, *Ecce dabit in voce sua vocem virtutis*, id est signum virtutis & fortitudinis suæ.

V. 36. Mirabilis Deus in sanctis suis. Hebr. *Terribilis* (es) *Deus a sanctuariis tuis*, id est propter templum, unde terribilia opera tua proficiscuntur.

S A.

De Christo & Ecclesia.

Vers. 2. Facie, id est conspectu.

V. 3. A facie, id est præsentia.

V. 4. Epulentur. Hieron. *lætentur*.

V. 5. Iter facite, id est parate viam, scilicet sublatis offendiculis. Ascendit, scilicet in cælum Christus. Super occasum, id est post mortem. Turbabuntur, scilicet hostes.

V. 6. Iudicis, id est vindicis. Hieron. *defensoris*. Loco sancto, scilicet cælo, vel templo.

V. 7. Unius moris, id est unanimes, seu concordes. Domo, scilicet Ecclesia. Exasperant, scilicet Deum. Hieron. *increduli*. Chald. *pertinaces*; quasi dicat: Etiam hos Christus a peccatis educit. Vel loquitur de liberatione ex AEgypto. Qui habitant; pro, habitare videntur. Sepulcris; quasi dicas mortuos in peccatis; vel, qui servitute AEgyptiaca premebantur.

V. 8. In conspectu populi, id est ante populum, scilicet præcedebat arca, & columna.

V. 9. Distillaverunt, scilicet manna. A facie, id est ob præsentiam. Sinai, id est qui apparuit in Sinai.

V. 10. Voluntariam, id est ex liberalitate. Chald. *vivificationis*. Hereditati tuae, id est populo tuo. Et infirmata, &c. quasi dicat: Et quando infirmatur, tu eam sanas. Chald. *Et Ecclesiam laborantem tu erexisti*.

V. 11. Animalia, scilicet pecora; quasi dicat, grex tuus, id est populus. Ea, scilicet terra promissionis. Parasti, scilicet eam. Dulcedine. Hieron. *bonitate*. Pauperi, scilicet alioqui populo tuo.

V. 12. Verbum, id est efficacem sermonem. Evangelizantibus, scilicet Evangelii prædicatoribus. Virtute, scilicet faciendi miracula: Augustinus.

V. 13. Rex virtutum, id est exercituum, scilicet est iste de quo loquor. Dilecti dilecti, id est dilectissimi, scilicet filii sui, vel populi. Speciei, &c. quasi dicat: Speciosæ Ecclesiæ dabit dividere spolia, scilicet ut sit parta victoria.

V. 14. Dormiatis, id est quiescatis, seu quiete agatis. Cleros, id est sortes, scilicet cælestem, & terrenam. Pennae; id est, eritis ut pennæ. Deargentatae, scilicet divinis eloquiis. Et posteriora; pro, cuius posteriora. Auri, id est sapientiæ: Augustinus.

V. 15. Discernit, id est distribuit. Reges, id est qui regant. Eam, scilicet Ecclesiam. Nive, &c. quasi dicat: Albi fient, ut solet mons Selmon nive albere.

V. 16. Mons Dei, scilicet Sion, vel Ecclesia. Coagulatus; quasi dicat, Abundans butyro, & caseo, scilicet Dei donis spiritualibus.

V. 17. Suspicamini, scilicet esse præter hunc alios. In finem. Hieron. *semper*. Chald. *in perpetuum*.

V. 18. Currus Dei, &c. quasi dicat: Mundus, cuius velut rotæ cæli, multa rerum varietate est ornatus. Millibus, scilicet rerum, vel Angelorum. Laetantium, scilicet Angelorum. In eis, scilicet eorum opera utitur. In Sina in sancto; quasi dicat: Ut olim in Sinai monte sancto.

V. 19. Cepisti captivitatem, id est hostes captivasti. Hieron. & Chald. *Captivam duxisti captivitatem*. Accepisti, id est acquisisti. Chald. *dedisti*. Etenim, pro etiam. Non credentes, &c. quasi dicat: Etiam eos in gratiam recepisti qui antea non credebant. Inhabitare, sci-

licet faciens cum eis; quasi dicat: Ita ut habitet cum hominibus a se in gratiam receptis Dominus Deus.

V. 20. DIE QUOTIDIE. Hieron. *per singulos dies*. SALUTARIUM NOSRORUM. Hieron. *salutis nostræ*, scilicet auctor.

V. 21. SALVOS FACIENDI, id est qui salvat quos vult. Hieron. *salutis*. EXITUS MORTIS; quasi dicat: Ipse quos vult a morte eripit.

V. 22. VERTICEM CAPILLI. Chald. *Evellet capillos*. PERAMBULANTIUM, id est perdurantium.

V. 23. EX BASAN CONVERTAM, id est expellam, scilicet hostes. IN PROFUNDUM; quasi dicat: Submergam, ut olim in mari Rubro.

V. 24. UT INTINGATUR; id est, ita ut possit intingi. SANGUINE, scilicet hostium. EX INIMICIS, AB IPSO; pro, ex ipso inimicorum sanguine, scilicet lambere possit.

V. 25. INGRESSUS. Hieron. *itinera*: scilicet, cum duceres populum per desertum. SANCTO, id est sanctuario: scilicet, ibi colebatur.

V. 26. PRAEVENERUNT, Hieron. *Præcesserunt*, scilicet post transitum maris cantores. IN MEDIO: iunge cum *psallentibus*. TYMPANISTRIARUM, id est tympana pulsantium. Vid. Exod. xv.

V. 27. DE FONTIBUS, id est o posteri, qui ex Iacob velut fonte profluxistis.

V. 28. BENIAMIN, scilicet tribus. ADOLESCENTULUS: scilicet, minimus erat fratrum. Hieron. *parvus*: scilicet, parva erat tribus. MENTIS EXCESSU, id est stupore, scilicet ob victorias. NEPHTHALI. Notant quidam, Apostolos fuisse fere ex his tribubus.

V. 29. MANDA, &c. quasi dicat: Uiere fortitudine tua.

V. 30. A TEMPLO, pro in templo.

V. 31. FERAS ARUNDINIS, id est hastis armatos; vel similes feris in arundineto latentibus. CONGREGATIO; pro, qui sunt velut congregatio. IN VACCIS, pro inter vaccas. POPULORUM, iunge cum *congregatio*. EXCLUDANT, scilicet vita, vel hereditate. ARGENTO, id est velut argentum.

V. 32. LEGATI, scilicet ad Dei populum. PRAEVENIET, scilicet festinabit. MANUS, scilicet extensa ad fœdus, seu orationem.

V. 34. ASCENDIT; quasi dicat, sedet. AD ORIENTEM, scilicet in monte Oliveti ascendit, & ex Oriente apparet sol, Dei maiestatem indicans. Hieron. & Chald. *A principio*, scilicet sedet Deus. VOCI, scilicet verbis. VOCEM; id est, ut sit vox.

V. 35. MAGNIFICENTIA EIUS, scilicet apparet. NUBIBUS. Hieron. & Chald. *cælis*.

V. 36. SANCTIS SUIS. Hieron. & Chald. *sanctuario suo*.

E S T I I.

Vers. 2. EXURGAT DEUS, ET DISSIPENTUR INIMICI EIUS, &c. Iuxta historiam Psalmus hic gratulatorius est super victoriis quas David, debellatis hostibus suis, reportaverat, & descriptus est instar epinicii, id est carminis victorialis seu triumphalis. Prophetice tamen idem de Christo intelligendus est, eiusque victoria & triumpho, quem de diabolo habuit, captivos eius liberans, & secum in triumpho ducens. Id patet in primis ex illo vers. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem*, &c. quem Apostolus ad Ephes. IV. de Christi ascensione, & distributione donorum Spiritus sancti interpretatur. Multa in hoc Psalmo obscura sunt, tum propter figuratum sermonem, & sensuum profunditatem, tum propter variam translationem; adeo ut solus hic Psalmus sufficiat convincendis hæreticis, qui fingunt, omnia in Scripturis sacris plana esse, & aperta. Nos aliquot saltem sententias explicabimus.

V. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE, ET POSTERIORA DORSI EIUS IN PALLORE AURI. *Cleros*, id est sortes. Per sortes autem termini intelliguntur. Alii tamen ex Hebræo vertunt *ollas*, seu chytropodes. Et sensus est: Etiam hactenus fueritis adeo abiecti ut dormiretis vel in terminis terræ, vel inter ollas nigras & fuliginosas, oppressi magna calamitate; tamen futurum est ut omnia vobis posthac candida, id est fausta & felicia proveniant, & ut similes sitis columbis candidis, quarum pennæ referunt colo-

colorem argenteum, intermixto etiam colore pallentis auri. Ac si dicat: Ad summam felicitatem pertingetis.

V. 28. & 29. IBI BENIAMIN ADOLESCENTULUS IN MENTIS EXCESSU. PRINCIPES IUDA, DUCES EORUM; PRINCIPES ZABULON & NEPHTHALI. Per *Beniamin*, Paulus significatur, qui fuit de tribu Beniamin, de quo Actor. VII. in lapidatione Stephani: *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*. Dicitur autem is, *in mentis excessu*, propter multas postea revelationes ei factas: II. Corinth. XII. Primo autem loco fit mentio Pauli, quamvis ultimo vocatus esset, quia plus omnibus laboravit. Sic & per *Principes Iuda*, *duces eorum*, significantur generatim Apostoli duces, & arietes gregis Dominici, ac primum *principes Iuda*, quia ex Apostolis quidam fuere de tribu Iuda, ut Iacobus, & Iudas fratres Domini. Deinde, *principes Zabulon & Nephthali*, scilicet ceteri Apostoli, qui fere erant ex his tribubus. Erant enim Galilæi. Atqui Galilæam occupabant tribus Zabulon, & Nephthali. Videntur ergo his tribubus fuisse Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes filii Zebedæi, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus & Simon. In eadem quidem regione residebat quoque tribus Issacar, sed huius non meminit Propheta, forte quia ex illa tribu nullus fuit Apostolus, nisi Iudas Iscariotes proditor.

V. 31. INCREPA FERAS ARUNDINIS, CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM, UT EXCLUDANT EOS, QUI PROBATI SUNT ARGENTO. UT EXCLUDANT. Hieron. vertit, *Calcitrantium contra rotas argenteas*. Alii, *Conculcatorum cum fragmentis argenti*. Sensus est hic: Disperde gentes armatas longis hastis seu fustibus, qui sunt instar arundinum, congregationem taurorum cum vaccis, seu (ut Hebr. habent) *vitulis populorum*, id est fortes nationes, & validas instar taurorum, & protervas instar vitulorum, *calcitrantium*, id est superbientes in fragmentis argenti, & opibus suis auro, & argento fidentes. Vel, ut alii vertunt, *conculcatorum cum fragmentis argenti*; id est, ita humilientur, ut ultro veniant, & provolvant se ad pedes tuos, & munera auri & argenti pro tributis adferant.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PSALMUS CANTICI IPSI DAVID. Hebr. *Præfecto, Davidis Psalmus Canticum*. Devictis Syris, & Idumæis Deum laudat II. Reg. VIII. & exitum ex AEgypto describit.

V. 2. EXURGAT DEUS. Indormire videtur, cum dissimulat in peccatis.

V. 5. ITER FACITE EI. Præparate iter, ne ei resistite, date ei locum. Alii vertunt *exultate*. QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Hebræi, *super cælos*, quos dicunt vocari *barabotb*, id est *dulces*, quia multa bona inde nobis veniunt. DOMINUS NOMEN ILLI. Hebr. *In Iah nomine eius*: scilicet ascendit eius nominis virtute: aut cantate, celebrate eius nomen. Et quidem *Iah* compendium est nominis quadrilitteri; sicut אל *El* est *Elohim* abbreviatum, de quo Gen. 1. vers. 1. & Oseæ VII. vers. 16.

V. 6. PATRIS ORPHANORUM. Iunge cum pronomine *eius*, quod proxime præcedit, illis verbis: *Exultate in conspectu eius*. Hebr. *Pater* (scilicet est) *orphanorum, & iudex viduarum*, id est defensor, vindex. DEUS IN LOCO SANCTO SUO, supple, habitat, scilicet in Ierusalem, aut in Ecclesia.

V. 7. UNIUS MORIS IN DOMO. In Ecclesia omnes sunt conformes. Hebr. *Qui habitare facit unicos in domo*. Hoc Sept. versio retulit ad morum unitatem. Hebræi referunt ad orbitatem: scilicet eos, qui carent filiis, iis concedit, ut domos habitent, id est filios habeant. Sæpe *ædificare domos* sumitur pro *filios dare*. Hieronymus *qui habitare facit solitarios in domo*. QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE. Sic Hieron. Hebr. *Educit vinctos in catenis* aut *compedibus*. Sed ut כושרות *choseroth* id significet, mutant Caph in Koph. Chald. *salvavit eos in pompa*. Ita credo vocem Hebraicam *excellentiam* & *fortitudinem* potius significare. QUI EXASPERANT, scilicet Deum. Hebr. *rebelles*. QUI HABITANT IN SEPULCRIS: scilicet & peccatores, & mortuos educit, liberat. Quod in Christum convenit, quando ad inferos descendit, aut *sepulcra*, pro carceribus. *Carceres* vocat captivitatem AEgypti.

gypti Heb. *At rebelles habitaverunt in ficcitate*. Sic Hier. *Increduli autem habitaverunt in ficcitatibus*.

V. 8. DEUS CUM EGREDERERIS. Liberationem ex AEgypto explicat. Apoſtrophe.

V. 9. TERRA MOTA EST. Hebr. *tremuit*, ſcilicet ob fulgura & tonitrua, cum daretur lex. ETENIM CAELI DISTILLAVERUNT. Poſt tonitrua pluvia eſt ſecuta. Sic turbo extitit. A FACIE DEI SINAI, ut Sinai ſit in genitivo. Hebr. hic *Sinai* appoſitive, ſcilicet tremuit.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM, id eſt ſuavem, copioſam. SEGREGABIS. Hebr. *diſtillare facies*, pro feciſti in deſerto. ET INFIRMATA EST: ſcilicet hereditas tua populus laboravit, & tu refeciſti eos. Hieron. *hereditatem tuam laborantem tu confortaſti*.

V. 11. ANIMALIA TUA. Sic Hieronym. Hebr. *congregatio tua*, grex. HABITABUNT. Græce, *habitant*. Hebr. *habitaverunt in ea hereditate tua*, ſcilicet populus tuus. PARASTI, ſcilicet bona. PAUPERI, DEUS, *Pauperem* vocat eum populum, cum in deſerto eſſet.

V. 12. DABIT VERBUM, pro dabat verbum, id eſt facundiam. EVANGELIZANTIBUS, VIRTUTE MULTA. Hoc de Apoſtolis intelligunt. Hebr. *annuntiantibus exercitum multum*; id eſt, ubique diffundebatur fama magni exercitus, qui prodierat ex AEgypto. Et hoc mulieres præcipue faciebant, ut timori maxime obnoxiæ. Sic vox *annuntiantibus* Hebr. eſt generis feminini.

V. 13. REX VIRTUTUM. Hebr. *Reges exercituum*, id eſt copiis inſtructi. DILECTI DILECTI: ſcilicet ſubditi erunt Chriſti, aut populi Iſraelitici. Hebr. *fugerunt, fugerunt*, ſcilicet victi tunc ab Iſraelitis. ET SPECIEI DOMUS, id eſt ad decorem domus; id eſt, Eccleſiæ ſpectat, ut dividat fugientium ſpolia. Hebr. *& habitans domum* (ſcilicet Iſrael in ſuis caſtris manens) *dividet ſpolium* (ſcilicet eorum Regum.)

V. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, id eſt fortes, & *ſortes*, pro periculis. Si fueritis in magno periculo, evadetis cum gloria eo præſidio tuti, quo Reges fugaſtis. *Sors* pro alea, ſeu periculo ſumitur in divinis & humanis litteris. Hebr. *Si dormiatis inter tripodes*, id eſt in loco humili, & fuliginoſo. PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE; id eſt, eritis ut illæ pennæ candidi. Hebr. *pennæ columbæ argento tectæ*, id eſt candore. ET POSTERIORA DORSI EIUS IN PALLORE AURI. Solent columbæ quædam pennæ fulgere ut aurum, ac præſertim cauda, quam fortaſſis vocat *poſteriora dorſi*. Heb. *& alæ eius in pallore auri*: ſcilicet tam pulchri vos evadetis, vel evaſiſtis poſt ſordes illas, & eluviem deſerti. Semper loquitur de exitu ex AEgypto.

V. 15. DUM DISCERNIT CAELESTIS, id eſt dum punit. Hebr. *Dum diſpergit*; id eſt, fugat Omnipotens. REGES SUPER EAM, id eſt qui venerunt contra eam, ſcilicet plebem Iſrael. Hebr. *in ea*, id eſt per eam. NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON. Explicat magis illud, *pennæ columbæ deargentatæ*, atque fore ut poſt victoriam gens ea evadat candida ut nix, quæ eſt in Selmon, qui mons ſemper nivibus tegitur. Hebr. *albeſces* (ut) *nix Selmon*.

V. 16. MONS DEI, MONS PINGUIS. Redit ad montem Sinai, de quo verſ. 10. quem vocat *montem Dei*, id eſt altiſſimum, & montem pinguem ob paſcua. Hebr. *mons Dei mons Baſan*. Verum pro *Baſan* lectum olim דשן *daſen*, id eſt *pinguis*, indicat non ſolum verſio Sept. ſed & Hieronymi, qui vertit, *mons pinguis*. Et quidem litteræ Daleth, & Beth ſimiles ſunt. Sic locum reſtituendum putabam. Et quorſum hic mentio de monte *Baſan*, qui eſt in tribu Ephraim? MONS COAGULATUS. Sic ſinai vocatur a copia caſei. Græce τετυρωμένον. Heb. vox גבננים *gabnunnim*, pro qua vertunt plerique *excelſus*, poteſt deduci a *ghebinah*, id eſt *caſeo*. Iob x. verſ. 10. Sic *mons coagulatus* dicetur. MONS PINGUIS. Repetitio. Hic etiam Hebr. eſt *Baſan*, ſed ſimili errore.

V. 17. UT QUID SUSPICAMINI? pro *ſuſpicitis*. Sunt inter Hebr. qui verbum רצד *razad*, ponant in ſignificatione inſpiciendi; quaſi dicat: Quid aſpicitis, & quæritis montes præſtantiores? non invenietis ſcilicet. Quæ ſignificatio magis congruit quam ſaltandi, ut alii vertunt: *Quare ſaltatis montes?* MONTES COAGULATOS? alii *excelſos*, de quo paulo ante. HABITARE IN

IN EO, placet Deo scilicet. Sinai mons est Dei domicilium propter sanctitatem datæ in eo legis. IN FINEM: *in sæculum* potius, aut *perpetuo*: nam mutata lege is mons tamen suam sanctitatem retinet.

V. 18. CURRUS DEI, in singulari, quo scilicet vehitur Deus. DECEM MILLIBUS. Hebr. *viginti millibus*. MULTIPLEX, id est continens, scilicet decem millia quæ dixit. MILLIA LAETANTIUM. Pagn. *Angelorum*. Hieron. *abundantium*; quasi dicat: Cum Deo in eo monte, & cum eius curru erant innumeri Angeli. Paulus ad Hebr. XII. 18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem:* & quod ibi subdit, *Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum*, huc videtur respicere. DOMINUS IN EIS, id est inter eos Angelos. IN SINA IN SANCTO, id est in Sinai sancto, in hoc monte sancto.

V. 19. ASCENDISTI IN ALTUM. Apostrophe, mutatio personæ. Paulus ad Ephesios IV. 8. hoc intelligit de Christo ascendente in cælum. Qui secum duxit in triumpho eos qui captivi tenebantur. Deditque dona hominibus e cælo. Hoc placet. Verum nihil prohibet de monte Sinai intelligere ut cetera. In quem ascendit Deus, & eo adduxit captivitatem, eos qui in AEgypto captivi erant. ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS. Paulus simpliciter dixit: *Dedit dona hominibus*. Accepisti ergo manu dona, ut dares in hominibus, pro *hominibus*, *in* redundat. ETENIM καὶ γάρ, *& quidem*. Hebr. *& etiam*. NON CREDENTES. Hebr. *rebelles*. Etiam eos qui rebelles erant, neque credebant Deum in Sinai habitare, cepit, adduxitque secum. Scimus plerosque in populo Israel fuisse incredulos in deserto.

V. 20. DIE QUOTIDIE. Hebr. *die die*, id est semper Deus. PROSPERUM ITER FACIET NOBIS. Hieron. *portabit nos*, scilicet per iter cœptum. DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM. Hebr. *salutis nostræ*.

V. 21. DEUS SALVOS FACIENDI. Hebr. *Deus ad salutes*; id est, Deus salvos faciet nos, ut est in Psalt. Goth. Eius est salutem conferre. DOMINI EXITUS MORTIS, id est liberatio a morte, ipse a morte suos eripit.

V. 22. CONFRINGET CAPITA. E contrario cum impiis se gerit. VERTICEM CAPILLI; pro, verticem capillatum, sinciput confringet.

V. 23. DIXIT DOMINUS: EX BASAN. Og erat Rex Basan. Ergo ex Basan hostes tuos, o Israel, mittam in profundum maris. Hebr. *Ex Basan convertam*; *convertam* (ut) *ex profundo maris*, id est, ut ex maris profundo te liberavi exeuntem de AEgypto, sic ex Basan eripiam concessa victoria de validissimo hoste.

V. 24. UT INTINGATUR; id est, magna erit hostium cædes, & pedes tui effusum sanguinem calcabunt, & canes eum lambent. EX INIMICIS, AB IPSO, id est ex sanguine effuso ex inimicis, & ex unoquoque eorum. Ad cædem exaggerandam hoc spectat.

V. 25. VIDERUNT INGRESSUS, id est has victorias tui (tuus populus) viderunt. QUI EST IN SANCTO, id est qui habitat in tabernaculo.

V. 26. PRAEVENERUNT, id est prodierunt obviam. Describit triumphum. PRINCIPES. Hebr. *cantores*: sic Hieron. quia ש est cum *Iamin*. CONIUNCTI PSALLENTIBUS. Hebr. *post pulsantes*. IN MEDIO, id est in media pompa. IUVENCULARUM TYMPANISTRIARUM, scilicet chorus. Heb. *in medio virgines cum tympanis*, aut *tympanizantes*.

V. 27. IN ECCLESIIS, in cœtibus publice benedicite Deum. DE FONTIBUS ISRAEL. Hebr. *de fonte* (id est prosapia) *Israel*; id est, Israelitæ laudate Deum.

V. 28. IBI BENIAMIN, scilicet inter laudantes Deum. IN MENTIS EXCESSU, id est profunda contemplatione. Hebr. *dominans eis* (sit ductor aliorum.) PRINCIPES IUDA, DUCES EORUM. Hebr. *Principes Iuda collectio eorum*. Sic de aliis tribubus intelligit. Omnes intersint pompæ.

V. 29. MANDA DEUS VIRTUTI TUAE; pro, virtute tua manda, id est fac, concede quod petimus. Hebr. *mandavit*. Sed demptis punctis legi in imperativo potest. CONFIRMA HOC DEUS. Hoc petimus, ut sit stabile quod concessisti semel.

V. 30. A TEMPLO TUO IN IERUSALEM: scilicet prodeunt hæc opera. TIBI OFFERENT, scilicet propterea offerent Reges munera.

V. 31. INCREPA FERAS ARUNDINIS: versantes in arundinetis, in silvis. Sic vocat hostes Israel. CONGREGATIO TAURORUM, id est quæ feræ sunt congregatio taurorum. Hebraica sic verti possunt, con-

congregationem taurorum. IN VACCIS. Hebr. *in vitulis*. Tunc sunt tauri ferociores, cum generationi inter armenta dant operam. Sic rursus vocat hostes. POPULORUM. Ut intelligas tauros & vitulos non esse veros, de quibus agit, sed metaphoricos. UT EXCLUDANT EOS, adversentur, malefaciant iis. QUI PROBATI SUNT ARGENTO; id est, adinstar argenti probati sunt, scilicet pii & fideles. Hebr. *conculcatus* (id est subiectus) *in fragmentis argenti*: scilicet quæ dabit tributi nomine, increpa eum scilicet. Loquitur in singulari de hostibus, quos *feras & tauros* dixit. DISSIPA. Hebr. *dissipavit*, propter puncta. Fac ut sit pax.

V. 32. VENIENT LEGATI, Hebr. *optimates*, scilicet ad iungenda fœdera. AETHIOPIA PRAEVENIET MANUS EIUS DEO. Constructio Hebr. pro *Aethiopiæ manus prævenient*. Hebr. *Aethiopia currere facient manus suas Deo*: scilicet iunget manus, pacem petet.

V. 34. AD ORIENTEM, qui ascendit, eum laudate. Oriens est præcipua cæli pars: sic Deus ea potissimum parte *habitare*, ibique *equitare* fingitur. Hebr. pro *ascendit*, est *equitat*. ECCE DABIT VOCI SUAE, pro vocem suam, scilicet tonitrua. VOCEM VIRTUTIS; id est, inde e cælo tonabit valide.

V. 35. DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL, id est Deo Israelis. ET VIRTUS EIUS IN NUBIBUS. Hieron. & Chald. *in cælis*. Vox Hebr. שחקים *schakim* & *nubes*, & *cælos* significat. Sed præstat explicare, *in nubibus*, scilicet in cælis, quoniam ibi habitare dixit.

V. 36. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. Hebr. *in sanctuariis suis*; scilicet in monte Sinai est mirabilis, in Ierusalem, & in cælis: nam de his omnibus sanctuariis est locutus in hoc Psalmo.

MALVENDAE.

Vers. 1. PSALMUS CANTICI. Vide in Psalmum XLIX. 1. Plerique volunt hunc Psalmum compositum de victoria adversus Syros & Idumæos, II. Samuel. VIII. Alii a Davide conscriptum esse, cum regno constituto, Phelisthæis superatis, & domitis Iebusæis, arcam Dei deportaturus esset Ierusalaima II. Samuel. VI. & I. Paralipom. XIX. quamobrem eumdem versum adhibere ad translationem arcæ, hic statim in principio Psalmi, mutatis tantum personis, quem adhibuerat Moseh, cum arca profectura esset, Numetor. X. 35. Sed Psalmus sane potissimum est de Christo, & Ecclesia.

V. 2. EXURGAT DEUS, ET DISSIPENTUR INIMICI EIUS. Quidam reddunt: *Surgente Deo*, vel *simul atque exurgit Deus*, *disperguntur inimici eius*; id est, simul atque exerit vim suæ potentiæ ac præsentiæ, *disperguntur*, &c. Prior effectus præsentiæ Dei in adversarios, quod funduntur, & fugantur cum primum se exerit Deus: ut Phelisthæorum exemplo ostenditur II. Samuel. V.

V. 3. SICUT DEFICIT FUMUS, DEFICIANT. Hebr. *Secundum propellere fumum, propelles*. Alii: *Ut propelli fumum, procelles*. 2. *Quemadmodum, quam facile dispellitur a vento fumus, tu dispelles eos*. 3. *Deficientur quomodo fumus deficitur*. 4. *Sicut sine negotio dispergitur a vento fumus; ita disperges illos tu*. 5. *Quasi impellas fumum, impellis eos*, &c. Posterior effectus præsentiæ Dei in adversarios hoc versu, nimirum præceps & præsentissimus illorum interitus, illustratus duplici similitudine, evanescentis fumi, & contabescentis ceræ.

V. 5. ITER FACITE EI QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Hebr. *Sternite vehenti in* ערבות *gharaboth*. Quam vocem difficilem varie reddunt. I. *Exaltate equitantem super cælos*: quos ita dictos volunt a dulcedine, iucunditate, suavitate, amœnitate. II. *Elevate ascendentem in cælos*. III. *Tollite* offendicula de via, *qui orbibus cælorum velut equo insidet*. IV. *Elevate, extollite, laudate eum qui insidet amœnitatibus*, id est qui omnia possidet amœnissima, nullis perturbationibus aut angoribus infestus est, ac proinde est omnis amœnitatis auctor. V. *Exaltate equitantem in supremis cælis*, vel *qui vehitur in amœnis iucundisque beatorum cælis*. VI. *Extollite illum qui pro vehiculo utitur nubibus*. VII. *Sternite viam ei qui vehitur in mixturis*, id est in locis ubi mixtim nunc montes sunt, nunc valles, nunc viæ asperæ, tortuosæ, impeditæ: has iubet æquari, ut qui vehitur, mollius incedat. VIII. *Iter munite ei qui vehitur super vesperas*, vel *occasus*, vel *qui*

sicut

sicut sol ad occasus, ad nos devehitur, ut sit plurale vocis ערב *ghereb*, *vespera*, ut Ieremiæ v. 6. Voluntque esse vaticinium propagati Evangelii ad has nostras occidentaliores partes orbis, Italiam, Galliam, Hispaniam: & fortasse ad novum orbem occiduum, quem Colonium, seu Americam vocant. IX. *Sternite viam vehenti super deserta*, *campestria*, vel *Arabias*, vel *in Arabiis*: ut alludat ad profectionem Israelitarum ex Ægypto per Arabias desertam, & Petream: quos arca, & nube invectus, comitatus est Deus.

Forsterus hunc locum ita explanavit: *Et in hac significatione* deserti, seu campestris *accipiunt complurimi vocem hanc gharaboth*, *Psal.* LXVIII. *vers.* 5. *& dicunt cælos cælorum, hoc est extimum cælum, empyreum, seu vehiculum divinæ maiestatis significare, eo quod stellis desertum & vacuum sit: & adducunt pro se, quod ideo utatur verbo* סלו *sallu, id est sternite, quo alioqui non fuisset usus, si non in desertis & vastis veheretur. Sed de hoc etiam meam subiungam sententiam, hanc videlicet: quod ut Salomon* I. *Reg.* VIII. שמים *schamaim, cælos; & David Psalmo* CL. רקיע *rakiagh, extensionem, seu firmamentum, translatione facta, vocant locum in templo Ierosolymitano, quo se Deus verbo suo alligaverat, & in illo cælo ac firmamento populus iubebatur quærere de Dei voluntate, ipsum colere, invocare, ac celebrare: quoque in hoc Psalmo quadam translatione usum esse, atque gharaboth in quibus vehitur Christus, dici & esse eius Ecclesiam in qua vehitur, & quidem in commixtionibus: non ut in monte Sinai, cum populo Israelitico legem ferret, ubi in nube gravi, & igne descendebat, & in cælo audiebantur tonitrua, fulgura coruscabant, terra tremebat, fumabat mons, perstrepebat sonus tubæ, adeoque turbulenter se se manifestabat, ut fere totus populus exanimaretur. Neque etiam vehi nunc ut vehetur olim in magno illo & tremendo die iudicii in consummatione sæculi, quando in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, ut reddat in furore iram suam, & increpationem suam in flammis ignis, iudicaturus in gladio omnem terram, &c. secundum Isaiæ vaticinium, & Petrum Apostolum* II. *Epist.* III. *Sed in cælo mixto, in mixturis, id est cælo, albo & cæsio colore distincto, in cæsio-albis, quod est cælum gratiæ, non tempestuosum, aut nimio æstu, sed congruente, temperato, & grato nobis, moderans cuncta verbo potentiæ suæ. Et ut Isaias cap.* XLII. *vaticinatur: Ecce servus meus, cui innitor, electus meus, in quo complacentiam habet anima mea, super quo dedi spiritum meum, & ipse iudicium gentibus proferet: non clamabit, nec levabit vocem, nec faciet sonare in platea vocem suam, arundinem fractam non comminuet, nec linum fumigans extinguet, &c. Hæc vera est haud dubie vocis huius gharaboth significatio, atque eius Prophetæ vera & simplex interpretatio: quam ideo fusius attexere volui, ne quis aliorum imaginatione extra cælum & terram evectus, alibi Christum & regnum eius, de quo Psalmus hic agit, statuat, quam in cælo & firmamento Ecclesiæ suæ hic in terra constitutæ: simul atque Scripturam tenebris obducat, & Philosophicis ac frivolis imaginationibus fanaticorum hominum obscuret.* Hactenus Forsterus, cuius interpretationem nimis coactam esse Mercerus putat. Nos eam libenter descripsimus, quod & pietas interdum ab ipsis Ecclesiæ adversariis se violenter extorqueat, & expositio sit aptissima.

Ergo Hebræi omnes constanter hic *gharaboth*, *cælos*, seu *supremum cælum*, Dei sedem accipiunt, ut explicari videtur infra vers. 34. ubi dicitur: *Vehenti in cælis cælorum antiquitatis*: atque sic dici cælum, vel quod latum & extensum sit instar loci campestris, seu quod stellis, & astris vacuum sit, & desertum: vel quod ibi amœnitas, & suavitas sit perfectissima. Schindlerus ait *gharaboth* esse primum mobile, seu nonam sphæram, quæ est plana, & anastron, sine stellis; & reliquas sphæras ambit, & circumducit: unde reddit: *Equitantis in sphæris*: nam sicut eques equum, ita Deus sphæras circumducit. Vide Augustinum Iustinianum hic, & Steuchum.

DOMINUS NOMEN ILLI. Hebr. *In Ihuh nomine eius*; vel, *In Iah est nomen eius*. Hic occurrit nomen Dei יה *Iah*, de quo plerique affirmant, non esse dubium quin vocula ista a verbo היה *haiah*, *fuit*, sit deducta, & significare essentiam illam divinam, fontem essendi, perinde, ut *Iehovah*, seu *Iehveh*; de quo vide in Genes. II. 4. Sunt tamen qui sentiunt, hoc esse discri-

discrimen inter hæc duo, quod ut vox ista *Iah* est diminuta a *Iehovah*, ita quoque Deum diminutum, id est Iesum Christum in carne diminutum, humiliatum, passum, & mortuum significet. Quod tamen quidam curiosius & alienius putant. Aliquando hæc duo nomina coniunguntur, *Iah*, *Iehovah*, ut Isaiæ XII. vers. 2. & cap. XXVI. 4. & tunc aliqui volunt significare, *Deum Dei*, vel *Deum de Deo*, seu *Filium Dei*. Vide in Exod. XV. 2. Hic varie exponunt. I. *In Iah nomine eius, scilicet exultate coram illo*. II. *In Iah est nomen eius, & exultate coram eo*; id est, vocatur *Iah*, & hoc nomine celebrandus est a vobis. Hispanicus Interpres: *En Iah es su nombre*; id est, *en estas letras se contiene su nombre*. III. *Cui, proprium nomen Servator Deus, quare exultate recepti in gratiam illius*. IV. *De nomine eius Iah, ac exultate coram eo*; id est, de natura eius sempiterna, per se existente, & quæ aliis dat esse: nam hoc proprie significatur appellatione *Iah*, & *Iehovah*, quæ duæ inter se coniugatæ sunt, & ex eadem radice procedentes: vide Exod III. 14. & 15. & cap. VI. vers. 3. V. *In Iah nomine eius, & exultate coram illo*; id est, exaltate, inquam, eum, cui Iah nomen eius; hoc est, commendate eum a nomine eius *Iah*: *& exaltate coram illo*, quasi eo præsente & spectante vos; id est, exultate sincere, absque ullo fuco & simulatione.

V. 6. PATRIS ORPHANORUM, ET IUDICIS VIDUARUM. DEUS IN LOCO SANCTO SUO. Hunc versum ita alii ex Hebr. reddunt: *Pater est orphanorum, & iudex viduarum: Deus ille qui præsidet in habitaculo sanctitatis suæ*. Quidam: *Pater enim est pupillorum, & iudex viduarum: etiam si sit in cælo habitaculo sanctitatis suæ, & longe videatur dissitus a nobis*. Nonnulli: *Pater pupillorum, & defensor viduarum est Deus in habitaculo sanctitatis suæ*; id est, cum in cælis, ubi maiestas ipsius habitat, tum in Israele, ubi præsentiam suam aspectabilem constituit Deus: ut aperte distinguitur infra vers. 35. quasi dicat: Non opus habet mutare locum, aut laborare ad præstanda officia sua: nam ubicumque locorum est, semper amœnitates colit, & voluntatem suam nullo negotio perficit.

V. 7. DEUS QUI INHABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO. Hebr. *Deus habitare faciens unicos in domo*. Quidam exponunt: Facit ut securi habitent in domibus suis illi qui solitarii sunt, & societate aliorum destituti, unde timere potuissent. Alii tamen aliter accipiunt. I. *Efficiet ut qui liberis carebant, habeant amplam familiam*. II. *Deus faciet, ut, qui paulo ante fuerunt soli, unici, solitarii, deserti, sine liberis, nunc habeant domum familia plenissimam*. III. *Deus, qui orbis restituit familiam*. IV. *Deus collocat solitarios in familia*; id est, auget liberis, qui sine liberis vivebant: vide I. Samuel II. 5. & Psal CXII. 9. Possit esse vaticinium de amplissimis familiis monachorum, eremitarum, & solitariorum in desertis, & solitudinibus Ægypti, & aliarum terrarum, qui spreta liberorum propagatione, cælibem, & castam vitam amplexi sunt, atque ingentes sanctissimorum hominum soboles Iesu Christo pepererunt. QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE. Varie reddunt: I. *Qui educit vinctos in compedibus*, seu, *in anulis compedum*, vel, *in catenis*, ut כושרות *cosaroth*, hic sit idem quod קשרים *keschurim*, *ligamina*, *vincula*, ut facile caph, & Koph permutantur. II. *Qui educit vinctos in rectitudinibus, convenientiis, congruentiis, opportunitatibus, commoditatibus*; id est, opportune, commode, congruenter, vel *ad rectitudines*; id est, ut recte possint incedere; seu *ad recta & congrua*. Priorem sensum de compedibus, sequuntur Aben Ezra, Kimchius, Felix, Eugubinus, Sanctes, Campensis, Munsterus, Clarius, Alfonsus, Zamorensis, Vatablus, Leo Iudas, Flammius, Mercerus, Bredembachius, Pomarius, Tremellius, & Iunius, Gagnæius, Buchananus, Montanus, Bochius, Schindlerus, Buxtorfius: ut conveniat hic locus cum Psal. CVI. 10. & Psal. CXLV. vers. 7. Posteriorem probant Rabbi Scelomoh, Reuchlinus, Iustinianus, Caietanus, Pellicanus, Forsterus, Avenarius, Marinus. SIMILITER EOS QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCRIS. Hebr. *etiam refractarii scenitaverunt limpiditatem*. Varie alii. I. *Tantum rebelles habitaverunt siccitatem*. II. *Rebelles autem habitant ariditatem*, vel *in siticuloso loco*. III. *Increduli autem habitaverunt in siccitate*. IV. *Et defectores cohabitando recipiunt se in limpiditatem*; id est, in locum aridum & siccum, ubi est

cal-

calvities, non herbæ, nec gramina, nec ſementa creſcunt, quæ terram operiant. V. *Rebelles autem habitabunt terram veſtram*; id eſt, incolunt loca vaſta & ſterilia. VI. *Deſertores autem terram torridam inhabitabunt*; id eſt, qui a Deo deficiunt, habitant in regione arenti & ſterili. VII. *Iatetum perfidi, deſertores Dei in locis aridis habitabunt, rerum omnium inopia laborantes*. VIII *At rebelles inhabitabunt locum aridiſſimum*; id eſt, deſtituti benedictione Dei, areſcunt, & in perpetuis calamitatibus verſantur: ſynecdoche, unum genus ærumnarum exprimens, omnium loco. Buchananus:

. . : , populi arva rebellis
Bibulis obducis areats.

De voce צחיחה *tzechichah*, quam hic *limpiditatem* vertimus, vide Notas in Nehemiæ IV 13.

V. 8. DEUS CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI, in profectione ex Ægypto in Chananæam. CUM PERTRANSIRES IN DESERTO (*in Ieſimon*) in vaſta, & horribili ſolitudine. Vide Numeror. XXI. 20. *Selah* hic adiicitur: exponunt, 1. *Semper, indefinenter* comitans tuos; 2. *Quod certo certius factum eſt*; 3. *Excellentiſſime*; cum tanta pompa, & maieſtate miraculorum; 4. O quam admirabilis & magnifica fuit illa liberatio, profectio, & deductio populi tui!

V. 9. TERRA MOTA EST, &c. Exponunt: Id eſt, res omnes creatæ cedebant tibi populum tuum deducenti, ut oſtendit hiſtoria inde ab Exod. cap. VII. uſque ad cap. XX. Alii alludi putant ad hiſtoriam Exod. XIX. verſ. 16. & ſequentibus, quando totus mons Sinai contremuit, tonitruis, fulminibus, &c. ETENIM CAELI DISTILLAVERUNT. Hebr. *Etiam cæli diſtillaverunt*. Quidam ad rorem & manna referunt, Exod. XVI. Alii hyperbolem Poeticam putant; quaſi dicat: Ipſi cæli ſudabant præ labore, & in guttas ſolvebantur, ac defluebant ad præſentiam tuam, o Deus, in Siani. A FACIE DEI SINAI. Hebr. *a faciebus Dei iſtius Sinai*, id eſt Dei iſtius, qui in Sinai apparuit: vel *a præſentia Dei, ille Sinai*, ſeu, *ipſe Sinai*, vel *ille Sinai*; ſubaudiunt, e principio verſus, *contremuit* etiam. Vide in Iudic. v. 4. & 5. unde hunc verſum David tranſcripſit. Quidam hic reddunt: *Hoc eſt Sinai*; id eſt, hoc factum eſt in Sinai.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS, DEUS, HEREDITATI TUAE. Multifariam ex Hebr. convertunt. I. *Pluviam voluntatum elevare facies, Deus, hereditatis tuæ*. Intelligunt pluviam mannæ, & coturnicum, quæ pro voluntate ac deſiderio ipſorum obtigit Iſraelitis, ſeu quæ ſaturavit eorum appetitum. Hiſpanicus Interpres, *lluvia hartible*. II. *Pluviam liberalitatum, munificentiarum*, id eſt abundantem, *elevabas*, ſeu *fluitare faciebas ſuper hereditatem tuam*. III. *Pluvia magnificentiarum aſperges hereditatem tuam*. IV. *Deus, qui ex liberalitate tua deſtinas imbrem hereditati tuæ*. V. *Pluviam copioſiſſimam effundes, o Deus, hereditatem tuam*. VI. *Pluviam liberaliſſimam ſtillabas, Deus, poſſeſſionem tuam*. VII. *Ex munificentia, o Deus, pluviam diſtillabas hereditati tuæ*. Magna benedictio terræ: vide Deuteronom. II. verſ. II. Noſter *voluntariam* dixit, eodem ſenſu: vel temporaneam, tempeſtivam, opportunam, qualem homines optare poſſunt. Quia accentus Athnach affigitur voci *Deus*; plerique diſtinguunt: *Pluviam voluntatum elevabis Deus hereditatem tuam etſi infirmam, tu confirmaviſti eam*. Sed notant, Athnach in Pſalmis non ſemper diſtinguere. ET INFIRMATA EST, TU VERO PERFECISTI EAM. Plerique iungunt, ut diximus: *Hereditatem tuam & ſi fatigata fuit, tu confirmaſti eam*. נלאה *nilah*, poteſt eſſe verbum & participium: *reditatem tuam, quæ etiam defeſſa erat, tu confirmaſti eam*: vel *hereditatem tuam, etiam, licet, quamvis, & ſi defeſſam, laſſam, labore confectam, afflictam, languidam tu confirmaſti*. Quidam: *Poſſeſſionem tuam, eamque defeſſam* ex ſiccitate, aliove incommodo, ut dicitur ſupra Pſal. LXII. 2. *tu inſtaurabas, recreabas*. Notant hoc verbo *Nilah*, vel notione eius uſum Paulum Romanor. VIII. 3. ubi inquit: *Quod impoſſibile erat legi propter carnem debilitatam*, ſcilicet propter prævaricationem Adæ, eam ut præſtare non poſſet.

V. 11. ANIMALIA TUA. חיתך *chaiiathcha, vivum tuum, animal tuum, fera, beſtia tua*. Alii, *Congregratio, ſocietas tua*. Nonnulli, *Armentum, pecus tuum, grex tuus*. Alii, *Agmen tuum, turma, caterva*

V tua,

tua, ut sumitur hæc vox II. Samuel. xxiii. 13. Quidam reddunt: *Tui catervatim habitabant in ea*. Etsi singulare, collective ponitur, quamobrem adiungitur ei verbum plurale: sic infra vers. 31. PAUPERI, id est populo tuo, ut supra nominavit vers. 8. Sic autem vocat populum, ad amplificandam misericordiam Dei, qui Israelitas pauperibus maioribus ortos, Deuteronom. xxvi. 5. & recens ex summa paupertate AEgypti prodeuntes, voluit dumtaxat gloriari de misericordia sua.

V. 12. DOMINUS DABIT VERBUM EVANGELIZANTIBUS VIRTUTE MULTA. Athnach affixus voci *verbum*, distinguit a sequentibus: *Dominus dabit sermonem: evangelizatrices exercitus multus*. Noster, & alii non curarunt distinctionem: unde diversimode ex Hebr. transfundunt. I. *Dominus dabit dictum annuntiatricum exercitus magni*. II. *Dominus dabit sermonem: annuntiatricum exercitus multus*, vel *earum quæ nuntiabant exercitus magnus erat*. III. *Dominus suppeditabit efficacem sermonem annuntiatricibus potentiæ illius admirabilis & maximæ*. IV. *Dominus dabat sermonem: ea quæ annuntiabant, exercitu magno dicebant*. Ut moris erat in populo Dei epinicion a choreis puellarum cani, & gratias agi, Exodi xv. 20. Iudic. v. 1. & cap. 11. vers. 34. & I. Samuel. xviii. vers. 6. Buchananus.

> . . . . *Arma*
> *Trepida formidine belli*
> *Cum quatient animos, lætum celebrare triumphum.*
> *Teneris dabit ille puellis:*
> *Sufficietque suas in laudes carmina.*

Sublimiori sensu de Apostolis, & apostolicis intelligunt, qui magna & præstanti militia verbum Dei per orbem annuntiaverunt, atque Evangelium disseminaverunt: quos femineo genere appellat, quod infirma mundi fuerint, ut Paulus loquitur.

V. 13. REX VIRTUTUM DILECTI. Rationem huius versionis facile explanatores expediunt: ipsos adito. Alii ex Heb. varie reddunt. I. *Reges exercituum movebuntur, movebuntur*; id est, nimio terrore perterriti aufugient & vagabuntur dispersi. II. *Reges* ingentibus copiis, & exercitibus instructi *elongabuntur, elongabuntur*, vel *fugient, fugient*, seu *retrovertentur, retrovertentur*, aut *profligabuntur, profligabuntur*. De regibus Amoræorum, & Chananæorum istud accipiunt, & de quibusvis aliis hostibus populi Dei. Forsterus hunc locum ita exponit: *Est autem verbum hoc non intelligendum de hostibus, quod illi fugituri sint; sed de regio exercitu Apostolorum, & Ecclesiæ, quod illi celeriter pergent, & pergendo occupabunt multa loca Evangelii propagatione. Et est verbum castrense hoc loco de exercitu dictum, qui felices successus habet, & de loco in locum celeriter castra promovet, & hostem vincit: & translatum hic ad Evangelii propagationem, quæ celeri motu, seu cursu per Apostolos fieri debebat, sicut certe factum est, & in omnem terram celeriter concurrit regula ipsorum. Est igitur non passive intelligendum hoc verbum hoc in loco, sed active; quasi dicas: Reges exercituum promovebunt, promovebunt, &c.* Hæc ille. Contra Mercerus hæc annotat: *Errant qui de Apostolis exponunt, promovebunt, promovebunt Evangelium, scilicet propagantes celeri cursu, castra felici successu de loco in locum promovebunt, ut sit verbum castrense victori competens. Sed est eo loco antithesis regum fugientium, qui copias innumeras habuerint: & mulierum domi desidentium, quæ eorum inter se partiantur spolia.* Sed quam ægre se pietas cum hisce novantibus conciliat! quod ille apposite ac pie excogitaverat, hic alter errorem dicit. Est proculdubio sensus ille Forsteri aptus & mire congruens. ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA. Varie ex Hebr. convertunt: 1. *Et amœnitas, decor, domus, dividet spolium*: 2. *Et pulchritudo domus*: seu 3. *Et habitatrix, habitatio domus*, id est vel mater familias, vel familia ipsa, aut turba domestica: 4. *Et hera domus*: 5. *Et quæ commoratur domi, partitur spolia*, id est mulieres ipsæ imbelles, domi desidentes, ut Iudic. v. 24. Buchananus:

> . . . . *spoliisque fruetur*
> *Imbellis turba relictis.*

V. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, &c. Varietas interpretationum huius versus ex Hebr. non obscuritatem & perturbationem, sed lucem proculdubio maiorem inferet. I. *Si dormiatis*, seu *accumbatis inter Chytropodes*, vel *tripodes*, *ertiis*

eritis ſicut pennæ columbæ, quæ tecta eſt argento, & alæ eius in flavo auro; id eſt, ſi iacueritis in loco obſcuro & atro, nempe in ſumma anxietate, & rebus adverſis conſtituti fueritis, eritis ſicut pennæ columbæ, hoc eſt, evadetis ad ſummum ſplendorem & felicitatem, &c. Candor enim felicitatem ſignificat. II. *Etiam ſi hactenus habitaſtis inter ollas*, id eſt in loco ubi reponuntur ollæ, & caldariæ, *eritis poſthac ut pennæ columbæ argento obductæ, cuius alæ fulvæ ſunt auro puriſſimo*; quaſi dicat: Etiam ſi iacueritis inter vaſa plena fuligine; hoc eſt, etiam ſi oppreſſi fueritis, ita ut propter eam nigris induti veſtibus fueritis: velut e mediis tenebris eruti, venietis in lucem, candidique & læti reddemini ob liberationem: ex ſumma miſeria in ſummam felicitatem venietis. III. *Si hucuſque inter fuligine obductas ollas iacuiſtis, & tam atri quam carbo facti eſtis*; *eritis poſthac tam candidi quam alæ alicuius columbæ, etiam ſi argento exornata fuerit, & pennæ illius eleganter admixtum habeant auri pallorem*. Buchananus:

Veſtra licet ſomno ſternantur corpora nigræ
Inter fuliginis ollas:
Illa tamen vincent nitidam candore columbam
Rutilæ cervicis honore.
Quæ nunc argentum nitidum, nunc lumine blandum
Radiantis provocat auri.

IV. *Si iacebitis inter confinia, pennæ columbæ coopertæ in argento, & alæ eius in virore auri*; id eſt, ſi vos intra præſtitutos terminos terræ promiſſæ placide & quiete continueritis, ut columba intra foramen ſuum; abundabitis mirum in modum argento & auro, & magna opulentia: metaphora. V. *Si accubueritis inter terminos, pennæ columbæ cooperientur argento, & alæ eius in virore auri.* VI. Notant שפתים *ſchephattaim* eſſe *metas*, *limites*, *terminos*, *confinia*, intra quæ aliquid collocatur: conſtituebantur autem præſidia in limitibus regionum contra incurſiones hoſtium: efferri autem forma duali, eo quod cuilibet regioni duo ſunt limites: unde reddunt: *Si iacueritis intra limites, præſidiis firmatos, eritis ſicut columba, cuius alæ verſæ ſunt in argentum, & plumæ eius in flaveditatem auri*; hoc eſt, felices & opulenti eritis. VII. *Si iacueritis inter clavos, paxillos*, Caſtrorum, quibus tentoria defiguntur in terram: *eritis ut alæ columbæ obtectæ argento, & remigia eius flavedine auri* obducta. VIII. *Etiam ſi iacueritis inter duas ſtrues lapideas*, id eſt in ſummis anguſtiis, ſordibus & ſqualore vixeritis: metaphora a calonibus & lixis caſtrenſibus, qui a ventorum & cæli iniuria utcumque ſe defendunt noctu deliteſcendo inter lapides focarios, ac proinde omnem in partem fuligine & atrore maculantur: *eritis ſimiles alis columbæ*, id eſt ſplendebitis tamen & circum fulgebitis, atque ab omni atrore vindicabimini, cum præſentia Dei ſanctificante vos, quatuor verſibus ſequentibus; tum operibus maximis, quæ Deus effecturus & demonſtraturus eſt in Chriſto, a verſ. 19. ad 23. *tectæ argento*, cuius pennæ ſunt ex fulvo auro effoſſo, id eſt alæ nitidiſſimæ, quaſi deargentatæ ſcapo, & pennis deauratæ eſſent. IX. *Tunc quieſcetis perinde ad flumen inter ripas, inter alas columbæ ſupra argentum candidæ, cuius dorſum auri nitorem vincit, quæque in aere pendet.* Notant, *ſephatthaiim* proprie eſſe *metas*, ſeu *limites*, intra quos aliquid collocatur, quaſi certum locum metis & limitibus ſuis eo prorſus modo diſtinctum, quo hereditates ſuis terminis, & limitibus ſecernuntur, ſive ad focum, in quo bina ſuſtentacula in templo ita diſpoſita fuerant, ut ollæ ac lebetes illis imponerentur; ſive ad ſtabula, in quibus binis clathris & perticis oblongioribus ſpatia iumentorum diſtinguuntur; ſive ad lanienas, in quibus etiam certæ ſunt metæ, ſeu pali atque clavi, ſive uncini ſuis ordinibus diſtincti, & bini ad expandendas atque excoriandas beſtias aſſumendi. Ex prima interpretatione intelligendum cenſent hunc locum: ex ſecunda locum Geneſ. XL. 14. & Iudic. V. 16. ex tertia locum Ezechiel, XL. 43. quæ tamen hic mire congruat; quaſi dicat: Si iam proxime laniandi & excarnificandi quaſi in metis macelli fueritis; inde extraham vos, & reddam ſplendidiores argentea & aurea columba. Quod *ſortes* LXX. dixere, vel limites, & terminos hereditatum intellexere; vel extremam ſortem vitæ, vel libertatis. ET POSTERIORA DORSI EIUS IN PALLORE AURI. Facit huc Neronis verſus laudatus a Seneca Lib. I. Quæſt. natur. cap. V.

Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ.

Hebr. *Et pennæ eius in subviridi*, seu *subfulvo auro*, id est quæ desinunt in subviridem seu fulvum colorem; vel quarum pennarum acumina seu extremitates sunt subfulvi coloris, seu subviridis. Alii חרוץ *charutz* hic *pro auro conciso*, *contuso*, seu *effosso* accipiunt: in viridi, seu in virore auri, qui color mire columbis convenit.

V. 15. DUM DISCERNIT CAELESTIS REGES SUPER EAM, NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON. תשלג *tasgh'egh*, Futurum Hiphil, potest esse secunda persona masculea, *Ningere facies*, vel *nivesces*: & tertia femmea, *Ningere facies*, *nivescet*, ea scilicet hereditas tua. Diversimode ex Hebr. elucidant. I. *In dissipando*, vel *cum dissipavit*, seu *dissiparet Omnipotens reges in ea*, seu *propter eam*, *ninget*, vel *alba facta est*, *velut nix in Tzalmon*. Dicitur enim mons Tzalmon hibernis nivibus semper albere. II. *Frangente Omnipotente reges in ea*, *ninget in Tzalmon*. Putant allusum ad historiam Iosue x. 11. quando exercitus quinque regum Amorrhæorum fusi & dissipati sunt lapidibus grandinis; quæ tempestas orta est a monte Tzalmon. III. *Cum expandit Omnipotens reges in ea*, *tunc nivescet*, *candescet ut nix in Tzalmon*. Existimant verbo *expandit* allusum ad *Kau*, *regulam*, de qua Psalm. XVIII. 5. *In omnem terram exivit regula eorum*, id est demensum eorum, scilicet Principum, Regum, Apostolorum, in doctrina Evangelii, & eius propagatione: unde omnis candor dimanavit Ecclesiæ. IV. *Cum expanderet*, *extenderet Omnipotens*, *reges in ea*, vel *propter eam*, id est Terra sancta; *candescebas*, *albescebas tamquam nix in Tzalmon*; id est, qui ante eras in tenebris, tunc candore nivis, id est summa felicitate fruebaris. V. *Quando extendit*, *qui sufficit sibi*, *Reges in ea*, *nive dealbabis eam in umbra mortis*, id est in letalibus periculis. VI. *Cum Omnipotens*, *qui Regibus imperat*, *sic terram constituerit*, *ut Tzalmon lacte velut nive albescat*. VII. *Cum distribueris*, *o Omnipotens*, *per varias provincias*, *qui regant eam*, *tum candidiorem reddes eam nive*, *quæ hucusque versata est in obscuro*. VIII. *Cum dispergeret*, *contereret Omnipotens reges propter eam*, *dealbabatur velut nix in Tzalmon*; id est, cum Deus copias adversariorum cæderet ac profligaret, hereditas ipsius, quæ antea nigra & mærore obscura erat, tamquam nix reddita est candida, nitida, læta. IX. *Cum expanderit*, id est fuderit fugatos aut cæsos, *Omnipotens Reges in hac terra*, *niveus erit*; id est, nihilominus quisque vestrum ex strage inimicorum rediens, per totam terram circumfulgebit puritate, & gloria: altera allegoria, idem significans quod dictum est superiore versu: *In Tzalmone*, id est in meditullio terræ, ubi situs est mons Tzalmon cis Iordanem, Iudic. IX. 48. Vide I. Reg. XII. 1. Synecdoche. Buchananus:

Cum Deus omnipotens traduceret agmina Regum
Longo spectanda triumpho,
Squalida quæ luctu & tenebris Soliman ante iacebat,
Nivea tunc luce refulsit:
Ceu nive vicinos inter candentia colles
Salmonis culmina fulgent.

V. 16. MONS DEI, MONS PINGUIS: MONS COAGULATUS, MONS PINGUIS. Heb. *Mons Dei*, *mons Basan*: *mons gibborum*, *mons Basan*. Alii. I. *Mons Dei* est iam *mons Basan*; id est, mons Basan cecidit in hereditatem Dei Israelitis, tametsi situs ultra Iordanem: & tamen *mons celsitudinum* est *mons Basan*; id est, ne putetis adiectum hereditati Dei vilem aliquem & abiectum monticulum: sane Basan mons erat insignis, maximus, pluribus & oppidis cultus: vide Deuteronom. III. 3. & 4. II. *Mons Dei*, Tzion est ut *mons Basan*: *mons excelsus*, ut *mons Basan*; quasi dicat: Ierusalem est fertilis & pinguis ut Basan. III. *Basan vero mons Dei sit*. *Basan sit qui casei abundantia polleat*. IV. *Mons Dei*, *mons Basan*, *mons est in varia assurgens iuga mons Basan*. V. *Monte Dei*, id est maximo, ut Genes. XXX. 8. *monte Baschanis*, hoc est in parte ulteriore trans Iardenem, ubi siti sunt Baschanis montes, & amplissimum tractum obtinent: *monte gibborum*, sive *monte frequente gibbis*, id est constante ex multis gibbis & collibus: *monte Baschanis*. In his enim montibus fuit, & cæsi sunt maximi exercitus Amorrhæorum ab Israelitis. Buchananus.

Usque sibi Basan placeat, iactetque superbus
Fastigia proxima cælo:

Nec

Nec tamen herbiferos saltus, nec pascua sacra
Ausit conferre Sioni:
Quam propriam Pater omnipotens in sæculo sedem
Legit, lectamque tuetur.

Mons coagulatus. Hebr. *Mons gibborum, clivorum, collium*, vel *mons caseorum*: quod Noster secutus est. Erat Basan regio montosa, & uberrima pascuis. Vide Numeror. XXI. 33.

V. 17. UT QUID SUSPICAMINI MONTES COAGULATOS? Verbum רצד *ratzad*, quod non alibi legitur, varie reddunt. I. *Ut quid saltabitis, exultabitis, exsilietis, præ lætitia montes gibbosi, clivosi, colliculosi?* II. *Ut quid deprimetis vos, humiliabitis, deiicietis vos, montes excelsi?* Hanc interpretationem quidam non putant huic loco quadrare. III. *Quare invidetis reliqui quantumvis clivosi montes, monti huic, quem elegit Deus* &c. IV *Cur invidetis montes caseis abundantes*? V. *Quare insultastis montes coagulorum adversus montem* &c. VI. *Quare contenditis montes excelsi?* VII. *Quid intentis oculis exspectatis*; vel *inspicitis, & consideratis?* VIII. *Ut quid despicitis montes gibbosi montem, quem desideravit*, &c. IX. *Ut quid Insidiabimini vos montes excelsi, ut perdatis montem*, de quo dixit Deus quod habitaret in eo? X. *Quare provocabitis, iritabitis vos, o montes quantumvis clivi*. XI. *Quare deiiceretis vos montes frequentes gibbis?* Apostrophe prosopopœietica ad montes, & terram totam Chenahanææ, cuius dignitas explicatur a benevolentia, præsentia, & documentis Dei hoc versu; & a gloria ministrorum eius, versu sequente. Ceterum Hebræi constanter affirmant verbum *ratzad*, idem esse quod רקד *rakad, Subsiliit*, ut Psal. CXIII. 4. unde exponunt: *Ut quid exsilitis montes excelsi*, vel *saltatis*? præ desiderio scilicet perdendi montem quem amat Deus? vel, *Ut quid extultis* efferentes vos ipsos, qui præ monte Dei Tziionis estis minimi pretii? Aliter: *Ut quid humiliabitis, deprimetis, deiicietis montem hunc, quem amat Deus?* &c. MONS, IN QUO BENEPLACITUM EST DEO HABITARE IN EO. Hebr. *Mons, desideravit Deus ad habitandum in eo*. Alii: *Mons ille est, quem desideravit Deus inhabitare*: vel *montem istum desideravit Deus, ad habitandum eum*. Plerique iungunt præcedentibus: *ut quid insilitis in montem hunc, quem concupivit Deus?* vel *invidetis monti huic, quem desideravit Deus*? &c. Nonnulli: *Hæc montana* Chenahanææ *desiderat Deus ad sedem suam*.

V. 18. CURRUS DEI DECEM MILLIBUS; &c. Hunc versum multipliciter ex Hebr. transferunt: I. *Currus Dei duæ myriades millium Angelorum: Dominus in eis, Sinai in sanctitate*; id est, quando Deus apparuit in sanctitate sua, in Sina daturus legem, Exod. XIX. venit comitatus infinitis agminibus Angelorum: Deuteronom. XXXIII. 2. numerus finitus pro infinito. II. *Currus Dei myriadum millia Angelorum* &c. III. *Currus*, seu *equitatus Dei viginti millia, millia Angelorum: Dominus inter eos sicut in Sinai, in sanctitate*, vel *in sacrario* seu *sanctuario*. IV. *Currus tui, o Deus, myriadum, ac infinitorum millium sunt, quibus tu Domine ad Sinai, ac rursum ad sanctuarium tuum veheris*. V. *Equitatus Dei centenorum est millium, habet & Angelorum millia, quibus comitatus nunc huic monti adest Dominus, sicut olim Sinai cum sanctimonia*. VI. *Currus Dei bis dena millia falcatorum curruum*, &c. VII. *Currus Dei duæ myriades, millia iterationis, secundationis, duplicationis*, id est duo millia, seu millia duplicata, aut potius, plura aut varia millia, &c. vel *millia secundationis*, vel *secunditatis*; id est, quæ statuuntur in secunda acie, & Dominus est in ea secunda acie, seu ordine. Aliter: *Equitatus Dei binæ myriades millium replicationis*, hoc est, bis decem millia millium replicata, vel duplicata. VIII. *Currus*, seu *equitatus Dei*, quo scilicet tuetur montem Tziionis, *habet bis dena millia immo multa millia Angelorum: Dominus inter eos sicut in Sinai, in sanctuario*, sive *in sacrario suo*; id est, in hoc monte Dei sancto est IX. *Curruum Dei duæ sunt myriades, millia multiplicia: Dominus cum illis est Dominus Sinai in Sanctuario habitans*; id est, æternus Dei Filius Iesus Christus, idem Dominus, qui se Patribus in monte Sinai patefecit, Exodi III. & XIX. MILLIA LAETANTIUM. Hebr. *millia* שנאן *schinan*: plerique a שנה *schanah* deducunt, *millia iterationis, duplicitatis*, id est varia & multiplicia: vel *millia secunditatis*, id est secundæ aciei, vel secundi ordinis, & agminis. Alii a שנן *scanan, acuit*: & volunt

sunt esse nomen collectivum, ac significare genus curuum, qui acutas falces habent, quibus utuntur ad proscindendum hostem, & nos currus falcatos appellamus: de quibus vide Notas in Iosue XVII. 16. unde reddunt, *millia falcatorum*: id secuti sunt Forsterus, & Avenarius. Hebræi fere post Chaldæum Interpretem, Angelos intelligunt: quod tutius existimamus.

V. 19. Ascendisti in altum. Vaticinium expressum de potentissima Christi resurrectione & ascensione in cælum, ut interpretatur Paulus Ephesior. IV. 8. Præteritum certitudinem prophetiæ designat. Quidam: *Exaltatus in excelsis*; id est, consecutus es honorem excellentem, o Deus! Cepisti captivitatem. Quidam: *Captivitate capta*. Alii: *Asseruisti eos tibi, qui olim a diabolo captivi detinebantur*. Nonnulli: *Captivam fecisti captivorum multitudinem*; id est, mundum, carnem, peccatum, mortem, & satanam subegisti. Vide II. Colossen. II. 12. & sequentibus. Accepisti dona in hominibus. Hebr. *Accepisti dona in homine*; eclipsis verbi coniugati, ut Exodi XXV. 2. pro, *Accipiens dedisti dona hominibus*: quomodo accipiendum esse docet versus sequens, & exponit Paulus Ephesior. IV. 8. Alii: *Accepisti dona pro hominibus*, vel *ut dares hominibus*. Nonnulli: *Acquisivisti varia dona posteris Adæ*. Hæc in typo etiam de Davide intelligunt, qui ascenderit ad summitatem arcis Tzionis, II. Samuel. V. & I. Paralipomen. II. ubi & dona regia largitus est, & rebelles cepit Iebusæos. Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum. Diversimode ex Hebr. explanant. I. *Et etiam rebelles* captivasti, *ut inhabitent* in tabernaculo *Iah Dei*. II. *Quin & rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros in gratiam recepisti, ut vere diei nunc possit, habitare inter homines te Servatorem Deum*. III. *Etiam defectores, ut habitet Dominus Deus*; id est, etiam rebelles vicisti, & accepisti, ut regnet Dominus Deus. IV. *Etiam rebelles*, id est eos qui licet victi sint, tamen oppugnant opus tuum, *habitando*, puta in cælis, seu in excelsis, captivos facis: nam inde exerit quotidie Christus potentiam suam: *Iah Deus*; id est, o Iehova Christe. Vide supra vers. 5.

V. 20. Benedictus Dominus, &c. Hunc versum diversimode ex Hebr. convertunt. I. *Benedictus Dominus die die: onerabit nobis Deus salutem nostram*. II. *Benedictus Dominus, Deus ille, scilicet præpotens, qui nos onerat in dies salute nostra*; vel *imponit nobis onus*, seu *oneri, salutem nostram*, id est varie, multisque nos servat rationibus, &c. ut accusativus extrinsecus non subaudiatur, sed exprimatur eo loco. III. *Laude dignus Dominus, qui in dies imponit nobis onera*, scilicet suorum munerum, *qui nos onerat, & varie ornat ac cumulat donis suis: Deus, inquam, salus nostra*. IV. *Benedictus Dominus, qui quotidie confert nobis bona: & Deus salus nostra*. V. *Quare dignus est, qui laudibus extollatur Dominus absque ulla intermissione, qui tam est nobis beneficiis, ut onerare nos videri merito possit omnipotens ille Deus, beneficiis suis*. VI. *Gratiæ Domino per omne ævum, Deo, qui nos salutaribus beneficiis obruit*. VII. *Benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos donis, Deus ille fortis salus nostra*. Epiphonema fructuum ascensus Christi in cælos: nam illius fructus inde a principio pertinuit ad Ecclesiam Dei. Additur hic *selah*; id est, 1. *Semper, in perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Excellentissime*; 4. O miram Dei in suos benignitatem, qui perpetuo suos ornat, auget, onerat, cumulat beneficiis!

V. 21. Et Domini Domini exitus mortis. Hebr. *Et ipsi Iehoveh Adonai ad mortem exitus*. Varie alii. I. *Et Deo Domino mortis egressus*. II. *Et Deo Domino suppetunt morti exitus*, id est viæ, rationes ad interficiendum. III. *Iehovæ Domini etiam est mors, & animarum & corporibus exitus*. IV. *Et Domino Deo exitus ad mortem* sunt; id est, multas vias habet quibus perdat impios. V. *Domino Deo* gratiæ, *per quem mortem evadimus*. VI. *In potestate enim Domini est, quemcumque voluerit a morte eripere*. VII. *Et Iehovi Domino sunt exitus contra ipsam mortem*; id est, liberationes ab ipsa morte & rebus deploratissimis, toti populo suo præstat: quapropter voce *Iehovi* utitur Psaltes prophetice de Christo: vide in Genes. XV. 2. Accentus Athnach affixus voci *Adonai*, orationem disparat, & hunc sensum efficit: *Deus fortis nobis, Deus fortis in salutes*, & etiam ipsi *Iehveh Domino*; subaudi,

audi, sunt salutes; deinde sequitur: *morti* vero *exitus* sunt; vel *ad mortem* sunt *exitus*, seu *egressiones*; quasi dicat: Mortis sunt varia genera, vel mortis sunt irrevocabiles exitus. Sed plerique alii distinctionem negligunt, ut etiam versu sequente, & passim alias.

V. 22. VERUMTAMEN. Hebr. *Tantummodo;* id est, non suos, sed reprobos tantum peccatis adhærentes perdit. Alii: *Tantum* Deus, vel *Solus Deus*, sine auxilio cuiusquam. Quidam: *Proculdubio*, vel *e diverso*. VERTICEM CAPILLI. Heb. *Verticem pili*, seu verticem pilosum, capillosum, hirsutum, capillatum, comatum, id est horrentem coma, ferociam hominis testante: ut Iob v. vers. 5. PERAMBULANTIUM. Heb. singulariter, *Perambulantis*. Forma Hitpahel significatum auget, Indesinenter ambulantis, versantis, totum se dedentis.

V. 23. DIXIT DOMINUS: EX BASAN CONVERTAM, CONVERTAM IN PROFUNDUM MARIS. Hebr. *Ex profunditatibus maris*. Sensum huius versus ita concipiunt: Cum ad bellum proficisceremur, promisit Dominus, nos tali victoria potituros, qualem olim reportavimus ex Basane, rege Hogo cum tota gente deleto, Numer. XXI. vers. 21. & sequentibus: qualem item adepti sumus, cum mare Rubrum pedibus transmitteremus, extincto Pharaone cum innumerabili exercitu. Alii reddunt: *Dixit Deus: Expellam ex Basan hostes meos: extraham eos ex insulis, quas occupant in profundissimo mari sitas*. Aliqui: *Dixerat Dominus: Restituam meos velut olim ex Basan: restituam ut olim ex profundo maris*, Exod. XIV. Nonnulli: *Dixerat Dominus: Ex Baschane reduco* meos incolumes: *reduco ex profunditatibus maris*: ut dixerat Exod. XIV. 16. Notant esse confirmationem liberationis, & opis divinæ a verbis & promissionibus Dei, cuius veritatem maiores fuerant experti, & agnoscentes celebraverant. Vide Numer. XXI. 27. & sequentibus, & Deuteron. II. & III. & Exodi XIV. & XV.

V. 24. UT INTINGATUR PES TUUS IN SANGUINE, &c. Diversimode hunc versum ex Hebr. explanant. I. *Propterea tinges pedem tuum in sanguine, linguam canum tuorum ab inimicis, ab ipso*, hoste. II. *Ut calcet pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis a temetipso*. III. *Ut rubescat pes tuus sanguine, & lingua canum tuorum* sanguine dico *inimicorum*, & ipsius, nempe uniuscuiusque inimicorum, vel ipsius ductoris exercitus. IV. *Propterea pes tuus, & lingua canum tuorum sanguine rubet ab inimicis, ab ipso*, inquam sanguine, vel ipso duce fuso & cæso. V. *Ita ut pes tuus, & lingua canum tuorum tingatur sanguine hostium tuorum*. VI. *Sic pellam eos Basanitas*, ut *pes tuus conspergatur illorum sanguine: & lingua canum tuorum sanguinem inimicorum lambat ad ipso Domino interfectorum*. VII. *Ut frangas pedem tuum in sanguine*; pro, *ut frangens immergas pedem tuum in sanguine*: eclipsis verbi consequentis, recepta in Scripturæ locis, quorum planus est a natura sensus: ut Exod. XXIII. 18. Exponunt: Ut frangens caput inimicorum tuorum, ut supra vers. 22. *immergas pedem tuum, in sanguine eorum*; hoc est, late effundas sanguinem illorum: *linguam canum tuorum* immergas etiam sanguine fluente *ab inimicis*, scilicet, ab unoquoque eorum. Futurum תמחץ *thimchatz* potest esse secunda persona masculea: *Inficies sanguine, cruentabis, perfodies, transfiges, figes pedem tuum*, o Deus, vel populi Israelitici: vel tertia feminea: *Inficietur, cruentabitur, &c. pes tuus*: vel active: *Inficiet, cruentabit, vulnerabit, pes tuus*.

V. 25. VIDERUNT INGRESSUS TUOS, DEUS. Exponunt: Id est, senserunt hostes vim & potentiam tuam, &c. Alii reddunt. I. *Spectabunt universi pompam triumphi tui, o Deus*. Buchananus:

Lætæ spectacula pompæ
Aspicient, pater alme, tuo, pater alme, triumpho.

II. *Viderunt pii hos successus, & agnoverunt eos esse abs te, o Deus*. III. *Cum viderunt incessus tuos, o Deus*, &c. id est, administrationem tuam, prout prædixeras, omnes ætates expertæ sunt. Transitio ad exempla maiorum, qui accepto singulari aliquo beneficio Dei, gratias agebant, & in futurum bene precabantur, solemni ritu. QUI EST IN SANCTO. Heb. *in sanctitate*. Plerique: *Quiest in sanctuario, sacrario* Templi. Alii: *Qui est insigni sanctimonia præditus*.

V. 26. PRAEVENERUNT PRINCIPES CONIUNCTI

IUNCTI PSALLENTIBUS, &c. Hunc versum varie ex Hebr. transfundunt. I. *Praevenerunt principes*, victores & triumphatores, *post sonatores in medio iuvencularum cymbalizantium*. II. *Praecedebant cantores, post pulsantes musica instrumenta: in medio puellae tympanistriae*. III. *Praeeunt cantores, sequuntur canentes organis*, vel *modulatores: in medio*, &c. IV. *Praecedunt cantores: subsequuntur ludentes instrumentis musicis*. V. *Occurrent cantores cum musicis, cumque puellis tympanistriis*. VII. *Praecesserunt*, cum gratiae tibi pro victoria agerentur, *hi qui voce canunt: hos continuo sequebantur qui instrumentis ludebant musicis: cingebant autem eos undique puellae tympana pulsantes*. Descriptio est populi victoris & triumphantis. VII. *Praecedebant cantores, post fidicines: inter puellas tympana pulsantes*; id est, singuli suo ordine celebrabant publice victoriam, triumphum, beneficia Dei, & orabant eum. Exempla vide Exod. xv. Numer. xxi. Iudic. v. I. Samuel. xviii. 6. & 7.

V. 27. IN ECCLESIIS BENEDICITE DEO DOMINO. Hebr. *In congregationibus*, id est in magna hominum frequentia, in dicto publico Ecclesiae conventu, ut exponitur sequente versu. DE FONTIBUS ISRAEL. Heb. *de vena, scaturigine Israelis*; id est, qui estis e semine Israelis, hoc est Israelitae omnes: periphrasis generis Israelitici.

V. 28. IBI BENIAMIN ADOLESCENTULUS. Heb. *Ibi Biniamin minor* natu. Quidam: *Illic sit Biniamin parvus*, &c. id est, illic sint omnes summi, & infimi; propinqui, & longinqui adsint, ut hoc officium exhibeant Deo: totus versus constat oratione fere asyndeta. *Biniamin parvus*; quasi dicat: Etsi tribus Biniaminis paucitate sua impediri videtur, ut ad panegyrim accedat; ac fortasse etiam domestico adhuc in domum Davidis odio, de quo I. Paralipom. xii. vers. 29. ne censeatur in tribubus; tamen oportet me hunc honorem illi tribuere, ut prima vocetur ad hunc conventum sacrum. Erat autem parva tribus ceterarum comparatione inde a tempore cladis ad Gibham acceptae Iudic. xx. ut agnoscit Saul I. Samuel. ix. 21. deinde etiam attrita bellis quae contra Davidem gesserat. Alii Biniamin parvum dictum accipiunt, quia erat minimus natu filiorum Iahakobi. Quidam observant, Paulum hanc prophetiam de se dictam intelligentem, se ideo vocasse *minimum Apostolorum*, item *abortivum*, I. Corinth. xv. 8. &c. 9. IN MENTIS EXCESSU. רדם *rodem* quidam a *radam* deducunt, id est *soporatus*, *sopore profundo correptus*: quod Noster & LXX. secuti videntur, ut alludat prophetice ad raptum Pauli. Alii a רדה *radah*, *dominans*, *dominator*, *eorum*; vel *subiicient eos* ut inniuant regnum Saulis, e tribu Biniamin. Quidam: *Qui potestate fungebatur* super eos, vel *qui praeerat illis*. PRINCIPES IUDA, DUCES EORUM. Vocem רגמתם *rigmatham* varie elucidant. I. *Principes Iehudae, congregatio, coetus, adunatio, in modum grumorum, collectio, eorum*; id est, principes Iehudae, & coetus eorum, illic adsit. II. *Principes Iehudae, purpura eorum*; seu purpurati eorum, ut רגמה *ragomah*, conveniat cum ארגמן *argoaman*, *purpura*. III. *Principes Iehudae, variegatura, acupictura, Phrygionatura*, seu *opus Phrygionicum*, aut *recamatura eorum*: ut רקמה *righmah* sit idem quod *Rikmah*, *recamatura*, id est cum vestibus variegatis, atque Phrygionico opere intextis: sive *in Phrygionicis suis*, seu *acupictis*. IV. *Principes Iehudae ornamentum eorum*. V. *lapis eorum*, id est vis, robur, fortitudo contra pericula. VI. *Principes Iehudah obruitio eorum*. Loquitur de obruitione qualis est lapidum, seu grandinis, seu tonitrui. Et huc haud dubie allusit Christus, cum Marci iii. 17. Iacobum, & Ioannem: *Bene-Reghem*, *filios tonitrui*, appellat: quasi potentia Evangelii obruituri erant plurimos. Sed potius putant dictos *Bene-Regnes*, quod magis accedit ad Boanerges. Verbum רגם *ragoam* proprie est *obruere lapidibus*. PRINCIPES ZABULON, PRINCIPES NAPHTHALI. Notant, duarum harum tribuum singulariter fieri mentionem, quod illae insignes fuerunt in victoria Deborae, & Baraki, & in decantandis divinis laudibus, Iudic. iv. & v.

V. 29. MANDA DEUS VIRTUTI TUAE: CONFIRMA HOC DEUS, &c. Quidam: I. *Praecepit Deus tuus fortitudinem tuam*; id est, suppeditavit tibi Deus tantum robur, o Israel, ne quid tibi tribuas, aut superbias. Statim sermonem convertit ad Deum. II. *Sic statuit Deus tuus robur tuum*.

III.

Conſtituit Deus tuus robur addere tibi. IV. *Præcipit Deus tuus robuſtus eſſe te.* V. *Commendavit Deus regnum tibi*: nam עֹז ghoz ſæpe ſumi pro regno, ſæpius alibi obſervavimus: vide Geneſ. XLIX. 3. & Pſal. VIII. 3. & Pſal. LXXXV. 16. CONFIRMA HOC DEUS QUOD OPERATUS ES IN NOBIS. Heb. *Corrobora, fortifica, o Deus, iſtud quod operatus es nobis*, id eſt beneficia, quæ in maiores noſtros, & in nos contuliſti: denique, ut ſcite ſanctus Auguſtinus loquitur, *Iube quod vis, da quod iubes.* Quidam עֻזָּה ghuzzah non imperativum, *robora*, ſed nomen *robur* eſſe volunt: *Robur, o Deus, iſtud feciſti nobis*: inſignis locus pro gratia Dei.

V. 30. A TEMPLO TUO IN IERUSALEM, TIBI OFFERENT REGES MUNERA. Multifariam exponunt. I. *A templo tuo, quod eſt in Ieruſalem*; ſubaudi, prodit tantum robur ſeu auxilium: *ob id offerent Reges munus tibi.* II. *Propter templum tuum.* vel tabernaculum, vel templum ædificandum, *in Ieruſalem, adducent Reges munus.* III. *Aliter longe, & magnificentius, quam olim in templo Ieroſolymitano, offerent tibi munera Reges.* Præpoſitionem *Min*, *de*, accipiunt, pro *præ templo tuo, magis quam in templum tuum*, &c. ut paſſim ſumi ſolet. IV. *E templo tuo, propter Ieruſchalaima*; id eſt, propter electionem gratuitam, & fœdus initum cum Eccleſia tua, quæ vera eſt Ieruſalem mater omnium noſtrum, Galat. IV. 26. *tibi afferent Reges donarium*; id eſt, ego, & ſucceſſores mei gratiſſimo animo agnoſcemus te, & muneribus colemus te.

V. 31. INCREPA FERAS ARUNDINIS. Hebr. *Increpa, perde, vivum, animal, beſtiam, feram, cannæ.* Diverſimode alii. I. *Increpa feram arundinis*; id eſt beſtias in arundinetis deliteſcentes, nempe captu difficiles, propter loca paluſtria, & uliginoſa. II. *Increpa congregationem, turmam, catervam, cœtum, agmen arundinis.* Quidam: *Perde catervam arundiferam*, id eſt armatam ſagittis: ſynecdoche, nam ſagittæ olim fiebant ex arundinibus, & arundinem pro ſagitta poſuit Virgilius IV. AEneidos:

... hæret lateri letalis arundo.

& Lib. VII.

... perque ilia venit arundo.

Buchananus:

... tu freta ſagittis
Letalibus agmina fundis:

vel telis, haſtis, & lanceis armatam: quod olim tela ex arundinibus fierent, ut annotavit Agrætius antiquus grammaticus: vel quod lancea longitudine cannam referat: unde aliqui vertunt: *Perde cœtum, turmam, haſtatorum.* Alii: *Vaſta multitudinem lancea armatam.* III. *Increpa vivum calami aromatici*, id eſt viventes aromatibus: קָנֶה kaneh enim ſignificat etiam *calamum aromaticum*, quem vulgo *canelam* vocant: vide Exod. XXX. 23. ut ſit vaticinium converſionis ad Eccleſiam Indiæ orientalis, quæ dives aromatum eſt. CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM: UT EXCLUDANT EOS QUI PROBATI SUNT ARGENTO. Varie alii Heb. reddunt. I. *Congregationem fortium in vitulis populorum, calcantem in fruſtis argenti*; id eſt, divitem & opulentam; ſubaudiendum verbum præcedens, *Increpa, perde, diſſipa, vaſta*: ut in ſequentibus explanationibus. II. *Congregationem taurorum in vitulis*, ſeu, *inter vitulos, populorum*: *quiſque eorum conculcatus cum fragmentis argenti*, id eſt infarctus, & imbutus multo argento. III. *Congregationem prævalidorum, cum vitulis populorum, ſuperbientem*, vel *gloriantem in inciſionibus*, ſeu *fragmentis, argenti*, id eſt gloriantem & iactantem ſe in ornamentis, & externo apparatu variorum inſtrumentorum argenti, & auri: ſynecdoche: vel *conculcantem propter fragmenta argenti*; id eſt, qui pios violentia conculcat, ut acquirat opes. Aliter, *calcitrantem*, id eſt ferocientem, *in fragmentis argenti*, hoc eſt fiducia opum. IV. *Cœtum taurorum inter vitulos populorum, calcando perturbantem inter concutientes*, vel, *conculcantes propter argentum*; id eſt, qui omnia calcant, & perturbant propter acquirendas opes. V. *conculcantem ſe*, id eſt proſternentem ſe, ſeu ſupplicem ſe præbentem, *cum fragmentis*, ſeu *fruſtis argenti*, tributi nomine; id eſt, qui ſe dediciant, vectigaleſque facti argentum tributi nomine penſitent: unde paraphraſtice reddunt: *Vaſta multitudinem lancea armatam, & turbam eorum, qui robuſtiores habentur inter potentium filios, qui & vitulorum more laſciviunt, donec facti ſupplices, tributa tibi pendere cupiant.* VI. *Congregationem robuſtorum in vitulis populorum,*

optantem numerationes, seu *studentem incisionibus argenti*. Quam interpretationem non multum probaverim. VII. *Cœtum validorum, cum vitulis populorum, qui se se contumaces præbent, ut cum fragmentis argenti* veniant, supplices ac tributa pendentes. VIII. *Congregationem robustorum, in vitulis populorum, facientem se serpere inter collidentes argenti*. IX. *Cœtum robustorum, cum vitulis populorum*, id est ferocientium ducum & militum: allegoria, ut Psal. XXI. 13. de his qui palam male faciunt: *fingentem subiicere se*, id est hypocritam: nam hæ duo sunt genera inimicorum Dei: *cum fragminibus argenti*, id est muneribus, ut vocant, homagii. רצי *ratze*, constructum, alii participium faciunt: *In concutientibus, conterentibus argenti*: alii nomen substantivum: *In incisionibus, fragminibus. frustis, argenti*. Dissipa gentes, quae bella volunt. Alii. I. *Dissipabis populos, quibus prælia placent*. II. *Funditus ergo perde populos, qui bella desiderant*. III. *Dispersit populos, quibus bella cordi sunt*. IV. *Dissipa populos, qui bellis delectantur*, id est tyrannos omnes.

V. 32. Legati. חשמנים *chasch mannim* hæc omnia complecti volunt; id est, *satrapæ, magnates, optimates, magni principes; legati, oratores, primates; magni & excellentes viri*. Quidam componunt a חוש *chusch, festinare*, & a שמן *schaman, pinguis fuit*; quasi dicas, *celeres, pingues, fortes, robusti*. Alii deducunt a חשה *chascha, siluit*, & חשן *choschen, pectorale*, inserta littera mem: quod oratores, & legati arcana principum silentio peragunt, ac ferunt. Notant Hebræi hinc Matthathian sacerdotem appellatum Chasmoni, id est Chasmonæum, & posteros eius Chasmonim, seu Chasmonæos, qui dicti sunt Hasmonæi, & etiam Machabæi, quod magni & clarissimi viri fuerint. Iudæi hodierni Romanos Cardinales, *Chasmonim* appellant, hoc est *Magnates*, teste Elia in Thisbi. Amplitudo regni Christi hic describitur. Æthiopia praeveniet manus eius Deo. Hebr. *Æthiopia currere faciet manus suas Deo*, id est extendet, protendet celeriter manus suas Deo: metaphora. Multipliciter elucidatur. I. Protendet manus suas supplex, & se subiiciens: gestus supplicis, ac subiecti. II. In fœdera (nam porrectione manuum fiebant, ut Lament. v. 6.) unde reddunt: *Æthiopia festinabit porrigere manus suas Deo, & fœdus inire cupient cum ipso*. III. *Protendet, celeriter manus suas*; id est, prompte afferet munera, testando obedientiam. *Manus suas*, id est *dora*, seu *dona sua*. Plinii verba mirifice illustrant hunc locum: Lib. XXXV. cap. XIV. *Græci enim antiqui Doron palmam vocabant: & ideo Dora, munera, quia manu darentur*: unde quidam vertunt: *Æthiopia celeriter transmittet manuum suarum donum ad Deum*: metonymia. IV. *manus suas*, id est *copias, turmas manipulos suos*: ut ea vox Latinis etiam capitur; id est, transmittet ad Deum magnam hominum fidelium multitudinem. Quidam: *Ingens Æthiopiæ vis ad Deum curret*. Buchananus.

Accurrent, pacemque petent, opulenta ferentes
Tibi munera supplice dextra.

V. 33. Regna terrae cantate Deo, &c. Notant esse conclusionem hortatoriam ad laudem Dei, per apostrophem ad omnes gentes vocatas in Christo. Psallite Domino. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum semper*; 2. *Prorsus ita fiat*; 3. *Vehementissime*; O quam dignus Dominus omni carmine, & laude! quamque decorum, ut eum omnes pii summe celebrent.

V. 34. Qui ascendit super caelum caeli, ad orientem. Varie alii ex Heb. *Equitanti in cælis cælorum principio*. II. *Equitanti super cælos cælorum antiquitatis*, id est in supremo cælorum sempiternorum. III. *Qui cælis ab æterno insidet*. IV. *Qui cælis cælorum, a tempore, quo conditi sunt, veluti pro vehiculo utitur*. V. *Insidenti cælis cælorum*: vide in I. Reg. VIII. 27. *antiquitatis*, seu *antiquorum*, id est ab omni antiquitate, ex quo cæli sunt. Primus locus laudis hoc versu a maiestate Dei, operibus, & verbo testata. Ecce dabit voci suae vocem virtutis. Quidam: *En edit voce sua vocem robustam*, id est tonitru. Alii: *Voci suæ addet pondus*, id est verbis suis.

V. 35. Date gloriam Deo. Secundus locus laudis hoc versu a benefica administratione rerum creatarum, in cælo, & in terra. Quidam reddunt: *Tribuite fortitudinem, robur, potentiam Deo*, hoc est lau-

laudem fortitudinis: vel, *Referte acceptas Deo omnes vires*; aut, *Laudate Deum a potentia, & robore*; seu, *Celebrate eius regnum & imperium*. SUPER ISRAEL MAGNIFICENTIA EIUS, &c. Hebr. *Super Israel superbia, celsitudo, excellentia, eius est*. Quidam: *In Israel enim apparet quanti faciendus sit: & potentiam eius testantur nubes*. Buchananus:

Cuius in Isaacidis resplendet gloria, cuius Testantur robora nubes.

V. 36. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. Hebr. *Formidabilis es, o Deus, e sanctuariis tuis*. Tertius locus laudis, a singulari ipsius communicatione cum Ecclesia. Utitur plurali numero, *E sanctuariis*, sive *sacrariis tuis*; vel quia plura fuerunt sanctuaria Dei, aliud Mosaicum, aliud quod tetendit David in Tziione, & Templum; seu quia Templum constabat tribus partibus; אולם *ulam*, *Vestibulo*; היכל *hechal*, *Basilica*; דביר *debir*, *Locutorio*, seu *oraculo*. Alii: *E sanctuariis tuis*, id est cælesti, & terrestri, quod est cælestis illius symbolum. Possis reddere: *Reverendus, colendus es Deus, propter sanctuaria tua*, vel *in sanctuariis tuis*, sive *ex sanctuariis tuis*, unde proficiscuntur admiranda opera tua.

MENOCHII.

Vers. 1. PSALMUS CANTICI quid sit, diximus ad Psal. XXIX.

V. 2. EXURGAT DEUS, nec amplius quasi dormiens suam potentiam dissimulet.

V. 5. ITER FACITE: parate viam, cedite, concedite locum ei omnes. Italice dicimus: *Date luogo, Fatte largo*. QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Hebr. *Qui equitat in occasum*. Videtur prophetia de Christiana religione, quæ, relictis Europæ orientalibus partibus concessit in occidentem. Alii, *qui ascendit super occasum*, idem esse putant ac, Qui omnem transcendit mortalitatem. Alii referunt ad populi adventum in terram promissam Deo duce, qui adventus fuit per occasum, hoc est, per Arabiæ desertum. DOMINUS NOMEN ILLI. Merito Dominus appellatur. TURBABUNTUR A FACIE EIUS; quasi dicat: Nihil timete vos qui Deum ducem sequimini, & ei exultatis; ne, inquam, timeatis hostes vestros, nam turbabuntur, & timebunt ipsi eius adventum, & potentiam sustinere non valentes.

V. 6. PATRIS ORPHANORUM, &c. Timebunt Deum nostrum, qui pupillorum, & viduarum pater est, eosque defendit, & protegit, qui humano destituuntur auxilio. DEUS IN LOCO SANCTO SUO; quasi dicat: Licet Deus in loco sancto suo sit, hoc est in cælo, & videatur a miseris eius opem expectantibus longe remotus; illis tamen adest, iuxta illud Psal. CXII. vers. 5. *Qui in altis habitat, & humilia respicit*.

V. 7. QUI INHABITARE FACIT, &c. Probat Deum, licet sit in loco sancto suo, rebus tamen humanis interesse, providentia sua cuncta regere, & piis peculiari cura favere: nam Hebræos eiusdem legis cultores, ac proinde iisdem moribus præditos, *habitare facit in domo*, id est in terram promissam inducit, & ibi fixam illis sedem, & domum, quam incolant, attribuit. Sensus ergo est: Nolite timere, Deus est qui vobis adest, & in regionem promissam inducit, &c. QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE. Deus est qui populum suum ex AEgypti ergastulis educit, idque in manu excelsa, & brachio extento. Vel certe illud, *In fortitudine*, nectendum est cum *vinctos*, non cum *educit*; ut sensus sit, Deum educere, & libertati restituere Israelitas vinculis, & compedibus fortiter vinctos ab AEgyptiis. SIMILITER EOS QUI EXASPERANT. AEgyptios fortasse intelligit iram Dei suis sceleribus, & contumacia exasperantes. Hos autem Dominus eduxit, quia Israelitas sequi permisit, cum de AEgypto egressi sunt. QUI HABITANT IN SEPULCRIS: cuius gentis pars magna occisa est, & sepulcris condita, cum Angelus primogenitos occidit; pars etiam magna pro sepulcro habuit maris fluctus, & piscium ventres. Vel etiam Israelitas intelligit, qui variis modis Deum exasperarunt in deserto, ibique mortui sunt, & sepulti.

V. 8. CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI, scilicet in deserto populum in columna nubis præcedens in morem ducis.

V. 9. TERRA MOTA EST, cum scilicet legem dares in monte Sina. ETENIM, etiam. Vide infra Psal. LXXXII. 9. CAELI DISTILLAVERUNT manna. Vel sensus

est: Fluxerunt, diffluxerunt, soluti sunt metu, signo externo, hoc est, terræmotu, ostendentes se commoveri ad Dei præsentiam. DEI SINAI: qui in monte Sinai legem daturus apparuit.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS, &c. quasi dicat: Quemadmodum populo tuo dedisti, & depluisti manna in deserto; ita Ecclesiæ, quæ est hereditas tua, cælestium donorum, & beneficiorum gratiam sepones, & super eam beneficia tua voluntate deplues. INFIRMATA EST. Si vero illius membra langueant aliquando, fatigentur, aut opprimantur malis. PERFECISTI EAM, stabilies, & roborabis eam, efficiesque ut adversis rebus exercita, magis in virtute, & sanctitate proficiat.

V. 11. ANIMALIA TUA HABITABUNT IN EA: grex tuus in Ecclesiæ caulis habitabit. PARASTI res necessarias. IN DULCEDINE TUA, quæ tua est benignitas. Vel sensus est, non solum res necessarias parasse Deum, sed eas etiam quæ ad delitias pertinent. PAUPERI, humili.

V. 12. DABIT VERBUM, sermonis copiam. EVANGELIZANTIBUS, Evangelicis præconibus. VIRTUTE MULTA: vel necte cum *dabit verbum*; ut sensus sit: Deus virtute, & potentia sua magna dabit verbum. Vel necte cum *evangelizantibus*, ut sensus sit: Evangelizantibus virtute multa Christiana scilicet libertate, nihil eos timendo, qui Evangelii præconium impedire conantur.

V. 13. REX VIRTUTUM, Deus Rex exercituum. DILECTI DILECTI, dilectissimi, Christi videlicet, dilectissimo Deo, & hominibus. ET SPECIEI DOMUS: ipse dabit speciei domus, id est ad speciem, & decorem domus Dei, quæ est Ecclesia. DIVIDERE SPOLIA, gentium videlicet, ad Christi fidem conversarum per Evangelizantium prædicationem. [Gentes ad salutem ipsarum Ecclesia prædabitur, hoc est capiet, & ad suas partes trahet. Dividet autem spolia, quia Apostolorum unus Asiam verbi gratia, alter Europam, vel Europæ regionem aliquam iugo Christi subdet.

V. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, &c. κλῆρος Græcis sortem significat, ut notum est. Videtur esse sensus: Si versemini in mediis periculis, & inter medias sortes, ita ut de vobis, & de vestro capite iam alea iaciatur; & hostes vestra bona, & vos etiam captivos sorte dividant; gloriose liberabimini a tanto periculo, eritisque sicut columbæ, cuius alæ nitentes sunt, & puræ, cuius pennæ dorsi virent, aut pallent ut aurum purum. Ita Genebrardus. Porro illud, *Si dormiatis*, positum est pro *Si iaceatis*. Communior Patrum Latinorum, Græcorumque sententia per duos cleros (nam vox Hebraica שְׁפַתַּיִם *sephathaim* dualis est numeri) intelligit duo Testamenta, vetus, & novum, & sensus erit: *Si dormiatis inter medios cleros*; id est, si vos qui Evangelizatis verbum Domini dormiatis, id est quiescatis in medio duorum testamentorum, novi & veteris, acquiescentes scilicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis, & Apostolis, tunc *pennæ columbæ*, id est Ecclesiæ fides, & mores, erunt *deargentatæ* puritate sapientiæ, & deauratæ fervore caritatis. Alias huius perdifficilis versiculi interpretationes alii afferunt, quas referre piget; cum sint propemodum infinitæ: eas qui nosse volet, legat apud Ioannem Lorinum, aliosque recentiores.

V. 15. DUM DISCERNIT CAELESTIS REGES SUPER EAM. Descripsit Propheta prædicatores per similitudinem dormientium inter cleros & Ecclesiam, per similitudinem columbæ, &c. nunc describit eosdem prædicatores per similitudinem Regum a summo Rege constitutorum, & Ecclesiam per similitudinem montis Selmon. Sententia ergo est huiusmodi: *Cum discernit*; id est, dividit, ac segregat unicuique provinciæ suum concionatorem, aut Apostolum, tamquam Regem, & gubernatorem animarum. *Cælestis*: Christus Dominus Rex cælestis, & omnipotens. Græce est ἐπουράνιος quasi dicas, *supercælestis*. NIVE DEALBABUNTUR; id est, tunc populi multi iustificabuntur, & nigrore peccatorum in candorem iustitiæ mutato, super nivem dealbabuntur. IN SELMON; in Ecclesia. Selmon mons est altissimus, & ideo nivibus in vertice coopertus, sed in ima sui parte fertilis, cuius mentio fit in Lib. Iudic. cap. IX. vers. 48. Vide quæ ibi diximus. MONS DEI, id est altissimus: ut enim alibi non semel notavimus, quæ altissima, aut amplissima sunt, *Dei* dicuntur. Sic *cedri Dei*, cedri sunt maxime proce-

procetæ. Vel *Mons Dei*, quia Ecclesia est locus, in quo Deus habitat. MONS PINGUIS, ob abundantiam gratiæ, & donorum Spiritus sancti.

V. 16. MONS COAGULATUS: & per hoc pinguissimus, quia lac divinæ gratiæ non defluit, sed quasi coagulatum in ea semper manet. *Mons coagulatus*, Græce τετυρωμένος secundum litteræ corticem ille est qui caseo abundat; itaque legunt aliqui, *Mons incaseatus*.

V. 17. UT QUID SUSPICAMINI MONTES COAGULATOS? quasi dicat: Quare suspicamini, aut opinamini esse alios montes æque coagulatos, & pingues: nullus Selmon hunc, id est Ecclesiam æquat. MONS, IN QUO BENEPLACITUM, &c. Hic est enim mons unicus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; nec in eo habitabit ad tempus, sed *in finem*, hoc est semper.

V. 18. CURRUS DEI, &c. Nunc comparat Propheta descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem populo Iudaico, cum ascensione Christi in cælum, ut inde mitteret Spiritum sanctum, & legem novam populo Christiano. Quam comparationem videtur instituere Propheta, ut ostendat unde tanta lactis abundantia, & tantus candor Ecclesiæ datus sit. CURRUS DEI, quo scilicet vehebatur Deus, cum descendit in montem Sina. DECEM MILLIBUS MULTIPLEX. In Hebr. est unica tantum vox רבתים *rabbothaim*, quæ proprie significat *bis decem millia*, sed accipitur pro pluribus millibus. Idem significat Græcum μυριοπλάσιον quasi dicas, *Decies millecuplex*. Sensus ergo est, currum Dei multis Angelorum millibus stipatum fuisse. MILLIA LAETANTIUM: quæ Angelorum myriades Deo aderant lætæ, & alacres. DOMINUS IN EIS, scilicet fuit in Angelis, Angelis insedit, & illorum dorsis, & alis vectus quodammodo est in Sina montem sanctum.

V. 19. ASCENDISTI IN ALTUM. Apostrophe ad Christum ascendentem in cælos. CEPISTI CAPTIVITATEM: captivos satanæ de illius manu in libertatem tecum abduxisti. ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS; accepisti a Deo Patre dona, quæ hominibus largireris. Sic explicat hunc locum D. Paulus ad Ephes. IV. *Ascendens*, inquit, *in altum*, *captivam duxit captivitatem*, *dedit dona hominibus*. ETENIM, pro *etiam*, nam vox Hebraica אף apte significat *etiam*, *verumtamen*, *insuper*. NON CREDENTES. Sensus est: Etiam incredulos & rebelles cepisti, tibi subegisti, & tui iuris fecisti. INHABITARE DOMINUM DEUM. τοῦ κατασκηνῶσαι subintellige ἕνεκα, *causa inhabitandi*; ut inhabitet in illis Dominus per gratiam, & apud illos resideat, quibus antea erat infestus. Vel sensus est: Qui non credebant Verbum carnem factum esse, & habitasse in nobis, vel, non credebant Deum habitare in monte sancto, id est Ecclesia Christianorum.

V. 20. DIE QUOTIDIE, per singulos dies, semper. PROSPERUM ITER FACIET NOBIS: benefaciet nobis, nec deseret in hoc itinere, in quo pergimus semper, donec ad æternitatis diem perveniamus. DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM, Deus, qui salutis nostræ auctor est.

V. 21. DEUS SALVOS FACIENDI, Deus salutationis, Deus qui nos salvos facere & vult, & potest. DOMINI DOMINI EXITUS MORTIS: cuius sunt exitus mortis, ereptio, & liberatio a morte.

V. 22. VERUMTAMEN, &c. Docuit quid facturus sit Dominus amicis suis: iam docet quomodo se cum inimicis geret, & rebellibus iugum eius detrectantibus. CONFRINGET CAPITA: superbiam contundet. VERTICEM CAPILLI: verticem comantem & capillatum superborum, scilicet confringet. Est repetitio primæ partis versiculi. PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS, hærentium in suis sceleribus.

V. 23. DIXIT DOMINUS: minatus est Dominus. CONVERTAM EX BASAN, &c. Abstraham hostes meos ex Basan regione uberrima, & pinguissima, & proiiciam in profundum maris, ut olim egi cum Pharaone.

V. 24. UT INTINGATUR, &c. quasi dicat: Tuque populus meus victoriam de iisdem reportabis, & magnam eorumdem stragem edes, ideoque erubescent, & quasi lavabuntur pedes tui sanguine illorum. LINGUA CANUM TUORUM, &c. lingua canum tuorum tingetur ex ipso sanguine, manante e cadaveribus inimicorum tuorum.

V. 25. VIDERUNT INGRESSUS TUOS DEUS, &c. quasi dicat: Non desint qui videtint itinera tua, Christe Deus, actiones

nes tuas, prælia tua, victorias tuas. INGRESSUS DEI MEI, &c. ingressus, inquam tuos, qui es Deus meus, qui es in sanctuario tuo, cælo scilicet, vel Ecclesia.

V. 26. PRAEVENERUNT PRINCIPES, &c. Convenerunt cantores, & fidicines utriusque sexus, ad personandas tuas victorias, ita ut alii cantu præeant, alii sequantur. Alludit Propheta ad factum Israelitarum, quando Deus liberavit populum suum de manu Pharaonis: tunc enim Moyses princeps populi, cum aliis filiis Israel cantavit canticum illud: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*; & Maria soror Mosis cum sequentibus se mulieribus: sumpsit tympanum, & ludebat laudans Deum. Exod. xv.

V. 27. IN ECCLESIS BENEDICITE DEO, &c. Videntur esse verba cantorum, & fidicinum, quæ ingeminabant, & quibus se ad laudandum Deum excitabant. DE FONTIBUS ISRAEL. Vos qui estis de origine, & stirpe Israel, qui ex eius semine, tamquam ex fonte manatis. Vel etiam sensus est: *Benedicite Domino de fontibus Israel*; id est, Christo Domino, ortum habenti ex Israel, & inde secundum carnem propagato.

V. 28. IBI BENIAMIN, &c. Explicat quinam sint illi Principes, de quibus dixit, *Prævenerunt Principes*, &c. Per Beniamin sancti Patres divum Paulum intelligunt, qui fuit ex hac tribu. ADOLESCENTULUS. Si de tribu Beniamin intelligamus, explicabimus; quasi dicat: Ibi adsunt ex tribu Beniamin, qui minimus fuit natu filiorum Iacob, ideoque adolescentulus merito appellatur. Vel certe intelligitur divus Paulus, qui ætate iuvenis, & vocatione minimus, id est ultimus fuit Apostolorum. IN MENTIS EXCESSU. D. enim Paulus in mentis excessu ita coniunctus fuit psallentibus, in tertio cælo, & in paradiso, ut nesciret an tunc in corpore esset, vel extra corpus, ut ipse testatur II. Corin. XII. PRINCIPES IUDA. Per *Principes Iuda* intelliguntur ii Apostoli, qui ad hanc tribum pertinebant, & Christi fratres dicuntur in Evangelio, quod essent filii Cleophæ fratris Ioseph sponsi B. Virginis, videlicet Iacobus, Simon, Iudas. DUCES EORUM: populi tui fidelis duces sunt. PRINCIPES ZABULON, PRINCIPES NEPHTHALI. *Principes Zabulon, & Nephthali* dicuntur Apostoli ceteri, Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, Philippus, Matthæus, & ceteri, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum, & vicinis civitatibus ad sortem Zabulon, & Nephthali pertinentibus.

V. 29. MANDA DEUS VIRTUTI TUAE, &c. Præcipe, o Deus, potentiæ tuæ, & fac eam semper nobis adesse, ut quæ bene inchoata sunt, stabiliantur, & perficiantur.

V. 30. A TEMPLO TUO IN IERUSALEM, &c. Vel sensus est: A templo, quod est in cælesti Ierusalem, tibi Deo, sancti regnantes cum Christo offerent munera, id est sacrificia laudis perpetuæ. Vel, A templo tuo, quod est Ecclesia catholica, tibi Deo, sacerdotes, qui sunt ministri regni tui, & populum vice tua regunt, offerent munera, id est sacrificia eucharistica, sacrificia item laudum, & precum, sacrificia denique conversionis animarum. Vel, A templo, id est propter templum, hoc est propter sanctitatem templi tui, quod est in Ecclesia, offerent tibi Reges terræ munera pretiosa ad ipsius templi ornatum, & ad alendos templi ministros, de qua oblatione Regum multa prædicit Isaias cap. LX. & LXVI.

V. 31. INCREPA, exterre, coerce, reprime. FERAS ARUNDINIS. Per *feras arundinis* intelliguntur bestiæ silvestres, quæ latent inter arundineta. Allegorica descriptio dæmonum, qui libenter versantur inter homines leves, & vanos, & in locis humentibus ubi regnat luxuria. Sic de diabolo sub figura Behemoth dicitur Iob XL. *Sub umbra dormit in secreto calami & in locis humentibus*. Vel generatim sensus est: Cohibe inimicos nostros lanceis armatos, vel sagittis ex arundine. CONGREGATIO TAURORUM, &c. quasi dicat: Congregatio enim coacta est ferocissimorum principum quasi taurorum, simul cum populis suis in modum vitularum lascivientibus, UT EXCLUDANT, &c. ut e sua hereditate deiiciant eos, qui tibi probati sunt ad similitudinem purissimi argenti. GENTES QUAE BELLA VOLUNT? quæ tuos fideles quietos esse non sinunt, sed illis molesti sunt, & infesti.

V. 32. VENIENT LEGATI EX AEGYPTO, pacem petentes, & se subditos profitentes. AETHIOPIA, quæ longius distat ab Ieru-

Ierusalem quam AEgyptus PRAEVENIET MANUS EIUS, scilicet AEgypti munera offerentis, & pacem postulantis. DEO, apud Deum.

V. 33. REGNA TERRAE, omnia regna terræ.

V. 34. AD ORIENTEM, versus orientem: nam Christus ascendit in cælum ex monte Oliveti, quæ est ad orientem urbis Ierusalem. DABIT VOCI SUAE VOCEM VIRTUTIS. Hoc Patres Latini, Hilarius, Augustinus, & Hieronymus referunt ad adventum Domini ad extremum iudicium. Tunc enim Dominus *dabit vocem virtutis*, hoc est vocem potentissimam, & efficacissimam, cum scilicet canet tuba, & mortui reviviscent, cum malis dicet: *Ite in ignem æternum*, &c. bonis autem: *Venite benedicti*, &c.

V. 35. DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL, &c. id est, glorificate Deum propter beneficia in electos suos collata, quoniam magnificentia, & potentia Dei maxima, manifestabitur super Israel in nubibus cæli, cum scilicet rapientur electi in nubibus obviam Christo & in ipsis nubibus erunt sedentes, quasi in soliis a dextris, & a sinistris iudicis Christi.

V. 36. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS: quos Deus miris modis dirigit, ut salutem æternam consequantur, & miris honoribus ornat in patria. In Hebræo est, *In sanctuariis suis*, sed sancti Dei sanctuaria recte appellari possunt. DABIT VIRTUTEM ET FORTITUDINEM PLEBI SUAE: cum scilicet electos suos immortalitate, & impassibilitate donabit.

TIRINI.

Vers. 5. ITER FACITE EI; id est, *parate viam Deo* (ut Hieronymus vertit) nempe sublatis omnibus offendiculis; quasi dicat: Omni reverentia excipite adventantem ad vos Deum, QUI ASCENDIT instar novi splendidissimi solis: Hebraice, *invehitur*; Vatablus, *inequitat cælos*. SUPER OCCASUM, id est versus occidentales orbis regiones, ad quas transtulit Christus Ecclesiam suam. Allegorice ad Gentilem populum; Hieronymus, *per deserta*. Tropologice ad peccatores. TURBABUNTUR, supple hostes omnes, A FACIE EIUS, qui est PATER ORPHANORUM, & IUDEX seu vindex VIDUARUM, id est iniuriæ ipsi illatæ.

V. 6. IN LOCO SANCTO SUO, nempe Sion, & templo, maxime resplendet; allegorice in Ecclesia. Ita Euthymius.

V. 7. UNIUS MORIS. id est unanimes, concordes in eadem religione, & iisdem ritibus, IN DOMO Dei, id est in Ecclesia. Hilarius, Hieronymus, Augustinus. EDUCIT VINCTOS, scilicet ex AEgyptiaco, & Babylonico carcere. QUI EXASPERANT; supple, Deum frequenti sua obmurmuratione, & rebellione. Quales sane utroque tempore erant Hebræi. QUI HABITANT IN SEPULCRIS; Hieron. & Chald. *in siccitate*, seu in locis aridis, id est carentibus omni humano solatio ac voluptate, & sepulcro persimillimis. Talis erat terra AEgypti, & Babylonis Israelitis. Allegorice, Christus patres eduxit e limbo.

V. 8. & 9. CUM EGREDERERIS, scilicet per Angelum in columna nubis, & ignis, tunc TERRA MOTA EST in Sinai, cum illic lex daretur, & CAELI DISTILLAVERUNT pluvias, grandines, fulmina, manna, coturnices; ita S. Hilarius.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM; Heb. *liberalitatum*, Chald. *vivificationis*, seu vivificantem, scilicet manna in deserto, postea ingressu terræ sanctæ segregasti pluvias aquarum liberalium fecundantes terram: adeo ut INFIRMATA ante; Hieron. & Chald. *laborans* multis malis: iam *perfecta*; Chaldæus, *erecta*; Hieronymus, *confortata* sit. Et *animalia tua*, id est oviculæ tuæ, seu populus tuus iam secure eam inhabitet: quia tu per DULCEDINEM bonitatis tuæ PARASTI, supple alimenta, & alia necessaria, PAUPERI alioquin populo tuo, inquit Hieronymus, & Theodoretus.

V. 12. DOMINUS DABIT VERBUM, id est suggeret sermonem efficacem. EVANGELIZANTIBUS, id est læta nuntia per orbem deferentibus, de soluta captivitate, de præclaris victoriis per Moysem, per Davidem, per alios; allegorice per Christum obtentis. DABIT, inquam, VIRTUTE MULTA; id est, faciet ut id præstent magno conatu, studio, robore, felicique successu, inquit S. Hieronymus.

V. 13. REX VIRTUTUM. Hieron. & Chald. *Reges exercituum*, vel *cum exercitibus*, id est fortissimi & potentissimi principes, erunt *ἀγαπητοῦ*, id est *dilecti*; id est, cedent,

cedent, & subdentur ditioni eius qui est *dilectus dilectus*, id est admodum, seu per excellentiam dilectus, id est dilectissimus Deo, & hominibus; puta Moysis, Iosue, Davidis, & Christi. ET SPECIEI DOMUS, id est speciosæ domui Dei, puta Ecclesiæ fidelium, dabitur DIVIDERE SPOLIA, nempe AEgyptiorum, Chananæorum, aliorumque populorum devictorum. Ita sanctus Hieronymus, Simmachus, Vatablus, & alii. idque

V. 14. SI DORMIATIS, Hebr. *si iaceatis*, INTER MEDIOS CLEROS; Vatablus *ollas* sordidas, & fuliginosas; Genebrardus, & Pineda, *fortes*, seu sortitiones ex urna; ita ut victores de vobis iam prostratis sorte inquirant, vivendumne vobis an occumbendum sit. Sed propriissime vertit sanctus Hieronymus *terminos*, nempe hostiles; quasi dicat: Hæc ipsa quam dixi, felicitas vobis, o filii Ecclesiæ, obveniet; etsi iam forsan altissimis malis immersi iaceatis, verbi gratia. Etsi captivi hæreatis (sine apparentia liberationis) *inter medios cleros*, id est fortes seu terminos Chaldæorum, PENNAE COLUMBAE, id est subditi Babyloniorum, conclusi in medio provinciarum Chaldaicarum, quarum insigne est columba (uti Aquila erat insigne Romanorum.) Columba, inquam, habens pennas, seu alas deargentatas, ET POSTERIORA DORSI, id est caudam nitentem auro. Sic Ieremias cap. xxv. 46. 50. Monet omnes ut fugiant *a facie gladii columbæ*, id est Chaldæorum. Hoc porro insigne assumpserant Chaldæi in gratam memoriam primæ Semiramidis reginæ suæ, quæ, ut poetæ, & historici fabulantur, a columbis enutrita fuerat, & a morte in columbam conversa. Vide Diodorum Siculum, Eusebium, Lucianum, Athenagoram, Iustinum martyrem, Pintum, & Lorinum.

V. 15. DUM DISCERNIT CAELESTIS REGES SUPER EAM; id est, usque dum placuerit Deo Reges Chaldæorum iudicare, damnare, punire, profligare. Quod fecit mittendo adversus Balthasarem Chaldæum Reges Persarum, & Medorum Cyrum, & Darium, qui Babylonem expugnarunt, & Monarchiam Chaldæorum ad se transtulerunt. Daniel. v. in fine. TUNC NIVE DEALBABUNTUR, supple Israelitæ, consque captivi, & variis miseriis denigrati, mox instar nivis albescent, id est induentur undique lætitia, & felicitate, cuius symbolum est nix. Nam primo anno imperii Cyri soluta est captivitas Iudæorum Babylonica, ut dixi I. Esd. 1. & in Chronico cap. xxxv. Nota, proverbium, *Dealbari nive in Selmon*, est exhilarari in locis tristibus: nam Selmon erat in tribu Ephraim vicinus Iordani, asper, cavernosus, & caliginosus, tamen nive perpetua pulcher, & amœnus.

V. 16. MONS DEI, *Sinai*, inquit ex Chaldæo Ioannes Mariana; sed melius alii, mons *Sion*; allegorice Ecclesia Dei, est PINGUIS, id est fertilis, ET COAGULATUS, seu caseosus, id est abundans lacte, caseo, butyro, seu omni alimonia, bonisque tum temporalibus, tum spiritualibus. Licet enim pascuis, & herbis careret, utpote ædificiis insessus, tamen propter arcæ, quæ istic in templo asservabantur, præsentiam, omnia ibidem bona impetrabantur a Deo, & inde in universum orbem derivabantur.

V. 17. UT QUID ergo, o homines carnales, alio suspicitis, & SUSPICAMINI, an forte præter hunc alibi sint alii MONTES magis *coagulati*, & pingues, puta synagogæ hæreticorum, Philosophorum gentilium, &c. Ita Theodoretus.

V. 18. CURRUS DEI, quibus Deus ad pugnam, & triumphum vehitur, DECEM MILLIBUS MULTIPLEX, id est multiplicati sunt in infinitum: quia hi currus sunt innumera MILLIA LAETANTIUM. *Angelorum*, inquit Chaldæus, Hieron. & Septuag. *abundantium* robore, gloria, splendore. DOMINUS IN EIS vehi, & inequitare visus est olim IN monte SINA, & nunc etiam insidet IN SANCTO templo suo, ubi quatuor Cherubinis, quasi curru suo triumphali insidet. Ita S. Hieronymus. Porro his curribus

V. 19. ASCENDISTI triumphabundus, o Rex Christe, IN ALTUM cælum, devictis omnibus hostibus, tuis peccato, morte, inferno, diabolo. Ita sanctus Paulus Ephes. IV. 8. Alludit ad triumphantes, qui solebant alto curru in altum locum evehi, verbi gratia Romæ in Capitolium. CEPISTI CAPTIVITATEM. Id est, captivos satanæ, qui ab eo vel in limbo, vel in hoc mundo in carcere peccati detinebantur, velut prædam de manu eius rapuisti,

sti, & tecum in christianam libertatem, & in cælum abduxisti. ACCEPISTI DONA, nempe charismata Spiritus sancti omne genus, dispergenda HOMINIBUS, ut solent triumphantes spargere missilia, & munuscula in obvios. ETENIM, id est certe hinc factum, ut NON CREDENTES, id est Gentiles; Chaldæus, *rebelles proselyti*, passim crediderint, cum oculis quasi viderent, & manibus palparent, DEUM INHABITARE Sionem, & Ecclesiam suam. Unde

V. 20. & 21. BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE, id est per singulos dies: faciatque NOBIS ITER PROSPERUM, scilicet ad Gentes convertendas. Nam DEUS NOSTER non quærit mortem & ruinam hominum, sed est, DEUS SALVOS FACIENDI, id est salvationi omnium studens, inhians, illaborans, & eiusdem DOMINI *Dei* (ut est in Hebræo) sunt EXITUS MORTIS, id est eductio & liberatio a morte: quia ipse claves habet vitæ, & mortis, Apocal. I. 18. Ita Euthymius.

V. 22. VERTICEM CAPILLI, id est cristas, id est superbiam, PERAMBULANTIUM, seu perseverantium IN DELICTIS SUIS, confringet Deus. Sicut olim

V. 23. DIXIT, & fecit Deus: Ex BASAN, seu Basanitide, regno gigantis Og Amorrhæi, hostis Hebræorum sævissimi, CONVERTAM, id est expellam, incolas hostes tuos, & præcipitabo omnes in abyssum exitii, quasi IN PROFUNDUM MARIS, ut olim feci Pharaoni. Ita S. Hilarius.

V. 24. UT INTINGATUR PES TUUS; quasi dicat: Tantam illorum stragem edam, ut tu, o Israel, sanguine occisorum laves, & operias pedes tuos: & etiam LINGUA CANUM TUORUM AB IPSO, sanguine, intingatur EX INIMICIS iugulatis profluente. Idem Iezabeli contigit.

V. 25. VIDERUNT omnes populi terræ TUOS, O DEUS, INGRESSUS; Chaldæus, *incessum maiestatis tuæ*; Hieronymus, *itinera*, quibus populum suum deduxit ex AEgypto per mare rubrum, per sterile desertum, per Iordanem in terram promissam, & per tot victorias ex tantis calamitatibus ad tantos triumphos, opes, potentiam, gloriam. Ita Hieronymus, & Theodoretus. Unde

V. 26. PRAEVENERUNT (Hieron. *præcesserunt*, nempe currum tuum triumphalem) PRINCIPES omnium tribuum, & ceteris exemplo suo præiverunt in decantandis tibi laudibus & hymnis, IN MEDIO IUVENCULARUM TYMPANISTRIARUM, id est inter choros puellarum, tympana, & alia instrumenta musica, ex veteri more, pulsantium, uti fecit Maria, Exodi XV. & filia Iephte, Iudic. XI. 34. & aliæ sub Davide I. Reg. XVIII. 6. & Esd. Lib. II. XII. 27.

V. 27. DE FONTIBUS (Chald. *de semine*) ISRAEL prognati. Ita sanctus Hilarius, Theodoretus, Euthymius, & Vatablus.

V. 28. IBI, id est in illis triumphis, BENIAMIN ADOLESCENTULUS; id est, tribus Beniamin, omnium fratrum minimi, & omium tribuum minima (utpote pene stirpitus excisa ob stuprum Gabaonitarum, Iudic. XX.) facta est, IN MENTIS EXCESSU, seu stupore, id est sibi & aliis omnibus ad stuporem admiranda, ob incredibile robur, & peritiam bellicam, & insignes victorias sæpius partas, maxime sub Saule Beniaminita, ut Chaldæus explicat. Allegorice sanctus Paulus, & ipse e tribu Beniamin, raptus est per mentis excessum in Deum, II. Corinth. XI. PRINCIPES IUDA, DUCES sunt EORUM omnium; id est, eminent inter omnes triumphatores Israelis: tum ab ipsa statim morte Iosue, Iudic. I. 2. tum maxime a Davide usque ad natum Christum. Accessores tamen fuerunt etiam PRINCIPES ZABULON ET NEPHTHALI, quia etiam hi tempore Iudicum, maxime vero contra Iabin, & Sisaram, gloriosos egerunt triumphos. Allegorice sanctus Hilarius, Hieronymus, Theodoretus, intelligunt Apostolos, qui fere omnes ex aliqua istarum quatuor tribuum fuerunt. Paulus ex Beniamin; Iacobus, Ioannes, & reliqui cognati Christi, ex tribu Iuda; ceteri erant Galilæi: Galilæa autem fere complectebatur Zabulon, & Nephthalim.

V. 29. MANDA VIRTUTI TUAE; id est, decerne ut divina potentia tua sic semper nobis adesse pergat: atque ita cœptas confirma victorias, & triumphos Israelis. Idque A TEMPLO, Id est propter templum tuum, id est propter te qui in templo coleris. Ita Genebrardus.

V. 31. INCREPA, cohibe, perde, FERAS ARUNDINIS, id est agrestes, & barbaros Israe-

Israelis hostes, qui similes sunt feris in arundineto latentibus, & strepitum cientibus: & sunt veluti CONGREGATIO TAURORUM, id est ferociunt quasi tauri congregati, IN VACCIS POPULORUM, id est cum populis qui instar vaccarum, Hebraice, *vitularum*, lasciviunt, salaces & dissoluti sunt. Metaphora sumpta a tauris, qui tum ferociores sunt, cum generationi inter armenta dant operam. UT EXCLUDANT, id est vita, vel hereditate sua depellant, EOS QUI tibi PROBATI SUNT ARGENTO, seu instar argenti. Simile est versu 15. *nive*, pro instar nivis. Ita Theodoretus, Euthymius, Genebrardus. Hieronymus hæreticos intelligit, Hilarius dæmones, sed allegorice.

V. 32. & 33. VENIENT LEGATI EX AEGYPTO, tractaturi cum Ecclesia Christi de pace, & sui, suorumque deditione. Patuit in Alexandria AEgypti, ubi celeberrima fuit Ecclesia Christianorum sub S. Marco Evangelista primo eius loci Episcopo, teste Abdia, Eusebio, & Hieronymo *a*. Sed AETHIOPIA PRAEVENIET, & prior protendet MANUS suas DEO, ut fecit Eunuchus Candacis Reginæ AEthiopum, Act. VIII. & alii principes AEthiopes in vita S. Matthæi apud eosdem, & Hilarium, ac Thedoretum. Quin & reliqua omnia REGNA TERRAE subdent se Christo Deo.

V. 34. QUI ASCENDIT: perfunctus omni sua legatione, SUPER CAELUM CAELI, id est ad supremum cælum, AD ORIENTEM: quia mons Oliveti, ex quo Christus ascendit, erat ad orientem Ierosolymæ. Ita sanctus Hilarius, & Hieronymus. Sed is sensus est allegoricus, nam ad litteram designat Deum residentem, & triumphantem in cælis. Unde Hebraice est, *Qui vehitur*, vel *inequitat* in summo *cælo ad orientem*, quia inde solis sui lumen nobis primum ostentat. Genebrardus hæc applicat Ecclesiæ Christi, quæ primo cœpit in oriente, sed mox demigravit in occidentem, ut dixi versu quinto & in fine mundi revertetur ad orientem, ut iam incipit in Sinis, & aliis Indiarum locis, & insinuatur Apocalypsis XVI. ECCE VOCI SUAE, id est tonitruo (allegorice prædicationi Evangelii) DABIT VOCEM VIRTUTIS; id est, faciet ut sit potens, efficax, & impleat orbem universum, inquit Hieronymus, & Theodoretus, qui cum sancto Augustino id anagogice applicant voci tubali in die resurrectionis: *Surgite mortui*: *Ite maledicti*: *Venite benedicti*.

(*a*) Abdias in Vit. Apostolorum. Euseb. lib. II. hist. cap. XVI. Hieron. de Vir. illustr. &c.

GORDONI.

Titulus. IN FINEM, PSALMUS CANTICI, &c. Septuag. εἰς τὸ τέλος ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαυΐδ. Vide titulum Psal. IV. & LXVI. Putant aliqui hunc Psalmum decantatum quo tempore arca fuit translata in Ierusalem. Alii placet ut referatur hic Psalmus ad Christum resurgentem, ascendentem in cælum, & ad Ecclesiam. Ita Augustinus, & Euthymius. At vero Hilarius, & Hieronymus, quos sequitur Bellarminus, putant hic decantari mysteria Testamenti veteris & novi: quam facile probabit sententiam qui Psalmum attente leget. Obscurus quidem est ex metaphoris & poeticis descriptionibus. Vide Ephes. IV. 8. ubi Paulus intelligit hunc Psalmum de Christo, quod non satis bene Caietanus restrinxit ad sensum mysticum.

Vers. 7. QUI HABITANT IN SEPULCRIS. Post orationem ad Deum, & laudem bonitatis eius, hic iam pietatem attingit, & fortitudinem. Per sepulcra autem intelligit loca arida deserti, aut terram captivitatis; sicut metaphorice loca in quibus ob inclementiam aeris gens aliqua contabescit, possumus vocare gentis illius sepulcra. Sic Ezechiel. XXXVII. Propheta terram captivitatis vocat sepulcra. Favet hic vox Hebraica צחיחה *tsechicha*, significans locum in petra altum, & siccum. Septuag. ἐν τάφοις.

V. 10. & 12. PLUVIAM VOLUNTARIAM, &c. Post aliqua, quæ dixit de veteri Ecclesia, accedit hic ad hereditatem, & Ecclesiam novæ legis, ubi fecundior pluvia est, & ex vers. 12. ubi dabitur VERBUM EVANGELIZANTIBUS VIRTUTE MULTA, in efficacia, & signis. In Hebr. est המבשרות *bammebawveroth*, *concionatricum*, in feminino. At Septuag. recte vertunt *evangelizantibus*, in masculino: constabat enim illis, Hebræos uti feminino pro masculino,

rio, aut neutro. Sic Ecclesiastes, אמר קוהלת *amar koheleth*, *dixit concionatrix*, ubi verbum est masculinum: rad. בשר, in Piel, participium מבשר *nuntians*, *biwer mebawer*.

V. 13. Rex virtutum dilecti, &c. Septuag. ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων, τοῦ ἀγαπητοῦ, τῇ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελέσθαι σκῦλα. Hinc colligo sensum Latinæ editionis esse istum: Dominus Rex virtutum dilectissimi, dabit ad speciem domus *dividere spolia*: Rex, inquam, virtutum, nempe exercituum; qui exercitus sunt Christi Filii Dei dilectissimi. Hic ergo Rex Christus, qui est Rex exercituum Christi, & *dilecti*, *dilecti*, hoc est dilectissimi, dabit, &c. Dicitur vero Christus. *Rex exercituum* Christi (locutione Hebraica) scilicet suorum. Nisi forte aliquis per Regem, velit Deum Patrem intelligere, qui sit Dominus exercituum dilecti Christi, & dilecti ad decorem domus, ut dividat spolia: a quo sensu non videntur aliena verba Septuaginta. Iam vero quo ad voces, certum esse debet ex versione Sept. eos aliter legisse in Hebræo quam nunc est, ut in similibus supra ostensum est: & passim recentiores facile coniiciunt quænam sit Hebraicarum vocum adiectis punctis, facta mutatio.

V. 14. Si dormiatis. Hic etiam Interpretes agnoscunt obscuritatem; sed tam hic quam in versiculo 13. novatores, duce Calvino, suam produnt pervertendi sensum Scripturæ libidinem. Septuag. habent ut noster, ἐὰν κοιμηθῆτε ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, &c. Et apostrophe est ad speciosam illam Ecclesiæ domum, de qua dictum est, & ad eos præcipue quibus datum est dividere spolia. *Si*, inquit, *inter duos cleros*, duas hereditates Testamenti veteris, & novi, aut inter duas vitas, temporalem, & spiritualem recte incedatis, erit Ecclesia pulcherrima ut columba, habens & deargentatas alas, & deauratum dorsum. Inepte Calvinus secutus Rabbinos, vertit hoc loco: *Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut pennæ columbæ*. Longe aliter Septuag. & Hieronymus, qui *medios terminos*, *&* *cleros* vertunt; nec apud Patres mentio est ollarum, ad quas adeo respirat Calvinus. Vox Hebr. est, בין שפתים *ben wephathaim*. Certum quidem est, hac voce multa significari, etiam ollas: nec in hoc pugna stat. Certe hoc loco ille significatus preferri debet quem Interpretes Græcus, & Latinus expresserunt, & argumento Psalmi est conveniens: qualem iam expressi.

V. 15. Dum discernit, &c. Descripsit vers. 14. pulchritudinem in pastoribus per similitudinem columbæ; hic vero per similitudinem Regum: & Ecclesiam per similitudinem montis alti, & candidi propter nives, item uberrimi ex copia lactis. Dat pro exemplo montem Selmon (de quo Iud. ix.) qui in vertice nivosus est, immo fertilis, ac coagulato lacte abundans. Nec est, inquit, quod suspicemini esse ullos alios montes sic coagulatos. Septuag. ἐν τῷ διαστέλλειν τὸν ἐπουράνιον τοὺς βασιλεῖς. Hebr. שדי *wadai*, *Omnipotens*.

V. 18. & 19. Currus Dei, &c. Confertur descensus in montem Sina ad dandam legem, cum ascensione Christi in cælum; ubi de captivis feliciter ductis, & ducendis in cælum, quamvis multi ex his antea essent increduli. Septuag. clarius, καὶ γὰρ ἀπειθοῦντας τοῦ κατασκηνῶσαι. Hier. *Insuper & non credentes inhabitare*. Aliqui in Græco legunt in recto ἀπειθοῦντες. Illud vero, Dominum Deum, expressit Chaldæus Paraphrastes, & suppleri debet, si alicubi deest in Græco. Reperi Aginni in Gallia in antiquo codice Græco, coniungi cum versu insequenti hoc modo; κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός, εὐλογητὸς κύριος ἡμέραν καθ᾽ ἡμέραν: quo etiam modo in Vaticano codice, scribit Lorinus.

V. 21. Domini Domini exitus. Etiam Hebraice sunt duo nomina, אדני וליהוה *Adonai Velehovih*. Repetitio emphasim habet. Domini etiam sunt exitus mortis. Septuag. αἱ διέξοδοι; per quæ verba minatur impiis; quas etiam minas prosequitur, vers. 22. 23. & 24.

V. 25. Viderunt ingressus, &c. Post descriptas Christi victorias contra hostes; narrat esse has victorias multis mortalibus conspicuas; nec defuisse triumphum, quem explicat, alludens ad id quod factum est ab Israelitis, quando Deus eos liberavit de manu Pharaonis. Vide Canticum Exod. xv. Sic Principes in Ecclesia coniuncti psallentibus. Sept. ἐθεωρήθησαν, *visi sunt ingressus*.

V. 28. Ibi Beniamin, &c. Promovet narrationem de Principibus, & sub nomi-

nibus veterum Principum patres intelligunt Apoſtolos. Vere Paulus de Tribu Beniamin, fuit per raptum *in mentis exceſſu*. Ubi Hebr. habet רדם *rodem*, quod aliquibus eſt *Dominator eorum*, ſeu *Dominans eis*, a radice ſcilicet רדה, *dominatus eſt*. Derivatur etiam a radice רדם *radam*, *ſeparatus eſt*, aut *exceſſum pariens*: & ſic recte Septuag. verterunt; quod non intellexit Calvinus, accuſator Vulgatæ editionis, quæ conſentit cum Sept. ἐν ἐκστάσει.

V. 29. Manda Deus virtuti, &c. In Hebr. צוה *tſivah*, *præcepit*. Sed cur non etiam poterant Septuag. legiſſe צוה *tſave*, *manda*, mutatis punctis? at quo modo tunc ſtabit *manda*, אלהיך, *Deus tuus?* Puto, ut monet Genebrardus, legendum אלהים, mutatione litteræ (Immo, inquit, ך *caph* poni ſolet pro ם *mem* in hac ipſa voce.) Vel certe illud pronomen eſt addititium, ut putat Bellarminus: nec fuit in codice Hebræo, quo uſi ſunt Septuaginta: nam veteres Græci, & Latini habent *manda*; & Symmachus πρόσταξον ὁ θεός. Adde quod mox etiam ſequatur vox alia imperativa.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 2. 3. & 4. E*Xurgat Deus*, &c. David (ut habet cum aliis Auguſtinus) in ſpiritu reſpiciens Chriſtum reſurgentem, & Eccleſiam ſub perſecutionibus, Exurgat, inquit, Deus, iam tempus eſt diſſipandi hoſtes, & deficiant ut fumus, aut liqueſcens cera. Iuſti quoque inde habeant, cur gaudeant.

V. 5. *Cantate*, &c. Apoſtrophe ad Apoſtolos, & alios; ut hymnis, & iubilo laudis comitentur aſcendentem Chriſtum ſuper occaſum, & inferiorem mundum. Parate prædicatione vias, quas monſtravit: Dominus enim eſt regnans, & rediturus adventu ſecundo ad iudicium. Et vos quidem exultare par eſt, etiam in tribulatione. Non turbetur cor veſtrum: turbabuntur adverſarii veſtri, ab eo qui eſt pater orphanorum, viduarum, & afflictorum.

V. 7. uſq. ad 11. *Deus inhabitare facit*, &c. Excurrit Propheta in ampliorem mentionem Dei, declarans quis, & quantus ſit iſte *pater orphanorum*; ut mirum non appareat, ab eo etiam eſſe quæ ſunt hic de Chriſto. Ille, inquit, eſt qui *inhabitare facit* unanimes, habitans ipſe *in loco ſancto ſuo*, ſeu in anima iuſta, & ſancta: ille, qui liberat quoſcumque velit, vinctos, & peccatis conſtrictos, eadem miſericordia: punit exaſperantes *qui habitant in ſepulcro* iniquitatis. Aut aliter, Ille qui veterum mirabilium patrator fuit, cum ducebat populum ex AEgypto per deſertum. Tremuit tunc terra deſcendente Deo in montem Sinai, Exod. xix. tunc *cæli diſtillaverunt*, quando dabatur manna. Ille hanc *pluviam voluntariam* conceſſit *hereditati* ſuæ Iſraeli. Et quando aliquo modo infirmabatur hæc hereditas (aut Eccleſia) Deus ſupponebat manum ſuam.

V. 11. *Animalia*, &c. Poſt aliqua allata de veteri Eccleſia, miſcuit quædam mirabilia Dei, quæ, ut dixi, poſſunt etiam ad novam referri. Et hanc partem hic, & deinceps magis explicat, ut præcipuam partem argumenti in hoc Pſalmo. Ergo in Eccleſia Dei *nova animalia tua*, oves tuæ ſub paſtore habitabunt *in dulcedine* miſericordiæ & gratiæ. *Dabit* ibi quoque *verbum evangelizantibus* in *virtute multa*.

V. 12. & 13. *Dominus dabit*, &c. Hoc præcipue inter alia eſt quæ ſub lege nova Deus paravit populo in dulcedine, nempe verbum Dei efficax in ore evangelizantium. At quo illud, *Rex virtutum?* De hoc verſ. 13. mox plura. Senſus interim eſt: Dominus Deus, qui eſt Rex exercituum, Chriſti Filii ſui dilectiſſimi, ſane ad decorem *ſpeciei domus ſuæ*, Eccleſiæ militantis, ſtatuit *dividere ſpolia*, hoc eſt nationes a ſe redemptas, ducibus ſuis Apoſtolis, & ſucceſſoribus, quos poſuit ut regant Eccleſiam militantem.

V. 14. *Si dormiatis*, &c. Apoſtrophe eſt ad duces illos Eccleſiæ. *Si dormiatis*, inquit, & ſine ſtrepitu ſæculi requieſcatis, *inter medios cleros*, vitam temporalem, & ſpiritualem; Eccleſia pulchra ut columba deargentata evadet.

V. 15. 16. & 17. *Dum diſcernit*, &c. Deſcribit pulchritudinem illorum ducum, & paſtorum, per ſimilitudinem regum; item Eccleſiam per ſimilitudinem montis alti, & candidi a nivibus: in quo monte deſcribendo pulchre immoratur Pſalmiſta, quaſi admirans pulchritudinem.

V. 18. & 19.

V. 18. & 19. *Currus Dei*, &c. Comparatio est, per quam venitur ad Christi ascensionem, post institutam hanc formosam Ecclesiam; ac si diceret: Sicut Deus numerosa multitudine Angelorum assistente venit in Sinai, ita Christus in cælum ascendit, comitante eum simili multitudine, & in qua numerantur captivi e limbo liberati, quando ipsam captivitatem diaboli fecit esse captivam. Accepit quippe a Patre dona hæc redemptionis, & gratiæ danda hominibus, qui antea erant increduli. Ergo *benedictus*, ut subdit.

V. 20. & 21. *Benedictus*, &c. Hactenus de Christi triumpho, nunc benedicitur Deus pro tot beneficiis; qui *prosperum iter faciet* per gratiam in hac peregrinatione: a Domino enim est salus, & a Domino est exitus a morte ad vitam.

V. 22. 23. & 24. *Verumtamen*, &c. Etiam contra inimicos vindictam facturus est Dominus; superbiam, & verticem eorum reprimet. Auferam, inquit, inimicos meos ex Basan regione ferrili; proiiciam in mare, a vita voluptatis ad pœnam & miseriam æternam, ut *pes tuus* (populum suum Deus alloquitur) *intingatur in sanguine* inimicorum tuorum: & similiter *lingua canum tuorum* tingatur *ab ipso* eodem sanguine.

V. 25. 26. & 27. *Viderunt*, &c. Græce *Visi sunt*. Non caruit, inquit, triumphus Christi testibus: conspicuus fuit. *Prævenerunt principes* in choro canentium (Angelorum sane cum Christo) ut olim prostrato Pharaone in Cantico Mosis; sic vos in Ecclesiis collaudate cum Angelis Deum *de fontibus Israel*, qui sunt promissiones Dei ad Prophetas, & Patriarchas. Inde haurite benedictiones.

V. 28. *Ibi Beniamin*, &c. *Prævenerunt principes* ex vers. 26. At quinam? sane, ut Angeli in ascensu, ita etiam Apostoli, quibus datus est sub Christo principatus in terris, quos hic designat Propheta sub nominibus principum veteris Ecclesiæ. His fuit communis lætitia in ascensione & triumpho Christi.

V. 29. & seq. *Manda*, &c. Hactenus bene de sic constituta Ecclesia: sed superest ut virtute tua, Domine, confirmes, & conserves illam iam constitutam, ut inde perpetuæ laudes, & velut munera obveniant. Sed *increpa* insuper hostes (quos per *bestias* designat) Hi parant animum ut excludant concionatores tuos, *qui probati sunt*, ut aurum igne purgatum. *Dissipa gentes quæ bella* tibi indicunt, hoc est dissipabis: nam prædicit hic victorias quando *venient* ad te *legati* pacem impetraturi. Concludit demum exhortatione ad laudem Dei, &c.

BOSSUET.

Vers. 2. EXURGAT DEUS. Verba Mosis cum elevaretur arca. Num. x. 35. ubi habetur integer hic versus.

V. 4. EPULENTUR, *latentur*, Hier. IN CONSPECTU DEI: metaphora ducta a sacris circa Dei altare conviviis.

V. 5. SUPER OCCASUM, *Super nubes*, Hebr. nubibus ut curru invehitur. TURBABUNTUR A FACIE EIUS: abundant hæ voces, & sunt alia versio præcedentium.

V. 7. UNIUS MORIS, unanimes: at Hier. *solitarios*, quos habitare facit in domo, dum orbos facit fecundos. Sic Psal. CXII. 9. SIMILITER EOS QUI EXASPERANT; &c. *Increduli autem habitaverunt in siccitatibus*: Hier. *in desertis & aridis locis*. Atque hæc est commemoratio miraculorum Dei ex AEgypto educentis vinctos: eosdem rebelles & incredulos punientis, ac prosternentis in deserto.

V. 6. TERRA MOTA, &c. Deo appropinquante omnia commoventur. A FACIE DEI SINAI: *Sinai* nominativo casu: *A facie Dei, ipse Sinai* (distillavit.) Idem in Cantico Deboræ Iud. vers. 4.

V. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM, gratam, liberalem, libentissimo animo a Deo datam. SEGREGABIS, reservabis. Pluvia larga perpluisti hereditatem tuam, terram promissam. INFIRMATA EST: laborantem confortasti.

V. 11. ANIMALIA TUA, grex tuus: populus tuus. Psal. LXXVII. 52. PARASTI, supple terram, PAUPERI, populo.

V. 12. EVANGELIZANTIBUS: feminino genere *annunciatricibus*, Hier. VIRTUTE MULTA, *exercitui multo*, Heb. magnæ multitudini: mulierum illarum quæ cum Maria Mosis sorore, Dei victorias prædicabant: sumpto enim tympano, ceteris ac-

accinentibus, Maria cœpit canere Mosaicum illud: *Cantemus domino: gloriose enim magnificatus est*: Exod. xv. 20. 21. Vide etiam infra vers. 26.

V. 13. REX VIRTUTUM DILECTI DILECTI. *Reges exercituum fugerunt, fugerunt*. Heb. Hæc canent illæ mulieres: prædicebant enim Philistæos, Regesque Moab, & Edom ab Israele vincendos: Exod. xv. 15. 16. ET SPECIEI DOMUS, &c. *& pulchritudo domus dividet spolia*: Hier. Alii: *Habitatrix domus*: mulieres speciosæ domi relictæ: quo nihil magnificentius; ut viri pugnent, mulieres autem spolia inter se dispertiant.

*V.*14. INTER MEDIOS CLEROS, *medias ollas, tripodas*, Heb. Etsi non in cubiculis, sed tamquam in culina inter ollas versari cogimini, servi scilicet ipsa fuligine nigri & mærore squalentes. Sic Ioel II. 6. *Omnes vultus redigentur in ollam*. Nahum II. 10. *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ*. Si ergo tales eritis tamen, Deo vos protegente, PENNAE COLUMBAE, &c. eritis sicut pennæ columbinæ variis depictæ coloribus, candidi, deaurati, læti.

V. 15. DUM DISCERNIT, &c. *Cum divideret Omnipotens*: Heb. REGES; puta, Og & Sehon. SUPER EAM; hereditatem suam, de qua vers. 10. & seq. cum adversos populo suo Reges profligaret. NIVE DEALBABUNTUR, *nivescet*. Heb. alba facta est (hereditas) ut nix quæ est in monte Selmon: candida, lucida, victrix, fortunataque erit.

V. 16. MONS DEI: Hebraismus, pro excelso mon e. MONS PINGUIS: *mons Basan*, Heb. *Mons coagulatus*, excelsus, exaggeratus. MONS PINGUIS: *mons Basan*, Heb. Montem igitur Basan aliosque excelsos montes his compellat verbis.

V. 17. UT QUID SUSPICAMINI? *Quare despicitis montes excelsi montem quem dilexit Deus*? &c. Heb. nempe terram sanctam, terram excelsam situ, & nobilem, quæ etiam ea causa mons dicitur Psal. LXXVII. 54. item Exod. xv. 17. in Cantico Moisis, & Mariæ, *Mons hereditatis tuæ*.

*V.*18. DECEM MILLIBUS, *innumerabilis*, Hier. Sedes Dei circumdatur Angelis innumeris. Sic Deut. XXXIII. 2. *Apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia*.

V. 19. ACCEPISTI DONA: ita Hier. ex Heb. & LXX. ut victor accepisti dona distribuenda inter homines. At Paulus Eph. IV. 8. *Dedit dona hominibus*: eodem sensu: Deus invectus curru sublimi captivos Israelitas eduxit ex AEgypto: ac triumphatoris instar dona distribuit. Prophetice, Paulo interprete, de Christo in cælum ducente captivos quos liberaverat. ETENIM NON CREDENTES, &c. etiam non credentibus Deum habitare nobiscum. Quod superioribus connectendum; ut sensus sit: dedisse dona etiam hominibus antea incredulis, nec satis Deo fidentibus: quod etiam Christo congruit gentes vocanti.

V. 20. DIE QUOTIDIE, *per singulos dies*; Hier. Prosperum iter, &c. *Proteget nos Deus*, &c. Heb.

V. 21. DEUS SALVOS FACIENDI: servandi arbiter. *Deus salutis*: Hier. *Exitus mortis*: egressus eius mortiferi, hostibus, αἱ διέξοδοι LXX. recto casu.

V. 22. VERTICEM CAPILLI: usque ad capillos impiorum conteret, cum piorum capilli omnes numerati sint: Matt. x. 30.

V. 23. EX BASAN CONVERTAM: Israelitas meos, e terra Og victores reducam. IN PROFUNDUM MARIS; *de profundis maris*, Hier. maris rubri.

V. 24. INTINGATUR PES TUUS IN SANGUINE. Ipsam plebem alloquitur: de hac autem phrasi vide Psal. LVII. 11. LINGUA CANUM TUORUM, supple intingantur, EX INIMICIS AB IPSO, sanguine: canes tui hostilem sanguinem lingant.

V. 25. VIDERUNT INGRESSUS TUOS DEUS, *itinera tua*, Hier. Viderunt tribus Israel, qua maiestate pergeres auxiliaturus eis, qua ferires manu.

V. 26. PRAEVENERUNT, &c. *Præcesserunt cantores eos qui post tergum* &c. Hier. Cum Maria hæc caneret, Deique miracula celebraret: antecedebant præcentores, succedebant psallentes, in medio erant puellæ tympanistriæ: Maria ipsa, & sociæ annuntiatrices, de quibus supra vers. 12. ita Chald. Philo memorat ad eum ritum compositas solemnes Therapeutarum suorum choreas: & cantari quidem hymnos alternantibus vocibus, ipso sermonis duce in verba præeunte: mox duos choros, alterum virorum, alterum mulierum variis flexibus ac reflexibus factas coire cho-

choreas: denique in unum chorum cogi velut a numine actos. *Exemplo*, inquit, *antiqui illius chori ad mare rubrum propter admiranda ibi opera: quo divino beneficio moti viri ac mulieres uno confecto choro hymnos eucharisticos servatori Deo cecinere: viris præcinente Mose propheta; mulieribus vero Maria prophetide: quorum exemplo gravi virorum voce acutiori mulierum voci mixta suavissimum concentum edunt*. Hæc Philo, de vit. contemp. qui ritus ad hunc versum explicandum tactus videtur.

V. 27. De fontibus Israel: vos qui estis e fontibus Israel: ab illo orti.

V. 28. Ibi Beniamin. tribus Beniamini, adolescentulus: quod Beniamin minimus natu filiorum Iacob: in mentis excessu: Spiritu sancto abreptus e nata in lætitia populi. At Hier. pro *mentis excessu*, *continens eos: imperans ipsis*, Heb. Princeps futurus sub Saule. Omnes Patres de Paulo Apostolo accipiunt, *rapto* ad tertium cælum, & dicente: *sive mente excedimus*, *Deo*, &c. II. Corinth. v. 13. xiii. ii. Principes Iuda duces eorum, *in purpura sua*, Hier. quod est imperii insigne. Ergo in eo cœtu ex Israele orto, & Domini victorias cantante, primus erat Beniamin regnum auspicaturus; deinde post eum regnaturus Iudas sub Davide: tum Principes ceterarum tribuum etiam minimarum. His autem tribuum nominibus vult Theodoretus Apostolos designari: fratres Domini ex Iuda: reliquos e Galilæa, ubi Zabulon, & Nephtali: adde in Beniamino Paulum.

V. 29. Manda Deus. Post commemorationem liberationis ex AEgypto, Dei in Sion habitaturi auxilium in hostes Israelis implorat: *Manda Deus, &c. Præcepit Deus de fortitudine tua*, &c. Hier. vult eam esse invictam.

V. 30. A templo. Templum vocat tabernaculum arcæ, ut sæpe alias: sensusque est: Propter templum tuum, undique in Ierosolymam. Reges, & peregrini confluent. II. Paralip. vi. 32.

V. 31. Feras arundinis, *bestiam calami*, Hier. hippopotamum, vel crocodilum, id est Regem AEgypti, ita designatum ex bellua Nilo nota: Ezech. xxix. 2. 3. 4. & seqq. Congregatio taurorum, *congregationem robustorum*, Hebr. supple increpa in vaccis populorum: in vitulis populorum gloriantem; hoc est, increpa cœtum robustorum qui inter lascivientes exultanteique, in morem vitulorum, populos gloriantur. Qui probati sunt argento, in fragmentis argenti. Sic constat integer versus hoc sensu: Increpa Regem AEgypti populo tuo invidentem; increpa etiam optimates qui inter populos honore, & viribus eminent, argenteis clavis, vel aliis insignibus ornati. Ceterum Theodoretus, aliique mystico sensu de Iudæis intelligunt, qui excludere volebant a Dei regno gentes in Christum credentes, & instar argenti per patientiam probatas.

V. 32. Venient legati ex AEgypto. Etiam ex AEgypto nunc infestissima, venient legati deprecaturi: Deum Israelis: quin etiam AEthiopia praeveniet: *festinet dare manus Deo*: Hier. id est, ipsa AEthiopia festinabit proferre manus muneribus plenas: certatim omnes accurrent donis onusti.

V. 34. Ad Orientem: ut unde sol ingreditur Deus ipse triumphare videatur. At Hier. a *principio*: ab ipsa diei, adeoque mundi ipsius origine.

V. 35. Date gloriam, *robur*, Heb. vim eius agnoscite. In nubibus, *in cælis*, Heb.

V. 36. In sanctis suis, *de sanctuario suo*, Hier. unde tanta edit miracula, & oracula.

PSAL-

& factum eſt in opprobrium mihi.

Et poſui veſtimentum meum ſaccum, & factus ſum eis in parabolam.

Contra me loquebantur qui ſedebant in porta, & cantabant bibentes vinum.

Mea autem oratio ad te Domine, tempus reconciliationis eſt Deus in multitudine miſericordiæ tuæ, exaudi me in veritate ſalutis tuæ.

Erue me de luto ut non inſigar, libera me ab his qui oderunt me & profundis aquis.

Ne operiat me fluvius aquæ, & ne abſorbeat me profundum: & non coronet ſuper me puteus os ſuum.

Exaudi me Domine, quoniam bona eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.

Et ne abſcondas faciem tuam a ſervo ſuo: quoniam tribulor cito exaudi me.

Accede ad animam meam, redime eam: propter inimicos meos libera me.

Tu ſcis opprobrium meum, & confuſionem meam, & ignominiam meam: coram te ſunt omnes hoſtes mei.

Opprobrio contritum eſt cor meum, & deſperatus ſum:

Et expectavi qui contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.

Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Sit menſa eorum coram eis in laqueum, & in retributiones ad corruendum.

Contenebrentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.

Effunde ſuper eos indignationem tuam, & ira furoris tui comprehendat eos.

meam: & factum eſt in opprobrium mihi.

12. Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

13. Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.

14. Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.

15. Eripe me de luto, ut non inſigar: libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum,

16. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.

17. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua; ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

19. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

20. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam.

21. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum, & miſeriam.

Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.

22. Et (*c*) dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto.

23. Fiat (*d*) menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.

24. Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.

25. Effunde (*e*) ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos,

Fiat commoratio eorum deserta: in tabernaculis eorum non sit qui habitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & ut affligerent vulneratos tuos narrabant.

Da iniquitatem super iniquitatem eorum, & non veniant in iustitia tua.

Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.

Ego autem pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei in cantico, & magnificabo eum in confessione.

Et placebit Domino super vitulum novellum, cornua efferentem & ungulas.

Videntes mansueti lætabuntur: qui quæritis Deum, vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.

Laudent eum cæli & terra: mare & omnia quæ moventur in eis.

Quia Deus salvabit Sion, & ædificabit civitates Iuda: & habitabunt ibi, & possidebunt eam.

Et semen servorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

26. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

27. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.

29. Deleantur de Libro viventium: & cum iustis non scribantur.

30. Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.

31. Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude:

32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.

33. Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra:

34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.

35. Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

36. Quoniam Deus salvam faciet Sion: & ædificabuntur civitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.

37. Et semen servorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

(a) Ioan. II. 17. (b) Rom. XV. 2. (c) Matt. XVII. 48. (d) Rom. XI. 9. (e) Actor. I. 20.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. I. PRO TIS, QUI COMMUTABUNTUR. על שושנים ut Psalm. superiori XLIV.

V. 3. ET NON EST SUBSTANTIA. Hebr. *Non est flatus*, id est sine fundo, in quo pedes possint consistere.

V. 5. QUI PERSECUTI SUNT ME. Hebr. *Qui perdere volunt me.*

V. 7. NON ERUBESCANT IN ME. Hebr. Id est, meo exemplo, cum viderint me, qui in te quoque sperabam, derelictum.

V. 10. TIBI CECIDERUNT SUPER ME; id est, mea reputanti.

V. 11. ET OPERUI IN IEIUNIO, &c. Hebr. *Et flevi in ieiunio animæ meæ.*

V. 13. ET IN ME PSALLEBANT, &c. Hebr. *Et cantiones* (dicebant contra me) *bibentium feceram*, id est ebriosorum hominum.

V. 14. EGO VERO ORATIONEM, &c. Hebr. *Ego oratione mea* (ad te intentus eram) *tempus* (est) *beneplaciti*; id est, ut

ut mihi reconcilieris. IN MULTITUDINE MISERICORDIAE TUAE, &c. Hebr. *Exaudi me secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & secundum veritatem salutis tuæ*, id est non fallacem salutem tuam.

V. 16. NEQUE URGEAT SUPER ME PUTEUS. Hebr. *Claudat*. Puteum vocat infernum.

V. 18. A PUERO TUO. Hebr. *a servo tuo*.

V. 19. INTENDE ANIMAE MEAE. Hebr. *Appropinqua animæ meæ*.

V. 21. IMPROPERIUM EXPECTAVIT COR MEUM. Hebr. *Opprobrium contrivit cor meum*. ואנושה *& dolui*, aut, ut Sept. legerunt aliis punctis, אנושה; *& infirmitas, exanimatio*.

V. 23. ET IN RETRIBUTIONES. Hebr. *Et quæ ad pacem* (sunt) *in scandalis. Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*.

V. 24. SEMPER INCURVA. Hebr. *Nutare fac*; id est, semper sint instabiles. D. Paulus ad Rom. XI. 3.

V. 27. ET SUPER DOLOREM VULNERUM MEORUM ADDIDERUNT. Hebr. *De dolore vulneratorum tuorum narrant*; id est, gloriantur quod servos tuos vulneraverint.

V. 28. APPONE INIQUITATEM. Hebr. id est, Redde illis iniquitatem, pro iniquitate; ut Psal. XVII. 27. *Cum perverso perverteris*. ET NON INTRENT IN IUSTITIAM TUAM. Hebr. *Et non intrent in iustitiam tuam*; id est, non perveniant ad mercedem tuam, quæ iustitia dicitur, quia iuste datur, ut Rom. I. 17. *In eo enim iustitia revelatur*. Et Gal. vers. 9. *Spem iustitiæ expectamus*. Et II. Timoth. IV. 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ*. Itaque sensus est: *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*: Psalm. XCIV. 11.

V. 33. VIDEANT PAUPERES, &c. Hebr. *Videbunt pauperes & lætabuntur: quærite Deum, & vivet cor vestrum*.

V. 36. AEDIFICABUNTUR. Hebr. *Ædificabit*.

S. A.

De Christi passione.

Vers. 1. COMMUTABUNTUR, scilicet Christi imitatione.

V. 2. AQUAE, scilicet afflictionum. ANIMAM; quasi dicat: Adeo premor, ut de vita periclíter.

V. 3. IN LIMO. Chal. *tamquam in limo*. PROFUNDI, pro profundo. NON EST SUBSTANTIA, id est consistentia. Hieron *Non possum consistere*. Chald. *Non est consistendi locus*. ALTITUDINEM MARIS. Hieron. *profundum aquarum*, scilicet tribulationum. TEMPESTAS, scilicet malorum. Hieron. *flumen*.

V. 4. LABORAVI. Chald. *Lassatus sum*. SPERO IN DEUM; id est, a Deo expecto auxilium.

V. 5. SUPER, id est plusquam. GRATIS, id est sine causa. CONFORTATI, id est roborati.

V. 6. TU SCIS INSIPIENTIAM MEAM; quasi dicat, me non esse, ut illi putant, stultum, aut peccatorem.

V. 7. IN ME, id est propter me: scilicet si me viderint a te deseri. VIRTUTUM. Hieron. *exercituum*. CONFUNDANTUR, id est erubescant. Repetitio. SUPER ME, id est propter me.

V. 8. PROPTER TE, scilicet quod tibi servirem. CONFUSIO, id est pudor.

V. 9. EXTRANEUS, id est velut extraneus.

V. 10. ZELUS, &c. id est studium cultus tui. COMEDIT. Chald. *consumpsit*. CECIDERUNT, &c. quasi dicat: Me cruciarunt.

V. 11. OPERUI, id est abscondi, seu humiliavi. FACTUM EST IN OPPROBRIUM, id est probro datum.

V. 12. CILICIUM. Hieron. & Chald. *saccum*. PARABOLAM, id est similitudinem: scilicet, de misero loquentes, mihi eum comparabant.

V. 13. PORTA, scilicet urbis; quasi dicat, primores civitatis. PSALLEBANT: quasi dicat: De me cantilenas componebant. VINUM; quasi dicat, in tabernis sedentes.

V. 14. AD TE, scilicet dirigo. TEMPUS BENEPLACITI, scilicet veniet, quo me

me liberes. IN VERITATE, scilicet qua opem promisisti. SALUTIS. Chald. *redemptionis*.

V. 15. LUTO, scilicet malorum.

V. 16. URGEAT, id est claudat. PUTEUS. Chald. *gehenna*.

V. 17. BENIGNA, id est suavis, vel copiosa.

V. 18. AVERTAS. Hieron. *abscondas*. Chald. *auferas*. PUERO, id est servo.

V. 19. INTENDE. Hieron. & Chald. *accede*. PROPTER INIMICOS. Chald. *ut non se efferant inimici*.

V. 20. REVERENTIAM. Hieron. *verecundiam*. Chald. *ignominiam*.

V. 21. EXPECTAVIT: scilicet adeo erant assiduæ calamitates. SUSTINUI. Hieron. *expectavi*. CONTRISTARETUR, scilicet condolens mihi.

V. 23. FIAT, id est vertatur. August. Non est optantis, sed prophetantis. MENSA, id est scriptura. RETRIBUTIONES, scilicet eorum quæ merentur. IN SCANDALUM. Hieron. *ad corruendum*.

V. 24. INCURVA; quasi dicat: Fac destituantur viribus.

V. 27. PERCUSSISTI, id est afflixeras. Chald. *vulnerasti*.

V. 28. APPONE INIQUITATEM, id est punitionem; vel quasi dicat: Ne iustifices. Chald. *in Ecclesiam iustorum*.

V. 29. VIVENTIUM, scilicet apud te; quasi dicat: Ne sint de tuorum numero: ut statim explicatur.

V. 30. SUSCEPIT: Græc. & Hieron. *suscipiat*.

V. 32. CORNUA PRODUCENTEM, &c. quasi dicat, tenerum.

V. 35. CAELI ET TERRA. Chald. *Angeli cælorum, & habitatores terræ*.

V. 36. AEDIFICABUNTUR, pro reædificabuntur. HEREDITATE ACQUIRENT. Hieron. & Chald. *possidebunt*.

ESTII.

Vers. 2. SALUUM ME FAC DEUS, QUONIAM INTRAVERUNT AQUAE USQUE AD ANIMAM MEAM. Psalmus est hominis in gravissimis angustiis constituti, & orantis Deum, ut ex iis eripiatur. Pertinet autem sine dubio hic Psalmus ad Christum: immo totus descriptus est in persona Christi. Id patet ex aliquot versibus. In primis ex versu 10. ZELUS DOMUS TUAE COMEDIT ME. Nam Ioannes Evangelista cap. II. testatur in Christo illum fuisse impletum, quando commotus zelo pro honore Patris sui, eiecit e templo vendentes, & ementes. Et ex eodem loco patet sensus horum verborum: sensus enim est: *Zelus*, id est fervor, æmulatio, & ingens studium, quod gero pro honore tuo, & honore *domus tuæ*, *comedit me*; id est, ita penitus affecit me, & solicitum me habuit, ut cura illa nominis tui me videretur exedere, & rodere. Et similis sensus est eius quod sequitur. ET OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME; quasi dicat: Opprobria tibi facta, & in te coniecta perinde æstimavi, atque si in me coniecta fuissent. Idem est enim honor Patris, & Filii. Et citatur in persona Christi Rom. XV. Rursum idem patet ex illo versu 22. ET DEDERUNT IN ESCAM MEAM FEL, ET IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO. Hoc enim ex Evangelistis certum est ad Christum pertinere, & de eo nemo Christianus dubitat. Denique est & iste locus versu 26. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA, ET IN TABERNACULIS EORUM NON SIT QUI INHABITET. Nam Actorum I. ex oratione Petri patet hanc increpationem pertinere ad Iudam prodirorem, & cooperarios eius Iudæos; quorum habitatio facta est deserta, quia Iudas ab Apostolatu deiectus; Iudæi autem & temporale regnum perdiderunt, & æternum. Atque adeo tota illa veteris populi, & legis institutio una cum templo, sacerdotio, sacrificiis carnalibus, per Christum abrogata est, & quodammodo in solitudinem redacta.

V. 24. OBSCURENTUR OCULI EORUM NE VIDEANT: ET DORSUM EORUM SEMPER INCURVA. Hoc in Iudæos prophetice dictum esse ipse Apostolus interpretatur ad Roman. XI. Attamen non significari absolutam æternitatem, docet locus Psal. LVIII. ubi dicitur: *Quod convertentur ad vesperam*: itemque ipse Paulus eodem loco Rom. XI. cum dicit: *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret*. Igitur vocula *semper* significat tempus, cuius terminus igno-

ignoratur; vel sic intellige, *semper*, id est quamdiu illorum ille status permanebit. Et omnino putantur non convertendi Iudæi, nisi in fine sæculi per Eliam, Christo mox ad iudicium venturo.

V. 29. DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM. Non est hinc consequens prædestinationem electorum non esse immutabilem. Nam, ut Augustinus hunc locum intelligit, sensus est: *Deleantur*, id est sentiant se non esse scriptos in libro viventium: quamvis id falso putarint. Sane de sceleratis loqui Psalmistam, manifestum est. Alii interpretantur, *De libro viventium*, id est de numero iustorum, qui actu iusti sunt. Neque id etiam male. Nam præcedit ante hæc verba: *Non intrent in iustitiam tuam*: & similiter sequitur: *Et cum iustis non scribantur*.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO IIS QUI COMMUTABUNTUR DAVID. Hebr. *Præfecto*, *super Sosannim David*. Sosannim erat instrumentum musicum sic dictum. De malis queritur, quibus pii vexabantur: sed & multa ex hoc Psalmo testimonia in novo Testamento citantur de Christo.

V. 2. INTRAVERUNT AQUAE. Per *aquas* afflictiones intelligit, quæ ad animam usque penetrarant; id est, vitam in periculum vocarant.

V. 3. INFIXUS SUM IN LIMO PROFUNDI, id est maris. ET NON EST SUBSTANTIA. *ὑπόστασις subsistentia*. Non habeo in quo innitar, ut evadam: limus est profundissimus: pes ad solidum non pertingit. VENI IN ALTITUDINEM MARIS, in mare altum & profundum. ET TEMPESTAS. Hebr. *& inundatio*, seu *aqua rapida obruit me*. Cuncta hæc afflictionis magnitudinem significant.

V. 4. LABORAVI CLAMANS, scilicet frustra: nullus exaudit, neque meæ vires sufficiunt, neque adest præsidium alterius. RAUCAE FACTAE SUNT FAUCES. Hebr. *exaruit guttur meum*. DUM SPERO, id est dum ad Deum in cælum aspicio.

V. 5. SUPER CAPILLOS; id est, plures sunt hostes capillis mei capitis. CONFORTATI SUNT, id est robur habuere. Non solum multi erant inimici, sed validi. INIUSTE. Hebr. *mendacio*; id est, temere, sine causa me persequuntur. QUAE NON RAPUI: alieni criminis pœnas dabam.

V. 6. INSIPIENTIAM MEAM; id est, peccata mea tu nosti, quæ hi mihi imponunt non admisi.

V. 7. NON ERUBESCANT IN ME QUI EXPECTANT TE DOMINE, id est propter me, si me deseras. DOMINE VIRTUTUM, Hebr. *sabaoth*, id est *exercituum*. Præsidium petit, ideo esse Deo robur ait, *Domine exercituum*: & causam suam communem esse omnium piorum indicat. SUPER ME. Hebr. *in me*; id est, propter me non confundantur, id est verecundentur, si me tua ope destitutum videant.

V. 8. QUONIAM PROPTER TE, scilicet ut tibi placeam: aut *propter te*; id est, quia me deseruisse videris, mihi homines convitiantur. Fratres etiam & cognati me ut alienum aversantur.

V. 10. COMEDIT ME zelus, consumpsit me. Hoc de Christo citatur Ioan. II. 17. cum vendentes de templo expulit. ET OPPROBRIA, id est peccata quæ in te committebant, cum ea arguerem, in meam perniciem vertebant.

V. 11. ET OPERUI, obrui ieiunio. ANIMAM MEAM, id est me. Hebr. *Et flevi in ieiunio animæ meæ*; id est, si me fletu, & ieiunio affligebam, id etiam calumniabantur.

V. 12. ET POSUI. Hebr. *Et dedi*; pro, si dedi: sed verbum *dandi*, quando non iungitur cum *manu*, significat *ponere*. VESTIMENTUM MEUM CILICIUM. Hebr. *saccum*. IN PARABOLAM, in fabulam & ludibrium: semel invisi etiam benefacta accusantur.

V. 13. IN PORTA, id est in foro: nam forum erat ad portam civitatis: Ruth. III. Contra me loquebantur, ET IN ME PSALLEBANT: in conviviis etiam cantiones de me canebant. Hebr. *& cantiones bibentibus fieram*, scilicet de me canebant.

V. 14. ORATIONEM MEAM. In his omnibus malis ad orationis præsidium confugiebam. TEMPUS BENEPLACITI DEUS. Ea erat oratio. Tempus postulat ut mihi placeris. IN VERITATE SALUTIS TUAE, id est propter veritatem & fidem promissam ad te confugientibus.

V. 15.

V. De luto. Redit ad quod initio Pſalmi dixerat, ſe multis affliǐtionibus premi. Eripe me de luto.

V. 16. Neque urgeat. Hebr. *occludat*. Puteus, ſcilicet carcer, in quem ſum coniectus; id eſt, afflictio ne claudat os, ita ut prodire inde non poſſim.

V. 18. A puero tuo. Hebr. *A ſervo tuo ne avertas faciem*.

V. 20. Et reverentiam meam tu ſcis. Hebr. *ignominiam meam*: ſic I. ad Corinth. xv. 34. *Ad reverentiam vobis loquor*, id eſt ad ignominiam.

V. 21. In conspectu tuo. Tibi noti ſunt, tu ſcis hoſtes multos eſſe. Improperium expectavit: nullus finis meis malis erat. Hebr. *fregit cor meum*. Nempe שברה *ſabera*, Septuag. legerunt cum Smol, id eſt שׂ; nunc eſt cum Iamin, id eſt שׁ: ea variæ interpretationis occaſio. Et miseriam. Hebr. *& dolui*. Et sustinui, pro *expectavi*, ut eſt Hebr. Qui simul contristaretur. Hebr. *ad movendum*, ſcilicet caput. Sic faciebant qui conſolabantur. Ergo expectavi ad condolendum, id eſt qui condoleret.

V. 22. Et dederunt in escam meam fel: pro conſolatione laborem auxere, maioraque probra. Vox Hebr. ראש *ros* venenum omne genus ſignificat, ſed præſertim ex aſpidis capite: ſic Hebræus: id etiam eſt *fel*.

V. 23. Fiat mensa. In ſuis voluptatibus quaſi laqueo capiantur. Et in retributiones: ſic Hieron. id eſt punitionem, ſupplicia. Hebraica ad hæc facile aptantur. Et in scandalum. Hebr. *in offendiculum*.

V. 24. Et dorsum eorum semper incurva: ſic Hieron. *Incurva*, imperat. Hebr. *Et lumbos eorum ſemper nutare fac*; id eſt, debilita eos: nam in lumbis vires hominis ſunt. Non ſunt illis vires ad faciendum, neque ad videndum oculi.

V. 27. Quem tu percussisti: ſcilicet ad ſupplicia tua illi nova mala adiunxere. Afflicto addidere afflictionem. Et super dolorem vulnerum meorum. Heb. *& ad dolorem vulneratorum tuorum*. Addiderunt, Hebr. *narrarunt*; id eſt, iactant mala quæ tu inflixiſti; inſultant afflictis. Sane pro יספרו *ieſapperu*, Sept. legerunt יספו *iaſephu*, *addiderunt*.

V. 28. Appone iniquitatem: peccata peccatis puni, non faciendo, ſed permittendo.

V. 29. Deleantur de libro viventium; id eſt, non ſcribantur in prædeſtinationis libro, aut hac vita ſpolientur. Et cum iustis non scribantur: aut in futura vita, aut etiam in præſenti ne geras curam eorum, ut iuſtos curare ſoles.

V. 30. Suscepit me, aut *ſuſcipiat*. Hebr. *Elevet me*, conſtituat in loco tuto, in arce. Salus tua, id eſt auxilium.

V. 31. Laudabo: ſcilicet beneficii memor cantica componam. Magnificabo.... in laude: ſcilicet celebri laude canam quæ mihi præſtitiſti.

V. 32. Et placebit Deo super vitulum. Hebr. *præ vitulo*: ſcilicet gratius erit hoc obſequium, & canticum, quam ſi vitulum novum & ſelectum obtuliſſem. In Hebr. eſt paranomaſia שיר *ſir*, & שור *ſor*, *cantici*, & *vituli*: canticum placebit magis quam vitulus.

V. 35. Caeli et terra; id eſt, cæleſtes & terreſtres laudent Deum: aut ſit proſopopœia, ſeu hypotypoſis.

V. 36. Et inhabitabunt ibi. In Sion habitabunt tui.

V. 37. Et semen servorum, id eſt poſteri eorum qui Deo ſerviunt, poſſidebit Sion. Quæ ad Eccleſiam referri poſſunt, fore ut poſſideat, quæ Synagoga ob ſuam pervicaciam amiſit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Pro iis, qui commutabuntur. Hebr. *Super* שושנים *ſchoſchannim*. Hiſpanice, *ſobre Açeçenas*: vide in Pſal. xliv. verſ. 1. David; id eſt, modulatio, Pſalmus, cantio de Davide. Notant, Davidem velut typum Chriſti hanc odem ſcripſiſſe, ipſius Chriſti & Eccleſiæ nomine, prout evangelica hiſtoria commonſtrat, & Apoſtoli accommodant.

V. 2. Quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Hebr. *Quia pervenerunt aquæ uſque ad animam*. Quidam: *Quoniam aquæ penetrant ad animam*. Alii: *Quia pervenerunt undæ malorum uſque ad animam meam*; quaſi dicat: Graviſſimis afflictionibus uſque adeo premor, ut de vita pericliter, & prope ſuffocer; obruor

bruor malis, & in ſummo vitæ diſcrimine verſor: quæ allegoria duobus ſequentibus verſibus amplificatur, ab omnibus circumſtantiis, quibus mergi ſolent homines.

V. 3. ET NON EST SUBSTANTIA. מעמד *maghomad* plerique pro Pahul Hiphil capiunt: *Et non ſtatutus, conſtitutus, ſtabilitus, firmatus*, ſuit, ſcilicet limus; hoc eſt, eſt mollis, lubricus, cœnum ipſum ſeu lutum inſtabile, & lentum. Alii nomen eſſe volunt: *Et non eſt ſtatio, conſiſtentia, ſubſiſtentia, ſtabilitas, firmitas*, id eſt ſolum, fundum, in quo poſſim conſiſtere: ubi non eſt conſiſtendi locus.

V. 4. RAUCAE FACTAE SUNT FAUCES MEAE. Heb. *Aruit, exaruit, arſit, aduſtum eſt, ſiccatum eſt guttur meum.*

V. 5. MULTIPLICATI SUNT SUPER CAPILLOS CAPITIS MEI, QUI DEDERUNT ME GRATIS: CONFORTATI SUNT QUI PERSECUTI SUNT ME INIMICI MEI INIUSTE. Dilucidius alii ita reddunt: *Plures ſunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me immerito: potentiores ſunt qui conantur me ſuccidere, qui mihi ſunt inimici iniuria.* Accommodatio allegoriæ; quaſi dicat: Antea tantiſper, dum non fuerunt ipſorum conſilia conſtituta, & conventus ad ea perficienda, diſſimularunt, neque intentarunt quidquam: iam vero hæc eſt hora illa, quam obſervarunt ipſi, & poteſtas tenebrarum. Vide Matth. XXVI. 55. & Lucæ XXII. 53. *Inimici mei iniuſte.* Hebr. *Inimici mei falſitate*, vel *falſe*, falſis de cauſis, immerito, iniuria. Vide in Pſal. XXXIV. 19. QUAE NON RAPUI, TUNC EXSOLVEBAM. Quidam: *Tamquam rapuerim quæ illorum ſunt, cum nihil fecerim minus, reſtituere tamen cogar ea.* Alii: *Et quæ non ſuſtuli, nunc reddere cogor.* Exponunt: Hoc eſt, eorum maleficiorum pœnas dabam, quæ non admiſeram. Hoc nemo mortalium vere de ſeipſo affirmare potuit, niſi Ieſus Chriſtus, qui cum ab omni peccati macula puriſſimus eſſet, omnium ſcelerum quæ humanum genus commiſerat, pœnas in cruce ipſe perſolvit. Nonnulli: *Tunc, quod non rapui, rependere cogor:* nimirum cum me conantur ſuccidere, & ſibi videntur ex facto perficere, tunc illud rependere cogor morte, qua eſt perſolutum pretium pro peccatis totius mundi: quæ uno rapiendi verbo ſynecdochice deſignantur.

V. 6. DEUS TU SCIS INSIPIENTIAM MEAM. Heb. *Deus tu cognoviſti ſtultitiam, vilitatem, temeritatem, meam*, qua me onerant, & criminantur adverſarii: ſic etiam *delicta mea*, ſeu *reatus mei* mox appellantur hoc verſu; quaſi dicat: Tu mihi es horum meorum criminum omnium teſtis, quæ obiciuntur mihi: accuſant me ſtultitiæ, & improbitatis: at tu noſti Domine, num quidquam aut ſtulte, aut improbe admiſerim. Appellat conſcientiam Dei de ſua innocentia, ac ſi dicat: Probe tu noſti, o Deus, me non eſſe, ut illi calumniantur, ardelionem, aut improbum. Buchananus:

Simplicitas tibi nota mea eſt, bone conditor orbis,
Meæque teſtis ſemper innocentiæ es.

V. 7. NON ERUBESCANT IN ME, &c. id eſt de me, vel propter me, vel per me, propter meum infortunium; quaſi dicat: Ne, quæſo, Domine, pudori ſint tuis, cum me viderint tuo præſidio fruſtrari: nemo ſcandalizetur in me. Buchananus:

Fac Pater alme bonis ne ſint mea damna pudori:
Dum te colentes clade cernunt opprimi.

Summa cauſa poſtulatæ ſuæ ſalutis, gloria Dei in confirmatione fidelium; ut neminem pudeat confiteri Chriſtum tamquam deſertum a Deo. DOMINE, DOMINE VIRTUTUM. Hebr. *Adonai, Iehveh, Tzebaoth*, tria nomina Dei ſacram Triadem indicant.

V. 8. QUONIAM PROPTER TE SUSTINUI OPPROBRIUM. Heb. *Quia ſuper te*, id eſt tui cauſa, vel tuo iuſſu, ut tuam gloriam aſſererem, *pertuli probrum*. Tribus his verſibus explicat, ac profitetur ſtudium ſuum erga Deum: quod etſi indigne prematur, invictum tamen ſe permanere docet in officio.

V. 9. EXTRANEUS FACTUS SUM מוזר *muzar*, quidam Pahal Hiphil eſſe volunt, *Alienatus, extraneatus, fui*. Alii nomen ſubſtantivum, *Abalienatio, abominatio, nauſea factus ſum fratribus meis.* Quidam reddunt: *Homo ſceleratus, & in extremas deportandus terras viſus ſum fratribus meis.*

V. 10. QUONIAM ZELUS DOMUS TUAE COMEDIT ME, ſive *exedit me* in præterito, id eſt ingens ſtudium aſſerendæ gloriæ tuæ, ſeu cultus tui, in, ſive, pro Eccleſia tua.

Hunc

Hunc versum perspicue de Christo intellexerunt discipuli, Ioann. II. 17. & Paulus Romanor. XV. 3. ET OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME. Quidam: *Et opprobria calumniantium te irruebant in me*. Alii: *Et probra probris afficientium te accidunt mihi*. Aliqui: *Idcirco probra quibus probrose afficerunt te, tam me habent male, quam si ipse ego probris illis affectus essem*; quasi dicat: Non minus, immo vero multo magis me tangunt probra quibus te proscindunt, quam si in me ipsum iacta essent. Buchananus:

In tua, quae iactant probra & convicta sacra:

In me recurrunt, corque vulnerant meum.

V. 11. ET OPERUI IN IEIUNIO ANIMAM MEAM, &c. Nos versum hunc verbatim ex Hebr. expressimus (*Et lacrymatus fui in ieiunio animae meae: & fuit probris mihi.*) Alii. I. *Et flevi in ieiunio animam meam: & fuit in opprobria mihi*; id est, vitam meam duxi in fletu & ieiunio, & istud fuit mihi in opprobria. II. *Flevi, & ieiunio afflixi animam meam: & fuisti in opprobria mihi*; id est, tua causa probris affectus sum, quod flerem te iniuriis affici. תהי *tehi* potest esse tertia persona futuri feminea, & *fuit*; & secunda masculea, & *fuisti*. III. *Flebam, & ieiunio me affligebam: & omnia cedebant in opprobrium meum*. IV. *Si quando fletu & ieiunio affligebam me; ipsi probro verterunt id mihi*, vel *id ipsum quoque probro mihi vertebatur*. V. *Cum flens affligo animam meam*; *tum hoc vertitur in probra*, id est in summum probrum, mihi: nam pluralis numerus auget significatum. *Animam meam*, vel revera animam, quae etiam ieiunio affligitur; vel corpus meum, vel vitam meam, vel me ipsum: nam נפש *nephesch* ita passim sumitur in Scriptura. Buchananus:

Si fleo ieiunus, si macero pectora curis,
Rident, probrisque prosequuntur lacrymas.

Bochius:

Si fundes lacrymas, lacrymis ieiunia iungo,
Vertitur id vitio....

V. 12. ET POSUI VESTIMENTUM MEUM CILICIUM. Quidam: *Cum statuo vestimentum meum saccum*; id est, compono me ad dolorem & luctum: synecdoche: nam hic erat habitus lugentium. ET FACTUS SUM ILLIS IN PARABOLAM. Heb. *Et fui eis proverbio*. Vide de hac locutione Psal. XLIII. vers. 15. Buchananus:

Fio repente fabula, & ludibrium.

Bochius:

.... *sum fabula vulgi.*

V. 13. ADVERSUM ME LOQUEBANTUR QUI SEDEBANT IN PORTA. Heb. *Meditabuntur, mussitabunt, obmurmurabunt, confabulabuntur in me sedentes portae*, ubi maior est frequentia populi, propter conventus publicos, qui ad portas olim fiebant; quasi dicat: Palam in conventibus publicis ac celebribus mihi obloquebantur. Quidam: *Colloquebantur contra me sedentes in porta*. Alii: *Iactabant dicteria in me, qui sedebant in porta*. Nonnulli: *Pessime loquebantur de me sedentes in porta*, *primores civitatis*. *Sessores portae*, quidam accipiunt iudices, primates, magistratus: quod olim iudicia haberentur in portis urbium. ET IN ME PSALLEBANT QUI BIBEBANT VINUM. Varie reddunt vocem נגינות *neghinoth*. I. *Et modulationes bibentium siceram*; id est vilissimi quique, qui in cauponis ad siceram carmina modulantur. II. *Et cantiones, carmina, factus sum bibentibus secbar*. III. *Et carmina iactabant in me, qui ad vinum perpotant*. IV. *Et carmina componebant*, aut *canebant de me, qui potabant vinum in tabernis*. V. *Et symphonias, concentus, harmonias* edebant de me, *bibentes siceram*. VI. *Et canunt odas lyricas bibentes potum inebriantem*. Sensum huius versus ita concipiunt: Traducor omnibus modis in publicis, & privatis consessibus, feriis, & ludicris, sobriis, & ebriis, a primariis hominibus, & infimis; denique apud omnes ludibrio sum. Vide eamdem locutionem Iob. XXX. 9. Buchananus:

Me salibus petite portae statione senectus,
Et ebriosae sum tabernae cantio.

Nos vertimus: *Et pulsationes instrumentorum musicorum bibentium ebriamen*; subaudi, erunt adversum me, vel de me: vel, *Et pulsationes musicas, bibentes ebriamen*; subaudi ex initio versus, *meditabuntur in me*.

V. 14. EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE, DOMINE. Hebr. *Et ego, oratio mea ad te Iehoveh*. Particulam *Ego* notant esse expletivam, & sensum, atque affectum in-

intendere: vide in Genes. XXVII. vers. 34. Unde varie reddunt. I. *Et ego oratio mea tibi, Iehova*, est; hoc est, vaco orationi: vel, Ego ipse sum oratio mea tibi; id est, totus sum oratio, quantus sum, nihil nisi oratio sum: hyperbole: assidue, incessanter, ferventer orationi incumbo. II. *At ego orationem meam*, seu *precem meam*, *ad te* converto, effundo, *Iehova*. III. *Hic ego bonis avibus orationem meam ad te Iehova fundo*. IV. *Ergo contra hæc omnia*, *nihil aliud quam precatione mea apud te hoc egi*, *Domine*, *ut cito adveniat tempus*, *quo tibi libeat succurrere mihi*, &c. V. *Tunc ego oravi*, *& oratio mea tibi*, *Iehova*, erat *tempus beneplaciti*, *Deus*, &c. id est, te oravi, ut adveniret tempus quo me exaudires. VI. *De me itaque oratio mea ad te*, hæc est, *Iehova*, nempe hæc quæ sequuntur usque ad vers. 20. TEMPUS BENEPLACITI DEUS. Quidam reddunt: *Tempus est benevolentiæ Deus*; id est, tempus est iam, ut benevolentia tua utaris erga me, & ostendas eam; prout iam ab æterno hoc benevolentiæ & gratiæ tempus statuisti ad servandum tuos: ut Isaiæ XLIX. 8. & II. Corinth. VI. 2.

V. 15. ERIPE ME DE LUTO, &c. Hoc versu, & sequente continetur petitio respiciens ad querimoniam versus 2. & 3.

V. 16. NEQUE URGEAT SUPER ME PUTEUS OS SUUM. Hebr. *Et non claudet super me puteus os sum*. Quidam: *Et ne præcludat mihi puteus os suum*, id est vorago profundissima, sine crepidine, & effugio ullo: allegoria; quasi dicat: Ne ita claudat puteus os suum, ut nullus mihi pateat exitus; sed prorsus obruar calamitatibus. Quidam: *Neque concludat me puteus cooperculo suo*. Ego puto allegoriam esse dehiscentis terræ, & absorbentis corpora, & statim super me coeuntis, & occludentis os, ut Numer. XVI. 31. & 32.

V. 19. PROPTER INIMICOS MEOS ERIPE ME, vel *redime me*. Exponunt: Id est ne possint dicere, te deseruisse me in calamitatibus. Alii: Id est, ut redemptus, & victor triumphem ac exultem de inimicis meis.

V. 21. ET MISERIAM. אנושה *anuschah* pro nomine sumpsit, *& desperationem*, *ægritudinem desperatam*. Alii futurum irregulare esse volunt, *& dolui*, vel *ægritudine affectus sum*, *desperatus sum*; seu *& langui*.

V. 22. ET DEDERUNT IN ESCAM MEAM. Hebr. *Et dederunt*, seu *posuerunt in carpsello meo*. ברות *baruth* aiunt esse *carpsellum*, *morsellum*, *escam delicatam*, *cibum qui recreationis*, *& refocillationis causa decerpitur*, *recreatiunculam*, quasi *decerptionem* dixeris: idem omnino quod בריה *biriah*, II. Samuel. XIII. 5. Quidam vertunt: *Quin potius dant pro alimento meo*. FEL. Hebr. רואש *rosch*, *toxicum herbam venenatissimam*, *cicutam*, vel *caput aspidum*, *letale venenum*, interpretantur: vide in Deuteronom. XXIX. vers. 18. Hoc proculdubio in Christo perfecte impletum est Matth. XXVII. 34. alioqui David non nisi metaphorice convenit, de amarissimis ærumnis quibus eum inimici affecerunt. Forsterus annotat: *At Christus sciens voluntatem patris sui*, *quod non veneno*, *sed morte crucis moriendum sibi esset*, *potum recusavit*, *& obediens factus usque ad mortem*, *mortem crucis sustinuit*. Ab his alludit Mercerus. ET IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO. Disertissima prophetia de Christo, Matth. XXVII. 48. Marci XV. 36. Lucæ XXIII. 36. Ioann. XIX. 28. & 29.

V. 23. MENSA EORUM, scilicet qui aluerunt me toxico, &c. ET IN RETRIBUTIONES. Varie ex Heb. reddunt. I. *Et quo ad paces*, *in offendiculum*: vel *& pro pacibus in rete*; id est, cum expectarint paces, vertantur paces in offendiculum; quasi dicat: Pereant his rebus, quas putabant sibi fore saluti. II. *Et ubi pacem sperant*, *illic impingant*. III. *Et hostiæ pacificorum*, *quibus placari solet Deus*, *magis invisos reddant illos*. שלומים *schelomim* acceperunt pro שלמים *schelamim*. IV. *Et pro pacibus*, *in offendiculum*. V. *Et paces in offendiculum* vertantur; id est, pacificus & tranquillus eorum status vertatur in ruinam. VI. *Et pro retributionibus*, *protendicula ipsis*; hoc est, talionis pœnam luant. Sic interpretandum esse vocem *Schelomim* (quæ nusquam alibi plurali numero substantive legitur) evincit Apostolus ad Rom. XI. 9. sed substantive eadem vox pluralis ponitur Ierem. XIII. 19. Possis deddere: *Et in perfectiones*, *integritates*, id est perfecte, totaliter, omnino, *in tendiculam eis*; id est, ut omnino illaqueentur, & corruant. Sic sumi videtur

ea vox in eo Ieremiæ loco.

V. 26. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA. Hebr. *Erit*, vel *fit castellum*, *palatium*, *domicilium*, *borda eorum*, *afflata*, *stupende desolata*. Vide de notione nominis טירה *tirah* in Genes. XXV. 16. Distributive, unumquodque castellorum, seu palatiorum eorum. Hæc rectissime quadrant in Iudæos interfectores Christi, quibus castella, palatia, urbs desolata & deserta manserunt, Matth. XXIII. 38. Singulariter proditori Iudæ accommodavit Petrus Actor. I. 25.

V. 27. QUEM TU PERCUSSISTI; id est, me Christum: qui *percussus Dei*, vel *percussus Deus* dicitur Isaiæ LIII. 4. ET SUPER DOLOREM VULNERUM MEORUM ADDIDERUNT; id est, dolores doloribus, & vulnera vulneribus meis addiderunt: nulla sævitia saturantur, plagas plagis addentes: vel super vulnera addiderunt convicia, blasphemias, contumelias, probra, &c. Hebr. varie redduntur. I. *Et ad dolorem occisorum tuorum narrabunt*; id est, non solum me occiderunt, sed & martyres professores tui nominis, cum dolore occisos narrabunt; hoc est, agent, instituent, de interficiendis illis. II. *Et de dolore vulneratorum tuorum narrant*; id est, iactant se dolore afficere eos, quos tu male haberi permittis. III. *Et ad plagas, quas tu inflixisti, annumerant*, sive *admetiuntur*. IV. *Et gravitatem vulnerum, quibus tu vulneraveras me, aliis cum voluptate narrabant*. V. *Et de dolore vulneratorum tuorum commemorant*, *commentantur*. VI. *Et dolorem vulneratorum tuorum narrant*. VII. *Et secundum dolorem confossorum tuorum narrationes contexunt*; id est, sermone illos ludificantur, & eo quidem atrocius, quo durius illos a te tractari vident: quod Christo, & piis accidisse omnes historiæ testantur: *vulnerati*, *confossi*, *interfecti Dei*, vocantur hic Christus, & Martyres eius; qui unum corpus efficiunt. חללים *chalalim* hic accipi substantive possit, *confossiones*, *violationes*, *vulnerationes*, admirabili sensu: *Et confossiones tuas*, quibus me confodisti, *numerabunt*: nempe manuum ac pedum, laterisque in cruce.

V. 28. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM EORUM. Diversimode accipiunt. I. *Sine*, *permitte*, *ut iniquitatem iniquitati cumulent*, & tandem in iniquitatum suarum congerie obruantur. II. *Repone eis scelera eorum in acervum*; id est, in cumulum unum congere, ut simul, & uno impetu omnia perdas. III. *Labi sine eos ab iniquitate in iniquitatem*, ab uno peccato in aliud, ut tandem in barathrum scelerum demergantur. IV. *Da pœnam super iniquitatem eorum*; ut vox iniquitatis priori loco posita, pœnam iniquitatis: posterior vero culpam ipsam & reatum significet. V. *Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum*; ut utroque loco vox significet pœnam iniquitatis: ut Genes. IV. 13. id est, affice eos æterna pœna, quasi alteram superaddas alteri: humanitus dictum de pœnis æternis, quas infligit Deus, prout sequentia docent: vel supplicia suppliciis adde, propter iniquitatem eorum; id est, innumeris & gravissimis eos suppliciis obrue. ET NON INTRENT IN IUSTITIAM TUAM. Hebr. *Et non venient in iustitiam tuam*. Alii. I. *Nec ingrediantur ad iustitiam tuam*. II. *Et non utantur iustitia tua*. III. *Nec eo umquam perveniant*, *ut participes fiant iustitiæ tuæ*, id est, iustitiæ fidei, iustificationis, gratiæ tuæ. Buchananus:

.... nec umquam.
Dulcem æquitatis sentiant fructum tuæ.

IV. *Et ne veniant in iustitiam tuam*; id est, ne accenseantur iustis: ut sequente versu explicat: humanitus dictum.

V. 29. DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM. Vide Exod. XXXII. 32.

V. 30. SUSCEPIT ME. Quidam: *In loco alto*, seu *edito statuet*, *collocabit me*, id est in loco sublimi, ac proinde tuto ab infestationibus hostium. Alii: *Proteget*, vel *sustentabit me*.

V. 32. ET PLACEBIT DEO, &c. Hunc versum dilucidius alii reddunt. I. *Gratius enim erit id Deo*, *quam si bovem offeram*, *aut vitulum cornua producentem*, *&* *ungulas*. II. *Quo Dominus magis delectatur*, *quam cornutis & ungulatis tauro*, *ac vitulo*. III. *Quæ gratiarum actio melior videbitur Iehovæ*, *bove*, *iuvenco cornuto*, *aut ungulam scissam habente quoquam*; id est, ullius animalis quamtumvis legitimo sacrificio.

V. 33. VIDEANT PAUPERES, ET LAETENTUR. Hebr. *Viderunt humiles*, *gaudebunt*. Quidam: *Videbunt* hæc indicia Dei in

in improbos, benignitatem in pios, *afflicti, & lætabuntur*. Alii: *Quod ubi viderint mansueti, lætabuntur*. QUAERITE DEUM, ET VIVET ANIMA VESTRA. Hebr. *Quærentes Dei, & vivet cor vestrum*. Aliqui: *Qui sedulo quæritis Deum*: repetendum verbum *Videbitis*; id est, videbitis etiam vos, qui estis sectatores Dei: *& revivifcet animus vester*: qui pene metu confectus videbatur. Alii: *Et revivifcet animus vester, o quærentes Deum*; id est, animus vester, qui iam amplitudine calamitatis meæ confusus prosternebatur, quasi recepta vita exultabit.

V. 35. LAUDENT EUM CAELI ET TERRA, &c. Exponunt, nimirum suo modo, cum instaurabitur per Christum Ecclesia: vide Rom. VIII. prosopopœia.

V. 36. QUONIAM DEUS SALVAM FACIET SION, &c. id est, servabit Ecclesiam, cuius typus olim fuit Tziion, & Iudæa tota: & particulares Ecclesias, eius membra instaurabis.

V. 37. ET SEMEN SERVORUM EIUS, id est Israel Dei, & vera Ecclesiæ membra.

MENOCHII.

Verf. 1. PRO IIS QUI COMMUTABUNTUR. Hoc explicatum est ad titulum Psal. XLIV.

V. 2. SALVUM ME FAC DEUS. Non petit Christus a Patre salutem animæ, quam habebat, & amittere non poterat, cum esset beatus; sed salutem corporis, eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, & quam naturalis appetitus mortem refugeret, eo prorsus modo, quo in horto dixit: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me*: Luc. XXII. 42. INTRAVERUNT AQUAE USQUE AD ANIMAM MEAM. Ita calamitatibus, & malis circumobsessus sum, ut iis similis sim qui in profundo aliquo aquarum gurgite ita sunt constituti, ut iam aquæ os ingrediantur, ad suffocandum cor, & extinguendam animam. Hæc enim, & quæ sequuntur, per allegoriam periclitantis in fluctibus, & alienum auxilium implorantis, magnitudinem dolorum Christi ponunt ob oculos.

V. 3. INFIXUS SUM IN LIMO PROFUNDI: demergor in limo maris, & abyssi, & semper profundius infigor. ET NON EST SUBSTANTIA: non est ὑπόστασις ut est in Græco: locus scilicet quem possim firmiter premere vestigiis, stabilisque consistere. Italice diceremus, *Non c'è fermezza*. VENI IN ALTITUDINEM MARIS: ingressus sum mare altum, profundum, & amplum. TEMPESTAS DEMERSIT ME. Vox Hebræa rapidum aquarum cursum designat, & inundationem; quare aliqui vertunt, & *flumen*, sive *alveus* operuit me. Italice dicimus, *la corrente del fiume, o del mare*.

V. 4. LABORAVI CLAMANS: defatigatus sum clamando, & implorando auxilium. DEFECERUNT OCULI MEI: fatigati sunt aspiciendo num aliquis veniret, ut opem ferret. DUM SPERO IN DEUM MEUM: dum auxilium ab illo expecto, & tamen ille me non eripit a tormentis.

V. 5. GRATIS, sine causa, nulla in re a me offensi, aut violati. CONFORTATI SUNT: invaluerunt. QUAE NON RAPUI TUNC EXSOLVEBAM. Reddere cogebar quæ non rapueram: pœnas luebam peccatorum quæ non feceram.

V. 6. INSIPIENTIAM MEAM: peccatum mihi impositum: scis, Deus, an sim insipiens, an sim in vitio, quod hi mihi impingunt.

V. 7. NON ERUBESCANT IN ME, &c. Ne quæso rubore, & pudore propter me afficiantur qui in te sperant, & a te salutem meam expectant: si enim preces meas non exaudias, eos mei pudebit, neque me audebunt confiteri. Vel etiam sensus est: Non erubescant qui idem a te postulant quod ego postulo; erubescant autem si irriti, & voti minime compotes dimittantur. DOMINE VIRTUTUM: *Domine exercituum*, ut est in Hebr.

V. 8. PROPTER TE SUSTINUI OPPROBRIUM; quasi dicat: Quod peto, iuste postulo: non enim ob meas culpas, sed propter honorem tuum hæc patior. OPERUIT CONFUSIO FACIEM MEAM. Sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, & alia id genus, quæ verecundia, & rubore vultum meum impleverunt.

V. 9. EXTRANEUS FACTUS SUM FRATRIBUS MEIS; id est, tamquam extraneum me reputaverunt fratres mei Iudæi. ET PEREGRINUS FILIIS MATRIS MEAE. Repetitio eiusdem sententiæ. Tamquam

alienigena habitus ſum a filiis ſynagogæ matris meæ. Hoc eſt quod ait S. Ioan. in ſuo Evangelio cap. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.*

V. 10. QUONIAM ZELUS DOMUS TUAE, &c. Reddit rationem cur habitus ſit tamquam extraneus, quia ſcilicet illum urebat, & dolore afficiebat zelus domus Dei, non ſolum materiatæ, cum negotiatores e templo eiiciebat, ſed multo magis ſpiritualis, id eſt congregationis fidelium, quam multorum vitiorum feditate inquinatam videbar. OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI, &c. Opprobria eorum qui tibi exprobraverunt, nec minus moleſta mihi acciderunt, quam ſi ego illis imp̄eterer. Vel ſenſus eſt: *Ceciderunt ſuper me*, id eſt ſuper caput meum, in meam perniciem, & exitium.

V. 11. OPERUI IN IEIUNIO ANIMAM MEAM. Contexi, obrui ieiunio animam meam. Vel ſubintellige vocem *lacrymis*; quaſi dicat: Meipſum ieiunando lacrymis maceravi. Ieiunium, & lacrymas poſſumus explicare de eſurie, ſiti, & deſiderio ſalutis animarum. Nam propter ieiunium, &c. non legimus Chriſtum Dominum irriſum fuiſſe, aut male tractatum a Iudæis. ET FACTUM EST OPPROBRIUM MIHI. Cum hoc nomine illis carior eſſe deberem, e contra illud apud eos factum eſt mihi occaſio opprobrii mei.

V. 12. POSUI VESTIMENTUM; id eſt, indutus ſum cilicio. FACTUS SUM ILLIS IN PARABOLAM. Etiam propter hoc factus ſum illis in fabulam, ludibrium, & dicterium. Non legimus Chriſtum cilicio indutum inceſſiſſe, aut propterea ludibrio habitum; quare cum S. Auguſtino, & aliis de ſacco carnis humanæ, & mortalitatis noſtræ commode locum hunc poſſumus interpretari.

V. 13. QUI SEDEBANT IN PORTA. Principes, & iudices populi, qui in portis ſedebant, ubi iuxta veterum morem erant prætoria, & iudicia exercebantur. IN ME PSALLEBANT, &c. id eſt, non ſolum publice in conventibus, ſed etiam privatim in domibus tempore conviviorum inter pocula de me garriebant, & cantabant, ludentes, & irridentes.

V. 14. EGO VERO ORATIONEM MEAM, &c. orationem meam ad te dirigebam. TEMPUS BENEPLACITI DEUS; id eſt, iam advenit tempus beneplaciti, tempus a te definitum, quo ego his cruciatibus liberer; tu vero mundum tibi reconcilies. IN MULTITUDINE MISERICORDIAE TUAE: propter magnam miſericordiam tuam. IN VERITATE SALUTIS TUAE: per fidelem, & certam tuam ſalutem, auxilium, & tutelam.

V. 15. ERIPE ME DE LUTO, UT NON INFIGAR. Vide dicta num. 3.

V. 16. TEMPESTAS AQUAE. Vide dicta eodem num. 3. NEQUE URGEAT SUPER ME PUTEUS OS SUUM; id eſt, puteus, in quem cecidi, non claudat os ſuum: nam verbum Hebr. אטר *atar* proprie claudere ſignificat.

V. 17. BENIGNA, id eſt ſuavis, vel copioſa.

V. 18. PUERO TUO, ſervo tuo.

V. 19. INTENDE ANIMAE MEAE. Hebræa vox ſignificat proprie *appropinqua*, *accede*, aurem precibus meis accommodando, & me a malis eripiendo. PROPTER INIMICOS MEOS: ut ſcilicet animadvertentes ſe prævalere non potuiſſe, aut confundantur, aut convertantur.

V. 20. IMPROPERIUM MEUM, improperia, & calumnias, quibus lacerant me. CONFUSIONEM MEAM, quæ ex improperiis in me iactatis naſcitur. REVERENTIAM MEAM, id eſt verecundiam: erubeſcunt enim qui apud alios confunduntur, etiamſi iniuſte confundantur.

V. 21. IN CONSPECTU TUO, &c. Quaſi dicat: Sicut non te latet afflictio mea; ita non te latent qui me affligunt, a quibus nihil aliud expectare poſſum quam improperium, & miſeriam, ſicut ſemper expectavit cor meum multo ante quam advenirent. SUSTINUI, expectavi, QUI SIMUL CONTRISTARETUR, qui compateretur.

V. 22. DEDERUNT IN ESCAM MEAM FEL, &c. Ut narrat ſanctus Matth. cap. XXVII. num. 48.

V. 23. FIAT, &c. Per modum imprecationis prædicit mala quæ eventura erant Iudæis ob ingratitudinem, & crudelitatem in Chriſtum. MENSA EORUM IN LAQUEUM. Cibus qui eis apponetur ſimilis ſit eſcæ, quæ avibus, aut feris abſconditur iuxta laqueum ut illo capiantur, & ſtrangulentur. IN RETRIBUTIONES, quibus illis malum, quod mihi ſtruxerunt, rependatur.

tur. Et in scandalum. Sit illis causa, vel occasio ruinæ. Mensa quæ Iudæis facta est in laqueum, &c. videtur esse lex, & libri Prophetarum, quorum lectione, & cognitione cum animas ad salutem pascere potuissent, e contra vitio ipsorum facti sunt illis in laqueum, quo implicantur, & constringuntur, plurimisque noxiis erroribus tenentur, cum male illa utantur, cum sint cæci, & verum lumen non admittant.

V. 24. Obscurentur, &c. Hoc patiuntur Iudæi cum velamen sit super cor eorum, ut ait D. Paul. II. Corinth. III. Dorsum eorum semper incurva. Miseri, captivi, oneribus fere importabilibus oppressi. Dorso etiam semper incurvo, & facie ad terram prona, cum oculos attollere nesciant, & terrena tantum intelligant.

V. 26. Fiat habitatio eorum deserta, &c. Factum videmus ad unguem; nam Iudæi alibi potius degunt quam in Iudæa, maxime Ierosolymis, suntque e regione sua exules, templo celeberrimo, & privatis ædibus excisis, & dirutis.

V. 27. Quem tu percussisti: quem tu pro humani generis peccatis cruci subiecisti. Addiderunt. Dolorem meum contumeliis, flagellis, &c. exasperarunt.

V. 28. Appone iniquitatem, &c. Permittes eos peccata peccatis addere, & de una iniquitate in alias ruere. Non intrent in iustitiam tuam. Nec eo pervenient ut participes eos facias iustitiæ tuæ, fidei scilicet, & gratiæ tuæ.

V. 29. Deleantur de libro viventium. Non erunt in albo fidelium, qui per veram religionem te colunt. Cum iustis non scribantur. Solis enim fidelibus vera iustificatio contingit.

V. 30. Ego sum, &c. Nunc tandem in fine Psalmi prædicit Propheta Christi gloriam, & Ecclesiæ ædificationem. Pauper et dolens. *Pauper*, quia etiam vestibus caruit in cruce; *dolens*, quia acerbissimos cruciatus pertulit, dum in ea penderet. Salus tua suscepit me. Cum essem pauper bonis, & malis abundans, salutaris manus tua me a mortuis excitans, mala omnia abstersit, bona omnia adduxit.

V. 31. Laudabo, &c. celebrabo, canam &c. laudes Domini.

V. 32. Super vitulum novellum. Erit mea laus Deo gratior, & acceptior, quam sacrificia vituli novelli. Cornua producentem et ungulas. Quo statu vituli maxime apti sunt ad sacrificium.

V. 33. Videant pauperes, et laetentur. Intelligant, & considerent hæc pauperes, & lætentur, & exemplo meo spem bonam concipiant. Quaerite Deum, et vivet anima vestra. Virtutem colite, & Deum invocate, & bene vobis erit: Deus enim largietur salutem, & vitam.

V. 34. Pauperes, afflictos, humiles. Vinctos suos: vinctos propter se, id est pro nominis sui confessione, pro pietate, & virtute, martyres.

V. 35. Reptilia: omnia quæ repunt in aquis; quæ in illis moventur.

V. 36. Sion, Ecclesiam. AEdificabuntur civitates Iuda; id est, propagabitur prima illa Ecclesia, multis vivis lapidibus accedentibus. Multæ etiam novæ Ecclesiæ in provinciis excitabuntur, populis ad Christum per fidem aggregatis. Hæ autem dicuntur civitates Iuda, id est confessionis, quia veram fidem confitebuntur, & profitebuntur. Inhabitabunt ibi, &c. Firmiter habitabunt in Ecclesia, nec illam deserent, & tamquam hereditatem possidebunt eam.

V. 37. Et semen servorum eius. Sion possidebunt non solum primi fideles, sed etiam deinceps posteri eorum. Qui diligunt nomen eius. Non inimici Christi, sed qui fide, spe, & charitate illi adhærent, & illum amant.

TIRINI.

Vers. 2. AQuae, id est tribulationes, quas mox aliis metaphoris designat, *limo profundi*, *alto mari*, & *tempestate* vers. 3. *profundo*, seu abysso, & *puteo* vers. 16. Ita Theodoretus.

V. 3. Non est substantia, ὑπόστασις, id est *subsistentia*, id est solidus fundus in quo possim firmus subsistere. Ita Hieronymus, & Chaldæus.

V. 5. Quae non rapui, tunc exsolvebam. Proverbium est; quasi dicat: Alieni criminis pœnas dedi. Potest tamen proprie etiam de Christo sic exponi: Rapinam pomi vetiti, vel honoris divini, quem

quem Adam, eiusque posteri iniuste sibi rapere voluerunt, ego Christus exsolvi. Ita sanctus Hieronymus, Hilarius, & pulchre Augustinus.

V. 6. TU SCIS INSIPIENTIAM. Hieronymus, & Chaldæus, *stultitiam meam*; quasi dicat: Si quid stulte & perperam deliqui, ut hostes mei mentiuntur, tu optime nosti: testem te invoco, & iudicem, ut si deliqui, patefaciat; sin autem, innocentiam meam manifestes. Idque ut

V. 7. NON ERUBESCANT IN ME, id est occasione mei, mearumque calamitatum, alii QUI EXSPECTANT A TE salutem: scilicet dum vident me innocentem & te invocantem, a te tamen deseri. Ita S. Hieronymus, & Theodoretus.

V. 9. FACTUS SUM PEREGRINUS FILIIS MATRIS MEAE, synagogæ; id est, Iudæi non agnoverunt me pro fratre suo, sed pro infideli, & Samaritano.

V. 10. ZELUS, id est fervor & studium procurandæ gloriæ, DOMUS TUAE, id est templi & Ecclesiæ tuæ, & indignatio ex eiusdem neglectu & profanatione COMEDIT ME, id est exedit, absorbuit, &, ut Symm. & Chald. vertit, *consumpsit me*. ET OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME; id est, tam sensi, tam ægre tuli, quam si recta in me contorta fuissent. Hinc eodem zelo, ut tuum tibi redderem honorem, suscepi illa in me expianda ieiunio, aliisque pœnis ultro susceptis. Ita Apostolus ad Rom. xv. 3. Sed & hoc ipsum

V. 11. FACTUM EST IN OPPROBRIUM MIHI. Chaldæus: *Pietas*, hæc *mea* versa mihi fuit in probrum, scilicet ex malevolentia, & maledicentia hostium. Theodoretus.

V. 13. IN PORTA, id est in publico loco iudiciorum; quasi dicat: Iudices, & principes urbis. IN ME PSALLEBANT, cantilenas famosas de me concinnabant, id est QUI BIBEBANT VINUM, id est qui in symposiis & tabernis compotitabant.

V. 14. ORATIONEM AD TE; supple dirigo. TEMPUS BENEPLACITI. Hieron. & Symmac. *reconciliationibus*; supple, nunc tandem fit. IN VERITATE SALUTIS TUAE, id est ex fidelitate, qua salutem tuis promisisti.

V. 20. REVERENTIAM MEAM. Hieron. & Augus. *confusionem*; Chald. *ignominiam*.

V. 22. FEL, id est vinum felle & myrrha mixtum, Matth. XXVII. 48. Chaldæus addit, *fel capitum basiliscorum*. Licet enim Hebræum ראש *ros* omne genus veneni significet, fere tamen usurpatur pro veneno ex capite aspidis vel basilisci: nihilominus ordinarie etiam *fel* designat. Proverbialiter innuit, loco consolationis augeri laborem, dolorem, probra, inquit Mariana.

V. 23. MENSA hæc EORUM, instructa felle & aceto, quam mihi Messiæ suo apparaverunt Iudæi, FIAT vicissim CORAM IPSIS; id est, etiam ipsis sternatur, & quidem IN LAQUEUM, id est in exitium ipsis, ET IN RETRIBUTIONES eorum quæ sua impietate, & crudelitate iuste promeriti sunt, ET IN SCANDALUM, seu in offendiculum, & ruinam, *ad corruendum*, inquit Hieronymus, & Genebrardus.

Nota, verba hæc non esse optantis, sed prophetantis, inquit S. Augustinus.

V. 24. DORSUM SEMPER INCURVA, scilicet onerando illos novis continuo, & gravioribus calamitatibus, ut his oneribus depressi quasi silicernia, in terram curvati incedant. Ita Theodoretus, & Euthymius. Chald. *Fac lumbos eorum continuo nutare*.

V. 26. HABITATIO EORUM, nempe Iudæa sacrilega, ac præ omnibus Ierosolyma, FIAT DESERTA, per Nabuchodonosorem, & Titum. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

V. 27. QUEM TU PERCUSSISTI, id est afflixisti, subiiciendo mortui crucis; Hieronymus, *vulnerasti*. Isaiæ LIII.

Nota. *Percutere* ad disciplinam spectat, & est superioris: *Persequi*, hostium est, & involvit odium, crudelitatem, irrisionem, vel exprobrationem.

V. 28. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM. Quod non de pœnis tantum, sed & de culpis exponi potest. Nam solet subinde Deus peccata punire novis peccatis, ac tandem etiam excæcatione, non causando malitiam, sed subtrahendo copiosiorem gratiam, & permittendo diabolo maiores vires, & tentandi facultatem. Ita S. Augustinus, D. Thomas, & doctores.

V. 29.

V. 29. Deleantur de libro viventium; id est, ne sint de numero iustorum, ut mox sequitur. Porro *liber vitæ* est ipsa Dei præscientia & quasi memoria, & prædestinatio ab æterno. Et sicut duplex est prædestinatio, una inchoata, altera completa & perfecta; ita duplex quoque est liber vitæ, unus inchoatus & mutabilis, in quo descripti sunt omnes & soli iusti; alter completus & immutabilis, in quo scripti sunt omnes & soli qui de facto salvabuntur. Et ex hoc libro nemo deleri potest, de priori potest, & de facto deletur quicumque e iusto fit reprobus. Et sic Christus, & S. Paulus, & Moyses, & hic David usurpant nomen *libri vitæ*. Et orat Ecclesia, ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.

V. 32. Et placebit; supple, laus mea, & canticum meum, Deo super vitulum, id est præ holocausto vituli cornua recens producentis, et ungulas, id est iuvenci, & delicati. Ita Theodoretus.

GORDONI.

Titulus: In finem pro iis, &c. Vide Psalm. XLIV. & LIX. Quod spectat ad argumentum: damnatus est error Theodori Mopsuesteni, qui negavit ullum Psalmum κατὰ λέξιν spectare ad Christum; sed ἐκβατικῶς seu ex eventu, & per accommodationem. Est sane hic Psalmus de Christo etiam ad litteram ex veteribus Patribus, Augustino, Hieronymo, Hilario, & aliis: nec integrum est aliter sentire, cum Apostoli ipsi referant verba huius Psalmi ad Christi passionem, eiectionem Iudæorum, & incrementum Ecclesiæ. Sic Act. I. *Fiat habitatio eorum deserta*: item: *In siti mea potaverunt me aceto*: Ioan. XIX. Qui oderunt me gratis: Ioan. XV. *Zelus domus tuæ comedit me*: Ioan. II. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*: Rom. XV.

Vers. 1. *& deinc.* Acerbitates passionis Christi tribus prioribus versiculis describit David, per similitudinem demersionis in aquas lutulentas, & profundas. Profunditatem explicat, quia non est substantia, seu ὑπόστασις. Idem explicat vox מעמד *mahhamad*, *statio*, *consistentia*. Denotatur privatio fundi a verbo עמד *hhamad*, *stare*.

V. 4. & 5. Laboravi, &c. Observa, quod hic docet, se iniusta pati in passione; & tamen vers. 6. fatetur insipientiam Adami, & mundi peccata. Vocat suam insipientiam, nempe quam ipse portat: en ex antithesi sensum.

V. 11. Et operui in ieiunio, &c. Sensus est: Operui me, seu caput meum ieiunando; quod est in signum luctus, & pœnitentiæ. Omnino hic legendum est *operui*, cum Vulgata editione, ut etiam Expositores Græci, & Latini legunt, immo & Septuag. συνεκάλυψα Sed nec abesse videtur a sensu Hebraici codicis, ubi sic habetur: *Et flevi in ieiunio animam meam.* Ceterum si quæras, ubi legatur Christum ieiunasse opertum sacco, & ideo derisum, adeo ut fieret hoc in parabolam, seu in dicterium, seu ludibrium: occurrendum est, Christum diu per quadraginta dies, & sæpe ieiunasse, passum etiam sitim, famem, & flagella, & in derisum gestasse in capite coronam spineam; nec defuit dicterium, *Ecce homo*, *homo vorax*, & similia: tamen existimo vel maxime spectasse hic Prophetam per hæc omnia congesta, sensum spiritualem, ut ait Augustinus, quo modo non defuit fames, & sitis salutis nostræ, sub sacco & cilicio humanæ naturæ.

V. 16. Non me demergat, &c. Petiit paulo ante liberationem sub metaphoris aquarum, luti, & tempestatis: postulat hic apertius, ne detineatur in hac demersione, & ne urgeat puteus os suum: nam obturato ore putei, non supererat spes evadendi. Vox, *Non urgeat*, est, non coarctet. Hebr. אטר *otar*, est claudere. Septuag. μὴ δὲ συσχέτω.

V. 20. Tu scis. Septuag. *tu enim*. Reverentiam meam. Pro *reverentiam* legunt *verecundiam* August. & Hilarius, nempe quæ est in illis qui confunduntur. Consentit vox Hebr. כלמה *chelimma*, *reverentia*; rad. כלם In conspectu, &c. Septuag. ὀνειδισμὸν προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου, καὶ ταλαιπωρίαν. At Hieronymus ex Hebræo habet: *Opprobrio contritum est cor meum, & desperatus sum*: sed pendet res ex verbo, שבר: nam si ש habet punctum in si-

in finiſtro cornu, ſignificat, *expectavit*; & ita LXX. ſi vero ſit punctum in dextro, deſignat *contritum eſſe*, ut legit Hieronymus. Porro ibidem eſt vox *miſeria*, apud Septuag. ταλαιπωρία. In codice Hebr. eſt אנושה *annuwa*; ſi nomen eſt, ut Septuag. putarunt, deſignat afflictionem, & miſeriam; ſi eſt verbum, ſignat, Valde dolui. Vide radices נוש *nuw*, & אנש, *egrotavit*.

V. 22. ET DEDERUNT, &c. Clarus eſt de paſſione Chriſti locus, magno Catholicorum conſenſu. At quomodo in eſcam fel? εἰς τὸ βρῶμα χολὴν? Matthæus quidem XXVII. 34. narrat, Chriſto, cum perveniſſet in Golgotha, ſeu Calvariæ montem, datum fuiſſe vinum cum felle mixtum (Marcus cap. XV. 23. vocat *myrrhatum*.) Verum an hoc vinum tam fuerit craſſum admixtione fellis craſſioris, ut etiam (quod in lacte videmus) fuerit velut pro eſca, quis hoc facile probabit? Quid, ſi ſenſus ſit, nihil aliud tunc pro omni eſca, & potu datum, præter hoc vinum myrrhatum; aut hac enumeratione dici, omnes Iudæos adhibuiſſe amaritudinem? Quid denique, ſi per hæc denotetur fuiſſe figurate propinatam amaritudinem peccatorum? Multa de hoc vino myrrhato Baron. Tom. I.

V. 27. 28. & 29. APPONE INIQUITATEM, &c. Incipit Propheta a verſ. 23. per modum imprecationis, prædicere mala quæ erant eventura Iudæis tam crudelibus in Chriſtum. Inter alia, ait, ita puniendos, ut addant peccata peccatis. At quomodo verſ. 27. QUEM Deus percuſſit, PERSECUTI SUNT? Certe dicitur a Deo percuſſus Chriſtus, quatenus facta unione hypoſtatica impoſuit illi portanda hominum peccata, ut pro illis ſolveret pœnam. Ceterum, ut dictum eſt, peccata Iudæorum multiplicabuntur; & ita ut DELEANTUR DE LIBRO vitæ, ſeu ut CUM IUSTIS, inquit, NON SCRIBANTUR; μετὰ δικαίων μὴ γραφήτωσαν nempe reprobentur ex iuſtitia, poſt præviſa mala opera. Itaque *deleri de libro viventium*, חיים *chaiim*, eſt non ſcribi in eo; & hoc quia peccaverunt: ſic, inquam, una pars verſiculi explicat aliam. Synonyma ergo ſunt deleri, & non ſcribi; aut certe, ut ſit (quod alii dicunt) alius liber ſcientiæ, alius iuſtorum in hac vita, alius in prædeſtinatione. Sed quidquid ſit, de hac diſtinctione, nemo deletur de libro prædeſtinationis, niſi quia non ſcribitur in eo.

V. 32. ET PLACEBIT DEO, &c. Canticum laudis placebit Deo magis quam immolatio pecundum, ὑπὲρ μόσχον νέον κέρατα. In Hebræo eſt apta paranomaſia inter שיר, *Canticum*, & שור *wor*, *vitulus*, aut *bos*, Gen. XLIX. 6.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. S*Alvum fac*, &c. Loquitur Chriſtus paſſionem ſuam intuens, cuius acerbitatem hic per variam metaphoram deſcribit, & ſimilitudinem; & mox verſ. 5. dat multitudinem perſequentium; & ubi ſolviſſe dicitur quod non rapuit. Sane ipſe peccata noſtra portavit, & hanc inſipientiam hominum vocat ſuam.

V. 7. & 8. *Non erubeſcant*, *&c.* Orat Chriſtus pro membris, & petit, ut non patiantur ſcandalum ex paſſione, item ut non erubeſcant & confundantur qui ex paſſione hac expectant ſalutem. Datur ratio, quia ſuſcepta eſt, Pater, te volente, pro hominibus, & ad tuum honorem.

V. 9. *uſq. ad* 14. *Extraneus*, *&c.* Pergit Propheta explicare in perſona Chriſti magnitudinem paſſionis. *Extraneus*, inquit, habitus ſum *a fratribus*, Iudæis, & velut advena, eo quod zelo gloriæ tuæ armatus, hortabar ad bonum. Nec abſtinui, a ieiunio, ſacco, & cilicio; & omnia vertebant in opprobrium mihi. In me loquebantur in ſuis conventibus, locis publicis, & conviviis.

V. 14. *Ego vero*, *&c.* Concludit explicatam paſſionis magnitudinem oratione ad Patrem pro inimicis; quando advenit *tempus beneplaciti*, ſeu quo complacuit tibi per hoc holocauſtum liberare mundum. Ergo exaudi patientem pro hominibus. *Exaudi in veritate ſalutis* promiſſæ, qui fidelis es in ea reddenda. *Eripe de luto*, ut non demergar. *Libera*: habeat hæc paſſio, & aſſequatur quod promittis. Quod per metaphoras declarat. Et eamdem petitionem inculcat nomine Chriſti Propheta, uſque ad verſum 20.

V. 21. & 22. *Tuſcis*, *&c.* Deum advocat in teſtem rerum in hac paſſione geſta-

gestarum; addita ampliore narratione improperiorum, sine ullo qui patientem consolaretur: & eo ventum est, ut pro esca mea daretur fel; de quo mox dicam.

V. 23. *Fiat mensa, &c.* Hinc usque ad versum 30. describit per modum imprecationis propheticæ, quæ ventura sunt Iudæis mala, propter summam eorum ingratitudinem. Quæ hic obscuriora sunt, mox subiiciam.

V. 30. *Ego sum pauper, &c.* Postrema hac parte Psalmi prædicitur Christi capitis gloria, & Ecclesiæ incrementum. Sic sane præclaro mortalibus exemplo relicto, Christus a cruce, in qua dolens, & tristis mortem passus est, transit ad immensam gloriam, & nominis honorem, in cælo, ubi sacrificium, non tam cruentum amplius, sed laudis offeret Deo. Ac tandem a versu 33. subnectitur exhortatio ad iustos præclara.

BOSSUET.

Vers. 3. NON EST SUBSTANTIA: *non possum consistere*: Hier. nihil est firmi. ALTITUDINEM, *profundum aquarum*, Hier.

V. 5. QUAE NON RAPUI, &c. Ex persona Christi: Ita mecum agitur ac si rapta ab altero, ab altero, eoque innoxio reperas: neque enim impiorum exemplo Deo rapui honorem debitum: at pro eis solvo quicumque rapuerunt: sicut scriptum est: *Propter scelus populi mei percussi eum*: Isa. LIII. 8.

V. 6. INSIPIENTIAM MEAM; ET DELICTA MEA: quæ in me suscepi: quia posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum: Isa. LIII. 6.

V. 10. ZELUS DOMUS TUAE. De Christo expellente vendentes in templo exponit Ioan. II. 17. OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI in me redundabant, cum dicerent: *Si Rex Israel est, descendat de cruce: confidit in Deo... liberet eum*, &c. Matt. XXVI. 42. 43. quare hunc Davidis locum de Christo Paulus intelligit, Rom. XV. 3.

V. 11. OPERUI, &c. *flevi in ieiunio animæ meæ*. Heb. cum ieiunarem, fletus miscui ieiuniis.

V. 12. IN PARABOLAM, in proverbium, in fabulam.

V. 13. QUI SEDEBANT IN PORTA; Senatus; Iudices; viri graves. QUI BIBEBANT VINUM; iuvenes; illusores. Sic omnes mihi iniqui, nec tantum furiosi, sed etiam qui sapientes videbantur.

V. 14. EGO VERO, &c. *Mea autem oratio*, &c. Hier. TEMPUS BENEPLACITI, *reconciliationis*: idem. Quippe cum *Deus* esset *in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis delicta ipsorum*: II. Corinth.

V. 19. DEUS: iunge sequenti.

V. 20. REVERENTIAM: *ignominiam*, Hier. & ita passim.

V. 21. IMPROPERIUM, &c. *Opprobrio contritum est cor meum*, &c. Hier.

V. 22. DEDERUNT IN ESCAM MEAM FEL. In Christo impletum: Matth. XXVII. 48. Ioan. XIX. 28.

Quod ad illud: IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO: peccavit gravissime Theodorus, qui hæc ex eventu Christo accommodata esse dixerit; cum legeret in Evangello Christum ipsum exhaustis viribus iam iam expiraturum, & hæc animo providisse, & ut implerentur consulto dixisse, *Sitio*, & porrectum acetum leviter delibasse, ut vaticinio non siti satisfecisse videretur, & inclamasse postea illud, *Consummatum est*: quo hoc totum dedita opera factum esse claret, attestante Ioanne factum, ut consummaretur Scriptura: Ioan. XIX. 28. 29. 30. Ergo Theodorus palam in Christum reus: sed an nostri innocentes, qui Christum quidem ipsum vident dedita opera in executionem vaticinii composuisse actus, eosque selegisse qui verbis Davidicis non alius aptarentur: vatem vero ipsum, seu potius Spiritum sanctum non etiam selegisse & composuisse verba quæ in Christi actus ita convenirent, ut nemo sanus alio detorquere posset?

Nec sum nescius probatos Interpretes, etiam Muisium nostrum in hunc Davidis locum ad allegoriam confugisse, ex similibus locis in quibus Deus populum suum felle, & absynthio potasse referatur: Ierem. VIII. 4. IX. 15. XXIII. 15. Thren. III. 15. 19. Reperio tamen eumdem Muisium, pensitatis circumstantiis victum, scripsisse: Corrigo id quod dixi, allegoricam esse locutionem in hoc versu: eo quod revera, & ad litteram conveniret Chri-

Christo. Nec immerito se se ipse reprehendit: non enim si Ieremias locis allegatis, metaphorice, seu potius proverbialiter dixerit: *Potum dabo eis aquam fellis*: aut: *Cibabo eos absynthio, & potabo eos felle*: aut denique: *Recordare paupertatis meæ, absynthii, & fellis*, &c. ideo omnia eius generis in metaphoras, aut etiam in proverbia solvi oportebit: immo vero contra, habent illæ metaphoræ proverbiales, statas ac veluti consecratas voces suas: nec in allegatis locis acetum legimus, sed fel, sed absynthium; nec in eiusmodi proverbialibus, aceto absynthium commutare, aut acetum felli iungere liceat; nullo eius rei exemplo.

Iam; si non adigas ad metaphoras, non illæ confingendæ erant ad arbitrium, ut iam monuimus; sed scrutandum ex contextu quid translatitie, quid proprie sonet: nec tu si vel maxime volueris, id ab animo tuo extorquebis umquam ut credas reipsa collectam absynthii & fellis tantam vim quanta universo populo pascendo suffecerit. Ergo hic e re nata ac necessario metaphora admittenda est: homini vero singulari ex inimicorum odio vere ingestum acetum in os, adeo non est impossibile ut Christo contigerit. Tum in hoc Davidis loco omnia ad proprietatem spectant: *Id conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me*: *improperium expectavit cor meum*, & *miseriam*: *sustinui qui simul contristentur*, & *non fuit*: & *qui consolaretur*, & *non inveni*: vers. 21. ut tantæ crudelitati nihil esset propius quam ut acetum quoque sitienti propinarent ad contumeliam, vers. 22. nec si res eventura erat aliis vocabulis David uteretur. Omnino enim quantumcumque metaphoras comminisci velis, fel aliquando fel erit, & acetum acetum. Favent circumstantiæ, & vim proprietatis intendunt: primum illud; *in siti mea*: quod loci ex Ieremia citati non habent, & ad metaphoram nihil, ad personæ statum designandum, facit plurimum: tum ipsum acetum, non ab aliis propheticis locutionibus mutuatum est, sed hic studiose positum: denique observanda est eiusdem aceti cum felle coniunctio: quam non consuetudo sermonis induxerit, ut vidimus, sed ipsa historiæ veritas. Etsi enim Christus non simul aceto ac felle potus; cum tamen ageretur in crucem, *Vinum dederunt ei bibere cum felle mixtum*: Matth. XXVII. 34. quæ licet separatim gesta, vatem tamen simul vidisse, & in unum collegisse nihil prohibet, ut oculis subiiceret iniuriæ cumulum, & sine more modoque exacerbata odia. Nec si escam fellis non potum; Propheta memoravit, ideo litteram abiicere cogimur: recte enim notant Interpretes, Genebrardus in primis, fel quia crassius, comestibilibus potius assignatum: neque ad has verborum minutias vaticinia exigere deceat; cum de summa ipsa constet, felque & acetum in os Christi oggesta & Propheta cecinerit, & Evangelistæ retulerint.

V. 23. MENSA EORUM... IN LAQUEUM: ut contingit avibus quæ victum quærentes capiuntur. ET IN RETRIBUTIONES: & *paces eorum in offendiculum*: Heb. Ubi prospera sperant, ibi impingant. De Iudæis intelligit Paulus: Rom. XI. 9. 10. nec minus eis conveniunt quæ sequuntur.

V. 26. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA. De Iuda proditore exponitur Act. I. 20. Congruit etiam Iudæis eversa Ierosolyma: quod Christus prædixerat: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: Luc. XIII. 35.

V. 27. SUPER DOLOREM, &c. Vulneribus vulnera, & insuper opprobria addunt.

V. 28. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM, deferendo, & permittendo, non operando: ut Theologi norunt.

V. 29. DE LIBRO VIVENTIUM: de ipsa vita: tamquam Deus vivos omnes in libro descriptos habeat, deleatque eos quos morti destinat. Altiore sensu, *Viventes*, ipsi iusti intelliguntur: & seqq. congruunt.

V. 32. PLACEBIT DEO SUPER VITULUM. Laus Deo acceptior quam victimæ: Psal. XLIX. 8. 23. L. 18. & alibi passim.

V. 33. VIDEANT PAUPERES ET LAETENTUR. Christi enim erga pauperes benevolentia singularis: convenit cum Psal. XXI. 27. LXXI. 4. QUAERITE DEUM, &c. *qui quæritis Deum, vivet*, &c. Hier. Eodem sensu hæc, & sequentia ad redemptionem per Christum, sub figura solutæ captivitatis, videntur pertinere.

V. 36. SION: spirituali sensu Ecclesiam; CIVITATES IUDA: singulares Ecclesias.

PSAL-

PSALMUS LXIX. DEPRECATORIUS.

Temporibus Absalomi convenit cum sequente. Hic autem gravi calamitate pressus festinum postulat auxilium vers. 6.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori David ad recordandum.

DEus ut liberes me: Domine ut auxilieris mihi festina.

Confundantur & erubescant, qui quærunt animam meam: convertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi malum.

Revertantur ad vestigium confusionis suæ, qui dicunt vah, vah.

Gaudeant & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem egenus & pauper, Deus festina pro me: auxilium meum & salvator meus es tu, Domine ne moreris.

VERSIO VULGATA.

In finem, Psamus David.

1. * In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

2. DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina.

3. Confundantur, & revereantur; qui quærunt animam meam:

4. Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

5. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

6. Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuva me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus*, Retinendus est casus quartus *rememorationem*, nec facile mutandum pronomen tertiæ personæ *eum* cum prima *me*, quamquam hoc Græce legatur.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. I. IN FINEM, PSALMUS DAVID, &c. Hebr. *Victori Psalmus David ad recordandum.*

V. 2. DEUS IN ADIUTORIUM, &c. Heb. *Deus ad liberandum me (festina.)*

V. 4. AVERTANTUR RETRORSUM ; id eft, excidant fpe, aut caufa fua. AVERTANTUR STATIM. Hebr. *Pro mercede ignominiæ fuæ*; id eft, ferant hanc mercedem ignominiæ, qua me afficiunt, ut *avertantur retrorfum.*

V. 6. DEUS ADIUVA ME. Hebr. *Deus propera ad me.*

S A.

Oratio in tribulatione.

Verf. I. IN REMEMORATIONEM. Hieron. *Ad recordandum.*

V. 2. INTENDE, id eft attende.

V. 3. REVEREANTUR. Hieron. *erubefcant.*

V. 4. MIHI, id eft de me. Chald. *contra me.* EUGE, EUGE. Hieron. *Vah, vah.* Hebr. *Heach, heach.*

V. 5. IN TE, id eft de te, feu propter te. SEMPER, iungendum cum *qui diligunt.* Dicere debent femper tales : Laudetur Dominus: feu, ut vulgo folet, Deo gratias. SALUTARE. Chald. *redemptionem.*

E S T I I.

nulla in hunc Pfalmum annotatio.

M A R I A N AE.

Verf. I. IN FINEM, PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONEM. Hebr. *Præfecto Davidis* (Pfalmus) *ad rememorandum*, id eft dignus qui memoriæ mandetur, nam formam orandi continet. Græce additur: QUOD SALVUM FECERIT EUM DOMINUS. Hebr. non eft, ac ne in omnibus Græcis codicibus, ut ait Græcus Scholiaftes. Sibi, fuisque opem petit. Eftque hic Pfalmus poftrema pars Pfalmi XXXIX. paucis mutatis.

V. 2. DEUS IN ADIUTORIUM. De hoc verfu multa Ioan. Caffianus Collat. X. cap. IX.

V. 3. CONFUNDANTUR, ET REVEREANTUR; pro, ignominia afficiantur.

V. 4. AVERTANTUR STATIM. Hieronym. *Revertantur ad veftigium confufionis fuæ*; id eft, involvantur fua ipforum ignominia. Hebræus: *Revertantur retro fuper veftigia viæ fuæ, quæ tota eft confufio.* Sept. *Super veftigium fumpferunt*, pro e veftigio. QUI DICUNT MIHI, id eft contra me. EUGE, id eft lætantur malis meis.

V. 5. QUI DILIGUNT, id eft cupiunt. SALUTARE TUUM. Hebr. *falutem tuam*, id eft a te promiffam. Ii exultent.

V. 6. EGENUS, ET PAUPER ego fum. Aiunt hunc Pfalmum fcripfiffe, cum ab Abfalone e Regno eiectus effet.

M A L V E N D AE.

Verf. I. IN REMEMORATIONEM. Hebr. *Ad recordari faciendum*, feu *ad commemorandum.* Vide Pfal. XXXVII. verf. I.

V. 2. DEUS IN ADIUTORIUM MEUM INTENDE, &c. Hic Pfalmus idem omnino eft, atque eiufdem argumenti cum Pfalm. XXXIX. a verf. 14. ad finem ufque: atque eiufdem fere vocibus conftat. Illinc petendæ Notæ.

V. 4. AVERTANTUR. Hebr. *Revertentur.* Aliqui: *Convertantur in fugam.* Alii: *Retrocedant, retrovertantur, terga dent, retro fundantur.* Pfalm. XXXIX. verf. 16. fcribitur, *Afflabuntur, ftupende defolabuntur.* STATIM ERUBESCENTES. Hebr. *Super calcaneum pudoris fui*, five *fuper calcem, veftigium, pudoris fui*; id eft, fugiant quam celerrime actis in fugam plantis præ pudore. Alias expofitiones vide in Pfalm. XXXIX. 16.

M E N O C H I I.

Verf. I. IN REMEMORATIONEM, falutis acceptæ. Sicut enim David fpiritu prophetico prævidit orationem Chri.

Christi pro salute fundendam; sic etiam prævidit salutem sine dubio secuturam, & in eius memoriam Psalmum Deo cecinit.

V. 2. IN ADIUTORIUM MEUM INTENDE: intentus, & attentus esto, ut mihi opem feras. AD ADIUVANDUM ME FESTINA: quandoquidem periculum imminet, & urget.

V. 3. CONFUNDANTUR, &c. *Quæ hic habentur usque ad finem Psalmi explicata sunt Psal. xxxix. a vers. 14. usque ad finem, & cum sint plane eadem, non est quod hic repetantur.*

TIRINI.

Vers. 3. REVEREANTUR, id est *erubescant*, ut vertit Hier. & Chald. & dixi Psal. LXVIII. 20. ANIMAM, id est vitam.

V. 4. AVERTANTUR a te, & per te, a felicitate ac prosperitate ad miserias & exitium: QUI DICUNT MIHI afflicto; EUGE, EUGE; Hier. *Vah, vah*; Chald. *Gavisi sumus*; *gavisi sumus* supple, de tua afflictione & miseria.

V. 5. DICANT: MAGNIFICETUR DOMINUS; id est, magni fiat Dei misericordia, qua suis opportune fert opem; id est, dicant, Deo gratias.

GORDONI.

Titulus. IN FINEM, PSALMUS DAVID, &c. Posteriora verba hæc, *Quod salvum eum*, &c. addita sunt a Septuag. Argumentum Psalmi est Christi oratio pendentis in cruce, pro sua salute, hoc est pro resurrectione corporis sui, & pro salute mystici corporis. Ita fere de argumento Latini Interpretes. At vero Basilius, Euthymius, & Nicephorus referunt ad memoriam antiquæ liberationis a Saule, vel Absalon, aut ab aliqua gravi necessitate.

Vers. 1. FAcilis est Psalmi huius explanatio, qui parum dissidet a Psal. XXXIX. uterque enim Psalmus habet sex ultimos versiculos eosdem.

BOSSUET.

Vers. 1. IN REMEMORATIONEM, sive ad recordandum; supple, divini auxilii. QUOD SALVUM FECERIT deest Hebr.

V. 3. REVEREANTUR: pudore afficiantur.

V. 4. EUGE. *Vah*, Hier. non enim adhortantis, aut collaudantis vox est; sed increpantis, & exprobrantis: qualis Semei II. Reg. XVI. 7.

V. 5. ET DICANT SEMPER, &c. Ordo verborum: *Qui diligunt salutare tuum, dicant semper: Magnificetur Dominus*: qui a te se salvos volunt, non se, sed Deum magni fieri optent.

V. 6. ADIUVA ME: *festina pro me*: Hier.

PSAL-

PSALMUS LXX. DEPRECATORIUS ET CONSOLATORIUS.

David ſenex Abſalomo rebellante, auxilium Dei quod ab ineunte ætate ſæpius expertus eſt, nec in fine ſibi defuturum ſperat, nota verſ. 9. 18.

VERSIO S. HIERONYMI.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

In iuſtitia tua erue me, & libera me: inclina ad me aurem tuam, & ſalva me.

Eſto mihi robuſtum habitaculum ut ingrediar iugiter, præcepiſti ut ſalvares me: quia petra mea & fortitudo mea es tu.

Deus meus ſalva me de manu impii: de manu iniqui & nocentis.

Quia tu es expectatio mea: Domine Deus fiducia mea ab adoleſcentia mea.

A te ſuſtentatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus: in te laus mea ſemper.

Quaſi portentum factus ſum multis, & tu ſpes mea fortiſſima.

Impleatur os meum laude tua, tota die magnitudine tua.

Ne proiicias me in tempore ſenectutis: cum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui obſervabant animam meam, inierunt conſilium pariter.

Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eruat.

VERSIO VULGATA.

Pſalmus David.

1. Filiorum Ionadab, & priorum captivorum.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum: 2. in iuſtitia tua
libera me, & eripe me.
Inclina ad me aurem tuam, & ſalva me.
3. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut ſalvum me facias,
Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.
4. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui:
5. Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea a iuventute mea.
6. In te confirmatus ſum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.
In te cantatio mea ſemper: 7. tamquam prodigium factus ſum multis,
& tu adiutor fortis.
8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.
9. Ne proiicias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
10. Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum,
11. Dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.

Deus

Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum festina.

Confundantur, & consumantur adversarii animæ meæ: operiantur opprobrio & confusione, qui quærunt malum mihi.

Ego autem iugiter expectabo, & adiiciam super omnes laudationes tuas.

Os meum narrabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum: quia non cognovi litteraturas.

Ingrediar in fortitudine Domini Dei: recordabor iustitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me ab adolescentia mea, & usque nunc annuntiabo mirabilia tua.

Et insuper usque in senectutem & canos Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi: cunctisque qui venturi sunt fortitudines tuas.

Et iustitiam tuam Deus usque in excelsum: quanta fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?

Qui ostendisti mihi tribulationes plurimas & malas conversus vivificabis nos: & de abyssis terræ rursum educes nos.

Multiplicabis magnitudinem meam: & conversus consolaberis me.

Ego autem confitebor tibi in vasis psalterii veritatem tuam; Deus meus cantabo tibi in cithara: sancte Israel.

Laudabunt labia mea cum cantavero tibi, & anima mea quam redemisti.

Insuper & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: quia confusi sunt & dehonestati, quærentes malum mihi.

12. Deus ne elongeris a me: Deus
meus in auxilium meum respice.
13. Confundantur, & deficiant detrahentes
animæ meæ: operiantur confusione,
& pudore qui quærunt mala
mihi.
14. Ego autem semper sperabo: &
adiiciant super omnem laudem tuam.
15. Os meum annuntiabit iustitiam
tuam, tota die salutare tuum.
Quoniam non cognovi litteraturam,
16. * introibo in potentias Domini:
Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.
17. Deus docuisti me a iuventute
meâ: & usque nunc pronuntiabo mirabilia
tua.
18. Et usque in senectam & senium:
Deus ne derelinquas me,
Donec annuntiem brachium tuum
generationi omni, quæ ventura est;
Potentiam tuam, 19. & iustitiam
tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti
magnalia: Deus quis similis tibi?

20. * Quantas ostendisti mihi tribulationes
multas, & malas: & conversus
vivificasti me; & de abyssis terræ
iterum reduxisti me:
21. Multiplicasti magnificentiam
tuam: & conversus consolatus es me.
22. Nam & ego confitebor tibi in
vasis Psalmi veritatem tuam: Deus
psallam tibi in cithara, sanctus Israel.
23. Exultabunt labia mea cum cantavero
tibi: & anima mea, quam redemisti.
24. Sed & lingua mea tota die meditabitur
iustitiam tuam; cum confusi,
& reveriti fuerint qui quærunt mala
mihi.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 16. *Introibo in potentias Domini*. Alii scribunt numero singulari *potentiam*.

V. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas*. Non scribas neutrum *quanta* pro feminino *quantas*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. HIc Pfalmus ἀνεπίγραφος eft apud Hebr.

V. 3. ESTO MIHI IN DEUM, &c. Heb. *Efto mihi arx fortis ut ingrediar femper*; id eft, ut in eam me recipiam. UT SALVUM ME FACIAS. Hebr. *Mandafti ad fervandum me*; id eft, manda (Angelis tuis) ut me fervent. *Angelis fuis mandavit de te, ut cuftodiant te in omnibus viis tuis.* Pfal. xc. 13.

V. 6. IN TE CONFIRMATUS, &c. Id eft, Tu me fuftentafti ex quo natus fum. TU ES PROTECTOR MEUS. Hebr. גוזי, *eductor meus* Pfal. xxi. 11. *In te proiectus fum ex utero.*

V. 7. ET TU ADIUTOR FORTIS. Hebr. *fpes mea fortis.*

V. 8. REPLEATUR OS MEUM LAUDE, &c. Hebr. *Repleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.*

V. 10. QUIA DIXERUNT INIMICI MEI MIHI, &c. Hebr. *Locuti funt inimici mei contra me: & qui obfervant animam meam* (infidiatores animæ meæ) *confilium inter fe inierunt.*

V. 14. EGO AUTEM SEMPER SPERABO. Id eft, non propterea defiftam fperare in te, & magis ac magis te laudare.

V. 16. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM. Hebr. *Quoniam non cognovi numeros*. Poffunt autem coniungi hæc verba cum præcedentibus, fic: Tota die narrabo falutem tuam (id eft, non numeratis horis) quoniam nefcio numerare. Aut cum fequentibus, fic: Quoniam non novi numeros; id eft, quamquam non novi numeros, non definam aggredi ad narrandum, aut contemplandum res fortiter a Deo factas.

V. 20. QUANTAS OSTENDISTI MIHI, &c. Hebr. אשר: *Qui oftendifti mibi afflictiones multas*: aut, *Quia*, vel; *quamquam, oftendifti mibi afflictiones multas, & mala; converteris, & vivificabis me*; id eft, ut vivifices me, & de abyffis terræ converteris, ut reducas me.

V. 21. MULTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM TUAM, &c. Hebr. *Multiplicabis magnificentiam meam, & converteris ut confoleris me.*

V. 22. NAM ET EGO CONFITEBOR. Heb. גם אני ego viciffim.

V. 24. CUM CONFUSI, &c. Hebr. כי, *quoniam*, aut *quando*.

SA.

Oratio in perfecutione.

Verf. 1. NON CONFUNDAR; id eft, ne me permittas confundi. IN AETERNUM, id eft umquam.

V. 2. IN TUA IUSTITIA, id eft per tuam iuftitiam: iufti enim eft ignofcere. Forte *iuftitiam* vocat mifericordiam, ut interdum folet.

V. 5. PATIENTIA. Hieron. *expectatio*. Chald. *fpes*. IUVENTUTE. Hieron. *adolefcentia*. Chald. *pueritia*.

V. 6. IN TE CONFIRMATUS. Hieron. *A te fuftentatus*. EX UTERO, id eft a conceptione mea. CANTATIO. Hieron. *laus*; quafi dicat: Te affidue laudo.

V. 7. PRODIGIUM. Hieron. *portentum*; quafi dicat, quem multi averfarentur.

V. 8. TOTA, id eft omni.

V. 10. DIXERUNT .... MIHI. Chald. *dixerunt contra me malum*. CUSTODIEBANT. Hieron. & Chald. *obfervabant*, fcilicet infidiantes. IN UNUM. Hieron. *pariter*.

V. 13. CONFUSIONE. Hieron. *opprobrio*.

V. 15. LITTERATURAM; quafi dicat, Etfi illiteratus. Chald. *numerum*, fcilicet beneficiorum Dei.

V. 16. POTENTIAS, fcilicet cognofcendas, feu contemplandas, feu prædicandas. Hieron. *fortitudine*; quafi dicat: Nitar in omnibus Dei virtute. IUSTITIAE, id eft perfectionis, vel mifericordiæ, utrumque enim folet fignificare.

V. 17. USQUE NUNC, fcilicet docuifti. PRONUNTIABO, id eft prædicabo.

V. 18. ET USQUE; pro, etiam ufque, fcilicet pronuntiabo, vel ne derelinquas. SENIUM, id eft ultimam ætatem: Aug. DONEC ANNUNTIEM; id eft, adeo ut poffim annuntiare. BRACHIUM, id eft potentiam, ut ftatim explicatur.

V. 19.

V. 19. Usque in altissima, excelcissima seu maximam. Chald. *usque ad cælos*.

V. 20. Ostendisti, id est, experiri fecisti. Conversus, pro iterum. Abyssis terrae, id est sepulcro, vel inferno, vel calamitatum profunditate. Iterum. Heb. *conversus*, pro iterum, seu rursum.

V. 21. Magnificentiam, id est magnificam erga me liberalitatem. Conversus, id est iterum.

V. 22. Nam. Chald. *sed.* Vasis psalmi. Chal. *instrumentis musicis*. Veritatem, id est fidem in promissis, scilicet celebrabo.

V. 24. Tota, id est omni. Meditabitur, id est loquetur. Chald. *annuntiabit*. Confusi et reveriti, id est pudore & verecundia affecti.

ESTII.

Vers. 7. Tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis. Hoc varie exponitur. Quidam sic: Multis factus sum tamquam prodigium; id est, ita fugerunt a me, & recesserunt, tamquam a prodigio & monstro quodam abominabili & horrendo; sed, illis deserentibus, tu factus es adiutor meus. Alii sic: Multi admirati sunt, tamquam rem prodigiosam, quod sim a te destitutus, cum semper soleam in te collocare fiduciam meam, sed tu contrarium ostendisti: quia etiam nunc factus es adiutor meus. D. August. intelligit hominem pium esse prodigium impiis, scilicet quia sequitur viam arctam, & angustam, & ea quæ sunt carni & sensibus dura & molesta; quod impiis videtur prodigio simile, iuxta illud I. Petr. IV. 4. *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.*

V. 15. & 16. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Hic incommoda distinctio parit obscuritatem: nam illud, *Quoniam non cognovi litteraturam*, præcedentibus iungendum, non sequentibus, hoc modo: *Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die laudem tuam, quoniam non cognovi litteraturam*. Præterea vox Hebræa *Sephoth* ambigua est, significans vel *litteraturas*: unde *Cariath Sepher*, civitas litterarum, Iosue XV. vel *numeros*. Si *litteras* intelligamus, erit hic sensus, ac si dicat: Os meum sane annuntiabit iustitiam tuam, & laudem, etsi non cognovi litteraturam, id est artem aliquam laudandi, sed quod deest arte, supplebit devotio. Si legamus *numeros*, sensus adhuc clarior est, hic videlicet: *Os meum annuntiabit laudem tuam*, immo *tota die*, & perpetuo occupabor in decantandis tuis laudibus, *quia non cognovi numerum*, numerum scilicet beneficiorum tuorum; quæ tam multa sunt ut nullo numero comprehendi possint, ideoque merito nunquam tacebo a laudibus tui. Quando quidem, ut ait D. Leo, ipsa materia ex quo est ineffabilis, fandi semper tribuit facultatem, nec potest deficere quod dicatur, dum numquam potest satis esse quod dicitur.

MARIANAE.

Vers. 1. Psalmus David, Filiorum Ionadab, et priorum captivorum. Hebr. est sine titulo: sic Hieronymus etiam ponit in Psalterio suo ex Hebræo, sed in Commentariis Vulgatam sequitur. Quare hic titulus additius videtur; sed ex quo Hieronymus Epist. IV. ad Rusticum, & XIII. ad Paulinum colligit. Rechabitas, quod metu belli suum deseruissent propositum (de quo Ierem. XXXV. 11.) primos in captivitatem actos. Implorat Dei opem contra impios.

V. 2. In iustitia tua libera me, id est per iustitiam, qua scilicet protegis iniuria oppressos.

V. 3. Esto mihi in Deum protectorem. Hebr. *Esto mihi in petram*: sed vocem צור *zur* sæpe noster Interpres vertit in *Deum*, & hic addit *protectorem*. Et in locum munitum. Vox Hebr. *mabon*, *habitaculum excelsum* significat. Hieronymus pro utraque voce *robustum habitaculum* posuit. Ut salvum me facias. Hebr. *ut vadam iugiter* (ad quem locum) *præcepisti ad salvandum me*; id est, si salvus esse vellem, sanxisti ut ad te confugerem. Firmamentum meum. Hebr. *Petra mea*. Et refugium meum. Hebr. *[illegible] arx mea es tu*.

V. 5. Patientia mea. Hebr. *spes mea*, fiducia mea. A iuventute. Hebr. *a pueritia*, id est a primis annis, ab ortu. Quod sequentia magis declarant.

V. 6. In te. Hebr. *super te*. Confirmatus sum: innitor ab utero. Protector, defensor. Hebr. *tu eductor meus*, scilicet

qui de ventre me exire fecisti: sine te non prodiissem in lucem. In TE CANTATIO MEA SEMPER; id est, de te semper laudes cantabo.

V. 7. TAMQUAM PRODIGIUM. Mirantur homines quasi portentum, me a te deseri: aut quod tot malis oppressus, evaserim tamen. ET TU ADIUTOR FORTIS. Hebr. *fiducia mea prævalida*.

V. 9. IN TEMPORE SENECTUTIS ne me proiicias; id est, qui a puero servasti, ne senem deseras. CUM DEFECERIT: repetitio, id est cum senex fuero factus.

V. 10. QUI CUSTODIEBANT, id est qui insidiabantur. ANIMAM MEAM, id est vitæ meæ. IN UNUM. Hebr. *simul*, *pariter*, uno consensu consultarunt.

V. 12. IN AUXILIUM MEUM RESPICE. Hebr. *Festina in auxilium*.

V. 13. CONFUNDANTUR. Hebr. *Pudefiant*. DETRAHENTES ANIMAE MEAE. Heb. *adversarii animæ meæ*, id est vitæ insidiantes.

V. 14. ET ADIICIAM; id est, semper novas de te laudes excogitabo.

V. 14. ANNUNTIABIT, narrabit, numerabit os meum. TOTA DIE, aut *omni die*, pro omnibus diebus, quotidie iustitiam, salutem tuam. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM. Hoc Hebr. iungitur cum superiori verbo, *Os meum annuntiabit iustitiam tuam*; sed melius cum sequentibus, ut Græce, & Latine. Huius loci tres sunt versiones, & explicationes. Prima: Quoniam imperitum me fateor, ea humilitate fretus, mihique diffisus, Dei auxilium implorabo.

V. 16. INTROIBO IN POTENTIAS. Hebr. *Veniam in fortitudines Domini*, ad eum confugiam. Rom. Psalterium: *Quoniam non cognovi negotiationes*, id est fraude omni sum liber, quæ in commercio versatur, ea fretus innocentia adibo ad Deum. Pro γραμματείας legerunt πραγματείας, ut est in Bibliis Græcis Romæ editis, id est pro *litteratura*, *negotiationem*. Hebr. *Quoniam non cognovi numeros*, scilicet beneficiorum tuorum, quæ innumera sunt, cura relicta ea numerandi, me in preces convertam, te implorabo. Sic Chald. locum intelligit: sic Hebræi. De hoc loco plura de Spectaculis cap. XIII. diximus.

V. 18. ET USQUE IN SENECTAM. Heb. *etiam usque ad senectam*; id est, ne tunc quidem me derelinquas. POTENTIAM TUAM; supple, donec annuntiem potentiam tuam.

V. 19. USQUE IN ALTISSIMA, id est quæ potentia & iustitia ad cælum pertingit. QUAE FECISTI MAGNALIA; pro, eorum magnalium quæ fecisti, potentia altissima est.

V. 20. QUANTAS OSTENDISTI MIHI. Hebr. *qui videre fecisti me* (id est experiri) *angustias multas*. Ergo laudabo te, qui cum me in angustias conieceris, inde tamen me liberasti. ET DE ABYSSIS TERRAE, id est profunda terra, extremis scilicet malis & calamitatibus. ITERUM REDUXISTI ME. Hebr. *convertisti*; pro, conversus exaltasti me.

V. 21. MAGNIFICENTIAM TUAM, multiplicasti. Hebr. *meam*, sed utriusque erat, & Dei qui faciebat, & Davidis qui accepit.

V. 22. NAM ET EGO. Hebr. *etiam ego*, scilicet beneficii memor. CONFITEBOR TIBI, laudabo. IN VASIS PSALMI. Hieron. *in vasis psalterii*. Hebr. *in vase nablo*. *Vas* sumitur pro instrumento. De *nablo* quid sit, sæpe est dictum. SANCTUS ISRAEL; pro, o Sancte Israelis: sic Hier.

V. 14. SED ET LINGUA MEA TOTA DIE, aut omni die, semper. MEDITABITUR: sic Hieronym. Alii, *loquetur*. Vox Hebr. *meditari*, & *loqui* significat. CUM CONFUSI ET REVERITI; id est, cum ignominia fuerint affecti qui quærunt mala mihi, tunc laudabo te.

MALVENDAE.

Verf. 1. IN TE DOMINE SPERAVI, &c. Putant hunc Psalmum scripsisse Davidem iam senem, cum fugeret ab Absolomo filio, ut multis huius odes versibus non obscure indicatur. Idem initium habet cum Psal. XXX.

V. 2. IN IUSTITIA TUA. Alii: *Pro iustitia tua*, vel *iustitia tua*, seu *per iustitiam tuam*; id est, quia iustus es, & beneficus.

V. 3. ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM ET IN LOCUM MUNITUM. Heb. varie convertuntur. I. *Esto mihi fortis habitaculo ad veniendum iugiter*. II. *Esto mihi in rupem habitaculi*; id est, esto mihi rupes, quam inhabitem: frequentes enim rupes erant in terra sancta, in quas se recipiebant metu hostium: vel, *Esto mihi robustum habitaculum*, *ut illud ingrediar*

iugi-

iugiter. III. *Esto mihi robusta rupes, in quam semper confugiam*. IV. *Sis mihi instar rupis munitissimæ, ut iugiter tute obambulare possim*. V. *Sis mihi vice robustissimæ rupis, ad quam iugiter confugiam*. VI. *Esto mihi rupes, quam inhabitem, quo veniam iugiter*. Notant, Hebraice propter similitudinem litterarum duplicem esse lectionem: מעון *magbon*, *in petram habitaculi*, seu *caveæ*; מעוז *magboz*, *in petram obfirmationis, roboris, munitionis*. Prior lectio frequentior, & præstantior. UT SALVUM ME FACIAS. Heb. *Precepisti ad salvandum me*. Alii: 1. *Præcepisti servare me*: 2. *Manda, ut me servent*; subaudi, Angeli tui: 3. *Constituisti, decrevisti servare me*: 4. *Quemadmodum præcepisti ut me servent*, Angeli tui: 5. *Præceptum posuisti de servando me*, id est promisisti verbo tuo.

V. 4. ET INIQUI. Participium חורץ *choretz*, varie reddunt: 1. *Et opprimentis*, seu *vim inferentis*; 2. *Et inficientis, fermentantis*, id est depravantis, & corrumpentis doctrinam; 3. *Et fermentescentis cruenti*; 4. *Et præfracte agentis*; 5. *Et violenti, tyranni*.

V. 6. IN TE CONFIRMATUS SUM EX UTERO, &c. id est, tu sustentas me inde a conceptu atque ortu meo. DE VENTRE MATRIS MEAE TU ES PROTECTOR MEUS. Alii reddunt: 1. *A visceribus matris meæ tu abripuisti me*: 2. *Ab ipsis visceribus matris meæ tu avulsisti me*: 3. *Tu de visceribus matris meæ secrevisti me*. IN TE CANTATIO, seu LAUS MEA SEMPER. Quidam: *De te gloriatio mea semper*; quasi dicat: De te glorior indesinenter. Alii: *Hinc omnem laudem meam de te consumo*. Nonnulli: *Quare in laudando te merito sum occupatus assidue*. Aliqui: *In te est laus mea iugiter*; id est, nulla pas vitæ meæ vacat beneficiis, ac proinde tota ad laudem tuam pertinet.

V. 7. TAMQUAM PRODIGIUM, &c. Varie exponunt: I. *Velut portentum factus sum multitudini*; id est, ut res dira, & abominanda; ut malum omne habitus sum; ut monstrum & spectaculum malorum. II. *Tamquam rem prodigiosam fugerunt me plurimi*. III. *Ceu portentum factus sum multis*; id est, admirantur multi, quod cum semper fiduciam meam in te collocem, sim a te destitutus. IV. *Tamquam ostentum fui multis*: adeo est mihi receptus robustus, id est tanta fide & virtute protexisti me, ut exemplo meo, quod illis ostendisti, multi adducti sint ad credendum tibi. Hanc enim propriam esse vocis Hebrææ מופת *mopheth* significationem, arguunt omnes Scripturæ loci, ubi personis tribuitur. V. *Tamquam miraculum fui multis*: quia tota Davidis vita inde a pueritia rebus præclare gestis, insignis, & admiranda fuit. VI. *Tamquam exemplum fui multis*, id est iudiciorum tuorum, & vindictæ, cum me tot obrutum malis vident.

V. 8. REPLEATUR OS MEUM LAUDE TUA. Exponunt: Id est, ita mihi benefac, ut nihil in ore geram præter quam beneficia tua, laudandi tui argumenta.

V. 9. IN TEMPORE SENECTUTIS. Incidit coniuratio Absolomi in extrema Davidis tempora. Vide II. Samuel. xv. 7.

V. 10. CONSILIUM IN UNUM. Vide II. Samuel xvi. 20. & xvii. 1. usque ad 15.

V. 14. EGO AUTEM SEMPER SPERABO, vel ANXIE, ENIXE EXPECTABO. Quidam reddunt: *Ego vero iugiter in expectatione sum*, me a te ab hac coniuratione liberatum iri: certa fide ac spe eam præstolor. ET ADIICIAM SUPER OMNEM LAUDEM TUAM. Quidam convertunt: *De tota laude tua experrecturus sum*; id est, quandoquidem iamque laudis argumenta dedisti mihi, & certis quasi particulis illius aspersisti me, liberando me ex urbe, & Achithophelis consilium evertendo; confido te effecturum, ut tota tua laus in plena mea instauratione demonstretur. Verbum *adiiciam*, seu *addam*, est ex Hiphil, & significatum intendit; quasi dicat: Quam maxime cumulabo.

V. 15. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM. Heb. *Quia non cognovi numeros*. Alii: *Tametsi non novi numeros*, subaudi beneficiorum tuorum; quasi dicat: Quia tot sunt beneficia tua, ut nullo modo comprehendi numero possint. Alii: *Quorum ego modum ignore*. Quidam: *Quamvis tot existent in me & tanta beneficia, ut numerum ignorem*. Nonnulli: *Quamvis ignorem numerum eius*, scilicet iustitiæ, & salutis tuæ. Vide Psal. xxxix. 6. Est autem in his verbis modesta correctio; quasi dicat: Narrabo res inenarrabiles, non pro ipsarum amplitudine, sed pro tenui facultate mea; aggrediens saltem, versu sequente; & fideliter expendens quæ docueris me,

vers. 17. Possis ex similitudine vocis, & significatione reddere: *Quia non novi siphras*, id est arcanas & reconditas rationes tuorum consiliorum. Sic solent principes siphris, seu scripturæ nobis arcana sua consilia perscribere.

V. 16. INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI. Diversimode accipiunt. I. *Ingrediar in potentias Domini Iehovæ*; id est, aggrediar narrare fortia facta Domini Iehevæ. II. *Quidquid umquam aggrediar, fretus omnipotentia Domini Dei aggrediar*. III. *Veniam* ad bellum *in fortitudinibus Domini Iehovæ*; id est, suscipiam id bellum fretus virtute Iehovæ. IV. *Aggrediar* canere *omnimodam fortitudinem, Domine Iehova*.

V. 18. ET USQUE AD SENECTAM ET SENIUM. Clarius reddunt: *Quare etiam tantisper, dum senex & canus sum*. Alii: *Ne igitur senem & canum*. Nonnulli: *Neque ergo in senio, neque ætate decrepita, Deus, derelinquas me*. DONEC ANNUNTIEM BRACHIUM TUUM GENERATIONI OMNI, QUAE VENTURA EST: POTENTIAM TUAM. Heb. *Donec annuntiabo brachium tuum generationi: omni veniet, potentiam tuam*. Exponunt: 1. *Donec annuntiem brachium tuum generationi huic; omni, qui venturus est, potentiam tuam*: 2. *Quominus annuntiem posteritati brachium tuum: & omni, qui nasciturus est, potentiam tuam*: 3. *Quo ad indicavero brachium tuum meæ ætatis hominibus: & universæ posteritati omnipotentiam tuam*: 4. *Donec indicavero brachium tuum huic generationi: omni venturæ generationi fortudinem tuam*. *Brachium tuum*, id est opus maximum, & valentissimum, ut sequentia exegetice ostendunt.

V. 19. ET IUSTITIAM TUAM, DEUS, USQUE IN ALTISSIMA, QUAE FECISTI MAGNALIA. Nos verba Hebræa ordine reddidimus (*E iustitiam tuam, Elohim usque ad elevationem quæ fecisti grandia*.) Alii: 1. *Et iustitiam tuam, Deus, quæ est usque in excelsum, quia fecisti magna*, vel *& quæ fecisti magna*: 2. *Deinde & iustitiam tuam, Deus, qua res magnas perfecisti, in altum extollam*: 3. *Et iustitiam tuam, Deus, laudibus in altum extulero, qui designasti maxima*: 4. *Nam iustitia tua, Deus, in alusque assurgit, quia facis res magnas*.

V. 20. OSTENDISTI MIHI, &c. Hebraice: *Videre fecisti me*, id est experiri: Synecdoche usitatissima in Scriptura. ET CONVERSUS VIVIFICASTI ME. Hiebraismus vulgatissimus, *Reverteris, vivificabis me*; id est, *rursus, denuo, iterum, vitæ restitues me*. Vide in Genes. XXVI. 18. sic in fine versus: *Et de abyssis terræ reverteris, ascendere facies me*; pro *rursus facies ut ascendam*. Non tam recte alii: *Sed reversus ad me ira deposita, animum restituisti mihi*.

V. 21. ET CONVERSUS CONSOLATUS ES ME. Heb. *Et circumgyrabis, consolaberis me*. Hebraismus similis præcedenti, tametsi hic aliud sit verbum; pro, *Rursus consolaberis me*. Quidam: *Et divertens consolaris me*, id est divertens ad me: humanitus dictum. Alii: *Et reversus ad me, clementissime tractasti me*.

MENOCHII.

Vers. 1. FILIORUM IONADAB, &c. Hæc inscriptio non est in textu Hebræo, sed postea addita. Videtur significare titulus Psalmum hunc ex usu synagogæ cani solitum in persona filiorum Ionadab (quorum celebris est obedientia ex cap. XXXV. Ieremiæ) & ceterorum, qui sponte in priorem captivitatem cum Rege Ioachin profecti sunt, III. Reg. XXIV. 12. Ieremia propheta, ut ita facerent hortante, & filiis Ionadab exemplo suæ obedientiæ præeuntibus, & prædicationi Ieremiæ parentibus, ut conicit Bellarminus. PRIORUM CAPTIVORUM. Dicitur *priorum*, quia post captivitatem, quam proxime memoravimus, iterum qui remanserant abducti sunt in captivitatem sub Sedecia. Rege Iuda, ut habemus IV. Regnum num. 11. cap. XXV. NON CONFUNDAR: ne confundar: nam particula אל *al* est prohibentis. Ne repulsam patiar, unde mihi non exaudito sit erubescendum.

V. 2. IN IUSTITIA TUA: quia iustus es afflictorum vindex.

V. 3. IN DEUM PROTECTOREM. Deus protector. IN LOCUM MUNITUM, ad quem tuto confugere possim. FIRMAMENTUM MEUM: cui tamquam firmissimæ rupi innitor, ut indicant Hebraica.

V. 4. DE MANU PECCATORIS. Vel Absalonem intelligit, vel ponitur singulare pro plurali, ut sensus sit, de manu peccatorum. CONTRA LEGEM AGENTIS, ET

ET INIQUI, violenti, iniqui & me iniuste persequentis.

V. 5. TU ES PATIENTIA MEA: a quo nunc expecto patienter, & semper auxilium expectavi.

V. 6. IN TE CONFIRMATUS SUM EX UTERO. In Hebr. est: *Super te innixus sum de ventre*. DE VENTRE MATRIS MEAE, a prima infantia mea. IN TE CANTATIO MEA SEMPER. Tu perpetuum hymnorum, & canticorum meorum argumentum fuisti: semper cantavi, & cantabo te, & beneficentiam tuam.

V. 7. PRODIGIUM: res stupenda, & portentosa ob malorum, & calamitatum magnitudinem.

V. 9. NE PROIICIAS ME IN TEMPORE SENECTUTIS. Cum me semper ab infantia protexeris, ne me destituas, aut abiicias nunc cum senex factus sum. CUM DEFECERIT, &c. Repetitio primi hemistichii: Nunc cum virtus mea, scilicet vires meæ præ senio defecerunt, ne me relinquas.

V. 10. DIXERUNT MIHI: locuti sunt contra me. CUSTODIEBANT: observabant me, noscendi occasiones captantes. IN UNUM collecti.

V. 12. RESPICE. In Hebræo est *Festina*, in Græco *Intende*.

V. 13. DETRAHENTES ANIMAE MEAE. Hebr. *adversarii animæ meæ*: calumniantes me. OPERIANTUR CONFUSIONE: confundantur, pudefiant.

V. 14. ADIICIAM SUPER OMNEM LAUDEM TUAM. Ad tot laudes tuas aliquid semper addam: semper laudibus laudes cumulabo.

V. 15. ANNUNTIABIT, celebrabit. SALUTARE TUUM, salutem, quam tuo beneficio consequar. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM. Pro *litteraturam* in Hebræo est, ספרות *sophoroth*, quæ vox a radice ספר *saphar* deducta, significare potest numerationes, scripturas, libros, litteras, sive litteraturas. Alii aliter hunc locum interpretantur. Vel ergo per litteraturam intelligit humanam sapientiam, & astutiam, quali abundabat Achitophel. Illudque, *Non cognovi*, idem est ac *non probavi*: quasi dicat: Non novi sapientiam huius mundi: non confido in humanis consiliis; non approbo astutiam, & prudentiam sæculi. Vel sensus est: Quia humana institutione in litteris admodum eruditus non sum, ut qui de post fœtantes, & ex rustico pastore assumptus sum in militiam, & postea in regnum; tamen, &c.

V. 16. INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI. Vel sensus est, Adhærebo penitus divinæ potentiæ; in illa confidam; illa quasi arce munitissima abscondar. Vel, Ingrediar ad contemplanda magnifica Dei opera, & ad ea aliis prædicanda accingar. MEMORABOR IUSTITIAE TUAE SOLIUS. Recordabor, & mente retinebo iustitiam tuam, qua servas promissa, punis impios & bonos bonis afficis.

V. 17. DOCUISTI ME A IUVENTUTE MEA. Spiritu tuo instruxisti, & multa experientia docuisti, hoc præsertim ut in te confiderem. ET USQUE NUNC, &c. Et quamdiu vivam prædicabo mirabilia tua, eaque præsertim quæ circa me acta sunt cum a periculis me eruisti, &c.

V. 18. ET USQUE IN SENECTAM ET SENIUM, scilicet pronuntiabo mirabilia tua. Per *senium* intelligit extremam senectutem, ætatem decrepitam. BRACHIUM TUUM, auxilium, robur, potentiam tuam, qua nos protegis.

V. 19. USQUE IN ALTISSIMA QUAE FECISTI MAGNALIA. Celebrabo potentiam, & iustitiam tuam, quæ extenditur usque ad altissima magnalia quæ fecisti. Non enim solum cælum, & terram fecisti, sed ea etiam quæ magis sublimia sunt, ut Angeli: nec homines tantum peccatores punis, sed iustitia tua usque ad Angelos porrigitur, quibus peccantibus non pepercisti.

V. 20. OSTENDISTI MIHI: experiri me voluisti. MALAS, graves. CONVERSUS, placatus. Vel phrasis est Hebraica, ut *conversus* idem sit quod *iterum*. DE ABYSSIS TERRAE, de extremis malis. REDUXISTI, eduxisti.

V. 21. MULTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM TUAM. Multis modis ostendisti mihi magnificentiam bonitatis tuæ. ET CONVERSUS CONSOLATUS ES ME. Et post tribulationes, & ærumnas iterum solatus es me, molestiis omnibus abstersis.

V. 22. CONFITEBOR TIBI: laudabo te. IN VASIS PSALMI, in musicis instrumentis. VERITATEM TUAM: promissorum tuorum veritatem, & fidelitatem celebrando.

do. Sanctus Israel. O Sancte Israel, qui scilicet Israelem sanctificabo.

V. 23. Exultabunt labia mea cum cantavero tibi. Non solum per psalterium, & citharam tibi gratias agam, & te laudabo; sed etiam exultabunt labia mea, os scilicet meum, & præcordia mea tibi iubilabunt. Quam redemisti: e periculis eripuisti.

V. 24. Meditabitur iustitiam tuam: exercebit se celebrando iustitiam tuam. Cum confusi, &c. Cum qui mala machinantur, spe sua frustrati fuerint, & pudore affecti.

TIRINI.

Vers. 1. FIliorum Ionadab, id est Rechabitarum, Ierem. xxxv. *& priorum captivorum*; id est, usurpatus est hic Psalmus a Rechabitis, & qui in prima captivitate e sua terra migrarunt Babylonem. Vide Chronicon capite xxxv. Hic tamen titulus non est in Hebræo, neque in Græco.

V. 5. Tu es patientia mea, id est a quo patienter opem exspecto: Hieron. *exspectatio*; Chald. *spes mea*, ut mox sequitur.

V. 6. In te cantatio mea semper, supple versabitur; id est, de te, tuaque misericordia, & singulari providentia, erunt omnia mea cantica, & hymni.

V. 7. Tamquam prodigium (Hieron. *quasi portentum*) factus sum, id est apparui hominibus, ob tot ærumnas quibus affligor, & tamen salvus semper emergo. Allegorice Christus; Tropologice quivis iustus est impiis prodigium, quia sequitur vitam arctam, & carni invisam.

V. 10. Dixerunt mihi. Chal. *malum contra me*.

V. 15. Non cognovi litteraturam. Hæbræum ספרות *sephoret* proprie etiam numerationem & computum significat; unde Chald. Symm. & Vatabl. vertunt *numerum*, scilicet beneficiorum divinorum. S. Augustinus cum Arnobio, Cassiodoro, & auctore operis imperfecti in Matthæum, cum Psalterio veteri Romano, & Sixtini, legentes πραγματείας pro γραμματείας ut habent Septuaginta, verterunt, *negotiationem*, nempe fraudulentam & dolosam. Sed optime Noster: *Non cognovi litteraturam*; id est, non sum versatus in humana sapientia, & eloquentia: nam semper vel pastor ovium fui, vel miles. Tamen

V. 16. & 17. Introibo in potentias Domini; id est, *ingrediar* (ut Hieron. & Chald. vertunt) ad opera divinæ omnipotentiæ contemplanda. Hæc mihi pro libris, & magistris erunt, & satis superque me docebunt nosse, laudare, & colere Deum. Et hæc scientia mihi abunde sufficit, quam docuisti me a iuventute mea; immo a puero, nempe vel per internam inspirationem, vel per pios parentes meos.

V. 20. Conversus, id est rursus. *De abyssis terræ*, id est ex ærumnarum profundo, quasi ex inferno. Allegorice Christus e limbo.

V. 24. Reveriti, id est pudore, & verecundia affecti. Hieron. *dehonestati*; Chald. *opprobrio affecti*: ut supra Psal. LXIX. 3.

GORDONI.

Titulus: Psalmus David, filiorum Ionadab, &c. Hic Psalmus est ἀνεπίγραφος apud Hebræos: recipiendus tamen est titulus, sive a LXX. sive ab Esdra, sive ab alio sit appositus: indicat Psalmi argumentum. Nec certe debuit Lyranus tam facile similes titulos nihili facere. Ceterum communior sententia est, hunc Psalmum scriptum fuisse a David, cum iam senex fugeret a facie Absalonis. Canitur vero hic Psalmus alio sensu (ut titulus indicat) in persona filiorum Ionadab, & aliorum, qui in prima captivitate sponte in Babylonem iverunt: sive quia qui titulum apposuit, iudicavit aptum esse illis canticum; sive quia David in spiritu hoc prævidit. Vide Ierem. cap. xxxv. De captivitate Babylonica triplici dixi alibi.

Vers. 3. ESto mihi..... in locum munitum. Septuag. εἰς τόπον ὀχυρόν. Hebr. *Ad ingrediendum iugiter iussisti*. Unde apparet post tempora LXX. mutatum hic esse textum Hebraicum: ita saltem suspicatur Bellarminus; quam-

quamvis si idem sensus haberi potest, non erit valde de apicum mutatione certandum. Confer hunc locum cum versiculo 4. Psal. xxx. & apparebit quid in Hebræo legerint Septuag. Interpretes, qui duobus illis locis in sensu nihil mutant.

V. 15. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM, &c. Hæc verba in Hebræo coniunguntur cum præcedenti versiculo; at vero in Græco codice, & Latino coniunguntur cum sequentibus: & ita sane cum Septuag. lectio est probanda, quibus magis creditur quam punctis, & fictionibus Rabbinorum. Ceterum per *litteraturam* (apud Septuag. γραμματείας) quamvis aliqui intelligant doctrinam litteris contentam, & hoc sensu Davidem non scivisse litteras; tamen (quod plures sentiunt) probabilius est, eum litteras tales scivisse, & per litteraturam intellexisse πραγματείας (ut aliqui putant fuisse olim in Græco codice) & humanam industriam, in qua est sapientia huius mundi; hoc est, nec probasse talem litteraturam, nec ea usum fuisse; quod versiculis insequentibus etiam insinuat. In Hebr. est ספרות *sopheroth*, *scripturæ*, *libri*, numeratum est a rad. ספר, *narrare*, & *numerare*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verf. 3. IN *te Domine speravi*, &c. David in hac sua fuga, a facie Absalonis, ostendit hic rebus regni valde inclinatis, suam in Deo fiduciam; nixus non quidem meritis suis, sed Dei promissionibus, & bonitate. Crebra repetita petitio affectum orantis demonstrat. Quod est verf. 4. *De manu peccatoris*, ad litteram (ut hunc Psalmum, & xxx. intelligo) est de Achitophele, & Absalone.

V. 5. 6. & 7. *Quoniam tu es patientia mea*, seu dator patientiæ meæ, qua tolero adversa, expectans tuum auxilium; qualis est patientia mercenarii. Et fatetur se præventum a Deo, antequam sciret, vel posset invocare Deum; ac proinde semper agnoscit Deum esse protectorem fortem, & constantem; quamvis nunc profugus a regno habeatur velut prodigium, & admirationi vicinis suis.

V. 8. *usq. ad* 16. *Repleatur os meum laude* tua, quidquid homines dicant. Tu tantum inclinata ætate iam mea, ne me abiicias, ut putant me esse abiectum a te inimici mei, & qui antea mihi erant a consiliis, vel satellites: hi hortantur ad malum contra me. David tamen versu 12. pergit Deo fidens, petere ab eo auxilium, permansurus constanter in laude Dei.

V. 16. QUONIAM NON COGNOVI has humanas versutias, & sæculi huius πραγματείας, nec illis usus sum, ut faciunt qui regnum meum invadunt: ideo a te, Domine, totus pendebo: tu es qui me litteraturam sanctam, & sapientiam docuisti. Non te derelinquam; sed prædicabo virtutem tuam, potentiam, & magnalia tua. Nemo tibi similis est. Sic versum hunc 16. interpretor, & interpunctione distinguo, secutus Latinam editionem, & plures Græcos codices, ut mox dicam.

V. 20. & *seq. Quantas ostendisti mihi* tribulationes? multas sane, & tamen ab his omnibus eruisti me: & propterea confitebor, & laudes dicam perpetuas. Sic se consolatur David in tribulatione, & posteris relinquit exemplum.

BOSSUET.

Verf. 1. FILIORUM IONADAB: de quibus Ierem. xxxv. Hunc titulum sic refert, & exponit Hier. epist. ad Paulin. de instit. Monachi. Filiis Ionadab, & eorum qui primi in captivitatem ducti sunt: qui in tabernaculis habitantes ad extremum propter irruptionem Chaldæorum exercitus Ierosolymam intrare compulsi, hanc primam captivitatem sustinuisse dicuntur: quod post solitudinis libertatem urbe quasi carcere sint reclusi: ut est apud Ier. xxxv. 11. Ceterum in Hebræo nullus est titulus, neque quidquam in textu quod ad Rechabitas, eorumque patrem Ionadabum proprie pertineat: quem tamen Psalmum ad divinam misericordiam impetrandam per id tempus decantatum, eo quod necessitate compulsi a patriis institutis deflexisse viderentur, haud absimile vero est.

V. 3. IN DEUM PROTECTOREM: deest Hier. nisi forte idem est cum loco munito, sitque vulgata versio duplex. Addit

dit autem Hier. *ut ingrediar iugiter*, tu mihi non modo tutum, sed etiam continuum refugium, ac semper patens: addit & Hebr. *præcepisti servare me*: tanta tibi est cura salutis meæ ut de me tuendo mandata dederis Angelis tuis: *Angelis enim suis mandavit de te*. Psal. xc. 11.

V. 5. PATIENTIA MEA, *expectatio*, Hier.

V. 6. CONFIRMATUS, *sustentatus*, Hier. te nitor. DE VENTRE MATRIS MEAE PROTECTOR, *extractor*, *avulsor*: Hebr. Tu mihi obstetricis loco: per te matris meæ faustus partus fuit: iam inde a nativitate tua in manus sum depositus. Sic Ps. XXI. CANTATIO, laus, Hier.

V. 7. TAMQUAM PRODIGIUM, &c. In me obstupuerunt, cum viderent tot insitatos vitæ meæ casus, tantunque Regem ab omnibus repente destitutum. Vide præf. cap. VIII. num. 41.

V. 8. UT CANTEM GLORIAM TUAM: desunt Hier.

V. 9. CUM DEFECERIT VIRTUS MEA, *fortitudo mea*, Hier. En senes, confectis corporis, animique viribus, quale sibi auxilium parare debeant.

V. 10. DIXERUNT INIMICI MEI MIHI, de me. QUI CUSTODIEBANT ANIMAM MEAM: *qui observabant*, &c. Hier. qui insidiabantur vitæ meæ. CONSILIUM FECERUNT, convocato Achitophel, & aliis, sacrificii obtentu, II. Reg. xv. 12. dicebant sequentia.

V. 11. DEUS DERELIQUIT EUM, ut adulterum, & homicidam. Agite, opportunum tempus est. PERSEQUIMINI .... NON EST QUI ERIPIAT. Hoc erat consilium Achitophel, II. Reg. XVII. 1, & 2. *Consurgens persequar David hac nocte*: & *irruens super eum* ..... *percutiam Regem desolatum*, &c.

V. 13. DETRAHENTES ANIMAE MEAE, *adversarii*, Hier.

V. 14. ADIICIAM SUPER OMNEM LAUDEM TUAM: novis te in dies laudibus cumulabo.

V. 15. IUSTITIAM TUAM, qua me ab impiis ac perfidis vindicasti. *Litteraturam*, numerationem, Hebr. *numerum*, mirabilium tuorum. Quia mox dixerat: *Os meum annuntiabit iustitiam tuam*, & *salutare tuum*: nunc se agnoscit tantæ rei imparem, nec posse recensere innumerabilia Dei beneficia. Sic Psal. XXXIX. 6. Theodor.

V. 16. INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI: *ingrediar in fortitudine Domini Dei*: Hier. ἐν δυναστείᾳ, LXX. Error in Vulg. ut videtur. Nota verborum connexionem. Primum annuntiabo iustitias & misericordiam tuam: tum agnoscit id esse supra vires suas: Introibo tamen, inquit, te duce & auctore in hæc inscrutabilia.

V. 19. IUSTITIAM TUAM USQUE IN ALTISSIMA, &c. Aliter Hier. *Annuntiabo iustitiam tuam usque in excelsum*: *exaltabo eam*: mox: *Quanta fecisti magnalia*! &c.

V. 20. QUANTAS OSTENDISTI..... VIVIFICASTI ME...... REDUXISTI ME: *qui ostendisti*..... *vivificabis nos*....... *educes nos*: Hier. Pro multitudine malorum bona cumulatim in nos conferes.

V. 21. MULTIPLICASTI....... CONSOLATUS ES: *multiplicabis*: *consolaberis*: Idem.

V. 22. VASIS PSALMI: *instrumento nablio*: Hebr. instrumentis musicis σκεῦη Græc. vas, & instrumentum. SANCTUS ISRAEL: *Sancte*: Hier.

PSAL-

PSALMUS LXXI. HISTORICUS, ET PROPHETICUS

Davidis, cum moriens Regem constitueret Salomonem. Ingressis namque ad eum optimatibus, ac dicentibus: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum: & magnificet thronum eius super thronum tuum: *ad quæ verba* adoravit Rex in lectulo suo: & *hæc* locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis: III. Reg. 1. 47. *qua in exultatione Vir sanctus ac supra se ipsum evectus, Christoque suo intentus, magnificentissimo carmine vaticinatur de adventu eius, & vocatione gentium. Neque satis conveniunt Salomoni quæ dicuntur vers.* 5. 11. 12 17. *nisi ut Christi typo. Ex quo patet sanctum Regem Dei spiritu actum ad extremum usque halitum prophetasse.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Salomoni.

DEus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.

Iudicabit populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

Assument montes pacem populo, & colles iustitiam.

Iudicabit pauperes populi, & salvabit filios pauperis: & confringet calumniatorem.

Et timebunt te quamdiu erit sol, & ultra lunam in generatione generationum.

Descendet ut pluvia super vellus, ut stillæ irrorantes terram.

Germinabit in diebus eius iustus, & multitudo pacis donec non sit luna.

Et dominabitur a mari usque ad

VERSIO VULGATA.

Psalmus,

1. In Salomonem.

2. DEus iudicium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

3. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.

3. Iudicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum; & humiliabit calumniatorem.

5. Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem.

6. Descendet sicut pluvia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.

7. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

8. Et dominabitur a mari usque ad ma-

mare, & a flumine usque ad terminos terræ.

Ante eum procident AEthiopes, & inimici eius pulverem lingent.

Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabiæ & Saba tributum conferent.

Et adorabunt eum omnes reges: universæ nationes servient ei.

Quia eruet pauperem a potente, & inopem cui non est adiutor.

Parcet inopi & pauperi, & animas pauperum salvabit.

Ab usura & iniquitate redimet animas eorum, & pretiosus erit sanguis eorum coram oculis eius.

Et vivet & dabitur ei de auro Saba, & orabunt de eo iugiter, tota die benedicent ei.

Erit memorabile triticum in terra: in capite montium elevabitur sicut Libani fructus eius, & florebunt de civitate sicut fenum terræ.

Erit nomen eius in æternum ultra solem, perseverabit nomen eius, & benedicentur in eo: omnes gentes beatificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israel: qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen gloriæ eius in sempiternum, & implebitur gloria eius universa terra: amen & amen.

Completæ sunt orationes David filii Iesse.

mare: & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9. Coram illo procident AEthiopes: & inimici eius terram lingent.

10. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent:

11. † Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei.

12. Quia liberabit pauperem a potente: & pauperem, cui non erat adiutor.

13. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

15. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, * & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.

16. * Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de civitate sicut fenum terræ.

17. Sit nomen eius benedictum in secula: ante solem permanet nomen eius.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

19. Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

20. Defecerunt laudes David filii Iesse.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 15. *Et adorabunt de ipso semper*. Quidam libri pro composito *adorabunt*, scribunt simplex *orabunt*: compositum enim est loco simplicis, quemadmodum *de* est loco *pro*.

V. 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium*. Non scribendum *frumentum*, quod est triticum, pro *firmamentum*; quamquam *frumentum* fortasse firmamenti nomine sit intelligendum. Sequitur: *Superextolletur super Libanum fructus eius*. Cave legas *fluctus* pro *fructus*, id est *l* pro *r*, liquidam primam pro quarta.

LE-

Lectionum Varietas.

V. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ*. Quidam libri omittunt *terræ*, consentanee Hebræo, & (quod Sixti Papæ iussu editum est) Græco. Hieronymo quoque superfluum est.

Notationes.

Vers. 15. Alia exemplaria legunt: *Et adorabunt de ipso semper*; alia: *Et orabunt de ipso semper*. Priori modo quæ legant, ut sunt pleraque, ita passim obvia: posteriori autem modo Brugense manuscriptum habet. Neque id tantum, sed & antiqui Epanorthotæ codices, quantum quidem a me colligi potest: nam erratum est a scriba nonnihil. Lugdunensia quoque Biblia in margine annotant: Alias *orabunt*. Romanum Iacobi Psalterium ad eumdem modum *orabunt* legit: sed manuscripta nostra Romani Psalterii antigrapha, Lobiense, Tornacense, & Goticum, priori lectioni conformiter, *adorabunt* habent. D. Augustinus *orabunt* sine controversia legit. Remigius Antissiodorensis sic exponit ac si *orabunt* legisset. Bruno Carthusianorum Patriarcha utrumque explicat. Græce est, καὶ προσεύξονται περὶ αὐτοῦ διαπαντός. Προσεύχεσθαι si Græcam velis compositionem reddere, *adorare* transferas; sed rectius fortasis *adprecari*: nam adorare Latinis fere venerari denotat: προσεύχεσθαι vero Græcis aut simpliciter, aut cum quadam assiduitate orare significat. Atque ita Euthymius Græcus auctor in huius loci commentariis exponit. Hebraicæ quoque dictionis התפלל, & Chaldaicæ צלא, *orare*, significatio est. Latine igitur *orabunt* vel legendum, vel intelligendum est. Quod autem habet Græcus περὶ αὐτοῦ, aliqui, Augustinus ait, interpretati sunt „ *de ipso*; aliqui *pro ipso*, vel *pro eo*. " *Pro ipso* exponit Euthymius. Et Hebraicum בַּעֲדוֹ, *pro ipso* fere transferunt Latini Interpretes. ויתפלל בעדו תמיד: *& orabit pro eo semper* (LXXII. Senes singularem numerum plurali commutant) quamquam Hieronymi pleraque exemplaria *de eo* legant; unicum ex nostris *pro eo*. Eisdem verbis legimus Geneseos xx. 7. Abimelechi, qui uxorem Abrahæ acceperat, dixisse Dominum ויתפלל בַּעַדְךָ, quod procul dubio est, ut Noster reddidit, *& orabit pro te*: atque id in Græcum similiter atque hoc Psalmo translatum est. καὶ προσεύξεται περὶ σοῦ.

V. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium*. Non est præmittenda *&* coniunctio, quæ ut omnibus pene manuscriptis nostris tollitur, ita nec Græce, nec Hebraice, nec Chaldaice legitur. Est autem Hebraice יְהִי פִסַּת-בַּר בָּאָרֶץ בְּרֹאשׁ הָרִים; id quod Hieronymus transtulit: *Erit memorabile* (*a*) *triticum in terra in capite montium*. Alii quidam: *Erit multiplicatio, seu abundantia frumenti in terra in vertice montium*. Alii iterum: *Erit particula, aut vola, seu palma frumenti in terra in capite montium*. Alii rursus: *Erit placenta frumenti in terra in capite montium*. Itaque coniicit Nicolaus a Lyra, & post eum alii nonnulli, corrupte in vulgata Latinorum editione scriptum esse *firmamentum*; scribendum vero *frumentum*: nempe vocum similitudinem erroris dedisse occasionem. Verum cum Græce *firmamentum*, non *frumentum* legatur, non est doctis plerisque sciptoribus ea coniectura verisimilis: non enim ex Hebræo, sed ex Græco proxime educta est Latina nostra translatio. Igitur cum constanter στήριγμα Græce scribatur, consentientibus Euthymio, Theodorito, & Iustino (Dial. con. Try.) non est *frumentum* Latine mutandum. Ut autem Græci tractatores, Græcique codices στήριγμα constanter legunt, ita Latini Enarratores, Latinique codices *firmamentum* concorditer habent. Tractatores Arnobius, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, Cassiodorus, Beda, Haymo, Remigius, & posteriores. Codices quos nos vidimus post alios, omnes, uno dempto, quem ex Trilingui collegio mutuo habemus, qui manifeste legit: *Erit firmamentum in terra in summis montium*. Verum cum primum is anno Domini 1432. scriptus sit, ut in libri fine signatum est, vix dubium esse potest, ex Lyrani sententia, factam mutationem. Verterunt autem LXXII. στήριγμα, seu *firmamentum*, quod vocem פסת a פס, ut videtur, deduxerint; id quod Chaldæis inter reliqua *certum reddere*, *firmare*, *&* *fulcire* significat: hinc & Chaldæus Paraphrastes (Iosephum Cæcum, ut alias semper intelligo, seu R. Akilam: nam alii huic, alii illi, eam quæ extat Chaldaicam Psalterii paraphrasim tribuunt) transtulit: יְהֵי סְעִיד לַחְמָא בְאַרְעָא בְרֵישׁ טוּרַיָא *Erit fulciens, seu confortans panis in terra in capite montium*; quod alii vertunt: *Erit substantificus panis* &c. Ceterum nec incommode, nec præter modum loquendi divinæ Scripturæ, *firmamentum*, quod habent LXXII. pro *frumento*, quo nimirum sustentatur ho-

minis vita, & roborantur ac firmantur vires, accipiatur. Sic enim legimus CIV. Psalmo πᾶν στήριγμα (b) ἄρτου συνέτριψεν: *Omne firmamentum panis contrivit*. Rufus Isaiæ cap. III. *Omne robur* (c) *panis*, & *omne robur aquæ*: ἰσχὺν ἄρτου καὶ ἰσχὺν ὕδατος. Non est igitur ab arcanis litteris aliena interpretatio, si *firmamentum* exponatur pro *frumento*; seu *pane*; præsertim cum sit Hebrice פסת־בר, *firmamentum frumenti*: hoc autem modo Neotericorum complures exponunt; & ad Eucharistiæ ter maximum sacramentum referunt, non sine magna verisimilitudine. Nam & Iudæorum antiqui doctores de placenta, quam Messias daturus, eiusque sacerdotes oblaturi essent, hunc interpretati sunt locum. Sane manifesta est admodum in hanc sententiam alterius Chaldæi Paraphrastæ, Ionathæ filii Uzielis, translatio: ויהי קרבן רעבורא בארעא בריש טוריא בשכינתהא *Erit sacrificium frumenti in terra in capite montium in Ecclesia*. Cum hæc huius, tum alia aliorum inter Hebræos veterum magistrorum verba, Petrus Galatinus Lib. X. De Arcanis Catholicæ veritatis capitibus IV. & V. recitat. Veteres Christianorum Tractatores, qui sola LXXII. translatione usi sunt, non mirum nihil hic de sacris mysteriis annotasse.

(a) 1. MS. *memoriabile*; 2. MS. *memoriale*.

(b) Psalm. CIV. vers. 16. מטה

(c) Isai. III. vers. 1. משען

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN SALOMONEM. Hebr. *Selomoh*, id est Salomoni, aut pro Salomone compositus, aut a Salomone (ut alii volunt) scriptus.

V. 2. IUDICARE POPULUM. Hebr. *Iudicabit*, id est ut iudicet. Regem autem & filium Regis pro eodem accipit, sicut hominem & filium hominis.

V. 3. SUSCIPIANT MONTES ... POPULO. Hebr. *Afferent*; id est, undique populus abundabit pace, & iustitia.

V. 5. ET PERMANEBIT CUM SOLE, ET ANTE LUNAM. Hebr. *Timebunt te cum sole, & ante lunam*, id est semper: quamdiu sol, & luna manebunt.

V. 6. DESCENDIT SICUT PLUVIA IN VELLUS. Hebr. *sicut pluvia in germen, & sicut stilla super detonsam herbam terræ*; id est, sicut pluvia, minuta crescere facit germina, & herbam detonsam terræ; ita huiusmodi Rex (Christus) crescere faciet, ac recreabit populum afflictuum.

V. 7. ORIETUR IN DIEBUS EIUS, &c. Heb. *Florebit in diebus eius iustus, & abundantia pacis quo ad luna defierit*, id est semper.

V. AETHIOPES. Heb. *Habitatores deserti*, aut *solitarii*, id est AEthiopes. Septuag. sensum reddiderunt.

V. 10. REGES ARABUM, &c. Heb. מלכי שבא וסבא, *Reges Seba Arabicæ, & Seba AEthiopicæ*.

V. 12. QUIA LIBERABIT PAUPEREM A POTENTE. Heb. *Quia liberabit pauperem clamantem, & inopem, & cum cui non est adiutor*.

V. 13. PARCET PAUPERI ET INOPI. Heb. *Miserebitur*.

V. 14. *Ex usuris*, &c. Heb. *A dolo, & iniquitate liberabit animas eorum: & pretiosus* (erit) *sanguis eorum in oculis*; id est, non patietur eos perire.

V. 15. ET VIVET, ET DABITUR EI, &c. Heb. *Vivet, & dabit ei* (pauper liberatus) *de auro Seba Arabicæ, & orabit pro ipso semper: tota die benedicet ei*.

V. 16. ERIT FIRMAMENTUM IN TERRA IN SUMMIS MONTIUM, &c. Heb. *Et erit pugillus frumenti in terra in caput montium*; id est, crescet sicut fastigia montium: *fluctuabit sicut Libanus fructus eius* (terræ) id est, flante vento, segetes agitabuntur quasi arbores Libani, adeo erunt altæ: *et florebunt de civitate, sicut herba terræ*; id est, qui de civitate sunt, cives florebunt, aut multiplicabuntur sicut herba terræ.

V. 20. DEFECERUNT LAUDES, &c. Heb. *Finitæ sunt orationes David filii Iessei*. Hebræi putant, hæc verba ab iis qui Psalmos David in ordinem redegerunt, appposita fuisse.

S A.

De Christi Regno.

Vers. 1. IN SALOMONEM, scilicet Christi figuram. Chald. *Per manum Salomonis dictus.*

V. 2. IUDICIUM TUUM, id est recte iudicandi rationem. REGI, scilicet Salomoni, seu Christo. ET IUSTITIAM, &c. Repetitio. REGIS. Chald. *David Regis.* IUDICARE, id est ad iudicandum. PAUPERES, id est afflictos.

V. 3. SUSCIPIANT, scilicet a te, vel a Rege, de quo supra. MONTES, id est primores, seu præfecti. POPULO, id est ad populi regimen, & utilitatem. ET COLLES, &c. lunge sic, *montes & colles, pacem & iustitiam.*

V. 4. SALVOS FACIET, id est liberabit.

V. 5. PERMANEBIT, scilicet in regno. CUM SOLE. Hieron. *quamdiu erit sol,* scilicet perpetuo. ANTE, id est coram, scilicet quamdiu erit luna. Hieron. *ultra.*

V. 6. DESCENDET, scilicet in terram, vel in uterum Mariæ. SICUT PLUVIA, &c. quasi dicat, quiete, vel sine corruptione, vel cum copia bonorum.

V. 7. ORIETUR. Hieron. *Germinabit.* Chald. *Multiplicabitur.* IUSTITIA. Hieron. & Chald. *iustus.* AUFERATUR. Hieron. *non sit*; quasi dicat, semper. LUNA, id est mortalitas: Aug.

V. 8. A MARI USQUE AD MARE. Chald. *ab extremo maris mediterranei usque ad extremum maris oceani.* Augu$t. toto orbe: totus enim oceano cingitur. FLUMINE. Græc. *fluminibus.* Chald. *Euphrate.*

V. 9. LINGENT, id est osculabuntur, scilicet in signum reverentiæ.

V. THARSIS, id est maris. INSULAE, id est insulani. SABA regio est AEthiopiæ, & per ס scribitur. Vide III. Reg. x. DONA. Hieron. *tributum.*

V. 13. PARCET. Chald. *miserebitur.* SALVAS FACIET. Chald. *redimet.*

V. 14. USURIS. Chald. *oppressione.* HONORABILE NOMEN. Hieron. & Chald. *pretiosus sanguis.*

V. 15. VIVET, scilicet diu in regno. DABITUR, id est offeretur. DE IPSO, pro ipsum, scilicet Christum. Hieron. *orabunt de eo,* id est pro eo, scilicet Rege Salomone, seu potius pro Christi adventu, seu regno. TOTA. Chald. *omni.*

V. 16. FIRMAMENTUM, scilicet tritici: sic Psal. CIV. *Firmamentum panis contrivit.* Hieron. *memorabile triticum.* Chald. *substantificus panis.* IN SUMMIS MONTIUM. Hieron. & Chald. *capite montium.* SUPEREXTOLLETUR, &c. quasi dicat, Erit altissimus. SUPER LIBANUM, id est Libani arbores. EIUS, scilicet Christi. FLOREBUNT. Chald. *germinabunt.* DE CIVITATE, id est cives; vel pro, in civitate. SICUT FENUM, id est herba; quasi dicat, in magna copia.

V. 17. SIT. Hieron. & Chald. & Græc. *erit.* ANTE, id est coram; quasi dicat, quamdiu sol erit. Hieron. *ultra.* PERMANET. Hieron. *perseverabit.* Chald. *Antequam creatus esset sol, præparatum erat nomen eius.* IN IPSO. Chald. *in merito eius.* MAGNIFICABUNT. Græc. & Hieronym. *beatificabunt.* Chald. *benedicent.*

V. 18. SOLUS, scilicet propria virtute.

V. 19. MAIESTATIS. Hieron. & Chald. *gloriæ.* MAIESTATE. Hieron. *gloria.* Chald. *splendore gloriæ.* FIAT, FIAT. Hieron. & Chald. *Amen & amen.* DEFECERUNT, &c. Apparet hunc fuisse ultimum David Psalmum, etsi hoc loco positus sit. LAUDES. Hieron. & Chald. *orationes.*

E S T I I.

Vers. 7. ORIETUR IN DIEBUS EIUS IUSTITIA ET ABUNDANTIA PACIS: DONEC AUFERATUR LUNA. Iansenius sic explicat: Donec ab officio cesset luna, quod erit post tempus extremi iudicii. Spiritualiter ita intelligitur: Donec auferatur mutabilitas Ecclesiæ, quæ est in hac vita. An intelligendum, sicut illud in Evangelio: *Cælum & terra transibunt,* Matth. XXIV. scilicet ut significetur lunam auferendam, id est transituram sesecundum statum quo nunc existit, & transmutandam in statum longe meliorem, iuxta illud Isaiæ XXX. *Et erit lumen lunæ sicut lumen solis, & lumen solis septempliciter.* An denique significatur aliquid impossibile, quo denotatur iustitiam regni Christi futuram perpetuam? quemadmodum vulgo dicitur, Ad Calendas Græcas.

V. 10.

V. 10. Reges Tharsis, et insulae munera offerent: Reges Arabum, et Saba dona adducent. Non temere a quibusdam observatum in hoc versu significari quatuor terræ plagas ad Christum convertendas. Ceterum quæ Saba intelligatur, vide Iansen. & notationem etiam III. Reg. x.

V. 20. Defecerunt laudes David filii Iesse. Sic adscriptum est huic Psalmo lxxi. Unde quidam colligere voluerunt, hunc Psalmum ultimo loco a Davide compositum. Sed, ut est, nullo modo saltem dici potest, hunc Psalmum ita dici novissimum, quasi omnes qui sequuntur non sint Davidis. Nam in primis Psal. cix. ex ipsius Christi testimonio constat esse Davidis: nam ita ex illo citat Matth. xxii. *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo?* &c. idem apparet de Psal. lxxvii. & lxxxii. item lxxxiv. & lxxxviii. Et de xciv. aperte testatur Apostolus ad Hebr. iv. his verbis: *Hodie, in David dicendo, post tantum temporis... Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, &c.

MARIANAE.

Vers. 1. Psalmus, in Salomonem, id est de Salomone. Hebr. *Selomonis* (Psalmus.) Sic dictus, quoniam ab ipso compositus, vel quia de Regno eius agit, qui typus Christi fuit: eoque multa in hoc Psalmo de Christo intelliguntur. Regni eius maiestatem & amplitudinem describit.

V. 2. Deus iudicium tuum. Hebr. *iudicia tua*; id est, iudicandi, & regendi scientiam, & potestatem da Regi Salomoni. Et iustitiam tuam. An hic *iustitia* pro Dei benignitate? Alioquin quid est *dare iustitiam?* nisi forte sit ipsa virtus iustitiæ, propter ea quæ proximo versu addit. Filio Regis, id est Davidis. Iudicare populum tuum in iustitia, Ergo hoc sit *dare iustitiam*, id est iustitiæ donum, qua populos regat. Et pauperes tuos in iudicio, id est in æquitate.

V. 3. Suscipiant. Hebr. *ferant*. Montes; ubi scilicet solent esse latrones, & feræ. Pacem populo, id est bonorum copiam", quæ intelligitur nomine pacis. Et colles iustitiam: ubique vigeat, aut vigebit iustitia, sublata nocendi potestate.

V. 4. Filios pauperum; id est, pauperes salvos faciet. Et humiliabit. Hebr. *contundet calumniis opprimentem*.

V. 5. Et permanebit, Christus scilicet. Hebr. *timebunt te*, colent homines. Cum sole, id est quamdiu sol steterit, semper. Et ante lunam. Hebr. *coram luna*, pro cum luna, quamdiu & ea permanserit. In generatione et generationem, id est per omnes generationes. Hebr. *generatione*, *generationibus*, id est semper. Quæ verba de Salomone non possunt intelligi, sed de Christi regno perpetuo.

V. 6. Descendet Christus. Sicut pluvia in vellus. Hebr. *super vellus*. Sic terram vocat, quoniam herbis ut lana vestitur. Stillicidia, imbres. Stillantia super terram. Sic Hieronymus, & Chald. Ex Hebræis quidam זרזיף *zarzipb* (pro qua nos *stillantia*) putant significare *demessum*, sicque explicant: *Et sicut imbres* super *fenum terræ*, ut *super* semel posita geminetur. Sed prior expositio commodior est, eritque repetitio.

V. 7. Orietur in diebus eius iustitia. Hebr. *Florebit in diebus eius iustus*; id est, prævalebit iustitia.

V. 8. Et dominabitur a mari usque ad mare: scilicet a mari meridionali usque ad mare septemtrionale dominabitur. Et a flumine, scilicet Euphrate, seu Iordane, ubi Christo dictum est: *Hic est filius meus*. Usque ad terminos orbis terrarum, usque ad extremos fines occidentis. Hæc etiam in Salomonem non conveniunt.

V. 9. Procident AEthiopes. Hebr. *Procumbent*, se incurvabunt squalidi, qui in deserto habitant; id est, feræ & barbaræ gentes se illi subiicient. Lingent. Sic se subiicient, ut terram deosculentur.

V. 10. Reges Tharsis. An hæc est Carthago, seu Tunetum, quæ urbs etiam Arabice *Tharsis* vocabatur? Sic Ioannes Leo in Descriptione Africæ p. v. Et sane *Tharsis naves* in divinis litteris celebrantur, quod ea urbs nobilis commercio esset. Reges Arabum, et Saba. Hebr. *Reges*

Reges Seba per ש *Sin*, & *Seba* per ס *Samech*, id est Reges AEthiopiæ, unde venit Regina Saba III. Reg. x. 1. quod nomen per ש *Sin* scribitur; & Reges Arabiæ, unde forte venerunt Magi, & ubi erant Sabæi. *Molles mittunt sua thura Sabæi*.

V. 12. A POTENTE liberabit pauperem. Hebr. *clamantem*. Verum mutatis punctis versio Sept. constat.

V. 14. EX USURIS, quibus divites opprimunt tenues, REDIMET ANIMAS EORUM, id est vitam, ne pereant præ inopia. ET HONORABILE, Hebr. *pretiosum*. NOMEN EORUM, Hebr. *sanguis eorum*: vitam eorum tuebitur. Sed Sept. pro דמם *damam* legere שמם *samam*, pro *sanguine*, *nomen*.

V. 15. ET VIVET, scilicet pauper. ET DABITUR EI DE AURO ARABIAE, Hebr. *Seba* per ש AEthiopiæ; scilicet, de eo auro quod afferent Reges, participabit cum pauperibus. ET ADORABUNT DE IPSO SEMPER, id est ipsum; quod de Christo Sept. videntur intellexisse, ut & verba proxima: *Et vivet*, *& dabitur*. Hebr. tamen, *Et orabit pro ipso*, scilicet pauper: pro eo orabit Christus. TOTA DIE BENEDICENT EI: scilicet pauperes Christum laudabunt.

V. 16. FIRMAMENTUM. Hebr. *pugillus*, seu *parum frumenti*. Id Sept. *firmamentum* dixere, quoniam frumento vivimus. IN SUMMIS MONTIUM. Hebr. *in capite montium*. SUPEREXTOLLETUR, Hebr. *sonabit*. FRUCTUS, id est segetes natæ. SUPER LIBANUM. Hebr. *sicut Libanus*, id est sicut arbores Libani: scilicet cum ventus agitarit segetes, edent strepitum. Itaque significat, fore tantam frumenti copiam, ut ex paucis granis lætissimæ segetes proveniant, etiam in montibus. Veteres Hebræi de placentis intellexere, quæ futuræ erant tempore Messiæ. De quo Galatin. Lib. X. cap. IV. ET FLOREBUNT DE CIVITATE, id est in civitate; id est, in loco magis fecundo, in loco plano florebunt frumenta quasi fœnum.

V. 17. ANTE SOLEM PERMANET NOMEN EIUS. Hebr. *coram sole*, id est quamdiu sol stabit. ET BENEDICENTUR IN IPSO; id est, dicent: Sis sicut Salomon. Aut virtute Christi gentes omnes replebuntur bonis. Alludit ad promissionem Abrahæ factam Gen. XII. XIX. & XXII.

V. 19. FIAT, FIAT. Heb. *Amen, amen*: estque finis libri secundi Psalmorum.

V. 20. DEFECERUNT. Hebr. *Finitæ sunt laudes*, id est Psalmi, *Davidis filii Iese*. Hactenus Davidis Psalmi; qui sequuntur, alios auctores habuerunt. Aut hic fuit ultimus Psalmus quem composuit David, cum regnum Salomoni tradidit. Collector Psalmorum mutavit ordinem.

MALVENDAE.

Vers. 1. IN SALOMONEM. Hebr. in dativo, *Ipsi Selomoni*, vel *de Selomone*, vel *pro Selomone*. Notant, hanc odem composuisse Davidem, qua moriturus Salomonem filium Regem institutum comendat Deo, & illius specie, seu typo (prout Salomon typus fuit Christi) regnum Dei in Christo venturum optat, & prædicat. Quapropter hæc ode ex tribus partibus constat: prima est petitio, tribus primis versibus; secunda est prophetica regni Salomonis, ac potius Christi descriptio, a versu 4. usque ad 17. tertia, laudatio ad finem usque. Alii volunt hunc Psalmum nihil de Salomone continere, totum esse de Christo, eiusque regno; & Salomoni dumtaxat inscriptum, aut dedicatum: vel *Scelomoni*, in titulo, intelligi Christum, vel patronymice; quasi dicat, Salomonio, Salomonis filio, seu nepoti; vel appellative, Pacifico, Felici, Augusto, quæ est propria appellatio Christi. Sed veritas est, præcipue ac primario compositum de Christo; de Salomone vero tamquam typo & umbra Christi: ac multa in eo potius Christo convenire quam Salomoni: ut perspicue docet S. Hieronymus in II. Daniel. ad vers. 21. & sequentes.

V. 2. DEUS IUDICIUM TUUM REGI DA. Heb. pluraliter, *iudicia tua*; id est rationes & formulas recte, & secundum te iudicandi. Notant, huius petitionis tria esse capita. Primum, ut Deus spiritu iustitiæ Selomonem instruat ad officium Regis perfungendum; prout petiit Selomoh I. Reg. III. Secundum, usus iustitiæ a Deo collocatæ, vers. 2. Tertium, fructus benedictionis Dei, ex administrata iustitia, ad ipsum, & ad totum regnum perventurus, vers. 3.

V. 3.

V. 3. SUSCIPIANT MONTES PACEM POPULO. Hebr. *Ferent, afferent, proferent, portabunt, montes pacem populo.* Exponunt: Id eſt, totum regnum montibus abundans (ſynecdoche) proferet omnimodam benedictionem, ubertatem, felicitatem: ut pacis nomen ſolet in Scripturis accipi. Alii allegorice, *Montes*, id eſt Reges, principes, primores. ET COLLES IUSTITIAM. Hebr. *et colles in iuſtitia*. Quidam, *et colles propter iuſtitiam*; id eſt, colles etiam profundent omnimodam benedictionem propter iuſtitiam quam culturus, & adminiſtraturus eſt Selomoh. Poſſit eſſe poetica hyperbole; quaſi diceret: Montes ipſi, & colles producent pacem, & iuſtitiam: tanta erit pacis, & iuſtitiæ abundantia: infra verſ. 7.

V. 4. IUDICABIT PAUPERES POPULI. Obſervant, iam hinc incipere propheticam explicationem regni Chriſti, quod Selomonis regno præfiguratum eſt. Hoc verſu explicantur duo capita adminiſtratæ iuſtitiæ a Chriſto in regno ſuo, nempe bonorum defenſio, & improborum ultio. Ait autem: *Iudicabit afflictos, humiles, pauperes populi*; id eſt, vindicabit, afferet, tuebitur, defendet, ſublevabit, vel ius reddet, patrocinabitur, &c. *Cauſam aget pauperum*. FILIOS PAUPERUM. Heb. *filios egentis*, id eſt quos diuturnis calamitatibus preſſit, ac veluti hereditariis. Vide Pſal. XXXVI. 35.

V. 5. CUM SOLE. Exponunt: Id eſt, quamdiu ſol erit, *dum ſol lucebit*. Sic infra verſ. 17. ET ANTE LUNAM. Hebr. *ad facies lunæ*, ſeu *coram luna*, *in conſpectu lunæ*; hoc eſt, quamdiu luna erit, ſeu durabit, aut lucebit, durante luna. Sic infra verſ. 7. IN GENERATIONE ET GENERATIONEM. Hebr. *generatione generationem*, id eſt in generationem æternam, in omnem generationem, in omne ævum.

V. 6. SICUT PLUVIA IN VELLUS. גז gez proprie *vellus*, ſeu *lanam detonſam* ſignificat: unde alluſum putant ad miraculum velleris Gedeonis, de quo Iudic. VI. 37. & ſeqq. quod ego appoſitius puto. Alii metaphorice accipiunt: *Super detonſum, defectum, exciſum*, ſcilicet pratum, vel fundum, vel germen, ſeu herbam defectam, cuius adhuc radices in terra, quæ adveniente pluvia mire progerminat: ſic ſumi volunt Hamos VII. I. Ex verbo: *Super tonſuram*, vel *detonſionem*; quaſi dicat: Tam optatus & gratus erit mundo eius adventus, ut eſt prato defecto cæleſtis pluvia. ET SICUT STILLICIDIA STILLANTIA SUPER TERRAM. Diverſimode alii ex Heb. I. *velut imbrium gutta terræ*: 2. *ut ſtillæ irrorantes terram*: 3. *ſicut imbres, ſtillicidium terræ*, id eſt *ſtillantes ſuper terram*: 4. *& ſicut rorulentus imber ad terram*: 5. *ſicut imbres irrigantes ſitientem terram*: 6. *ſicut imbres, & ros terræ*: 7. *ut guttæ imbris ſenſim irrigantis terram*: 8. *ſicut ſtillicidia ſuper herbam exciſam, extonſam, terræ*: 9. *ſicut guttæ inebriantes*, ſeu *ſaturantes terram*: 10. *ſicut guttæ irroratio*, *irrigatio terræ*, ſeu *humor roſcidus terræ*: ut ſit appoſitio, & expoſitio vocis præcedentis רביבים *rebibim*; quaſi dicat, ſicut guttæ, quæ ſunt irroratio terræ: ſimilis appoſitio eſt Iſaiæ XXX. verſ. 25. *Rivi, fluenta aquarum*. Quidam totum verſum ita elucidant: *Ut cum deſcendit pluvia ſuper ſectam herbam, cum imbres* deſcendunt, qui ſunt *irrigatio terræ*. De voce זרזיף zarziph, quæ hic tantum in Scriptura reperitur, conſule Lexica. Reuchlinus, quem plures alii ſecuti ſunt, ait eſſe *roſcidum humorem, guttulationem, pluviolationem*; alii *irrorationem, madefactionem, irrigationem, diſtillationem, humorem ſtillantem*.

V. 7. ET ABUNDANTIA PACIS. Heb. *& multitudo*, ſeu *amplitudo pacis*, id eſt incolumitatis, proſperitatis, felicitatis, & benedictionis omnium bonorum, quæ pacis nomine in Scripturis deſignari ſolet, vel tranquillitatis, quietis, concordiæ, &c. DONEC AUFERATUR LUNA. Heb. *uſque ad non eſſe lunam*, vel *donec non ſit luna*. Quidam, quæ duret ultra lunam: vel donec luna curſum ſuum tenet, hoc eſt in perpetuum: ut luna ſit ſymbolum, aut hieroglyphicum æternitatis, docet Pierius Lib. LXIV. Hieroglyphicorum. De hiſce promiſſionibus æternis vide Notas in Geneſ. XLIX. 26.

V. 8. ET DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE, &c. Hunc verſum de Salomone ita capiunt: Salomonis imperium pertingebat a mari rubro uſque ad mare Syriacum, ſeu Paleſthinæ; ſive a mari mediterraneo ad mortuum; & ab Euphrate uſque qua protenditur terminus terræ ſanctæ, deſcriptus Geneſ. XV. 8. Exodi XXIII. 31. Numer. XXXIV. 2. & ſeqq. Deu-

Deuteron. 11. 24. & alibi; ut completum fuisse legitur I. Reg. IV. 21. At nimium exigui & angusti hi termini sunt tam amplæ promissioni hic a Psalte descriptæ. De Christo hæc rectius accipiantur, qui regnat in universo mundo, qui imperium habet sine fine rerum, aut temporum.

V. 9. Coram illo procident. Heb. *Ad facies eius incurvabuntur, prosternent se, provolvent se*; id est, proni se in terram prosternent, in signum fidei, reverentiæ atque obsequii. Quidam reddunt: *Coram eo honorem exhibentes incurvabunt se*: alii, *procumbent*, more supplicum. AEthiopes ציים tzijim varie reddunt, *aridi, sicci, accolæ, habitatores deserti, sitientes, solitudinicolæ, eremicolæ, eremitæ, barbari, agrestes, indomiti*; hoc est, gentes feræ, ac barbaræ. Quidam reddunt: *Faciebus eius genuflectent eremitæ*; ut sit vaticinium de sanctis monachis eremitis, solitudines ac deserta incolentibus, ubi sancte, pieque Christum colebant. Et inimici eius terram lingent. Heb. *lambendo depascent, ad lingent*; id est, supplices prostrati terram osculabuntur, ita ut eam lingere videantur, testando subiectionem. Notum est, morem hunc adorandi Reges fuisse orientalium. Curtius Lib. VIII. Rerum Alexandri, cap. v. *Quem venerantibus Persis, Polysperchon, qui cubabat super Regem, unum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, ut vehementius id quateret ad terram*. Buchananus:

> .... *hostes veniam precati*
> *Supplices, vultus humiles, comamque in*
> *Pulvere verrant*.

Simile vide Isaiæ XLIX. 23.

V. 10. Reges Tharsis. Quidam reddunt: *Reges maris*. Alii: *Reges Ciliciæ*. Nonnulli: *Reges occeani accolæ*. Nec desunt qui: *Reges Indiæ*. Vide supra Psal. XLVII. 8. Et insulae. Nominativi pluralis; id est, *et ipsæ insulæ*; vel *& insulani*; seu *& insularum*, scilicet Reges. Innumeræ sunt maris mediterranei, & occeani insulæ. Reges Arabum. Heb. *Reges Scheba* cum Scin dextro, id est Sabææ regionis in Arabia felice. Vide Genes. x. 7. & Lib. VI. de Antichristo, cap. XXVII. Et Saba. Heb. *Seba* cum Samech, id est Seba AEthiopiæ. Vide in Genes. x. 7. & Lib. VI. de Antichristo, cap. XXVII. ubi multa cura de utroque Saba disseruimus. Notant, hæc omnia quæ hoc versu dicuntur, figurate in Salomone ex parte contigisse, ut videri potest. I. Reg. IV. 34. & toto deinceps cap. x. quæ hodie implentur in Christo, ut sequens versus explicat.

V. 14. Et honorabile nomen eorum coram illo. Heb. *Et appretiabitur*, vel *prætiosus erit, sanguis eorum in occulis eius*: vel, *Et magno in pretio erit sanguis eorum in oculis eius*. Exponunt: Carum, pretiosum habenbit sanguinem eorum, nec temere fundi sinet: magno vitam illorum æstimabit, neque impune feret eum qui se sanguine eorum cruentarit. Latine: Non erunt ipsi viles animæ. Vide infra Psal. CXV. 6. Alii de honore & pretio in quo Deus sanguinem martyrum habet, accipiunt.

V. 15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae, &c. Hunc versum varie ex Heb. accipiunt. I. *Et vivet, & dabit ei*, populo, *de auro Sceba, & orabit pro eo*, populo, *continue: tota die benedicet eum*, populum: ut suppositum quatuor horum verborum, *vivet, dabit, orabit, benedicet*, sit Christus. II. *Et vivet*, pauper, *& dabit ei*, Rex, *de auro Sceba* Arabiæ, *& orabit pro eo semper: tota die benedicet* ei. III. *Vivet cum Rege illo pauper, & participem faciet eum auri Arabici, & orabit pro eo assidue: nullo non tempore beneficus erit in eum*. IV. *Ideo, quamdiu vivet* quisquis eorum, quos redemerit, & vindicaverit, *dabit ei de auro Schebæ*; id est, ultro ex tota facultate sua præstabit debitum officium atque obsequium: quod munerum collatione olim significabatur synecdochice, ut I. Samuel. x. 27. *& orabit pro eo iugiter*, id est pro salute eius, & bono totius regni: *toto die benedicet ei*, id est celebrabit eum. V. *Vivat, & detur ei de auro Arabiæ, adoretur sine fine, & omni tempore celebretur*. Scitum est, tertias personas activas verborum sæpius impersonaliter sumi apud Hebræos; quod sæpius annotare solemus. De auro Arabiae. Heb. *De auro Scheba*, cum Scin dextro. Vide supra vers. 10. De ingenti auri copia Arabiæ felicis, ac præsertim Sabææ regionis, complura ex Agatharchide Gnidio, Diodoro Siculo, Strabone, Plinio, connotavimus Lib. VI.

VI. de Antichristo, cap. xxvii.

V. 16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius. Multifariam ex Heb. convertunt. I. *Erit vola tritici in terra, in capite montium: collidetur sicut Libani fructus eius*; id est, tanta, erit fertilitas tempore huius Regis, ut parum frumenti quantum vola manus capere possit, iactum in vertice montium, loco alioquin saxoso, & minus apto ferendis frugibus; crescet nihilominus, & fructificabit abunde, ut fructus Libani. II. *Erit pugillus frumenti in terra satus in capite montium, & contremiscet sicut Libanom fructus eius*, seu *agitabitur, commovebit se, strepitum edet sicut Libanus*, &c. III. *Erit pugillus frumenti in terra, in summitate montium tam frugifer, ut concutiatur velut Libanus fructus eius*. IV. *Ex paucis granis in terram proiectis, etiam si in cacumine montium satio fiat, maxima proveniet messis: & excrescet frumentum illud in eam altitudinem, ut si vento agitetur, strepitum excitent aristæ plenæ, qualem altissimæ cedri in monte Libano solent*. V. *Ubi fuerit pugillus tritici in terra*; hoc est, nihil erit tam exiguum, quod non augeatur vel multiplicetur in immensum per benedictionem Dei: *in vertice montium*, id est etiam in loco incommodissimo, *commovebit se ut Libanus fructus eius*; id est, mutuo confrictu perstrepet copiosa seges, ut arbores Libani: hyperbole. פסת בר *pissath-bar* varie exponunt *vola, particula, pugnus, pugillus, diminutum quid frumenti*, vel *tritici*. Alii e contrario significato, *sparsio, varietas, multiplicatio, multiplicitas, diversitas, densitas, copia, abundantia frumenti*: unde reddunt. VI. *Erit densitas frumenti in terra in summitate montium, agitabitur sicut Libanus fructus eius*, vel *sicut fructus Libani*. VII. *Tanta fiat in terra per montium vertices, tritici vis, ut instar Libani fragorem edat*. VIII. *Erit varietas*, seu *copia frumenti in terra, in summitate montium, perstrepet sicut Libanus fructus eius*. Buchananus:

Per feros montes segetem refundat
Terra tam densis crepitans aristis,
Quam gravi cedros Libani flagellant
Murmure venti.

IX. *Erit placenta*, vel *placentula frumenti in terra, in capite montium, turgescet, augebitur, sicut Libanus fructus eius*; ut sit vaticinium de placentula divinissimæ Eucharistiæ, quæ quotidie extollitur supra capita sacerdotum Ecclesiæ, qui sunt allegorice montes, ac vertices Ecclesiæ; cuius placentulæ maiores & uberiores sunt fructus, quam ullius Libani: atque hoc mysterium olfecerunt quoque veteres Hebræi: de qua re vide hic Lyranum, Burgensem, Nebiensem, Felicem, & eruditam, ac pietate plenam Annotationem Francisci Titelmani, & Galatinum Lib. X. cap. iv. & v. Et florebunt de civitate sicut fenum terrae. Heb. *Et florebunt de herba urbe sicut terræ*. Exponunt: florebunt insuper cives, germinabunt, multiplicabuntur in civitate, quemadmodum herba solet in agris; quasi dicat: Incredibilis erit civium proventus. Bochius:

Florebantque suis numerosæ civibus urbes.

Hoc quidem notant, ex parte contigisse sub Salomone, I. Reg. iv. 20. plenissime vero in Christo. Hispanicus Interpres hunc versum ita reddidit: *Será beccbado un punno de grano en tierra, en los cabeços de los montes, bara estruendo como el Libano, su fruto*, id est *lo que nacera de alli: y verdeguearan des de la ciudad*, id est *versean verdeguear*, scilicet, *los cabeços de losmontes, como la bierba de la tierra*.

V. 17. Ante solem permanet nomen eius. Vocem ינון *iinnon* varie reddunt. I. *Faciebus solis filiabitur nomen eius*; id est, palam universo mundo, quaqua sol faciem suam ostendit, demonstrabitur, nomen Messiæ esse Filium sempiterni Dei vivi. II. *Ad facies solis Iinnon*, id est *Filius, nomen eius*. *Iinnon* enim, id est *Filius*, esse proprium nomen Christi, ex hoc loco Psalmi, veteres etiam Hebræi intellexere, apud Galatinum Lib. III. cap. xv. Filius enim solius Patris fuit secundum divinitatem: & Filius solius Virginis secundum humanitatem. III. *Coram sole filiabitur nomen eius*, id est propagabitur: seu quamdiu fuerit sol, id est in sæculum, celebrabitur, & propagabitur memoria nominis eius. IV. *Erit nomen eius in sæculum, durante sole sobolescet nomen eius*; hoc est, cum ipse in sempiternum vivet, tum de nomine suo filios Dei, & Christianos a se dignos gignet, qui nomini ipsius benedicant, & sibi de hac sua prærogativa gratulentur: nam hæc in speciem

tan-

tantum Salomoni evenerunt : plene ac perfecte Christo. *Filiabitur nomen eius*; id, est, ex nomine eius filii Dei gignentur, & propagabuntur, nempe Christiani: Ioann. I. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius*. V. *Instar solis iuvenescat nomen eius*, id est vigeat, & valeat. VI. *Priusquam enim esset sol, ab æterno Filius erat nomen illi*. VII. *Coram sole filiabitur nomen eius*; hoc est, de filiis in filios perpetuo prædicabitur, & propagabitur, & manebit etiam in posteris, quando antecessores moriuntur. *Iinnon*, vel est futurum Niphal, *filiabitur*; vel nomen proprium Christi, quod cum Hispanico *Ninno* congruit, ut infantilem humanam Christi naturam indicet. Nec mysterio vacare credunt, quod Vau in Iod sit decurtatum: ut naturam filii Dei humanitati hypostatice coniunctam significet, ac inde filium Dei decurtatum & imminutum, & exinanitum, ut Paulus loquitur. ET BENEDICENTUR IN IPSO. Hebr. *& benedicere se se facient*. Verbum est ex Hithpahel, & significatum intendit; quasi dicat: Maximis, & uberrimis benedictionibus replebuntur per eum. Quidam, & *gloriabuntur in eo*. Aliqui, *benedicent sibi in eo*; id est, sibi de hac sua prærogativa gratulabuntur. Alii, *beatæ fient in eo*. Nonnulli, *felices se fatebuntur beneficio illius*.

V. 18. SOLUS, id est suis viribus, non adiutus alienis, vel nullus alius, nisi ipsius viribus: alioquin enim amici Dei multa admiranda designarunt.

V. 19. NOMEN MAIESTATIS, seu *gloriæ*, EIUS, id est magnificentissimum, & gloriosissimum nomen eius. ET REPLEBITUR MAIESTATE EIUS OMNIS TERRA. Quidam: *Et impleatur gloria eius tota terra*; id est, sanctificato nomine eius, adveniat regnum eius. FIAT, FIAT. Hebr. *Amen*, *& amen*. Vide Psal. XL. 14.

V. 20. DEFECERUNT LAUDES DAVIDIS, &c. Alii ex Hebr. I. *Consummatæ sunt orationes Davidis*. II. *Finem habent orationes Davidis*. Volunt, in prima Psalmorum collectione hunc Psalmum positum suo ordine postremum omnium; sed deinde mutatum ordinem in eum qui nunc est. III. *Hæc ut evenirent, summa fuit votorum ipsius Davidis*; quasi dicat: Hoc summe in votis habuit David, ut regnum Christi fundaretur in terris: hæc summa, hic finis, hic scopus fuit omnium precationum, & orationum Davidis, scilicet Christus. IV. Iunius: *Finiuntur orationes Davidis, filii, Iischai; id est, hanc ultimam orationem moribundus habuit. Vide* II. *Samuel*. XXIII. *Et si haud scio, annon hic locus melius possit accipi in hanc sententiam: Hic finis orationum, id est Psalmorum, hymnorumque, synecdochice, quos David ipse congessit in librum in hunc, & congestos deposuit hoc ordine in Ecclesia Dei; & quorum omnium auctor est David per spiritum Dei. Qui autem sequuntur, per alios temporibus variis collecti sunt. Atque hæc est sententia mea*. Et plures fortasse sequentium non sunt Davidis. Addito Explanatores, seorsim Flaminium, & Iansenium.

MENOCHII.

Vers. 1. IN SALOMONEM. Psalmus hic inscribitur *In Salomonem*, quia occasio illius scribendi fuit Salomon, cui recens in solio paterni regni collocato bene precatur. Et sane primi versiculi apte Salomoni conveniunt, sed mox sancti, vatis mens, & lingua in Deum elevata, sermonem convertit ad Christum, cuius Salomon figura fuit, illiusque adventum describit, propagationem regni, & rectitudinem gubernationis eiusdem.

V. 2. IUDICIUM TUUM: iudicium tale quale est tuum, rectum, sapiens, iustum: vel facultatem, & gratiam iudicandi iuxta legem, & voluntatem tuam. REGI, Salomoni, vel Christo. IUSTITIAM TUAM. Est repetitio primæ partis versiculi. FILIO REGIS; Salomoni filio meo, vel Christo, quorum maiores Reges fuerunt, & cuius pater est Rex Regum. IUDICARE: ut iudicet, regat, vindicet. IN IUDICIO, recto, & iusto.

V. 3. SUSCIPIANT MONTES PACEM, &c. quasi dicat: Descendat de cælo pax, & iustitia, & super regnum Israeliticum requiescat.

V. 4. IUDICABIT PAUPERES POPULI: non sinet opprimi pauperes. Italice diceremus: *Farà ragione alli poveri*. SALVOS FACIET FILIOS PAUPERUM. Est eadem sententia aliis verbis de more repetita. HUMILIABIT, comprimet, ne suis calumniis pauperibus noceat.

V. 5. PERMANEBIT, &c. Iam ſanctus Vates tranſit ad Chriſtum, cuius regni diuturnitatem deſcribit. CUM ſole: dum ſol erit. ANTE LUNAM. In Hebræo eſt, *coram luna*, ſeu *ante* faciem lunæ: quamdiu ſcilicet erit luna. IN GENERATIONE, ET GENERATIONEM, ſcilicet durabit eius regnum.

V. 6. DESCENDET SICUT PLUVIA IN VELLUS. Quemadmodum olim ros in aridum Gedeonis vellus deſcendit, Iudic. VI. abſque ſtrepitu, & nihil noxæ inferens velleri: ſic tacite Virginis viſceribus illabetur Deus, nec illius virginitatem aut in conceptu, aut in nativitate diminuet: ET SICUT STILLICIDIA, &c. Quemadmodum & minutæ pluviæ guttulæ ſine ſtrepitu in gremium terræ cadunt, & illam fecundam reddunt; ita Chriſtus in ſinum Virginis veniet, & ex terra illa virgine præclarum Ieſſææ gentis germen orietur.

V. 7. ORIETUR IN DIEBUS EIUS, &c. Afferet Chriſtus mundo veram iuſtitiam, & ſanctitatem, & pacem æternam conciliabit inter Deum & homines. DONEC AUFERATUR LUNA: in Hebr. eſt, *donec non ſit luna*: uſque ad coſummationem ſæculi.

V. 8. A MARI USQUE AD MARE, &c. Si de Salomone hæc accipiantur, dicemus, *a mari uſque ad mare* ſignificare a mari rubro uſque ad mare mediterraneum, & a flumine Euphrate, qui eſt ad aquilonem, uſque ad extremum terræ, id eſt uſque ad AEgyptum, ſive AEgypti rivum Rhinocoruram, qui erat verſus auſtrum extremus terræ ſanctæ terminus. Vide dicta Geneſ. XV. 18. Si vero de regno Chriſti, a mari indico, uſque ad mare oceanum ultra Cades, & a flumine Tanai uſque ad fines AEthiopiæ. Videtur enim S. David deſcribere terram habitabilem, & eo tempore cognitam, quam totam Chriſti regnum comprehenſurum affirmat.

V. 9. CORAM ILLO PROCIDENT AETHIOPES: qui iuxta proxime dicta habitabant fines terræ ad auſtrum. Vel etiam nominantur AEthiopes propter Eunuchum Candacis Reginæ AEthiopum, qui primus ex iis qui extra terram promiſſionis habitabant, ad Chriſtum converſus eſt: Actor. VIII. 27. TERRAM LINGENT: oſculabuntur in ſignum reverentiæ, & ſervitutis.

V. 10. REGES THARSIS, Reges inſularum orientalium: hoc enim ſignificat Tharſis, ut diximus Pſal. XLVII. 8. ET INSULAE, & ipſæ inſulæ, id eſt populi inſularum. REGES ARABUM, ET SABA. Impletum eſt in Salomone cum venit in Ieruſalem Regina Saba, quæ dominabatur Arabiæ felici: & præterea Madian, & Epha, & totius regionis Sabæorum. Impletum etiam in Chriſto Domino, quia earum regionum principes, & populi Chriſto ſe ſubiecerunt per fidem, & quia Magi inde venerunt ad Chriſtum Dominum adorandum: Matth. II.

V. 12. LIBERABIT PAUPEREM A POTENTE: liberabit fideles ſuos a ſervitute dæmonis, qui potens, & princeps erat huius mundi. Salomon curabit, ne potentes tenuioris fortunæ homines premant iniuſte.

V. 13. PARCET PAUPERI, ET INOPI: miſerebitur pauperis, & illi propitius erit.

V. 14. EX USURIS, ET INIQUITATE, &c. A fraudibus, violentiis, & iniuriis diaboli. HONORABILE, &c. Græce *ἔντιμον* *pretioſum*. Vita eorum illi erit cara, & pretioſa, neque impunem habebit eum qui ſe eorum ſanguine cruentaverit: nam quod nos habemus in noſtra Vulgata *nomen eorum*, in Hebræo eſt *ſanguis eorum*.

V. 15. ET VIVET: quia illi mors non dominabitur: nam guſtata per triduum morte revixit, numquam amplius moriturus. DABITUR EI DE AURO ARABIAE; id eſt, pretioſis muneribus coletur. DE IPSO. In Græco eſt *περὶ αὐτοῦ*; & ſenſus eſt: *Pro ipſo orabunt*: hoc enim faciunt populi qui Principem ſuum amant. Hoc non Salomoni tantum, ſed Chriſto etiam convenit, quo ingredienti Ieruſalem clamabant turbæ Matth. XXI. *Hoſanna filio David*, *Hoſanna in excelſis*: quorum verborum ſententia eſt: O tu Deus, qui es in excelſis, ſalva, quæſo, ſalva filium David. Vox Hebraica בעדו *bagado* verti etiam poteſt *per ipſum*, vel *propter ipſum*, eius nomine. Sic nos perpetuo facimus, qui noſtras preces claudentes dicimus: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. Noſter Interpres particulam *περὶ* quam bene vertiſſet *pro*, vertit *de*,

quia

quia hæc est communior illius significatio. TOTA DIE BENEDICENT EI: assidue ipsi, & ipsius regno bene precabuntur.

V. 16. FIRMAMENTUM. Nomine firmamenti, triticum intelligit, quia tritico, & pane ex illo confecto vita hominis sustentatur. Sic Isai. III. ỷ. habemus *robur panis*, & Psal. CIV. *Omne firmamentum panis contrivit*. SUPEREXTOLLETUR, &c. Est hyperbole. Ex paucis granis etiam in cacuminibus montium, quæ solent alioquin esse infrugifera, maxima proveniet seges, quæ altitudine superet etiam Libani cedros maxime proceras. FLOREBUNT DE CIVITATE, &c. Qui erunt cives in Regis huius civitate, florebunt sicut germen terræ, & multiplicabuntur, &c. Hisce allegoriis describitur cælestium bonorum copia, qua in Christi regno circumfluimus.

V. 17. ANTE SOLEM, id est coram sole; quamdiu sol erit. Vide dicta supra num. 5. PERMANET. In Hebræo est, ינין *innon*, quod verti potest *filiabitur*, id est *propagabitur*; quod satis proprie convenit nomini Christi, quod per prædicatores propagatur, & propagabitur usque ad mundi consummationem. BENEDICENTUR IN IPSO OMNES TRIBUS TERRAE. Hoc desumptum est ex Genes. cap. XXII. ubi legimus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Omnes autem gentes benedicentur a Deo in Christo; id est, nemo benedicetur nisi in Christo, & in ipso benedicentur quotquot ex ipso renati fuerint, & in ipso perseveraverint, audientque illud, *Venite benedicti*, &c.

V. 19. BENEDICTUM NOMEN MAIESTATIS EIUS: benedicatur nomen maiestatis eius. REPLEBITUR MAIESTATE EIUS, &c. In universa terra maiestas illius potentiæ, bonitatis, sapientiæ, &c. magnificetur, & prædicetur.

V. 20. DEFECERUNT LAUDES, &c. Hic enim Psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis ultimo loco collocatus non sit. Scriptus est enim eo tempore quo David morti vicinus, Salomonem filium suum in regni possessionem immisit.

TIRINI:

Vers. 1. IN SALOMONEM, nempe qui, & quatenus erat figura Christi. Nam omnes, etiam Rabbini veteres & recentiores, applicant hunc Psalmum Christo: & patet ex vers. 5. 8. & 11. qui Salomoni competere non possunt. Chaldæus vertit, *per manum Salomonis dictus prophetice*: & forsan a Salomone compositus fuit.

V. 2. IUDICIUM ET IUSTITIAM, id est iuris tui & iustitiæ scientiam, zelum, praxim. IUDICARE; id est, ut iudicet.

V. 3. MONTES, qui solent esse speluncæ latronum, & latibula ferarum, vel delubra dæmonum. SUSCIPIANT PACEM, id est tranquillitatem, & felicitatem; quasi dicat: Invehat Christus ubique plenam pacem, & prosperitatem. Theodoretus hæc refert ad monachos, & eremitas, qui in montibus angelicam vitam duxerunt.

V. 5. PERMANEBIT CUM SOLE, id est quamdiu erit sol, ET ANTE, seu coram, LUNAM, id est quamdiu erit luna. Ita Hieron. & Chald. quasi dicat: In æternum stabit regnum Christi. Aliter sanctus Augustinus. Ante lunam fuit Christus, quia secundum divinitatem est ab æterno.

V. 6. DESCENDET Christus in terram, vel in utero Virginis, SICUT PLUVIA, seu ros, IN VELLUS Gedeonis, Iudic. VI. 37. ET SICUT STILLICIDIA, id est quiete, insensibiliter, sine corruptione virginitatis, per operationem Spiritus sancti, cum fecundatione, & influxu omnium bonorum. Ita sanctus Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

V. 7. ORIETUR IUSTITIA. Hieron. *Germinabit iustus*; Chald. *multiplicabuntur*, seu multipliciter crescent, *iusti*.

V. 8. A MARI USQUE AD MARE. Chald. *ab angulo*, seu extremo, maris magni mediterranei, usque ad extremum angulum maris oceani. ET A FLUMINE, Euphrate, qui in Scripturis ponitur terminus terræ sanctæ, & regni Salomonici, USQUE AD FINES TERRAE.

V. 9. TERRAM LINGENT; id est, osculabuntur nempe in signum reverentiæ, & subiectionis.

V. 10.

V. 10. REGES THARSIS, id est maris. Vide II. Paralip. IX. 21. ARABUM, ET SABA. Vide III. Reg. X. 1. Id cœperunt facere tres Magi Matth. II. quos Reges fuisse, ut hic indicatur, ibi probabo.

V. 14. EX INIQUITATE, id est iniqua oppressione, fraude & violenta tyrannorum, maximeque diaboli, qui summus est fenerator, pro vilissima peccati voluptate animam sibi obstringens ad fenus æternæ pœnæ, inquit sanctus Augustinus.

V. 15. ADORABUNT DE IPSO, id est ipsum Christum, inquit Ioannes Mariana, & Emanuel Sa.

V. 16. ERIT FIRMAMENTUM. Ita Romana, & Græca, & subauditur PANIS, qui quia cor hominis firmat, vocari solet *firmamentum* Psal. CIII. & CIV. &c. Hebraice est, פסת בר *pissat bar*, quod Hieron. vertit *memorabile triticum*; Chald. *substantificus panis*; Paulus Burgen. *placentula frumenti*; R. Emanuel *vola*, seu manus *plena* frumento; Vatab. & Genebr. *pugillus frumenti*. Quasi dicat: Tanta rerum omnium, maxime spiritualium, fertilitas erit tempore Messiæ, ut pauca grana frumenti *in terram* conjecta, etiam *in montibus* silvosis, & aridis, tantam laturæ sint segetem, ut fertilissimi *Libani* messem multis modis excedant. R. Ionathan Chaldæus vertit: *Erit placenta tritici in vertice sacerdotum*. Et multi veteres Rabbini id interpretantur de sacrificio panis delicatissimi tempore Messiæ offerendo. FLOREBUNT DE CIVITATE, id est cives qui sunt de civitate Dei, id est Ecclesia Christi. SICUT FENUM TERRAE: multiplicabuntur numero, & gratiis omne genus.

GORDONI.

Titulus PSALMUS IN SALOMONEM. In codice Regio, & Complutensi est εἰς Σαλωμὼν Ψαλμὸς τῷ Δαβίδ. Putatur David paulo ante mortem, concedens Salomoni regnum, scripsisse hunc Psalmum, & Davidicorum ultimum, ubi bene precaretur filio regnaturo; tamen in progressu Psalmi assurgit in spiritu ad Christum, qui significatur per Salomonem Christi figuram. Ceterum quamvis hic Psalmus sit ultimus, non est tamen positus ultimo loco a collectore Psalmorum.

Vers. 1. DEUS IUDICIUM, &c. Optima precatur filio Salomoni, tum hoc versu, tum deinceps. Sensum vero qui Christum respicit, promovet Paraphrasis, & ex quo etiam quæ ad Salomonem spectant, possunt intelligi.

V. 5. ET PERMANEBIT CUM SOLE, ET ANTE LUNAM. Assurgit sensim in spiritu ad Christum; & de Christo loquitur David sub persona Salomonis; ac si diceret: Continuabitur regnum Salomonis, & sceptrum Iudæ per Christum, quamdiu sol, & luna manebunt; seu quamdiu tempus durabit: Heb. יראוך עים שמש *iiraucha bhim wamesh*, *timebunt te cum sole* (radix ירא timuit) hoc est quamdiu erit sol. Sensus idem est, nam hoc est permanere cum sole. Putant tamen Genebrard. & Bellar. factam mutationem in textu ex transposita littera aliqua. Si quæras, cur cum sole, & non diutius? quia post finem mundi, inquit Bellar. erit non cum sole, sed supra solem. At saltem quomodo *ante lunam*? Interpretor hoc coram luna, favetque Hebræa vox לפני *liphne*, *faciebus*, scilicet lunæ. Ergo cum faciebus: vel coram. Tandem πρὸ apud Septuag. & Græcos significat ἐνώπιον, & ἔμπροσθεν, *coram*, ut πρὸ ὀφθαλμῶν, *præ oculis*.

V. 10. REGES THARSIS, &c. Dixit vers. 6. de descensu, adventuque Christi, & subinde alia de eius dominatu in continente: nunc etiam ad insulas extendendum docet hoc imperium; nec tantum ad terminos versic. 8. designatos: quamvis in illis definiendis, si de regno Salomonis agatur, non omnes consentiant. Vide Reg. III. cap. X. ubi de Regina Saba, & voce שבא actum est.

V. 11. ET ADORABUNT, &c. Sunt hic aliqua quæ longe magis Christo quam Salomoni conveniunt: immo & hic aliqua de Christo, tantum per synecdochen, & figuram intellectionis. Nisi hic intelligere velis subiectionem Christo generalem in die iudicii, cum omne genu illi flectetur.

V. 12. & 16. A POTENTE. Septuag. ἐκ δυνάστου. Hebræus habet *clamantem*; sed rectius legerunt Sept. quibus magis creditur quam alii. At vers. 16. quid est FIRMA-

MAMENTUM: Septuag. στήριγμα. Heb. פסת בר *pissath bar*. Hieron. vertit, *memorabile triticum*, vel memorabile tritici; sed sequi oportet versionem Septuag. Interpretum, qui *pissath* vertunt *firmamentum*. Dubium est tamen, cur nihil posuerint pro בר *bar*, quod inter alia significat panem, & dicere debeant στήριγμα ἄρτου. Suspicantur aliqui excidisse vocem ἄρτου, ex versione Septuag. vel una voce firmamenti denotasse utramque: quatenus firmamentum cordis est in pane. Psal. CIII. 15. *Panis cor hominis confirmat*. Ceterum referendo hunc locum ad Christum, debet intelligi panis spiritualis, & abundantia verbi. De voce פסת, vide rad. פס.

V. 17. ANTE SOLEM. Septuag. πρὸ τοῦ ἡλίου, *coram sole*, ut supra vers. 5. aut certe ab æterno Verbum Patris. Heb. pro *permanet* habet *filiabitur nomen eius*. ינון שמו *innon semo*: nempe filius facit permanere nomen patris; ac si dicas, filiat: rad. נין.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 1. & 2. DEus *iudicium tuum*, seu gratiam iuste iudicandi *da Regi* Salomoni; vel *iudicium* quale est tuum.

V. 3. & 4. *Suscipiant montes pacem*. Da toti terræ, & regno pacem, & iustitiam. Tueatur pauperes contra calumniatorem. Hactenus de precatione.

V. 5. 6. 7. *Et permanebit* (inquit David de filio Salomone, ut typo Christi) regnum hoc translatum ad Christum, quamdiu tempus erit. Manebit, inquit, simul cum sole, & coram luna in omnem generationem. Indicata vero sic huius regni Salomonici diuturnitate in Christo, transit vers. 6. aperte ad Christum, & eius primum adventum. *Descendit*, inquit, ad similitudinem pluviæ *in vellus* (alludit ad vellus Gedeonis, Iud. cap. VI.) hoc est sine strepitu, & sono, per incarnationem Verbi; *& sicut stillicidia stillantia in terram*, cum sonitu, & prædicatione Christi, ut sic terra reddatur fertilis.

V. 7. *Orietur*, *&c.* En deinceps effectum adventus huius fertilitatem terræ, & fructum; nempe iustitia erit, & pax hominibus bonæ voluntatis, *donec* (ut est Hebr.) *non sit luna*, usque ad consummationem sæculi, vel donec auferatur luna; hoc est attollatur tota militans Ecclesia ad gloriam æternam.

V. 8. & *seq. Et dominabitur a mari*, *&c.* Hactenus de fructu huius primi adventus. Porro Cristus proferet longe lateque imperium: ac demum per orbem totum adorabunt eum gentes remotæ, vers. 9. & 10. Et hoc quidem (vers. 12.) *quia liberabit pauperem*, & alia faciet iustitiæ & pietatis opera per se, & suos ministros. Sic sane pauperem spiritu liberabit a potente diabolo; ex peccatis, & *usuris* impie succrescentibus *redimet*; & redemptorum *nomen* erit *honorabile*, & pretiosum coram illo. *Et dabitur* Christo *de auro Arabiæ*, seu pretiosa ei offerentur munera.

V. 17. *& seq. Erit nomen Domini*, *&c.* Extrema pars Psalmi est, plena benedictionibus Christo, pro acceptis donis, in quo quotquot sancti umquam erunt, benedicentur.

BOSSUET.

Vers. 2. REGI....... FILIO REGIS, Salomoni, qui Rex, & filius Regis. IUDICARE, *iudicabit*, Hier.

V. 3. SUSCIPIANT MONTES, &c. Universa regio pace, & iustitia florebit.

V. 4. PAUPERES. Nota, pauperes Regi specialiter commendatos. Vide infra 12. 13.

V. 5. PERMANEBIT, &c. Timebunt te quamdiu erit sol, & ultra lunam: Hier.

V. 6. DESCENDET SICUT PLUVIA, tam gratus, IN VELLUS, *in tonsionem*, Hebr. id est supra tonsam herbam, ut rursus incrementum capiat.

V. 7. ORIETUR IN DIEBUS EIUS IUSTITIA: *florebit in diebus eius*. Hebr. at Hier. *Germinabit in diebus eius iustus*, eodem fere sensu. Tota regio viris iustis abundabit, quo nihil est bono Regi carius, aut honestius.

V. 8. A MARI USQUE AD MARE: de Salomone quidem: a mari rubro ad mare magnum. A FLUMINE, &c. ab Euphrate *ad terminos terræ* (sanctæ) Hier. at LXX. τῆς οἰκουμένης: quod Christus imperium protensurus esset per universa maria ac terras atque orbe universo.

V. 9.

V. 9. AETHIOPES, Siim, incolæ deserti. Psalm. LXXIII. 14.

V. 10. REGES THARSIS, ET INSULAE: regna occidua. REGES ARABUM, ET SABA: oriens, & meridies. Vide Gen. x. Naves Salomonis ibant in Tharsis, III. Reg. x. 22. Regina Saba ad eum venit, III. Reg. x. atque hæc in figuram Christi toto orbe potituri: idque a Magorum munere intelligimus inchoatum, qui Gentium, Regumque typum tenuisse monstrantur. Comm. Hier.

V. 11. REGES TERRAE. *Terræ* deest etiam in LXX. Gentes, Goim, Hebr. id est gentes idolis addictæ.

V. 14. HONORABILE NOMEN, &c. Pretiosus erit sanguis eorum, &c. Hier. Forte in LXX. ex αἷμα, factum ὄνομα.

V. 15. ARABIAE, *Saba*, Hebr. ADORABUNT DE IPSO: *orabunt de eo*: Hier. gratias agent Deo pro Salomonis beneficentia: longe autem magis pro collatis a Christo beneficiis. Potest intelligi secundum Hebr. *Orabunt pro eo*, pro Salomone; quæ summa Regum gloria, ut exteris quoque honori, & amori sint.

V. 16. FIRMAMENTUM IN TERRA, &c. *Pugillus frumenti in terra, in capite montium*: Heb. στήριγμα forte pro σίτου δράγμα. SUPEREXTOLLETUR, &c. *perstrepet sicut Libanus*: Hebr. Si vel pugillus frumenti feratur in montium vertice arido plerumque, & saxoso, silvescet messis altior cedris Libani. FLOREBUNT DE CIVITATE: cives multiplicabuntur: urbes florentes erunt: agri, urbes, omnia sub bono Rege felicia.

V. 17. SIT NOMEN EIUS BENEDICTUM, &c. *Benedictum* deest: *Erit nomen eius in æternum ultra solem*: Hier. fama ubique diffusa & immortalis. BENEDICENTUR IN IPSO OMNES TRIBUS TERRAE, &c. At Hier. sic distinguit: *Et benedicentur in eo: omnes gentes*, &c. *Omnes tribus terræ* deest. *Gentes* autem est *Goim*, ut supra vers. 11. qui proprius veluti character Christi, de quo ab initio dictum erat Abrahamo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Gen. XII. 1. XXII. 18. &c.

V. 19. FIAT. *Amen* Hebr.

V. 20. DEFECERUNT LAUDES, &c. Hic est ultimus Psalmus Davidis, non tamen suo loco positus, cum multi sequantur quos ipsius esse certissimum est: ut Psal. CIX. aliique. Unde apparet aliam fuisse olim Psalmorum collectionem, in qua temporis ordo servatus esset. Hæc autem verba quidam codices sequentis Psalmi titulo adiungebant, nullo sensu: quos confutat comm. Hier. & ipsi Hebraici codices.

PSAL-

PSALMUS LXXII. CONSOLATORIUS.

Impios tarde quidem persæpe, sed graviter Deus ulciscitur: hinc spes bonorum. Idem argumentum de divina providentia, vide Eccl. VIII. II. IX. 9. XII. 14. *Sap.* II. III. IV. V. & *alibi passim.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum Asaph.

ATtamen bonus est Israel, Deus his qui mundo sunt corde.

Mei autem pene vacillaverunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

Quia æmulatus sum contra iniquos: pacem impiorum videns.

Quod non recogitaverint de morte sua: & firma sint vestibula eorum.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo nutriti sunt ad superbiam: circumdederunt iniquitatem sibi.

Processerunt a pinguedine oculi eorum: transierunt cogitationes cordis.

Irriserunt, & locuti sunt in malitia calumniam: de excelso loquentes.

Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum deambulavit in terra.

Propterea convertetur populus eius huc, & quis plenus invenietur in eis?

Et dixerunt quomodo novit Deus, & si est scientia in excelso.

Ecce isti impii, & abundantes in sæculo multiplicaverunt divitias.

Ergone frustra mundavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas.

Et fui flagellatus tota die, & increpatio mea in matutinis.

Dixi, si narravero sic: ecce generationem filiorum tuorum reliqui.

VERSIO VULGATA.

Psalmus Asaph.

1. QUam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde?

2. Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.

5. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:

6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.

7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.

8. Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.

9. Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transivit in terra.

10. Ideo convertetur populus meus hic: & dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?

12. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas:

14. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

15. Si dicebam: Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Et cogitavi ut intelligerem istud : labor est in oculis meis.

Donec veniam ad sanctuaria Dei : & intelligam in novissimo eorum.

Verumtamen in lubrico posuisti eos : deiecisti eos ad interitum.

Quomodo vastati sunt subito : defecerunt, consumpti sunt quasi non sint.

Quasi somnium evigilantis : Domine in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.

Quia contractum est cor meum, & lumbi mei velut ignis fumigans.

Et ego insipiens, & nescius : quasi iumentum factus sum apud te.

Et eram semper tecum, & tenebas manu dexteram meam.

In consilium tuum deduces me, & postea in gloria suscipies me.

Quid mihi est in cælo ? & tecum nolui in terra.

Consumpta est caro mea & cor meum : robur cordis mei & pars mea Deus in æternum.

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnem fornicantem a te.

Mihi autem appropinquare Deo bonum est : posui in Domino Deo spem meam : ut narrem omnes annuntiationes tuas.

16. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me :

17. Donec intrem in Sanctuarium Dei : & intelligam in novissimis eorum.

18. Verumtamen propter dolos posuisti eis : deiecisti eos dum allevarentur.

19. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam.

20. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21. Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt :

22. Et ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.

23. Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

24. Tenuisti manum dexteram meam : & in volontate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

25. Quid enim mihi est in cælo ? & a te quid volui super terram?

26. Defecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

27. Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam :

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUAM BONUS ISRAEL DEUS, &c. id est, utique bonus est Israeli Deus, iis qui mundo sunt corde.

V. 2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES. Hebr. *Nihilominus pene moti sunt pedes mei*; id est, quamquam sciam Deum nobis bonum esse; tamen cum viderem pios affligi rebus adversis, impios vero frui prosperis, parum abfuit quin de divina providentia dubitarem. Simile quiddam Iob. XXI. 6. & XXIV. 1. & Ierem. XII. 1. & Habacuc I. 3.

V. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM, &c. Hebr. *Non sunt vincula in morte eorum, & sana est fortitudo eorum*; id est, non diuturnis morbis contabescunt, sed subito moriuntur sani & validi :

lidi: ut Iob XXI. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*: & Iob XXIV. 19.

V. 6. IDEO TENUIT EOS SUPERBIA, &c. Hebr. *Ideo quasi torques circumdedit eos superbia, & vestis iniquitatis operuit eos*; id est, pleni sunt superbia, & iniquitate, eo magis, quo magis vident omnia sibi prospere succedere.

V. 7. PRODIIT QUASI EX ADIPE INIQUITAS EORUM. Hebr. *Prominent præ pinguedine oculi eorum, supergressæ sunt cogitationes cordis*; id est, plura consequuntur quam cupiunt. Septuag. videntur legisse עונימו, *iniquitates eorum*: διελεύσεται ὡς ἐκ στέατος ἡ ἀδικία αὐτῶν. Simile Iob XV. 27. *Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius arvina dependet*.

V. 8. COGITAVERUNT ET LOCUTI SUNT NEQUITIAM, &c. Hebr. ימיקו *Solverunt* (labia sua) *& locuti sunt malam calumniam: contra excelsum locuti sunt*, id est contra Deum, negantes esse Deum, aut divinam providentiam.

V. 9 POSUERUNT IN CAELUM OS SUUM, &c. id est, nihil est de quo non male loquantur.

V. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS HIC. Hebr. *Ideo redit populus eius huc*: (Dei) *& aquæ pleni* (calicis) aut, *plenitudinis exprimuntur eis*. Rabbi David interpretatur: Ideo populus eius redibit ad hanc cogitationem, quomodo aquæ pleni (calicis) exprimantur eis (impiis) id est omnia prospere succedant. R. Ionath, melius: Propterea quod populus eius attritus redeat, & aquæ pleni (calicis) exprimantur eis (populo) id est lacrymæ; quasi dicat, cum videant omnia male succedere populo Dei.

V. 12. ET ABUNDANTES IN SAECULO. Hebr. *pacifici sæculi*.

V. 13. ERGO SINE CAUSA, &c. Hebr. *Utique frustra mundavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas*.

V. 14. IN MATUTINIS, id est singulis diebus mane, aut omni die qui illucescit.

V. 15. REPROBAVI. Hebr. *Fefelli, mentitus sum*; id est, si umquam in animum meum induxi, ut similia his narrarem, nolo haberi pro vero filio tuo. Alii secus.

V. 16. EXISTIMABAM UT COGNOSCEREM, &c. Hebr. *Cogitavi ut cognoscerem hoc*, id est huius rei causam: *& labor est in oculis meis*; id est, vidi id mihi esse difficile.

V. 17. DONEC INTREM IN SANCTUARIUM DEI; Hebr. *in sanctuaria Dei*; id est, donec consulam Deum ut mihi harum rerum causam revelet: tunc enim intelligam novissima earum. Allegorice de cælo potest intelligi.

V. 18. VERUMTAMEN PROPTER DOLOS POSUISTI EIS, &c. Hebr. *Profecto in locis lubricis collocasti eos, & deiecisti eos in desolationes*; id est, tunc cognovi res prosperas quibus impii in hac vita fruentur, lubricas esse.

V. 19. PROPTER INIQUITATEM SUAM. Hebr. *a terroribus*.

V. 20. VELUT SOMNIUM SURGENTIUM, &c. Hebr. *Sicut somnium ab evigilando*, id est ab eo qui evigilat, *Domine in civitate imaginem eorum*, id est memoriam, *ad nihilum rediges*: aut, *Cum* (eos) *excitaveris, imaginem*, id est cogitationem, & consilia, *eorum ad nihilum rediges*: ut Psal. XXXVIII. 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo*: et Psal. XXXII. 10. *Deus dissipat consilia gentium*.

V. 21. QUIA INFLAMMATUM EST COR MEUM, &c. Hebr. *Quando cor meum acerbum erat, & renes mei compungebantur*, scilicet solicitudine sciendi, num tibi cura esset.

V. 22. ET AD NIHILUM REDACTUS SUM, &c. Hebr. *Tunc insipiens eram, & ignorans, & ut iumentum apud te*; id est, a te tamquam iumentum gubernabar, nesciens a quo gubernarer.

V. 24. ET IN VOLUNTATE TUA. Hebr. *Consilio tuo deduxisti*, aut *deduces me*.

V. 26. DEUS CORDIS MEI. Hebr. *robur cordis mei*; id est, si caro mea, & cor meum defecerint, tamen *robur cordis mei*, *& pars*, id est portio, hereditas *mea Deus* erit *in æternum*, id est quæ non deficiet.

V. 28. OMNES PRAEDICATIONES TUAS. Hebr. *omnia opera tua*. IN PORTIS FILIAE SION. Hebr. non est, Sept. tamen legunt.

SA.

De piis, & impiis.

Verf. 1. ASAPH, fcilicet traditus decantandus. ISRAEL. Dativus eft.

V. 2. EFFUSI SUNT. Chald. *Vacillaverunt*; quafi dicat: Pene a via declinavi, feu lapfus fum.

V. 3. ZELAVI; id eft, indignatus fum; vel invidi illis profperitatem. SUPER. Hieron. *contra*. PACEM, id eft profperitatem.

V. 4. NON EST RESPECTUS, &c. quafi dicat: Habent mortem non refpuendam, fcilicet facilem. Græc. ἀνάνευσις; quafi dicat, *defpectus*, five *renuitio*: ita *refpectus* a *refpuendo*. Hieron. *Non cogitaverunt de morte fua*. Chald. *Non terrentur, nec conturbantur ob diem mortis fuæ*. FIRMAMENTUM, fcilicet eft; quafi dicat: Cito fanantur & convalefcunt: vel fcilicet non eft; quafi dicat: Non diu durat morbus, feu tribulatio illorum.

V. 5. LABORE, id eft moleftiis, feu ærumnis. HOMINUM, id eft qui folet hominibus accidere. FLAGELLABUNTUR, pro flagellantur; quafi dicat: Profpere eis fuccedunt omnia

V. 6. TENUIT, id eft poffedit.

V. 7. QUASI EX ADIPE, id eft abundanter. TRANSIERUNT, &c. quafi dicat: Se totos tradunt affectibus animi: vel confecuti funt quod optabant, in hac vita fcilicet explentes fua defideria.

V. 8. IN EXCELSO, id eft edito loco; quafi dicat, aperte. Hieron. *de excelfo*.

V. 9. IN CAELUM, id eft contra cælum, feu Deum. Chald. *in fanctos cælorum*. OS, fcilicet blafphemando. IN TERRA. Chald. *in iuftos terræ*; quafi dicat: Et contra Deum, & contra homines loquuntur.

V. 10. HIC, id eft hoc loco. Hieron. *huc*; quafi dicat: Afpiciet horum profperitatem. ET DIES; pro, & videbit, quod dies. PLENI; quafi dicat, quod vivant diutiffime.

V. 11. DIXERUNT, id eft iufti apud fe, velut dubitantes. QUOMODO SCIT? quafi dicat: Quomodo iftos fert? SCIENTIA, id eft providentia. EXCELSO. Chald. *Altiffimo*, fcilicet Deo.

V. 13. ERGO. Hieron. *Ergone*. SINE CAUSA. Hieron. *fruftra*. IUSTIFICAVI. Hieron. & Chald. *mundavi*. INTER INNOCENTES, id eft cum innocentibus. Hieron. *in innocentia*. Chald. *in munditia*.

V. 14. FLAGELLATUS, id eft afflictus. TOTA, id eft omni. IN MATUTINIS; quafi dicat: Statim ut furgo, incipit afflictio.

V. 15. SI DICEBAM, &c. Hieron. *Dixi: Si narravero fic*; quafi dicat: Dixi apud me: Si ita ftatuo, & de tota hac re decerno. ECCE NATIONEM, &c. quafi dicat: Certe id erit reprobare iuftorum vitam.

V. 16. EXISTIMABAM. Hieron. & Chald. *cogitavi*; quafi dicat: Volui huius rei caufam plane intelligere. LABOR EST, &c. quafi dicat: Eft mihi difficillimum.

V. 17. DONEC INTREM, &c. quafi dicat: Donec admittar ad fecreta Dei confilia. IN NOVISSIMIS. Chald. *finem*; quafi dicat: Quem tandem finem habeant & impii, & pii.

V. 18. PROPTER DOLOS, id eft ut decipiantur, & errent. Hieron. *in lubrico*. Chald. *in tenebris*. POSUISTI EIS; id eft, dedifti profperitatem. Hieron. & Chald. *pofuifti eos*, fcilicet tali ftatu. DEIECISTI, &c. pro deiiciendos a te, ubi fuerint exaltati.

V. 20. SOMNIUM, fcilicet poft quod nihil eft. SURGENTIUM. Hieron. *evigilantis*. CIVITATE, id eft mundo. Chald. *in die iudicii magni, cum refurrexerint*. IMAGINEM, id eft apparentiam illam & fplendorem,

V. 21. RENES MEI, &c. id eft interiora mea turbata, fcilicet præ indignatione, feu afflictionibus, quibus me crucias.

V. 22. AD NIHILUM; quafi dicat: Non adverti quam nihil effem, quamque ftultus apud te; vel quafi dicat: Pene me tribulationes confecerunt.

V. 23. EGO SEMPER TECUM; quafi dicat: Cum me tamen femper adiuvares, vel cum more iumenti oneratus effem laboribus, numquam tamen a te defeci.

V. 24. VOLUNTATE, id eft beneplacito, feu gratia. SUSCEPISTI, Hieron. *fufcipies*.

V. 25. QUID ENIM MIHI EST, quod velim præter te? A TE, id eft præ te.

V. 26.

V. 26. Defecit, scilicet præ tui desiderio. Pars, id est portio, seu hereditas.

V. 27. Fornicantur, scilicet adhærendo creaturis. Abs te, scilicet recedendo.

V. 28. Praedicationes, id est opera digna prædicatione. Chald. *præcepta apostolatus tui*. Filiae Sion, id est Ierusalem, scilicet Ecclesiæ.

ESTII.

Vers. 1. Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! *Israel* dativus est, non genitivus, quod manifestum est ex articulo Græco, & Hebræo. Exordium autem abruptum est, explicandum hoc, aut simili modo: Videmus plerisque hominibus malis omnia feliciter succedere, & tamen dubitandum non est de bonitate & æquitate Dei, quod videlicet bonus sit, & propitius Israeli, hoc est iis qui recto sunt corde. Hebraice est, *qui mundo sunt corde*. Et sic illud, *His qui recto sunt corde*, explicationis causa adiectum videtur, ne quis per Israelem intelligat solum, & omnem Israelem carnalem: nam in eo erant multi pravo & immundo corde.

V. 9. Posuerunt in caelum os suum. Et lingua eorum transivit in terra. Hieronymus sic: *Deambulavit*, id est Deum blasphemavit, *os eorum*, *& hominibus maledicunt*. Scilicet *ponere in cælum os suum* phrasi Hebraica est Deo, & superis maledicere: quod etiam hodie fit ab hæreticis nostri temporis, qui superis cum Deo regnantibus, & eorum sanctitati, & miraculis impudenter detrahere non verentur. Per *terram* autem mortales intelliguntur, quos impii sua felicitate inflati, non tantum contemnunt, verum etiam improperiis impetunt.

V. 16. & 17. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me: donec intrem in sanctuarium Dei: et intelligam in novissimis eorum. Sensus est: Solicite apud me cogitabam, ut scirem illud, videlicet *Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso?* id est, utrum, & quomodo Deus sua providentia gubernet hæc inferiora, cum sinat impios vivere in tanta felicitate? Sed *labor est ante me*; id est, ea inquisitio visa mihi fuit difficilis, & permolesta: *donec intrem in sanctuarium Dei*; id est, donec contuli me ad considerandа arcana Dei. Nam illa hic intelliguntur nomine sanctuarii vel sacrarii. *Et intelligam in novissimis eorum*; id est, donec intellexi, & consideravi finem impiorum. Ac si dicat: Tandem ex contemplatione divinorum secretorum didici ac deprehendi veritatem huius quæstionis. Videlicet impios tametsi ad tempus prospere agant, tamen tandem vel hic, vel in futuro sæculo illa prosperitate excidere, & suæ impietatis gravissimas pœnas luere.

MARIANAE.

Vers. 1. Psalmus Asaph. Hebr. vox *Asaph* est in genitivo. Nobilis cantor Davidis tempore, I. Paral. vi. & xxvi. a quo hic Psalmus, & sequentes sunt compositi, aut illi traditi sunt decantandi. Impiorum in hac vita felicitatem deplorat. Quam bonus Israel Deus his. Vox *Israel* potest esse in genitivo, *Deus Israelis*; aut in dativo, *bonus Israeli*. Hoc vero propius.

V. 2. Moti sunt pedes. Hebr. *nutaverunt*; id est, fere a via recta declinarunt. Pene effusi sunt, id est vacillarunt. Gressus mei, pedes. Repetitio.

V. 3. Quia zelavi, invidi, aut potius indignatus sum. Pacem, id est felicitatem, peccatorum videns.

V. 4. Quia non est respectus. Hieron. *Non cogitaverunt*. Morti eorum. Hieron. *de morte eorum*. Quod est felicium, non respicere, nec recordari mortis; sed ut subito adveniat, nulla molestia, aut timore eius præcedente. Hebr. *Quia non vincula ad mortem eorum*. Morbos, & molestias vocat *vincula*, quæ ad mortem trahunt. Et firmamentum in plaga eorum; id est, si quid adversi accidat, multa sunt quæ molestiam minuant. Hebr. *& pinguis fortitudo eorum*. Malis robore insito resistunt.

V. 5. Et cum hominibus non flagellabuntur, aut *flagellantur*. Immunes sunt a miseriis, quæ premunt alios.

V. 6. Ideo tenuit eos superbia. Hebr.

Hebr. *cinxit ut torquis eos superbia*. OPERTI SUNT. Hebr. *operiet*, aut *operuit*, *vestimentum violentiæ eos*. Prosperitas continua feroces homines reddit.

V. 7. PRODIIT QUASI EX ADIPE; id est, ut ex multo adipe liquatur pinguedo. Hebr. *Prodiit præ adipe*, id est ob multam felicitatem. INIQUITAS EORUM. Heb. *Oculi eorum processerunt a pinguedine*; id est, oculos ad illicita verterunt. TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS; id est, opere impleverunt quæ voluerunt. Hebr. *pertexerunt in cogitationibus cordis*.

V. 8. COGITAVERUNT. Hebr. *dissolverunt* (se.) INIQUITATEM IN EXCELSO. Hebr. *de excelso*. id est e sublimi loco, in quo erant: aut *de excelso*, id est de Deo: ne cælo quidem pepercerunt.

V. 9. POSUERUNT IN CAELUM OS: contra cælum, & cælites posuerunt os. IN TERRA, id est nemini pepercerunt. De cælestibus, & terrestribus iuxta obloquuntur.

V. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS (Heb. *tuus*) HIC. ἐπάνω, huc recurret, ut dicat: *Pene moti sunt pedes mei*. ET DIES PLENI INVENIENTUR IN EIS: *pleni* malorum scilicet ob impiorum felicitatem. Hebr. *& aquæ pleni* (calicis) *exprimentur eis*. Eadem sententia.

V. 11. ET DIXERUNT. Hoc est ad quod revertuntur ad querelas. ET SI EST; id est, numquid est scientia in cælo, id est providentia.

V. 13. ET LAVI INTER INNOCENTES. Hebr. *in innocentia*. Me purum ab omni labe servavi. Id nihil profuit.

V. 14. FLAGELLATUS TOTA DIE. Hebr. *omni die*, id est semper. ET CASTIGATIO MEA, passive, qua ego punior. IN MATUTINIS; id est, continuo venit, sine mora.

V. 15. SI DICEBAM. Opponit contra ea quæ dixerat fore, si ita sentiat, ut a iustis deficiat, eorum institutum reiiciat. REPROBAVI, id est reprobarem. Gotth. *reliqui filiorum tuorum nationem*, iustos.

V. 16. LABOR EST ANTE ME. Hebr. *in oculis meis*. Laboriosa est hæc discussio.

V. 17. DONEC INTREM IN SANCTUARIUM DEI. Sic vocat cælum, aut quietem contemplationis, ubi cuncta ut sunt cognoscuntur. ET INTELLIGAM IN NOVISSIMIS EORUM: scilicet pravorum novissima intelligam.

V. 18. PROPTER DOLOS POSUISTI EIS. Adde *mala*; id est, flagellasti eos: sic Græce, & in Vulgata Regia; id est, punivisti, vel punies eos ob peccata. Et quia dolose egerunt, tu astu ages cum eis, dando bona in præsenti, in futurum servans mala. Hebr. *In lubrico posuisti eos*; id est, non est felicitas stabilis. DEIECISTI EOS DUM ALLEVARENTUR. Copia illis fuit mali causa. Hebr. *deiecisti eos in interitum*. Sic Hieronymus.

V. 19. PERIERUNT PROPTER INIQUITATEM SUAM. Hebr. *Perierunt præ terroribus*. Pessimum in morte est metus eius, alioquin mors ipsa cito transit.

V. 20. IN CIVITATE TUA. Hebr. *in civitate*, scilicet ubi morantur inter suos. IMAGINEM IPSORUM, gloriam veluti depictam. AD NIHILUM REDIGES. Hebr. *spernes*, scilicet eorum pompam & fastum.

V. 21. QUIA (id est certe) INFLAMMATUM EST COR MEUM, scilicet cupiditate cognoscendi quare impii sint felices. ET RENES MEI COMMUTATI SUNT, acuebantur, præ eadem cupiditate scilicet.

V. 22. ET EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM; Hebr. *Et ego insipiens*, scilicet assequi hoc non poteram, ET NESCIVI.

V. 23. UT IUMENTUM FACTUS SUM, præ inscitia. ET EGO SEMPER TECUM: numquam tamen a te, o Deus, in his ambiguitatibus recessi. Vel sic: Nolo esse solicitus ob ea quæ fiunt: te solum sequar ut iumentum suum herum. Idcirco

V. 24. TENUISTI MANUM, ut me ad veri cognitionem duceres. IN VOLUNTATE TUA, pro in voluntatem tuam, me deduxisti, ut scirem quid tibi in his rebus velles. Hebr. *in consilium tuum deduxisti*, id est in cognitionem consilii tui. ET CUM GLORIA SUSCEPESTI ME: honore me affecisti, qui ut iumentum ante eram.

V. 25. QUID ENIM MIHI EST IN CAELO? Hebr. *Quis mihi est in cælo*, scilicet præter te? nullus. ET A TE, id est præter te. Hebr. *tecum non volui* (quemquam) *in terra*: te solum expeto; quasi dicat: Nihil mirum, si mihi consilium & voluntatem aperuisti, quando ego præter te nullum expeto, aut colo. Fides mea id meretur.

V. 26.

V. 26. DEFECIT CARO MEA, ſcilicet præ deſiderio tui; DEUS CORDIS MEI, Hebr. *petra cordis mei*, id eſt ad quem utr ad arcem confugio.

V. 27. QUI FORNICANTUR, id eſt a tuo amore & cultu deficiunt. ABS TE: te relicto, ii peribunt. At mihi adhærere Deo bonum eſt.

V. 28. UT ANNUNTIEM OMNES PRAEDICATIONES TUAS. Hebr. *opera tua*. IN PORTIS FILIAE SION, in foro Ieroſolymitano. Verum hæc poſtrema verba, *In portis filiæ Sion*, Hebr. non ſunt: videntur huc translata ex Pſalmo IX. 14. *Ut annuntient omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

MALVENDAE.

Verſ. 1. PSALMUS ASAPH. Hebr. *Ode ipſi Aſapho*. Vide in Pſal. XLIX. verſ. 1. QUAM BONUS ISRAEL DEUS, HIS QUI RECTO SUNT CORDE. Quidam: *At qui bonus eſt Iſraeli Deus, puris animo*. Propoſitio ex abrupto, qua Propheta per paralepſim (quæ in Scriptura frequentiſſima eſt) certamina carnis ſuæ & ſpiritus reticens, & quaſi repente ex difficultatibus eorum emergens, concluſionem proponit tantum, affirmans, utcumque calamitates urgeant, tamen Dei bonitatem ſemper eſſe præſentiſſimam bonis.

V. 2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES, &c. Nos Heb. verbo tenus reddidimus (*Et ego, ſecundum paucum extenſi fuerunt pedes mei: ſecundum non effuſi, fuerunt directi greſſus mei.*) Alii: *Equidem quod ad me, pene declinaverant pedes mei, nihil fere aberat quin effunderentur greſſus mei*. Magnum certamen carnis & ſpiritus, quod ſubeunt pii ex proſperitate improborum. *Pene declinaverant pedes mei*; id eſt, prægravatus carnis infirmitatibus animus prope aberraverat ab officio: metaphora. *Nihil fere aberat quin effunderentur greſſus mei*, id eſt diffluerem velut aqua, ne inſiſterem viis quas præſcripſit Deus. Hebr. *Et ego pene diverterunt pedes mei*. Pronomen *ego* emphaſim ſententiæ addit: vide ſupra Pſal. LXVIII. 14. Quidam exponunt: *Et ego talis ſum, ut pene declinent pedes mei*. Alii: *Equidem quod ad me attinet, pene declinaverunt pedes mei*. Nonnulli: *Mihi tamen hoc accidit abſurdi, ut cum mei pene oblitus eſſem, tantum non labi cœperint pedes mei: & quemadmodum accidere ſolet iis qui per lubrica ambulant, effuſo greſſu collapſus fuerim.*

V. 3. QUIA ZELAVI SUPER INIQUOS, PACEM PECCATORUM VIDENS. Ex Hebr. alii. I. *Quia zelavi*, contriſtatus ſum, indignatus ſum, *in inſipientibus*, vel *propter inſipientes pacem impiorum videbo*; id eſt, perſeveranter videndo proſperitatem eorum. II. *Quia æmulatus ſum in ſtultos, pacem impiorum videbo*. III. *Quia zelavi in inſanos*, vel *zelo raptus ſum contra inſenſatos*, aut *urebat me æmulatio propter ſtultos*, ſeu *æmulatione accenſus ſum propter ſtolidos, cum pacem impiorum viderem*; id eſt, urebat me ſtultorum fortuna, & invidebam illis tantam felicitatem. IV. *Quoniam zelum habui in glorioſos, iactabundos, cum pacem improborum viderem*. V. *Cum inviderem inſanientibus, proſperitatem improborum aſpicerem*. VI. *Cum in ſtultam æmulationem inciderem, videndo impiis omnia eſſe ſalva*. VII. *In cauſa vero fuit, quod excandeſcere cœperim in eos qui ebrietate fortunæ ad inſaniam uſque ſibi placent; & quod viderem peccata eſſe impiorum omnia*. Buchananus:

Fervebat ira pectus, & æmulo
Livoris æſtu, cum ſcelerum omnium
Contaminatos ſordibus impios
Florere cunctis conſpicerem bonis.

V. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM. Plurale חרצבות *chartzubboth* femineum varie elucidant. I. *Quia non ſunt conſtrictiones, colligationes, ligamenta, ligamina, vincula, morti eorum*; vel *ad mortem eorum*; id eſt, nullis morbis aut doloribus, quaſi vinculis ad mortem trahuntur; ſed maturi iam, placida morte decedunt: vide Iob XXI. 13. vel non obeunt ex vulneribus aut plagis, quibus ligamina adhibere ſolent, ſed ſponte naturæ. II. *Quoniam non ſunt colligati in morte ſua*: vel *quoniam non eſt nodoſa mors eorum*, id eſt pœnoſa. III. *Quoniam non ſunt catenæ*, aut *vincula*, quibus ſontes conſtringuntur ac detinentur, *ad moriendum ipſos*, id eſt quibus ad ſupplicia, & mortem tamquam ſontes pertrahantur. IV. *Nulla ſunt onera, ſub quibus occumbant*. V. *Nam non ſunt nexus, nodi, uſque ad mortem eorum*; id eſt, eſt continua,

&

& fine impedimento per totam vitam prosperitas improborum. Est autem in his verbis elegantissima translatio ad exprimendos secundos improborum casus, a textorum telis; quasi dicat: Cum primum vitam suam orsi sunt, perpetuo cursu eam sine mora vel impedimento usque ad extremum vitæ actum peragunt; ut cum ex æquabili, vel enodi stamine & trama tela contexitur. VI. *Quia non sunt anxietates morti eorum*; id est, tranquille, & suaviter, sine angoribus animi, aut molestiis corporis moriuntur: ut Augustus apud Suetonium cap. XCIX. VII. *Quia non sunt vincula in morte eorum*, id est debita, quibus debitor creditori obligatur. Vide in Isaiæ LVIII. 6. ET FIRMAMENTUM IN PLAGA EORUM. ובריא אולם *nubari ulam*. Deducunt אלה *ulam* ab איל *aial*, vel *alah* cum affixo: *Et valida, firma, vis, fortitudo eorum:* vel *& sana valetudo eorum*. Alii, ut Mem sit radicale, ab אלם *alam*, *porticus*, *vestibulum*, *palatium*. Unde varie reddunt: 1. *& crassus, pinguis, obesus, quisque eorum*, ut *porticus*: 2. *& firmus fortis*, quisque ut *palatium*: 3. *& firma vestibula eorum*; vel *& firmum, crassum, palatium*; id est, inhabitant in amplis, splendidis, & bene munitis ædificiis: 4 *& palatia relinquant regia heredibus suis*: 5. *sed simul magna opulentia*: 6. *sed pingue est robur eorum*. Putant persisti in metaphora textorum; id est, non sunt ut exilia, fragiliaque fila, quæ subinde opus sit religare nodis; sed sunt veluti robusta, æqua, & valentia fila, quæ ad finem usque illæsa percurrunt telam præsentis vitæ. Hæc metaphora in sequentibus versibus exponitur, cui similem vide Isaiæ XXXVIII. vers. 10. & 12. & 14. Recte reddideris: *Et nitida porticus*; id est, conspicuæ ædes, ac palatia sunt eis. Nos diximus: *Et recreata porticus*; id est, sunt eis amœnissimæ porticus, & palatia. De porticibus, & æde Neronis, quæ huc faciant, vide Suetonium cap. XXXI.

V. 6. IDEO TENUIT EOS SUPERBIA. Ex verbo: *Ad sic torquisavit eos superbia*: sive, *Propterea ut torques circumdedit eos*, vel *ornat eos superbia*; id est, totos possedit, supra modum sunt superbi & arrogantes. Quidam reddunt: *Idcirco cingit eos torques superbiæ: operit velut ornamentum violentia eos*; id est, superba sua, violentaque acta gloriæ sibi & ornamento vertunt. OPERTI SUNT INIQUITATE, ET IMPIETATE SUA. Diversimode ex Heb. convertunt. I. *Amicietur ornamento iniquitatis sibi*. II. *Induitur quisque eorum veste violentiæ*, id est per violentiam parta. III. *Amictus violentiæ involvit eos*; id est, violentia est illis pro vestitu; amiciuntur violentia; quasi dicat: Familiaris illis est, & inhærens continuo violentia. IV. *Violentia amicit illis nates*; id est, usque ad podicem pleni sunt violentia: vel iniuria, quam aliis inferunt, eos pingues reddit, & operit nates, & pudenda eorum denso adipe, nimiaque carne. V. *Operiet se ad tollere prædam, rapinam, sibi*. VI. *Violentia & iniuria operti sunt*. VII. *Operietur ceu vestimento violentia ipsorum*. VIII. *Operietur tamquam vestitu composito iniuria eorum*. IX. *Operit velut ornamentum violentia eos*. X. *Quemadmodum vestis totum hominem tegere solet, ita iniquitas habeat totos involutos illos*. XI. *Operiet ornamentum violentiæ eos*. XII. *Operit sibi, inducit sibi, iniuriam, & violentiam, ut ornamentum, violentia, ut veste tegitur*. XIII. *Ceu veste involvantur violentia*. XIV. quidam Hebræorum exponunt: *Diverter angulo iniquitas eius*; id est, ad quemcumque angulum, seu locum divertentur impii, eos comitatur violentia. שית *schith* quidam infinitum Hiphil faciunt: *Operiet se, teget, occultabit, ad ponere violentiam eis*, vel ut tollat sibi res partas per iniuriam. Alii nomen esse malunt: Græcis *κατάστημα*, *status*, sive *positus*, id est *vestitus*, in quo ordine plicæ, & alia composite, concinne, artificiose sunt posita, *compositio*, *dispositio*, *ornatus dispositus*, *vestis concinna*.

V. 7. TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS. Heb. *Transiverunt cogitationes cordis*. Exponunt: Id est, tam sunt superbi, & arrogantes ut transcendant omnes humanas cogitationes, ut excogitent ipsi, quæ humanus animus capere non potest. Diverse alii. I. *Transgrediuntur cogitationes cordis*, nempe bona quæ illis obveniunt; id est, plura a Deo accipiunt quam optent. II. *Transeunt imaginationes cordis*. III. *Cordis desideria sectantur*. IV. *In imaginationibus cordis pergunt*. V. *Superant cogitationes animi*; id est, secundis etiam rebus utuntur, supra quam ipsi cogi-

gitaverant: omnia illis plusquam ex voto succedunt: supra quam speraverant, omnia illis prospere eveniunt: etiam supra spem, & cogitationem illis omnia feliciter accidunt. Hispanicus Interpres: *Pasan los pensamientos de su coraçon*; id est, *vienen les sus desseos aun maior de lo que ellos pintaron*.

V. 8. COGITAVERUNT. יָמִיקוּ *iamiku*, futurum alii ex Kal, alii ex Hiphil faciunt, quod est rectius. I. *Dissolvunt*, *liquefaciunt*; id est, sua perversitate bonos quosque affligunt, & crudeliter vexant. II. *Dissoluti sunt*; id est, insolentes, audaces se præbent. III. *Fœtere faciunt* alios; id est, eos depravant, & corrumpunt. IV. *Diffluunt* deliciis, & vitiis, dissolutam agunt vitam, iniurii in omnes. V. *Sordent eis omnia*. VI. *Terrori sunt omnibus propter potentiam*. VII. *Mucescent*; id est, muco improbitatis perliti sunt. VIII. *Liquefecerunt se*, Hispanicus, *soltaron se*; id est, effuderunt se ad loquendum inhumana. IX. *Contabescere-faciunt*, *tabifici sunt*, id est, tactu, & sermone sunt exitiosi aliis, quasi eos consumant tabe. INIQUITATEM. עֹשֶׁק *guoschek* hæc omnia complectitur, *fraudem*, *fraudulentiam*, *sycophantiam*, *calumniam*, *oppressionem*, *occupationem alienorum bonorum*: ut supra Psal. XVI. 11. IN EXCELSO LOCUTI SUNT. Hebr. *de excelso loquuntur*. Exponunt: 1. *Immo de excelso loquuntur*, seu *de celsitudine*; id est, de excelsa Dei maiestate blaspheme obloquuntur: 2. *Neque pudeat illos*, *ipsum Deum*, *quamvis supra omnia sit*, *virulenta lingua lacessere*: 3. *E sublimi loquuntur*, id est superbe & fastuose: loquendi genus apud Græcos, & Latinos auctores frequens. Quidam: *Loquuntur fastuosissime*.

V. 9. POSUERUNT IN CAELUM, &c. Alii reddunt. I. *In cælum portendunt os suum*: *& per orbem lingua eorum vagatur*. II. *Eum qui cælos habitat, ore blasphemo irritare audent*: *& linguat illorum virulenta per eos*, *qui terram incolunt*, *obambulat*. III. *Opponunt cælis os suum*, *& lingua eorum pervadit terram*; id est, licenter & impune in Deum blasphemias eructant, & in humanum genus contumelias; quasi dicat: Nec Deo, nec hominibus parcunt. Metonymia.

V. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS HIC. Heb. est duplex lectio: in textu scribitur יָשִׁיב *iaschib*, futurum Hiphil: *Ideo reverti faciet*, *redire faciet populum eius huc*: in margine legitur יָשׁוּב *iaschub*, *redibit*, *revertetur populus eius*, scilicet Dei, *huc*. Varie exponunt. I. *Propterea populus eius*, Dei, *ad hæc studia nefaria se convertit*, *& cum videant impios in magna prosperitate agere*, *eorum vitam & mores imitantur*. II. *Idcirco grex affectantium eos*, *hic versatur*. III. *Propterea revertitur populus eius huc*; id est, isti divites, & opulenti habent suos, qui ad eos divertunt, & illos sectantur, utilitatem ab ipsis sperantes. IV. *Idcirco populus eius*, scilicet *Dei*, *ubi videt tantum improborum felicitatem*, *huc sæpius revertitur*, sæpius tractat, refricat hanc quæstionem, quæ semper piorum ingenia crucifixit: Cur malis bona, & contra bonis mala eveniant? V. *Propter huiusmodi fluctuabit populus Dei*, *nunc hoc*, *nunc illud in animo versans*. Activæ orationis eodem sensu recidit: *Huc Deus reducet populum suum*; id est, occasionem redeundi præbebit ad hanc quæstionem seu cogitationem, vel ad hæc studia, cum tantum felicitat improbos. ET DIES PLENI INVENIENTUR IN EIS. Heb. *Et aquæ pleni exprimentur*, seu *emungentur*, vel *sugentur*, *eis*. *Pleni*, fere omnes subaudiunt *calicis*: nonnulli adverbialiter sumunt, *plene*, *in abundantia*; Hispanice, *de lleno*. Divise interpretantur. I. *Et aquæ calicis pleni sugentur eis*: sive *& aquam pleni calicis bibunt*; id est, istorum nefarias opiniones animo hauriunt. II. *Et aquæ pleni calicis exprimuntur eis*; hoc est, tam improbi prosperi, quam alii, qui eorum mores & vitam sectantur, tandem pari pœna plectuntur. III. *Hic quæstus illis uberrimus provenit*; id est, affluunt etiam bonis & ipsi, nempe sectatores eorum. IV. *Et aquæ fecundi calicis exprimuntur eis*, scilicet fidelibus; id est, pii, multi sunt in consideratione huius quæstionis: hac mira quæstione ac tentatione replentur non secus atque repleri & turgere solent ii qui plenos vini atque aquæ calices ebiberunt. V. *Cum aquæ pleni poculi exprimuntur ipsis*; id est, cum non tantum indignam improborum felicitatem observant; sed suas etiam calamitates quasi amaras potiones in dies sibi comparari vident. VI. *Et hæc velut aquæ amarissimæ pleno calice obtrudentur illis ut bibant*.

Pugno, profundum se chaos ingerit,
Et nocte mentis lumen adobruit.

V. 17. IN SANCTUARIUM DEI. Hebr. *in sanctuaria, sacraria, fortis Dei*. Quidam exponunt, *arcana Dei consilia:* unde reddunt*: Donec penetrarem in sacratiora adyta Dei*; quasi dicat: Donec Deus ipse interius edoceat me rationem arcanorum consiliorum suorum, & occultæ administrationis suæ. Alii: *Donec ingressus essem in sanctuaria Dei fortis*; id est, contulissem me ad doctrinam cælestem percipiendam, quæ in locis sacris, & Prophetarum scholis tradebatur. Sic enim Davidem a Saule Naiothas ad Samuelem fugisse, ubi conventus Prophetarum habebatur, legimus I. Samuel. XIX. 18. & seqq. ET INTELLIGAM IN NOVISSIMIS EORUM. Heb. *intelligam postremum*, vel *finem eorum*. Quidam, *animadvertissem finem istorum*; id est, exitum quem improbis tribuit Deus, observassem; quasi dicat: Exitus eos perspicue separat: nam probi illum habent bonum, improbi infelicem & miserabilem; prout sequentibus ostenditur.

V. 19. PERIERUNT PROPTER INIQUITATEM SUAM. Hebr. *Consumpti sunt a terroribus*. Vide Iob XVIII. 11. Hebr. exponunt, id est *interitu repentino*. Aliqui: *Consumuntur variis perditionibus*. Alii: *Corruent in extremas miserias*.

V. 20. VELUT SOMNIUM SURGENTIUM, &c. Hunc versum nostra translatio verbatim ex Hebr. expressit (*Sicut somnium de expergisci: Adonai in urbe imaginem eorum spernes*.) Alii varie. I. *Velut somnium ab expergisci: Domine in civitate imaginem eorum despiciet*; id est, ut somnium ab eo qui expergiscitur, avolat, sic memoriam istorum Deus abolet a mente hominum. II. *Non aliter quam somnium, quod avolat, postea quam quis evigilaverit, Domine, despicatas reddes in civitate imagines eorum*. III. *Sunt velut somnium expergefacto homine: Domine, cum suscitabis mortuos, imaginem eorum spernes*, id est animam eorum; quasi dicat: In hoc sæculo male pereunt, & in futuro interitu sempiterno. IV. *Tamquam somnium postquam evigilavit quispiam*; id est, ipsi cum felicitate sua evanescunt: *Domine cum expergefacies*, istos videlicet, seu *cum expergisceris*, id est incipis exerere vim tuam ad efficiendum iustitiam tuam: humanitus dictum, ut Psal. XXXIV. 23. *imaginem eorum contemnis* id est, eos ipsos, qui non amplius sunt quam umbra imaginaria, ut Psal. XXXVIII. vers. 7. vel *imaginem*, id est dignitatem, memoriam, nominis claritatem, &c. IN CIVITATE. בעיר *baghir*, *in urbe*, alii volunt positum pro בהעיר *behaghir*, infinitivo Hiphil, *in expergefacere*, *in excitare*: sed nihil necesse.

V. 21. QUIA INFLAMMATUM EST COR MEUM. Multifariam ex Hebr. convertunt. I. *Quia acescet cor meum*. II. *Quia acetosum est cor meum*. III. *Quia quasi aceto acri perfundebatur cor meum*, IV. *Interim veluti acore quodam macerabit se cor meum*. V. *Hoc pacto velut fermentabatur cor meum*. VI. *Quoniam fermento*, seu *acedine infectum est cor meum*; id est, exacerbatum, & perturbatum est. VII. *Cum effervesceret fermenti instar cor meum*. VIII. *Profecto exscandescebat cor meum*. IX. *Cum exacerbabatur animus meus*. Formula Hithpahel hic ingentem acorem, exacerbationem, & perturbationem, seu excandescentiam significat. ET RENES MEI COMMUTATI SUNT. Varie alii ex Hebr. 1. *& renes meos acuam*: 2. *Et renibus meis acuar*, vel *acuebar*, seu *acuor*, id est pungor: 3. *& renes mei acuti*: 4. *& lumbi mei acuebantur*; id est, quasi telo acuto pungebantur: 5. *& renes meos ego ipse pungebam*: 6. *& renibus meis spinosus eram*, vel *compungebar*; seu *& renes mei aculeis compuncti fuerunt*: 7. *& in renibus meis me ipsum exacuebam*. Verbum ex Hitphahel etiam maximam compunctionem, & molestiam designat. Quidam putant contineri hoc versu confessionem peccati in priori illa cogitatione, & voluntate hærentis, ad excitandum spiritum suum, & amplificandam gloriam Dei, versibus sequentibus. Sed illa cogitatio in Propheta carnis fuit, non spiritus, & plane extra culpam. Alii rectius ingentem difficultatem quæstionis de providentia & administratione Dei hic indicari volunt, qua Psaltes vehementer urgebatur, & acriter pungebatur ex sensu carnis, & humana ratione: cum alioquin ratio immota in Deo maneret.

V. 22. ET EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM, ET NESCIVI: UT IUMENTUM FACTUS SUM APUD TE. Quidam reddunt:

Tum eram brutus qui ignorarem: velut iumenta eram apud te; id est, non magis sapiebam in rebus istis quam pecudes. Nec caret emphasi plurale, *ut iumenta*; quasi dicat: Instar multorum iumentorum eram, &c, si sic loqui liceat, iumentissimus eram. Et ego semper tecum. Alii: 1. *cum tu mihi numquam desis*: 2. *ego tamen semper curæ fui tibi*: 3. *itaque ego iugiter futurus sum tecum*. Agnoscit Propheta beneficium gratiæ Dei, qui eum non siverit in tentationem labi. Alii exponunt: Quamvis quæstio tam ardua omnes animi mei sensus quateret, tamen ego firmiter mente tibi inhæsi semper, ac numquam a te, & fide tua discessi.

V. 24. Tenuisti manum dexteram meam. Exponunt: Id est, atque ita factum est ut tandem mihi manum porrexeris, & a quæstione tam ardua extricaveris. Alii: *Prehendisti manum dexteram meam*; id est, in lubrico huius vitæ, ac pravæ opinionis labentem sustinuisti doctrina, & operibus tuis, supra vers. 17. Et in voluntate tua deduxisti. Heb. *& in consilio tuo deduxisti me*. Quidam, *& in consilium tuum*, id est in cognitionem consilii tui, docuisti me; quæ esset ratio consilii tui in administratione prosperitatis improborum, supra vers. 17. Alii, *consilio tuo duc me*; id est, me tibi regendum & deducendum trado, non autem ex sententia animi mei. Et cum gloria suscepisti me. Alii ex Hebr. 1. *& postea cum ex gloria excipies me*; 2. *ac deinde honorifice suscipias me*; 3. *& me tandem maiestatis tuæ participem efficies*; 4. *ut postmodum in gloriam recipias me*; 5. *& postmodum cum honore excepisti me*, cum scilicet ornasti me cognitione consiliorum tuorum; 6. *& gloria excipiet me*. Sed est discordia generum.

V. 25. Quid enim mihi est in caelo? et a te? &c. Hebr. *Quis mihi est in cælo? & tecum nolo quemquam in terra*; id est, quis mihi placeat in cælo præter te? cum ego in terris amem, colam, suspiciam præter te? certe reliqua omnia mihi sordent, te unum ego amplector, & opto. Alii: *Quis esset mihi in cælis præter te? & præter te nullo delector in terra*. Nonnulli: *Quanta mihi, oro, reposita sunt in cælis? nam quæ in terra sunt, cum tibi comparo, contemno*.

V. 26. Defecit caro mea. שאר *scheer* proprie est *reliquum*, *residuum*, *reliquias*. Vide in Levit. XVIII. 6. Hinc notant transferri ad significandam *carnem*, quæ est reliqua, seu residua pars animalis post animam. Possis accipere: *Consumptum est quod reliquum erat in me*; id est, quidquid virium, aut roboris in me reliquum erat, disperiit. Sensum huius membri esse volunt, quasi dicat: Quæcumque me angustiæ corporis, aut animi urant.

V. 27. Quia ecce, qui elongant se a te, &c. Hunc versum multipliciter alii ex Hebr. transfundunt. I. *Quia ecce longinqui tui peribunt: fecisti cædi omnem fornicantem abs te*. II. *Quia ecce, qui propellunt te, peribunt: perdidisti omnem fornicantem abs te*. III. *Quoniam ecce elongantes se a te, pereunt: succidis, conficis, omnem fornicantem a te*. IV. *Ecce enim, qui longius a te abeunt, pereunt: perdis omnes, qui, te contempto, adulterant*. V. *E contrario certo certius, qui a te procul recedunt, interibunt: perdes omnem illum, qui, te deserto, aliud præfert tibi*. VI. *Nam ecce longinqui a te, pereunt; excindis, quicumque adulterando deficit a te*. Confirmatio gloriationis piorum in Deo, a contrario improborum eventu, quem supra docuit.

V. 28. Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Hebr. *Et ego, appropinquatio Dei mihi bonum*. Pathetica oratio: vide supra v. 2. & Psal. LXVIII. 14. Varie alii. I. *Et ego novi quod accessus ad Deum mihi est bonus*. II. *Et ego sic censeo, sic iudico, statuo: Approximatio Dei mihi bona*. III. *Quare ego, cum mihi persuasissem, utilissimum fore amicitiam cum Deo vero inire; collocavi in Domino Deo omnem fiduciam meam*. IV. *Ego itaque bonum mihi duxi Deo me adiungere*. V, *De me itaque, sive quod ad me attinet, propinquum esse Deo mihi bonum est*.

MENOCHII.

Vers. 1. Psalmus Asaph. Vide dicta ad tit. Psal. LXXIX. Israel est dativi casus. Benignus est Deus, & beneficus in populum Israeliticum. His qui recto sunt corde! Non omnibus qui ex Iacob prognati sunt, sed iis demum, qui puro sunt animo, & conscientia.

V. 2.

V. 2. Moti sunt pedes. Moveri pedes, effundi gressus, est vacillare, labi, aut declinare a rectis cogitationibus; quasi dicat: Parum abfuit quin tentationi succumberem.

V. 3. Zelavi: gravi, & ardenti zelo commotus sum. Zelus est fervor quidam animi propter res indigne factas. Pacem, felicitatem, prosperitatem.

V. 4. Non est respectus morti eorum. In Hebr. est: *Non sunt constrictiones*, sive *vincula morti eorum*; id est, non trahuntur violenter, & quasi vincti ad mortem; sed cum moriantur admodum senes, volentes ad gremium mortis, quasi ad portum quietis properant. Vel metaphora desumpta est ex arboribus; quasi dicat: Non decerpuntur a morte quasi fructus immaturi, qui arboris ramo tenaciter adhærescunt; sed sponte labuntur, ut poma præ natura. In Græco est *ὅτι οὐκ ἔστι ἀνάνευσις ἐν θανάτῳ αὐτῶν*, quod Noster vertit: *Non est respectus morti eorum*: quæ verba alii aliter interpretantur. Ego hunc esse puto sensum Hebraico textui consentientem: Cum ducuntur ad mortem, non eam abnuunt, non reluctantur, non respiciunt, ut faciunt ii qui inviti rapiuntur ad necem, qui subinde respectant ut videant an aliquod effugium pateat, & an aliquis opem laturus adveniat, sed annis saturi mortem admittunt non inviti. Non est firmamentum in plaga eorum. Si quando morbo aliquo tententur, aut alio premantur infortunio, non est firmitas, stabilitas, duratio in plagis eorum, sed celeriter ex illis evadunt.

V. 5. In labore hominum non sunt. Non conflictantur cum inopia, fatigatione, litibus, angoribus, aliisque malis, quibus plerique hominum vexantur, & flagellantur.

V. 6. Ideo tenuit eos superbia: propterea superbiunt. Operti sunt: cooperti flagitiis, iniquitate, & impietate.

V. 7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: ex abundantia, saturitate, prosperitate, bonorum affluentia iniquitas eorum prodit. Italice diceremus: *Sono cattivi, perchè sono troppo grassi e morbidi*. Transierunt in affectum cordis. Assecuti sunt quidquid optarunt affectu cordis. Vel sensus est: Se totos tradunt affectibus animi. In Hebr. ad verbum est: *Transierunt cogitationes cordis*; quasi dicat: Ad eam felicitatem pervenerunt quam numquam cogitassent.

V. 8. In excelso; id est, in excelso loco positi, palam, & impudenter locuti sunt.

V. 9. In caelum, super cælum, non timentes Deum & Angelos blasphemare. Transivit in terra. Hebr. *perambulavit*, scilicet detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi spes illorum sit inanis.

V. 10. Convertetur populus meus hic. Populus fidelis ad hæc consideranda convertetur. Dies pleni invenientur in eis; id est, considerando inveniet vere felices esse impios, ita ut etiam diutissime vivant, & impleant dies suos pervenientes ad ultimam senectutem. Et dixerunt, cogitationibus fluctuantes, & divinam providentiam propemodum accusantes.

V. 11. Quomodo scit Deus; &c. Qui fieri potest ut Deus hæc videat, & sciat, & toleret? est ne harum rerum scientia in excelso Deo?

V. 13. Ergo sine causa iustificavi cor meum; id est, ergo frustra sollicitus fui ut opera mea essent pura. Inter innocentes. Hebr. *in innocentia*; id est, manus meas puras ab omni scelere, & improborum consortio conservavi.

V. 14. Et fui flagellatus tota die: et tamen cum iustitiam, & pietatem colerem, malis assidue attritus sum. Castigatio mea in matutinis. Singuli solis exortus aliquam novam afferebant calamitatem.

V. 15. Si dicebam: Narrabo sic. Si in hunc modum loquar, si statuam Deum bonos negligere, & malis indulgere, aut favere. Nationem filiorum tuorum reprobavi. Omnium piorum congregationem damno, quasi male sentiant: nam ipsi divinam agnoscunt, & prædicant providentiam.

V. 16. Existimabam ut cognoscerem. Hoc animo reputabam rationes quæ mihi occurrebant, ut veritatem assequerer. Labor est ante me. Sed in magna versabar animi perplexitate, nec quid sentiendum esset, facile poteram expedire.

V. 17. In sanctuarium Dei: ut per orationem lumen a Deo obtineam. Vel

certe

Hieron. & Chald. insinuant. Quia nempe mors impiis obvenire fere solet facilis, commoda, honorata, sera, & subita. Et hæc est εὐθανασία, quam Iulius Cæsar sibi optabat, & obtinuit. Item non est FIRMAMENTUM, Hebraice *firmitas*, IN PLAGA EORUM; id est, si plagis, aut morbis aliquando vexantur, non diu, nec firmiter adhærent; cito inde convalescunt, & pristina firmitas ac robur ipsis integramanent. Ita Theodoretus, & Euthymius.

V. 7. PRODIIT QUASI EX ADIPE, id est valde copiose & abundanter, sicut effluit adeps ex pinguissimo animali. TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS; id est, totos se tradunt explendis animi affectibus, ut non legi Dei, vel rectæ rationi, sed suis concupiscentiis obsequantur. Ita S. Hieronymus, & Emanuel Sa.

V. 8. IN EXCELSO; Hebraice, *de excelso*, seu sublimi loco, id est palam, publice, inverecunde.

V. 9. POSUERUNT OS SUUM, blasphemum, IN CAELUM, id est contra Deum, & *sanctos cælorum*, ut habet Chaldæus. Inde LINGUA EORUM TRANSIVIT, Hieronymus *deambulavit*, IN TERRA; Chaldæus, *ardet in iustos terræ*; quasi diceret: Nemini parcunt.

V. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS; quasi diceret: Hæc impiorum impunita prosperitas causa est cur homines pii subinde convertant se ad conquerendum: dum vident DIES PLENOS IN EIS; id est impios diutissime vivere, & felicissime. Unde mirantes dicunt: Scitne, & curat hæc Deus?

V. 13. & 14. ET DIXI; id est, ego ipse nutabundus aliquando hæsi, dicens: Si scelerati tanta fruuntur prosperitate, ERGO ego SINE CAUSA, id est frustra, abstinui a sceleribus & studui iustitiæ, ET LAVI INTER INNOCENTES MANUS, id est laboravi ut inter innocentes innocens essem. Interim FUI FLAGELLATUS TOTA DIE, id est continuo afflictus, ET CASTIGATIO MEA IN MATUTINIS; id est, statim ut mane surgo, surgit mecum crux & afflictio.

V. 15. SI NARRABO SIC; id est, si sic iudicem, tunc improbo vitam, & studia iustorum, qui quantumvis afflicti, tamen Deo constanter serviunt.

V. 17. DONEC INTREM IN SANCTUARIUM; quasi diceret: Numquam mihi plene satisfecero quo ad iam dictam difficultatem, *donec* mente & consideratione *intrem in* sanctum & secretum thronum iudicialem DEI, ET inde INTELLIGAM, seu investigem, IN NOVISSIMIS EORUM; supple, maximam utrorumque differentiam: nam ex perspecto fine piorum, & impiorum pendet supradictæ quæstionis solutio.

Anagogice, in extremo iudicio omnibus palam fiet quid prosit virtus, quid obsit peccatum, inquit sanctus Augustinus, & Euthymius.

V. 18. PROPTER DOLOS, id est ut dolose & callide deciperentur, POSUISTI EIS illam prosperitatem, id est dedisti impiis omnia prospera, ut DUM ALLEVATI, id est in altum evecti essent, subito deiiceres & præcipitares eos, ut lapsu graviore ruant.

Nota. *Propter* non designat hic finem Dei, sed eventum rei, quem Scriptura sæpius vocat *finem*.

V. 20. IN CIVITATE TUA cælesti; Chaldæus, *in die iudicii*, quando ex tuguriolo huius vitæ migrabunt in civitatem amplissimam alterius vitæ, AD NIHILUM REDIGES, quam ipsi tanto labore concinnarunt, IMAGINEM IPSORUM, id est imaginariam, & somnio similem felicitatem impiorum. Ita Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Sic Misillus apud Lucianum cum expergisceretur, sensit omnem felicitatem, quam somniando conceperat, evanuisse. Et Plato: Quid sunt voluptates mortalium, nisi somnia vigilantium? Et sic quidem agitur cum impiis: mecum vero & cum omnibus piis longe aliter. Nam, ut sequitur,

V. 21. QUIA INFLAMMATUM, seu ustum, & excruciatum, EST COR MEUM, ET RENES MEI COMMUTATI SUNT; id est, omnia interiora mea turbata sunt præ doloribus, & ærumnis, ET NESCIVI, quo me verterem, vel cur ita cruciarer. Interim

V. 23. & 24. UT IUMENTUM FACTUS SUM APUD TE; id est, gessi me quasi pecus tibi obsequentissimum, ut scilicet quæ & quanta velles onera, labores, & flagella mihi infligeres: ET EGO SEMPER TECUM mansi, & tibi constantissime adhæsi. Ideo non permisisti me ruer in perditionem, ut contigit impiis, sed TENUISTI

MA-

MANUM MEAM, &c. Ita Arnobius, & Genebrardus.

Allegorice, Christus quasi iumentum tulit iniecta sibi omnia peccata nostra, inquit sanctus Hieronymus. Tropologice, per cæcam obedientiam religiosus fit iumentum Dei.

V. 25. & 26. A TE alienum, vel præter, aut extra te, QUID VOLUI? quasi diceret, Nihil. Sed tui unius desiderio (qui es PARS, id est portio hereditaria, MEA) DEFECIT COR, ET CARO, id est anima, & corpus meum, id est ego totus. Ita sanctus Hieronymus, & Euthymius.

V. 27. FORNICANTUR ABS TE sponso suo, tuique amore & cultu deficientes, & creaturis quasi adulteris adhærentes.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS ASAPH. Vide Psal. XLIX. Pro argumento habet exhortationem, ne pii homines scandalum patiantur, cum vident iustos, aut Dei populum pati ab impiis persecutionem; aut prospere agi cum impiis. Attingit ergo hic David scandalum illud, quod vocant Pusillorum.

Vers. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM. Septuag. *οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν* Hier. *Non cogitaverunt de morte sua*; & ex voce Græca: Non annuunt suggererentibus mortis memoriam: aut non vexantur hac cogitatione, quam non admittunt. Nec est FIRMAMENTUM (repetenda enim negatio est) IN PLAGAM EORUM; hoc est, si quod illis accidit malum, cito transit, leve est, & sine firmamento: semper sunt felices.

V. 7. PRODIIT QUASI EX ADIPE. Recte Augustinus dixit: ex macie (& indigentia) peccare pauperes; ex adipe, & abundantia: divites. Sept. *prodibit*, *ἐξελεύσεται ἀδικία*. Sed Heb. *Ex adipe prodiit oculus*. Verum versio Septuag. docet eos non legisse עין, *oculum*, sed aliquid quod iniquitatem significaret. Bellarminus, Lorinus, & Richard. Cenomanus putant legisse עבונמו *bbavovemo*, & עון *bbavon*, *iniquitatem*. Quod vero hic additur, AFFECTUM CORDIS, apud Hieronymum ponitur cogitatio: intellige passiones, & carnales affectus. Septuag. *εἰς διάθεσιν διῆλθοσαν. διάθεσις*, habitualis propensio. Aliqui Hebraicam vocem interpretantur *picturam*: sic sane affectus peccatorum sunt figmenta, velut depicta in corde.

V. 10. & 11. IDEO CONVERTETUR, &c. Sept. *διὰ τοῦτο ἐπιστρέψει ὁ λαός μου*. In Hebr. *populus eius*: sed satis apparet Septuag. non legisse עמו *bhamo*; sed legisse עמי, *populus meus*; quod docet eorum recepta versio. At quid est illud, DIES PLENI? sane habent Septuag. *ἡμέραι πλήρεις*, *dies pleni*, ac proinde legerunt in Heb. ימי *teme*, *dies*. Ceterum in omni editione totus est locus iste subobscurus. Nam ut mutantur non raro personæ in Psalmis, existimari potest loqui Prophetam tum de impiis, tum de bonis. Sed facilius hæc ad populum referentur, qui patitur tentationes intuens impiorum prosperitatem. IDEO, inquit Propheta, CONVERTETUR POPULUS ad hanc prosperitatem, ac dies plenos & felices temporum considerandos, & quasi ex quadam querimonia dicent, quæ habentur vers. 11. 12. 13. & 14.

V. 15. SI DICEBAM, &c. Fluctuantis ex illa tentatione narratio est, & colligentis se, ut de re tota statuat; ac si diceret: Si vero cum his male felicibus in eorum sententiam, damnabo pios, Domine, qui te secuti sunt: & laboriosum est ista penetrare, donec adeam Deum, oratione quærens lumen; & simul considerem novissima impiorum, & interitum infelicem.

V. 18. PROPTER DOLOS POSUISTI EOS. Hieron. *In lubrico posuisti eos*; hoc est, fluxa & periculosa sunt quæ dedisti eis. Heb. בחלקות *bechalokoth*: *In adulationibus & blanditiis posuisti eos*: & alii codices Græci addunt *κακά*: radix חלק in hiphil, est *blandiri*. החליק. Sequitur: DUM ALLEVARENTUR: Hieron. vertit *ad interitum*. Hebr. למשואות *lemaşuoth*. משא nomen formæ cum puncto in sinistro cornu, significat elevationes: & ita acceperunt Septuag. rad. נשא, *elevavit*. At vero cum puncto in dextro cornu, significat destructiones: & ita Hieronymus qui legit, *deiecisti ad interitum*. Græce est *κατέβαλες αὐτοὺς ἐν τῷ ἐπαρθῆναι*: ut habet etiam Vulgata editio.

V. 21.

V. 21. QUIA INFLAMMATUM EST, &c. Post agnitam quæstionis huius solutionem, & recuperatam animi solidam tranquillitatem, nunc respiciens ad depulsam tentationem, fatetur in quanta fuerit perturbatione; & quam suaviter Deus eum retinuerit, ne prolaberetur ad impios. Immo in hoc reditu ad quietem, & Deum, declarat velut ex quadam ecstasi, ingentem animi voluptatem. Et hæc prosequitur usque ad finem Psalmi.

Sunt in his versiculis voces aliquæ notandæ: nam vers. 21. *Quia inflammatum* (Septuag. ὅτι ἐξεκαύθη) apud Hieronymum est *quia contractum*. Ceterum probabile est Septuag. legisse יתחמם *ithchamam*, a radice כם *cham*, vel חמם; *calefacere*. Aliqui etiam putant legi potuisse a Septuag. יתחמץ *ithchmets*, a radice חמץ *chamats*, quod inter alia est irasci. Illud vero, *Quid mihi est in cælo* (vers. 25.) retineri debet. LXX. τί γάρ μοι ὑπάρχει ἐν τῷ οὐρανῷ. Hieronymus, *quid mihi*, ut fuerit in Hebr. מה *mah*, *quid*; non vero מי *mi*, *quis*; quamvis uterque sensus possit esse bonus: nempe, Nullus, aut nihil est quod optem tecum, aut præter te.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 1. *usq. ad* 7. QUam bonus Deus, &c. Quasi diceret: In hac materia & descriptione de scandalo, quod oritur ex prosperitate impiorum sit hoc certum, & positum fundamentum, Deum esse eximie bonum his qui bene vivere volunt. Sunt tamen (ut incipit dicere versu 2.) graves multorum ex hac prosperitate tentationes: nam mei propensi sunt ad lapsum pedes (loquitur in persona eorum qui has patiuntur tentationes) & indignatione permotus sum ex hac tam secunda impiorum fortuna. In pace vivunt, sine plaga gravi, sine labore, sine flagello: & hinc crescit in illis iniquitas.

V. 7. 8. & 9. *Prodiit quasi ex adipe*, &c. Recenset quanta impietas ex hac felicitate oriatur. Radix, inquit, est adeps & abundantia divitiarum, & earum malus usus: hinc enim pullularunt vitiosi affectus, blasphemiæ in Deum. Os eorum est in cælum, & cælestia omnia: lingua *transivit*, & hæsit *in terra*, ibi felicitatem ponentes; vel etiam ad detractiones assueta,

V. 10. & 11. *Ideo convertetur*, &c. Intellige, vel pervertetur populus hic, habebitque dies plenos & longos in sua prosperitate; vel, ut infra dicetur, referri hoc potest ad populum pium. Prior sensus satis facilem dat connexionem cum sequenti versu, qui sane est de impiis, ubi negant esse Deum: nisi admittas mutari hic personas, ut sæpe fit apud Prophetas.

V. 12. 13. & 14. *Ecce ipsi peccatores*, &c. Infirmus ille, de quo supra, contemplans hanc impiorum prosperitatem, secum iam veluti dubius ratiocinatur, & quasi vacillans de providentia Dei hæc opponit sibi, quæ sequuntur usque ad versum 15.

V. 15. *usq. ad.* 21. *Si dicebam*, &c. Hic rationes dat cur dubius manserit, cunctando de hac impiorum felicitate: & colligit tamdem ex Dei sanctuario dari lumen, ad veritatem cognoscendam; secundum quam sunt infelices isti in sua felicitate.

V. 21. *Quia inflammatum est*, &c. Deinceps statuit omnino adhærere Deo: nihil ullibi extra Deum illi anteponere, partem sibi & portionem unicam Deum fore, quia aliter agentibus male evenit. Hæc quidem dicuntur a vers. 25. usque ad finem. Cur autem ita statuerit, dat causam hic vers. 21. 22. 23. & 24.

BOSSUET.

De Psalmis Asaphi nomine inscriptis.

DUodecim omnino Psalmi sunt, Asaphi inscripti nomine: Primus XLIX. atque ab hoc LXXII. ad LXXXII. Asaph autem I. Paral. VI. 39. accensetur Levitis quos David ad canendum ordinavit. Item I. Paral. XV. 17. XVI 5. 37. Asaph, & fratres eius in conspectu arcæ ministrant. Memorantur item Heman, Asaph & Ethan in cymbalis æneis concrepantes. I. Paral. XV. 19. hos cantatores inter, a sancto Spiritu toties celebratos, tum tres excellerent Asaph, Heman, & Idithun

thun I. Paral. xxv. 1. tum ipſe Aſaph, inter alios clarus habetur, princeps quippe cantorum a Davide conſtitutus, ibid. xvi. 5. & ſingulari quadam honoris prærogativa nominatus inter eos qui iuxta Regem prophetarent, ibid. xxv. 1.

Qu loco conſiderandum venit, cantandi officium quo honore præcelleret, cum ad miniſterium propheticum pertinere iudicetur: unde I. Paral. xxv. 1. 2. 3. inducuntur filii Aſaph, & Heman, & Idithun, qui in citharis, aliiſque inſtrumentis prophetarent: docti nempe a Deo ut ipſi canerent: quemadmodum Beſeleel, aliique periti artifices repleti divino Spiritu; quorum egregia opera tabernaculum ac cetera divino cultui deſtinata affabre fierent: Exod. xxxi. Atque is inſtinctus eo magis muſicis cantibus congruebat, quo muſica ad excitandos in Dei amorem animos; immo vero ad compeſcendum malum ſpiritum, bonumque ac propheticum accerſendum, Deo ita volente, potentior habetur, exemplo Saulis Davidem egregium pſaltem adducentis, I. Reg. xvi. 15. &c. ipſiuſque Eliſei Pſaltem item accerſentis quo canente prophetaret: IV. Reg. iii. 15. Verum inter eos qui ad canendum prophetabant, quidam altiore ſenſu videntes habebantur: qualis Heman videns Regis in ſermonibus Dei ut exaltaret Davidis gloriam: I. Paral. xxv. 5. Quo ritu Aſaphum videntem fuiſſe diſerte memoratur his verbis: *Præcepitque Ezechias & principes Levitis ut laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaph Videntis*: II. Paral. xxix. 30. quibus verbis ſancto Aſaph æque ac ipſi Davidi ſermones Dei, hoc eſt Pſalmi, tribuuntur.

Neque minus inſigne eſt quod legitur Nehemiæ xii. 45. in diebus David, & Aſaph: quo loco Aſaph Davidi propemodum comparatur, atque ambo quaſi ex æquo memorantur: quibus quippe auctoribus ſacræ obſervationes, & Leviticorum miniſteriorum ordo, & ipſe canendi ritus, univerſo populo tanto honori habitus, ad poſteros defluxerit. Atque hæc ſufficiunt ut intelligamus quam celebre fuerit Aſaphi nomen, cuius etiam titulo hi Pſalmi commendati ad nos devenerint.

Iam vero an ab ipſo conſcripti fuerint, Patres ipſi variant, ac ſanctus quidem Ambroſius a Davide compoſitos; ſancto Aſaph ut caneret datos tradidit, in tit. Pſal. lxxii. Sanctus vero Hieronymus uſque adeo ab Aſapho non modo cantatos, ſed etiam compoſitos exiſtimat, ut etiam Matthæi xiii. 3. pro eo ac ſcriptum eſt: *Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam*: quo loco multa exemplaria Eſaiam habebant: ipſe reponi velit: hæc facta ſunt, ut impleretur quod ſcriptum eſt in Aſaph Propheta: quia locus a Matthæo laudatus, *Aperiam in parabolis os meum*, ex Pſalm. lxxvii. qui Aſapho tribuitur, ſumptus eſſet: *hoc enim*, inquit Hieronymus, *non Eſaias loquitur, ſed Aſaph*. Id habet Hieron. Commentario in Pſalm. lxxvii. 2. atque etiam Lib. I. in Matth. in expoſit. cap. xiii.

Hinc facti Interpretes in varias diſtracti ſententias. Nos cur Hieronymo potius aſſentiamur, hæ cauſæ ſunt: Primum inſcriptio Pſal. lxxvi. pro Idithun, Pſalmus Aſaph: nullo alio commodo ſenſu, niſi intelligamus ab Aſapho compoſitum, Idithuno canendum traditum, ut ibi obſervavimus: quo ſenſu item ſcriptum eſt in tit. Pſal. xxxviii. lxi. *pro Idithun, Pſalmus David*: tum eo vel maxime quod, ut ſupra memoravimus, ſermones Domini non modo Davidi, verum etiam Aſapho ut Prophetæ tribuuntur, II. Paral. xxix. 30. Ceterum Davidis ne ſint an Aſaphi, parvi refert & ad auctoritatem, & ad temporum inquirendas notas; cum & ab uno ſpiritu, & Davide Rege factos eſſe conſtet. Porro Aſaphi filios in canendi miniſterio patri ſucceſſiſſe, atque etiam inter canendum divino ſpiritu ad pandenda futura fuiſſe afflatos, docent II. Paral. xx. 14. xxix. 13. I. Eſd. iii. 1. & 2. xi. 22.

Verſ. 1. QUAM BONUS, &c. *quam* Hebr. particula aſſerendi: *Utique, profecto, bonus Iſraeli Deus*, nempe rectis corde.

V. 2. MOTI SUNT: *vacillaverunt*: Hier.

V. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EIUS. *Quod non recogitaverint de morte ſua*: Hier. &c. *Non ligamenta ad mortem illis: ſana fortitudo eorum*: Heb. nullo morbo ad mortem trahuntur.

V. 6. ET IMPIETATE SUA, deeſt Hier.

V. 7. PRODIIT QUASI, &c. *Proceſſerunt*

runt a pinguedine oculi eorum; Hier. ut contra famelicis præ macie cavi oculi. Sic Deut. XXXII. 15. *Incrassatus est dilectus*, &c. TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS: dilexerunt iniquitatem: ut passim in Psalmis. At Hier. *Transierunt cogitationes cordis*: supra quam cogitabant felices se putant.

V. 8. COGITAVERUNT, &c. *Irriserunt, & locuti sunt in malitia calumniam*: Hier. In excelso: *de excelso loquentes*: Idem: tamquam ex alto despicientes.

V. 9. POSUERUNT IN CAELUM OS SUUM, blasphemi in Deum, in homines maledici.

V. 10. POPULUS MEUS HIC: adverbialiter: *Populus eius huc*: Hier. ἐνθαῦδα Hinc eo redigetur populus; supple ex antecedentibus, ut Deum contemnat, & credat nihil prodesse iuste vivere. DIES PLENI: iustam ætatem vivent. Impii pleni dierum morientur.

V. 11. ET DIXERUNT, iusti malorum felicitate commoti.

V. 13. Et DIXI, deest Heb. recte tamen suppletum. *Inter innocentes, in innocentia*, Hier.

V. 14. FLAGELLATUS, afflictus. *In matutinis*: a mane usque ad vesperam.

V. 15. SI DICEBAM: *si dixero*, Heb.

V. 16. LABOR EST ANTE ME. Difficile intellectu.

V. 17. IN SANCTUARIUM, in arcanum, in consilium. Vide infra vers. 24.

V. 18. PROPTER DOLOS POSUISTI EIS: illusisti eis specie blandientis: digni enim erant. *In lubrico posuisti eos*: Hier. nec firmo gradu consistunt. *Dum allevarentur*: dum allevatos se putabant: *deiecisti eos ad interitum*: Hier.

V. 19. PERIERUNT PROPTER INIQUITATEM. Defecerunt consumpti a terroribus: Heb. ipso terrore confecti.

V. 20. IN CIVITATE TUA, palam, coram omnibus civibus. *Imaginem ipsorum*, ipsos, in quibus nihil veri, nihil solidi: *præterit enim figura huius mundi*: I. Corinth. VII. 31.

V. 21. INFLAMMATUM EST COR MEUM: *efferbuit, intumuit tamquam a fermento*: Heb. RENES MEI COMMUTATI SUNT, *tabuerunt*, Heb. præ indignatione.

V. 22. ET EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM. *Ego insipiens & nesciens*: Hier: qui malorum prosperitate tantopere conturbarer.

V. 23. UT IUMENTUM: ut homo despicabilis, quem vix iumento anteferres. ET EGO SEMPER TECUM: cum me despici putarem, tecum eram: tu me tuebare: Unde sequitur:

V. 24. TENUISTI MANUM DEXTERAM MEAM: dextera apprehensum deducebas. *In voluntate, &c. In consilium tuum deduxisti me*: Hier. ad arcanas tuæ providentiæ ac iustitiæ rationes.

V. 25. A TE QUID VOLUI: *tecum nolui in terra*: Heb. te unum volui: non tecum aliud quidquam.

V. 26. DEUS CORDIS MEI: *robur cordis mei*: Hier.

V. 28. IN PORTIS FILIAE SION desunt Hier.

PSALMUS LXXIII. PROPHETICUS.

Polluto templo & in hostium potestatem redacto; cum nullus esset Propheta qui spem salutis ostenderet, populus veterum beneficiorum commemoratione Deum ad auxilium provocat: nullis congruit temporibus nisi Maccabaicis. Captivitatis enim tempore non modo pollutum templum, sed etiam excisum: & liberationem post 70. annos Ieremias pronuntiaverat. Constat ergo hunc Psalmum esse propheticum, utpote ab Asapho, Davide Rege, cantatum: & de Maccabaica vexatione scriptum, cum iam inde ab Esdræ tempore, perfecto hebraico canoni nihil sit additum.

VERSIO S. HIERONYMI.

Eruditio Asaph.

UT quid Deus repulisti in finem? fumabit furor tuus in gregem pascuæ tuæ?

Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, & redemisti virgam hereditatis tuæ: montem Sion in quo habitasti.

Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem: omnia mala egit inimicus in sanctuario.

Fremuerunt hostes in medio pacti tui: posuerunt signa sua in trophæum.

Manifesta in introitu desuper: in saltu lignorum secures.

Et nunc sculpturas eius pariter bipenne & dolatoriis deraserunt.

Miserunt ignem in sanctuarium tuum: in terra contaminaverunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul: intenderunt omnes solemnitates Dei in terra.

Signa nostra non vidimus, non est

VERSIO VULGATA.

1. Intellectus Asaph.

UT quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hereditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!

4. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa:

5. Et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus 6. exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi & ascia deiecerunt eam.

7. Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

9. Signa nostra non vidimus, iam ul-

ultra Propheta : & non eſt nobiſcum qui ſciat uſquequo.

Uſquequo Deus exprobrabit adverſarius? blaſphemabit inimicus nomen tuum in finem?

Quare convertis manum tuam & dexteram tuam? de medio ſinu tuo conſumens?

Deus autem Rex meus ab initio: operatur ſalutes in medio terræ.

Tu diſſipaſti in fortitudine tua mare: contriviſti capita draconum in aquis:

Tu confregiſti capita Leviathan : dediſti eum in eſcam populo AEthiopum.

Tu dirupiſti fontem & torrentem, tu exſiccaſti flumina fortia.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu ordinaſti luminaria & ſolem.

Tu ſtatuiſti omnes terminos terræ: æſtatem & hiemem tu plaſmaſti.

Memento huius, inimicus exprobravit Domino, & populus inſipiens blaſphemavit nomen tuum.

Ne tradas beſtiis animam eruditam lege tua: vitæ pauperum tuorum ne obliviſcaris in perpetuum.

Reſpice ad pactum : quia repletæ ſunt tenebris terræ, habitationes iniquæ ſubrutæ.

Ne revertatur confractus & confuſus: egenus & pauper laudabunt nomen tuum.

Surge Deus iudica cauſam tuam: memento opprobrii tui ab inſipiente tota die.

Ne obliviſcaris voces hoſtium tuorum : ſonitus adverſariorum tuorum aſcendit iugiter.

non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius.

10. Uſquequo Deus improperabit inimicus: irritat adverſarius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio ſinu tuo in finem?

12. Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.

13. Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis.

14. Tu confregiſti capita draconis : dediſti eum eſcam populis AEthiopum.

15. Tu dirupiſti fontes & torrentes: tu ſiccaſti fluvios Ethan.

16. Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram & ſolem.

17. Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem & ver tu plaſmaſti ea.

18. Memor eſto huius, inimicus improperavit Domino : & populus inſipiens incitavit nomen tuum.

19. * Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

20. Reſpice in teſtamentum tuum : quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confuſus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

22. Exurge Deus, iudica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.

23. Ne obliviſcaris voces inimicorum tuorum: ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*. Non mutes accusativum *confitentes* in genitivum *confitentium*.

NOTATIO.

V. 19. N*E tradas bestiis animas confitentes tibi.* Exemplarium nostrorum octodecim legunt cum Romano Psalterio, & Ioanne de Turre-cremata *animas confitentes*. Quatuor cum Romano Breviario, & ordinaria Glossa, ac Brunone, *animas confitentium*. Duo cum Remigio Antissiodorensi, ut apparet, *animam confitentium*. Septem cum Gallico Psalterio *animam confitentem*. His septem consentiunt nonnulli Lugdunensium codices, quatuor Parisiensium, quinque Hentenii, & antiqui Epanorthotæ. Suffragantur istis Græci libri μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι. Adstipulantur Tractatores; Latini Arnobius, Ruffinus, Augustinus, Richardus Pampolitanus, Hugo Cardinalis, & Dionysius Carthusianus; Græcus Euthymius. Voluot Hebraica antigrapha אל־התן לחוה נפש הורך. Vertuntautem Recentiores (*Ter.*) *Ne tradas bestiæ*, aut *cœtui* (hostium) *animum turturis tuæ*; הור enim *turturem* significat sicur Levitici XII. & aliis in locis: & plane ab hac Hebraica Latina vox *Turtur* per congeminationem deducta videtur. Chaldæus paraphrastes transtulit: *Ne tradas populis, qui similes sunt bestiæ sylvestrii, animam discentium legem tuam*. Similiter Hieronymus: *Ne tradas bestiis animam eruditam* (MS. 8.) *in lege tua*: הורה namque, quod notum, est *legem* significat; itaque הורך pro הירדך acceperunt. Græci הורך legerunt, daleth litteram pro resch. Est autem הורך futurum quintæ coniungatinnis a themate ירה quod *confiteri, gratias agere, laudare* denotat הורך id est *confitebitur tibi* אל ת לג הורך, subaudito relativo: *Ne tradas bestiis animam quæ confitebitur tibi*; accepto autem futuro pro præsenti, ut alias fit non raro, est *animam confitentem tibi*. Faciunt itaque & Hebræa, ut diximus, pro quarta lectione; quamquam idem sit omoium illarum lectionum sensus: singularia enim pro pluralibus posita sunt.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IRATUS EST. Hebr. Fumat nasus tuus.

V. 2. REDEMISTI VIRGAM. Hebr. *Virgæ hereditatis tuæ, quam redemisti* (recordare) *& montis Sion, in quo habitasti*. Virgam autem hereditatis vocat hereditatis vocat hereditatem perticis divisam, aut, fertilissimam partem hereditatis, & qua maxime sustentarur, ut Ezechielis XIV. 13. *Conteram virgam panis mei*: et Ierem. x. 16. *Israel virga hereditatis, eius*.

V. 3. LEVA MANUS TUAS, &c. Hebr. *Leva vestigia tua*, id est celeriter advola, *ad perpetuas vastationes omnis hostis, qui sacrario malum intulit*.

V. 4. ET GLORIATI SUNT. Hebr. *Rugierunt inimici tui in medio synagogarum tuarum* (id est, sicut leones omnia deprædati sunt) *posuerunt signa sua signa*; id est, ruinæ, & vastationes, quas reliquerunt, signa sunt huius rei. Aut signis suis falsis pro veris usi sunt, ut narratur Ezech. xx. xxi.

V. 5. ET NON COGNOVERUNT, &c. Hebr. *Nobilis erat sicut* offerens in excelso, qui in densitatem ligni secures (immittebat) id est, ut plerique interpretantur quando templum ædificabatur, quicumque in summis silvis, ad eius ædificationem ligna cædebat, videbatur sibi ea Deo in cælo offerre. Nunc autem contra. Aut, ut alii, *qui* (inter hostes) *securim in densitatem ligni*, id est in contignationes templi, ut eas excindat, securim mittit, *perinde nobilis est, atque si sacrificium, in excelso offerret*: aut (ut ego puto) *notum est, sicut qui in excelso* (monte) *securim mittit in densitatem ligni*; id est, omnes audiverunt signa

ſigna quæ hoſtes poſuerunt, ſicut audiri ſolet fragor hominis in ſummo monte lignantis.

V. 6. SECURIBUS EXCIDERUNT IANUAS. Hebr. *Nunc autem cælaturas eius ſimul bipenni, & malleis contriverunt.*

V. 7. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM, &c. Heb. *Miſerunt ignem in ſancta tua: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*, id eſt in terram deturbantes.

V. 8. COGNATIO EORUM SIMUL, &c. Hebr. *Depopulemur eos ſimul: incenderunt omnes ſynagogas Dei in terra.*

V. 9. ET NOS NON COGNOSCET AMPLIUS. Hebr. *Nec eſt apud nos qui ſciat quidquam.*

V. 11. UT QUID AVERTIS MANUM TUAM? &c. Hebr. *Quare avertis manum tuam, & dexteram tuam, ut non* (educas) *de ſinu tuo, conſumere*, id eſt ut hoſtes conſumas. Aut, *in medio ſinus tui claudis*; id eſt, abſcondis (eam) aut, *quando reduces manum tuam, & dexteram tuam, ne eam claudas*; id eſt, quando deſines abſcondere manum tuam in ſinu tuo.

V. 12. DEUS AUTEM REX NOSTER ANTE SAECULA. Hebr. *meus. Cum Deus Rex meus ſit, qui operatur.*

V. 13. TU CONFIRMASTI. Hebr. *Irritaſti; irritum feciſti*, id eſt exſiccaſti.

V. 13. CONTRIBULASTI, &c. Hebr. *Contriviſti capita draconum in aquis*, id eſt principes AEgyptiorum.

V. 14. CAPITA DRACONIS. Hebr. *leviathan*; id eſt Pharaonis.

V. TU DIRUPISTI FONTES, &c. *feciſti fontes & fluvios, & impetuoſos ac fortes fluvios exſiccaſti.*

V. 16. FABRICATUS ES AURORAM. Hebr. מאור, *lumen*. Aliqui vertunt, *luminare minus*, id eſt lunam.

V. 18. INSIPIENS INCITAVIT. Hebr. *Contempſit probro, & ignominia affecit.*

V. 19. NE TRADAS BESTIIS, &c. *Ne tradas congregationi* (hoſtium) *animam turturis tui*, id eſt populi tui, qui eſt quaſi turtur tuus; *& congregationis populorum tuorum ne obliviſcaris in finem*. Septuag. Μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις τὴν ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι: legentes תודך, pro תורך.

V. 20. QUIA REPLETI SUNT QUI OBSCURATI SUNT, &c. Hebr. *Quia repletæ ſunt tenebroſæ partes terræ habitaculis iniquitatis*; id eſt, adeo abundat iniquitas, & violentia, ut omnia loca obſcuriora terræ plena ſint prædonibus.

V. 23. SUPERBIA EORUM QUI TE ODERUNT. Hebr. *Tumultus, ſonitus*: Sicut clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum, Gen. XVIII. 20.

SA.

De Ieruſalem in figura Eccleſia.

Verſ. I. INTELLECTUS. Hieron. *Eruditio*. UT QUID, id eſt quare. IN FINEM. Chald. *in æternum*, OVES PASCUAE TUAE, id eſt quas paſcis.

V. 2. POSSEDISTI. Chald. *acquiſiviſti*. AB INITIO, id eſt iampridem, ſeu olim, vel a multis ſæculis. REDEMISTI. Chald. *redemiſti ex AEgypto*. VIRGAM, id eſt ſceptrum. Chald. *tribus*. HEREDITATIS TUAE, id eſt populi, quem velut hereditatem poſſides. MONS, ſcilicet vaſtatus eſt. Hieron. *montem*, ſcilicet redemiſti, ſeu poſſediſti.

V. 3. IN FINEM, id eſt penitus, ſcilicet perdendo eos; vel quaſi dicat, ſemper durantes. Chald. *in perpetuum*. MALIGNATUS EST. Hieron. *mala egit*. SANCTO. Hieron. & Chald. *ſanctuario*.

V. 4. GLORIATI SUNT, ſcilicet contra te. Hieron. *fremuerunt*. SOLEMNITATIS, pro loci ſolemnitatum, ſcilicet templi. SIGNA SUA, id eſt vexilla. SIGNA; pro, ſigna inquam ſua; vel pro in ſigna, ſcilicet victoriæ. Hieron. *in trophæum*.

V. 5. NON COGNOVERUNT, ſcilicet quantum deferendum eſſet templo. SICUT IN EXITU, &c. quaſi dicat: Ut in portis civitatum fieri ſolet ſuper excelſa loca. Eſt autem coniungendum cum *poſuerunt*, &c. poteſt & *ſummum* de templo intelligi.

V. 6. EIUS, ſcilicet domus tuæ. IN IDIPSUM, id eſt ſimul; quaſi dicat, pariter omnes.

V. 7. SANCTUARIUM, id eſt templum. IN TERRA poteſt coniungi cum præcedentibus: quaſi dicat, ubi in terra coleris. Chald. cum ſequentibus iungit ſic, *Ad terram proſtraverunt*. NOMINIS TUI. Chald. *in quo invocatum eſt nomen tuum*.

V. 8. COGNATIO. Hieron. *poſteri*. Chald. *filii*.

filii. A TERRA; id est, ne celebretur in terra. Hieron. & Chald. *in terra*.

V. 9. SIGNA, scilicet liberationis nostræ, vel solita miracula. Chald. *signa quæ dederunt nobis Prophetæ*. NON COGNOSCET; quasi dicat: Videtur Deus nos non cognoscere. Hieron. & Chald. *& non est apud nos qui sciat usquequo*, scilicet hæc mala duratura sint.

V. 10. IRRITAT. Hieron. *blasphemabit*. Chald. *abominabitur*. IN FINEM. Chald. *perpetuo*.

V. 11. AVERTIS, scilicet ab ope ferenda. ET DEXTERAM. Explicatio est, seu repetitio. DE MEDIO SINU, scilicet cessans proferre, ut adiuves. Chald. *de medio sinus tui educ eam*. IN FINEM, id est perpetuo.

V. 12. ANTE SAECULA. Hieron. *ab initio*. Chald. *cuius maiestas est sancta ab æterno*. OPERATUS EST SALUTEM; quasi dicat: Solebat nos adiuvare. IN MEDIO TERRAE, id est palam: vel in Iudæa, quæ medium tenet locum terræ habitabilis: & *operatus est*, pro operabitur.

V. 13. CONFIRMASTI, id est solidasti. Hieron. *dissipasti*. MARE, scilicet rubrum. CONTRIBULASTI. Hieron. & Chald. *contrivisti*. DRACONUM, id est AEgyptiorum.

V. 14. DRACONIS, id est Pharaonis. ESCAM: scilicet eiecta in littus cadavera fiunt esca ferarum. POPULIS. Chad. *finius*; quasi dicat feris. Dicitur *populus* in Scriptura aliquando etiam de belluis: ut Prov. xxx. Ioel. 1. AETHIOPUM. *AEthiopes* vocantur incolæ littorum maris rubri.

V. 15. DIRUPISTI, in est aperuisti. Chald. *erumpere fecisti e rupe*. ETHAN. Hieron. & Chald. *fortes*, id est magnos, scilicet Iordanem.

V. 16. TUUS, id est a te, scilicet auctore. FAFRICATUS ES. Hieron. *ordinasti*. Chald. *præparasti*. AURORAM. Chald. *lunam*. Hieron. *luminare*, scilicet minus.

V. 17. FECISTI Hieron. & Chald. *statuisti*. VER. Hieron. & Chald. *hiemem*.

V. 18. HUIUS, scilicet quod sequitur. INCITAVIT. Hieron. *blasphemavit*. Chald. *execratus est*.

V. 19. BESTIIS, id est feris hominibus. PAUPERUM, id est afflictorum. IN FINEM. Hieron. & Chald. *in perpetuum*.

V. 20. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*. QUI OBSCURATI SUNT TERRAE; pro, tenebrosi, seu obscuri terræ, scilicet peccatores, vel ignobiles. INIQUITATUM, id est inique partis, aut iniquitatum plenis:

V. 21. AVERTATUR, id est repellatur, scilicet a te. HUMILIS FACTUS. Chald. *miser*. CONFUSUS, scilicet ob repulsam. NOMEN TUUM. Chald. *te*.

V. 22. IUDICA. Chald. *age*; quasi dicat: Tracta, seu defende. SUNT, scilicet prolata.

V. 23. SUPERBIA. Hieron. *sonitus*. Chald. *fremitus*. ASCENDIT, id est crescit.

E S T I I.

Vers. 2. REDEMISTI VIRGAM HEREDITATIS TUAE: MONS SION, IN QUO HABITASTI IN EO. Quædam exemplaria habent in accusativo *montem*. In Græco, & Hebræo ambiguum est, & legi potest utroque modo, vel *mons*, vel *montem*. Clarior tamen sensus videtur, si legamus in accusativo *montem*. Hieronymus quoque ex Hebræo vertit *montem*. *Virga* vero *hereditatis* significat portionem hereditariam: quia scilicet olim vel virgis, vel perticis, vel funiculis dividi solebat terra, maxime apud Palæstinos. Unde & portio terræ, quæ per huiusmodi divisionem alicui obtingebat, vel virga hereditatis vocabatur, vel funiculus hereditatis.

V. 4. &. 5. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA: ET NON COGNOVERUNT, SICUTI IN EXITU SUPER SUMMUM. Hieronymus sic: *Posuerunt signa sua in trophæum*. Quæ interpretatio sensum reddit eius quod est in Hebræo: nam Hebr. ad verbum est, sicut nos habemus, & Septuag. *Posuerunt signa sua, signa*. Quorum verborum sensus, secundum interpretationem Hieronymi est iste: Signa, id est vexilla sua, statuerunt in medio templi, tamquam victoriæ suæ insignia. Et huic sensui respondet quod mox sequitur: *Et non cognoverunt sicut in exitu super summum*. Ubi Hieronymus habet: *Manifesta in introitu desuper*; quasi dicat: Signa illa posuerunt in ipso introitu templi, idque in loco excelso, ut ab omnibus manifeste conspici possent. Alii sententiam illam, *Posuerunt signa sua, signa*, referunt ad signa super-

sti-

ſtitioſa, quibus gentiles fidem non habentes incitabantur ad movendum bellum populo Dei. Cuius exemplum habemus Ezech. xxi. *Stetit Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum*, &c. ac tandem: *Ad dexteram eius facta eſt divinatio ſuper Ieruſalem*, &c. Et ſic ſenſus erit: *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna*; id eſt, crediderunt ea ſigna, quibus adducebantur, ut expeditionem ſuſciperent contra populum Dei, eſſe vera ſigna, ac proinde victoriam inde conſecutam tribuerunt ſuis idolis.

V. 12. DEUS AUTEM REX NOSTER ANTE SAECULA OPERATUS EST SALUTEM IN MEDIO TERRAE. Beda Lib. de Locis ſanctis cap. III. refert in medio civitatis Ieruſalem ſtare celſam columnam, quae aeſtivo ſolſtitio umbram non faciat. *Unde putant*, inquit, *mediam eſſe terram*, & *hiſtorice dictum: Deus ante ſacula operatus eſt ſalutem in medio terrae*. Verum ſimplicius eſt, *in medio terrae*, phraſi Hebraea poſitum pro *in terra*. Neque verum eſſe poteſt quod alieno ex relatu narrat Beda de columna: quia Ieroſolyma citra tropicum Cancri eſt, & ſeptem adhuc gradibus ab eo diſtat verſus polum. Neque etiam ſi ultra tropicum eſſet, idcirco eſſet in medio orbis terrarum; quia medium tribuendum eſt iis tantum qui ſub aequinoctiali ſunt. Vide apud Ptolomaeum tabulam quartam Aſiae, ubi Ieroſolymae tribuitur latitudo pluſquam triginta unius graduum, in tertio videlicet climate boreali. Additio cenſoris.

MARIANAE.

Verſ. 1. INTELLECTUS ASAPH. Hieron. *Eruditio Aſaph*. Alii: *Erudiens* (Pſalmus) *Aſaph*; hoc eſt, quo is populum de rebus ſcitu dignis erudit. De gentis, & templi calamitate agit. UT QUID DEUS REPULISTI. Hebr. *elongaſti*. IN FINEM. Hebr. *in perpetuum*.

V. 2. AB INITIO, aut *antiquo*, a primis temporibus redemiſti. VIRGAM, id eſt ſceptrum. Tibi aſſeruiſti imperium eius gentis, Iudaeorum. MONS SION. Hieron. *montem Sion*, ſcilicet *redemiſti*: ſic Gotth. id eſt Ieroſolymam regni caput, in quo habitaſti. IN EO. Redundat ex linguae proprietate.

V. 3. LEVA MANUS TUAS. Hebr. *greſſus tuos*, pedes ad irruendum in hoſtes. IN SUPERBIA EORUM IN FINEM, id eſt in ſuperbiam eorum, quae eſt perpetua. Hebr. *in vaſtationes*; id eſt, ut vaſtes illos in perpetuum, ne amplius reſurgant. QUANTA MALIGNATUS EST! Hebr. *Omnia hoſtis male fecit*. Hieron. *Omnia mala egit inimicus*. IN SANCTO, id eſt in ſanctuario, propterea debes eam iniuriam vindicare.

V. 4. ET GLORIATI SUNT. Hebr. *rugierunt*. IN MEDIO SOLEMNITATIS TUAE; ſcilicet cum illam profanarunt. Vox מועד *mobed* & *feſtum* ſignificat, & *templum*. Sic alii vertunt, *in medio templi tui*, ut reſpondeat illis verbis, *Malignatus eſt inimicus in ſancto*, & mox agit de templi excidio. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA: ſcilicet ut trophaei inſtar eſſent.

V. 5. ET NON COGNOVERUNT. Hoc ſit parentheſis. Neſcierunt quam eſſet id facinus impium. SICUT IN EXITU; id eſt, ſicut ſolent in compitis ponere trophaea: ſic in Evangelio, Matth. XXII. 9. *Ite ad exitus viarum*. Pſalt. Rom. *ſicut in via*. SUPER SUMMUM: ſcilicet templi in faſtigio poſuerunt ſigna. Conſtructio eſt inverſa. Hebr. pro *non cognoverunt*, & iis quae ſequuntur, habent, ut nos quidem interpretamur: *Contritum eſt* (ſcilicet templum) *ſicut adducens in ſublime in perplexitate ligni* (pro lignorum) id eſt in ſilva, *ſecures*. Quomodo nulla de compitis mentio, neque in templi faſtigio, ſed tantum de templi excidio, de quo ſane ſequentia loquuntur. QUASI IN SILVA, ſcilicet ea libertate, quaſi proſternerent arbores. IANUAS EIUS. Relativum feminini generis Graece, & Hebr. & refert *hereditatem* ſupra poſitam. IN IDIPSUM, ſimul, uno impetu omnes portas. Hebr. & *nunc caelaturas*, ſeu *portas eius in ſecuri* & *aſcia confringunt*. *Aſcia* eſt fabri lignarii inſtrumentum, quo ligna dolantur, Hiſpan. *Aqueta*.

V. 7. IN TERRA, pro in terram: ſcilicet deturbantes, polluerunt templum.

V. 8. COGNATIO EORUM SIMUL. Hieron. *poſteri eorum ſimul*. Hebr. *filius ipſorum*; pro filii, nepotes, cognatio dixerunt. QUIESCERE FACIAMUS. Hebr. *incenderunt*: ſic Hieron. OMNES DIES FESTOS DEI A TERRA. Alii vertunt, *omnia tabernacula Dei in terra*. Vox Hebr. *mobed* & *templum*, & *feſtum* ſignificat, ut verſ. 4.

V. 9. SIGNA NOSTRA. Ad eam conditionem redacti sumus & miseriam. *Signa*, id est prodigia olim usitata non videmus. ET NOS NON COGNOSCET. Hebr. *& non nobiscum cognoscens*. *Cognoscentem* vocat Prophetam, qui & *Videns* vocabatur. AMPLIUS. Hebr. *usquequo?* id est sine fine. Aut cognoscens, quamdiu hæc calamitas perseverabit.

V. 10. IRRITAT, supple usquequo. Id adverbium geminari debet. IN FINEM. Hebr. *in perpetuum*.

V. 11. UT QUID AVERTIS, id est retrahis a puniendo hostes. MANUM TUAM, scilicet sinistram. ET DEXTERAM TUAM, id est alteram; & sic utramque manum. DE MEDIO SINU TUO IN FINEM, scilicet educ: per aposiopesim. Hebr. *De medio sinu tuo prohibe*; id est, eas exere, ne amplius in sinu contineas: Hebræus Scoliastes.

V. 12. REX NOSTER ANTE SAECULA; id est, ab initio, ab antiquo regit nos, protegit suos: non est quod in præsenti desperemus. IN MEDIO TERRAE, id est palam, aut in Ierusalem operatus est salutem.

V. 13. TU CONFIRMASTI, id est sedasti. Hebr. *contrivisti mare*, id est quæ in mari erant. CONTRIBULASTI. Hebr. *fregisti*. DRACONUM. Sic vocat aut maris belluas, aut AEgyptios, cum Iudæos in mari rubro persequebantur.

V. 14. CAPITA DRACONIS. Hebr. *capita leviathan*, id est *ceti*. Sed quomodo cetus unus plura capita habet? Nimirum de Pharaone loquitur submerso, & eius ducibus. DEDISTI EUM ESCAM. *Escam* lætitiam vocat & iubilum. POPULIS AETHIOPUM. Ea gens ceti carnibus vescitur. Hebr. *populo deserti*; id est Iudæis, cum irent per desertum. Ea gaudii materia fuit in illis laboribus.

V. 15. TU DIRUPISTI FONTES, scilicet rupe percussa emisisti aquas. FLUVIOS ETHAN siccasti, id est fluvios fortes, qualis fuit *Iordanis*, cum siccatus est, ut transiret populus, quo tempore ripas impleverat.

V. 16. TU FABRICATUS ES, Hebr. *ordinasti*, AURORAM, Hebr. *lucem*. Hieron. *luminare*, Chald. *lunam*.

V. 17. AESTATEM ET VER. Hieron. *æstatem & hiemem*: sic alii, חרף *horeph*, *hiemem* significat. Nempe temporum varietates tu facis.

V. 18. MEMOR ESTO HUIUS, scilicet quod iam dico. Inimicus improperavit.

V. 19. NE TRADAS BESTIIS. Sic hostes vocat. ANIMAS CONFITENTES TIBI, id est laudantes te. Hebr. *animam turturis tuæ*, id est mæstum. Sed Sept. pro *torecha*, legerunt *techeda* quæ commodior lectio est. Hier. *animam eruditam in lege tua*. Chald. *animam docentium legem tuam*. Legerunt quidem illi *torecha*, sed deduxerunt a ירה *iarah*, quod est *docere*, vel *discere*, & sane turturis mentio non satis consonat.

V. 20. RESPICE IN TESTAMENTUM TUUM. Hebr. *in fœdus*, scilicet cum piis, servaturum te illos. QUI OBSCURATI SUNT TERRAE; id est, obscuri, ignobiles, quales sunt hostes nostri, repleti sunt. DOMIBUS INIQUITATUM, id est per iniquitatem partis. Hebr. *domibus rapinæ*; quasi dicat: Nostra rapuerunt, & possident.

V. 21. NE AVERTATUR. Hebr. *revertatur*. HUMILIS FACTUS CONFUSUS, si vota eius sint irrita. Contra si faveas, exultabit. PAUPER ET INOPS tuas laudes celebrabunt.

V. 22. IUDICA CAUSAM TUAM. Hebr. *Litiga litem tuam*. Non nostra tantum, sed res tua agitur.

V. 23. SUPERBIA. Heb. *tumultus*, fastus. EORUM, QUI TE ODERUNT. Hebr. *surgentium tibi*, id est rebellium. ASCENDIT, id est crescit, augetur.

MALVENDAE.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Heb. משכיל *maschil ipsi Asapho*. Quidam: *Ode didascalica*, id est in perpetuum documentum Ecclesiæ tradita: vide in Psal. XLIII. vers. 1. *ipsi Asapho*. Vide in Psal. XLIX. vers. 1. Melior sententia docet, hunc Psalmum vel a Davide, vel ab Asapho, vel ab Ecclesia Dei compositum de eo tempore quo Antiochus Epiphanes populum Dei durissima tyrannide pressit, & omnem cultum Dei nefarie profanavit: ac verisimile est, Ecclesiam tunc oppressam hanc odem Deo cecinisse. REPULSISTI IN FINEM? Heb. *Reiecisti, repudiasti in æternum?* id est, nobis adesse & gratificari desinis tamdiu, &

& ſine intermiſſione. IRATUS EST FUROR TUUS. Heb. *Fumat naſus tuus*: metaphora ab equis, & bobus, qui irati fumum naribus efflant. Martialis Lib. VI. epigram. LXIV.

Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.

Alii reddunt: *Fumare pergit ira tua*, id eſt ardet: ſynecdoche metaphorica.

V. 2. MEMOR ESTO CONGREGATIONIS TUAE, &c. Exponunt: Id eſt, demonſtra opere te non eſſe oblitum Eccleſiæ, regni, & religioſi loci, quem iam olim præſentia tua, inſtitutoque ſanctificaveras. Nos hunc verſum verbatim ex Heb. tranſfudimus (*Recordare conventum tuum, acquiſiviſti anterioritate, redemiſti baculum hereditatis tuæ: monte Tzionis iſtum habitaſti in in eo.*) Alii dilucidius ita: *Recordare cœtus tui, te acquiſiviſſe antique, antea, vendicaſſe tribum poſſeſſionis tuæ; montem Tzionis hunc eſſe, in quo habitabas.*

V. 3. LEVA MANUS TUAS IN SUPERBIAS EORUM IN FINEM. Varie alii ex Heb. I. *Exalta greſſus tuos ſuper deſolationibus ſempiternitatis*; id eſt, fer opem deſolatis iam omnino regno, templo, populo. II. *Leva pedes tuos ad deſolationes in ſæculum*, vel *ad vaſtationes, præcipitia perpetua*: paſſive, quibus ſine fine vaſtamur; vel active, ut devaſtes penitus hoſtes noſtros: ſed prius eſt rectius. III. *Leva incunctanter greſſus tuos contra vaſtationes*. IV. *Erige te in pedes ut obviam hoſtibus profectus, malis illos afficias numquam finiendis*. V. *Leva greſſus tuos, ut funditus vaſtes hoſtes, qui malum inferunt ſanctuario tuo.* Iungunt ſequentibus. VI. *Attolle pedes tuos ad vaſtitates æternas*; id eſt, Accurre, advola, huc ades tandem, ut Geneſ. XXIX. 1. humanitus dictum: ad avertendas vaſtitates indeſinentes, & perpetuo durantes, ſine intercapedine, vel omnimodas, & penitus funditusque vaſtantes, ut verſ. 1. QUANTA MALIGNATUS EST INIMICUS IN SANCTO! Heb. *Omne malefecit inimicus in ſanctitate*. Diverſimode alii. I. *Super omni, qui malefecit inimico in ſanctitate*; ordo eſt, *ſuper omni inimico, qui malefecit in ſanctitatem*, id eſt in templum ſanctum tuum. II. *Omne malum egit inimicus in ſanctuario*. III. *Super omnem inimicum, qui malefecit in ſanctitate*. IV. *Omnia enim perdidit hoſtis in ſanctuario*. V. *Nihil enim non auſi ſunt in templum ſanctitatis tuæ conſecratum*. VI. *Hoſtes univerſos, qui mala intulerunt ſanctuario tuo*. VII. *Ad omnia mala, facit inimicus in loco ſancto*, id eſt in templo, urbe, & regione ſancta; quomodo accipiendum eſſe docebunt ſequentia.

V. 4. ET GLORIATI SUNT QUI ODERUNT TE, IN MEDIO SOLEMNITATIS TUAE. Alii ex Heb. I. *Rugierunt anguſtatores tui in medio conventus tui*; id eſt, inimici tui leonino furore debacchati ſunt in medio Ieruſalaim, ubi conveniunt fideles tui ad cultum tuum. II. *Tremuerunt hoſtes tui in medio ſanctuarii tui*. III. *Rugierunt hoſtes tui in medio ſynagogarum tuarum*, ſeu *conventuum tuorum*, vel *eccleſiarum tuarum*, id eſt templi. Notant, uſum plurali, quod templum tribus partibus conſtaret. Vide Pſal. LXVII. 36. IV. *Inimici tui in feſtivitate tua reboant*. V. *Sublata enim voce clamaverunt adverſarii tui victores, ipſis feſtis tuis ſolemnibus, non aliter quam pii ſolent præ gaudio cantare in honorem tuum*. מועדיך *moghadecha*, quædam exemplaria ſcribunt ſine Iod nota plurali, *ſolemnitatis, conventus, ſanctuarii, ſynagogæ tuæ*; quamvis etiam hæc formula ſæpius pluraliter uſurpari ſoleat: at plures alii codices cum Iod ſcribunt pluraliter, *ſtationum, feriarum, ſolemnitatum, feſtivitatum tuarum*; vel *conventuum, ſynagogarum, eccleſiarum tuarum*. Sic infra verſ. 8. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA. Repetitionem quidam certitudinem & veritatem rei futuræ, quam ſibi pollicebantur hoſtes, deſignare putant; quaſi dicat: Certiſſima ſigna ſibi præſtituerunt, ac ſe habere putabant capiendæ, & exſcindendæ urbis. Alluſum putant ad locum Ezechiel. XXI. 21. ſed rectius hæc ad devaſtationem ſub Antiocho referantur. Varie exponunt. I. *Signa ſua pinnis murorum impoſuerunt*. II. *Erexerunt vexilla ſua in trophæa*, & monumenta victoriæ. Buchananus:

.... in tuis
Vexilla figunt turribus ....

III. *Poſuerunt inſignia ſua pro inſignibus*; id eſt, omnia ſigna cultus ſacri a Deo inſtituta, publica, & privata in templo, urbe, agro, regione tota, & in hominibus ipſis ſuſtulerunt: ut ſua trophæa, idola, ſtatuas, profanos cultus, præputium, & omnia illegitima exercitia in populum Dei invehcrent. De his videndi ſunt li-

bri Machabæorum, & Iosephus Antiquitatum Iudaicarum Lib. XII.

V. 5. ET NON COGNOVERUNT SICUT. IN EXITU SUPER SUMMUM: QUASI IN SILVA LIGNORUN SECURIBUS EXCIDERUNT. Nostra Translatio ordinem verborum Hebraicorum expressit (*Cognoscetur sicut venire faciens ad supra in perplexitate ligni, secures.*) Diversimode alii. I. *Scietur* inimicus *sicut adducens sursum in ramo ligni secures*; id est, palam videbitur & cognoscetur hostis in templo quasi securibus detruncans ramos arboris: sic omnia concidet. II. *Ostendebatur, ac si donaret altissima in contextu fruticum secures*; id est, sic agebat cum templo Dei altissimi, ac si secures immitteret in densos frutices. III. *Cognoscitur, quasi qui adducit superne in perplexitatem ligni secures.* IV. *Cognitus est* inimicus *velut in altum attollens in silvam lignorum secures.* Vidimus, inquit, hostem debacchantem, & ornamenta templi sanctissimi disturbantem, quemadmodum lignator arbores cædit in silva. V. *Palam est quomodo in superiora templi, velut in condensa silvarum secures intulerint.* VI. *Palam videntibus cunctis ascenderunt vastaturi templum tuum, non aliter quam silvam lignorum ingressi securibus arbores truncare solent.* VII. *Cognitus est*, sive *nobilis habitus est eorum* quisque, *prout efferebat sursum contra implexum ligni*, seu *implexa ligna secures*; id est, quo vehementius intestina opera sacra e ligno affabrefacta & coagmentata dissipabat. Hunc versum ita reddendum esse, Hebraicæ voces, accentus, & contextus ipse docent. VIII. Hebræi hunc versum cum sequente coniungunt, in hunc modum: *Qui adhibebat secures in perplexitatem arborum, celebris, notus, erat, ut qui offerret in sublime*; id est, qui in silva densa abscindebat arbores ad ædificium templi, in tanto pretio habebatur, in quanto habitus fuisset, si eadem ligna Deo præsenti in cælo obtulisset: vel videbatur rem tam gratam agere, quam si obtulisset coram Deo in cælo. *Nunc autem cælaturas eius simul securibus & malleis conterunt*; quasi dicat: Tanto studio destruunt, quanto exstructum fuerat templum. IX. clarius: *Ut olim eorum qui securibus cædebant densa arborum* ad structuram templi, *insigne & nobile opus erat*; *ita habetur modo, si quis sculpturas eius pariter bipenni & malleis comminuit.* X. *Audiri creditur securis superne e silva tonantis veniens fragor.* Buchananus:

AEdis ruentis id fragor
Quales sub altis murmurant quercus iugis
Cæsæ bipenni quum ruunt.

V. 6. EXCIDERUT IANUAS EIUS IN IDIPSUM: IN SECURI, ET ASCIA DEIECERUNT EAM. Heb. *Et nunc aperturas eius pariter in ascia, & bipennibus contundent.* פתוחים *phittuchim* proprie *apertiones*. Noster *portas, ianuas*, ab aperiendo intellexit; alii *sculpturas, cælaturas*, id est opera quæ summa arte in templo elaborata fuerant. Alii synecdochem putant, id est omnia templi ornamenta. כשול *easchschil*, *asciam*, *securim*, *bipennem*, *vectem*, exponunt, quod ea labefactentur ligna, & decidant arbores. כילפות *chelappoth*, *malleos*, *bipennes*, *clavas*, *tudites* interpretantur. Notant, utrumque videri vocabulum Syriacum, aut Chaldaicum. Quidam exponunt: *Etiam nunc sculpturas eius simul vecte, & tuditibus tundunt.* Amplificatio a circumstantia temporis; quasi dicat: Ne hoc quidem hominibus istis est satis, quod deiecta & disturbata sunt omnia: conquirunt rudera, quæ vectibus impellant, & minutas particulas, quas malleis comminuant; adeo alte infixum hæret odium cultus tui, & religionis nostræ. Hic autem Syræ voces ac non Hebrææ adhibentur ad evidentiorem temporis quo hæc gesta sunt, designationem. Illud, *simul*, explicant, id est pariter, & continuo studio.

V. 7. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM. Hebr. *Miserunt in ignem sanctuarium.* Hispanismus: *Metieron a fuego tu santuario.* Alii volunt esse hypallagem; pro, *Miserunt ignem in sanctuarium tuum*: ut Iosue 1. 8. Sed Hispanismus maiorem sensum habet. Plerique codices Hebræi pluraliter habent, *in sanctuaria tua*: exponunt, id est in loca sacra, synagogas, scholas, & si quæ sunt eiusmodi, ut sequente versu exponitur. Alii, in templum quod tribus partibus constabat. Vide supra vers. 4.

V. 8. COGNATIO EORUM. נינם *ninam* plerique cum Nostro a נין *nin* deducunt: *Filius eorum*, id est unusquisque e filiis eo-

eorum, id eſt generatio, ſeu cognatio eorum. Alii Futurum faciunt verbi ינה *ianah*: *Depr.edabimur*, *depopulabimur*, *diripiemus eos*; *vim inferemus eis*, *ſæviemus in eos*; pro imperativo, *Vim inferamus eis*. Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra. Hebr. *Combuſſerunt omnes ſtationes fortis Dei in terra.* Varie alii: 1. *Incenderunt omnes conventus Dei in terrá*: 2. *Aboleantur omnes celebritates Dei á terra*: 3. *Incenderunt omnia tabernacula Dei in terra*: 4. *Exuſſerunt cunctas ſynagogas Dei in terra*; hoc eſt totum templum Dei terrenum, nam cæleſte exurere non poterant: 5. *Incenderunt omnes ſynagogas Dei fortis deficientes in terram*: 6. *Exuſſerunt enim templum tuum Deus, ad quod ſtatis anni temporibus concurrere ſolent dicen tibi feſtum celebraturi qui degunt in terra*.

V. 9. Signa nostra non vidimus. Exponunt: In tantis calamitatibus nullum benevolentiæ tuæ, aut liberationis noſtræ ab his malis ſignum vidimus: nullum extitit ex his prodigiis & miraculis, quæ pro ſalute ac gloria populi tui olim patribus noſtris edere ſolebas: ſigna & mirabilia, quæ quondam in gratiam noſtri deſignare conſueveras, nulla apparent. Quidam explanant: *Inſignia noſtra non videmus*, id eſt omnia illa priſca teſtimonia, & documenta cæremoniarum, quarum pœdagogio nos antea inſtituebat Deus: hoc primum eſt beneficium ademptum; cui ſubnectuntur duo alia, unum ordinariæ prædicationis verbi; alterum ſingulare prophetiæ, qua extra ordinem conſolabantur populum Prophetæ per ſingulares revelationes Spiritus. Et nos non cognoscet amplius. Hebr. *Et non nos cognoſcens uſquequo*. Alii: 1. *Nec eſt nobiſcum, qui cognoſcat uſquequo*: 2. *Et non eſt nobiſcum, qui ſciat quouſque* hæc mala duratura ſunt, vel quouſque differet Deus opem: 3. *Neque eſt apud nos, qui ſciat uſquequo*, id eſt qui utcumque ſciat prædicare verbum Dei, & conſolari populum: 4. *Nullus apud nos, qui quidquam vel tantillum videat*. Plerique de Deo accipiunt; quaſi dicat: Videtur Deus omnem curam noſtri abjeciſſe.

V. 11. Ut quid avertis manum tuam? &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. convertunt. I. *Quare reverti facies manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo conſumendo*; id eſt, cur extraxiſti, ſive exeruiſti manum tuam ad conſumendum, & deſtruendum templum? II. *Quare convertis manum tuam & dexteram tuam in medium ſinum tuum, prohibens* impendere nobis auxilium? III. *Ut quid reducis manum tuam, & dexteram tuam? e medio ſinus tui prohibe*, eam, ſive *conſume*, *arce*; id eſt, extrahe eam, profer eam, ne eam intra ſinum cohibeas: arce manus tuas a ſinu tuo; id eſt, manus tuas exertas habe. IV. *Ut quid reverti facies manum tuam; & dextera tua e medio ſinus tui otioſa eſt?* V. *Ut quid retrahis manum tuam, & dexteram tuam? de medio ſinu tuo tolle eam*; id eſt, profer manum ultricem e ſinu tuo, & hoſtes funditus perde. VI. *Cur omnino retraxiſti manum tuam, & dexteram tuam in ſinum tuum?* VII. *Quare contrahis utramque manum, ſiniſtram & dexteram tuam inſtar hominis otioſi? profer, quæſo, tandem eam e ſinu tuo, & perde hos impios in te homines funditus*. VIII. *Quare manum tuam, ſiniſtram, & dexteram tuam retraxiſti?* id eſt, quare retraxiſti utramque manum? quaſi dicat: Quare ceſſas eos percutere, & nos liberare: *e ſinu plene profer eam*. IX. *Quare avertis manum tuam, & quidem dexteram tuam?* id eſt liberatricem, & pios ſuſtentantem: nam hoc benignum Dei opus erga ſuos in Scripturis fere dexteræ attribuitur, humanitus: *e medio ſinus tui cohibe*; id eſt, ne finito amplius otioſam eſſe, ſed velut eductam exerce in adjumentum noſtrum: humanitus dictum ut de pigro dicitur Proverb. xix. 24. & xxvi. 15. *Manum tuam*, quidam intelligunt *ſiniſtram*, nam uſu Hebraico nomen generis pro deteriore ſpecie uſurpari notant: ſic apud nos Hiſpanos, *Es un animal*, pro bruto accipiunt. Alii, *manum tuam, & dexteram tuam*, pro *manum tuam*, id eſt *dexteram tuam*, vel *& quidem dexteram tuam*: ſic infra Pſal. lxxxviii. verſ. 14. In finem. כלה *calleh*, imperativus, vel infinitivus, *conſuma*, vel *conſume*, aut *conſumendo*. Plerique a כלה *chalah* deducunt, *conſume*, *ceſſare fac*, *deficere fac*; id eſt, exere eam e ſinu tuo. Alii, non tam apte Hebraicæ interpunctioni, *conſume* hoſtes. Nonnulli a כלא *chala*, *arce*, *coerce*, *cobibe*, *prohibe*; id eſt,

educ

educ eam e sinu tuo. Nec desunt qui adverbialiter capiant, *omnino*, *consummate*, *perfecte*, *prorsus*, *finite*; quod LXX, & Noster secuti sunt.

V. 12. Deus autem Rex noster, &c. Hunc versum alii varie ex Hebr. efferunt. I. *Cum Deus Rex meus fuerit ab initio; & operatus sit salutes in medio terræ*; quasi dicat: Quomodo id accideret, cum Deus fuerit Rex meus iam olim, & cum huc usque iuverit me, & tulerit mihi semper opem inter hostes. II. *Deus, & Rex meus ab ipso exordio, ubique, quidquid in orbe salutis est, operaris*. III. *Certe ille Deus Rex mihi fuit a sæculis plurimis, qui innumeris argumentis palam ostendit, in medio huius terræ vires sibi non deesse, quibus servet quoscumque voluerit*. Observant, his verbis se Ecclesiam in mediis calamitatibus consolari, quod eum Deum habeat qui sibi iam olim eam curam desumpserit, idque certissimis argumentis ostenderit, asserendi, & vindicandi suos: quod sane etiam in posterum præstabit, ac plane semper sui similem futurum. IV. *Atqui Deus Rex meus est iam olim*; id est, curat me ab æterno, recipiens me in fidem, & clientelam suam: *operans omnimodam salutem in medio terræ*, id est palam, & tamquam in theatro mundi. Aliqui Ierusalem intelligunt, quæ fuit in medio, & quasi umbilicus Iudææ: vel Iudæam, quæ videtur esse in medio terræ, seu orbis antiqui habitati. Vide Lib. XII. de Antichristo, cap. VII.

V. 13. Tu confirmasti in virtute tua mare. Alii: *Tu confregisti, disrupisti, dissipasti, dissecuisti in robore tuo*, seu *in potentia tua mare*. Vide Exod. XIV. Confregisti capita draconum. תנינים *thaninim*, *tymorum*, *cetorum*, *balænarum*: vide in Genes. I. vers. 21. sive *crocodilorum*, ut Ezechiel. XXIX. 3. id est monarcharum, magnatum, & ducum, quorum operam adhibuit Pharao ad persequendum Israelitas. Vide Exod. XV. 4.

V. 14. Draconis. Hebr. לויתן *leviathan*, id est *ceti*, *balænæ*, *vastissimi piscis*: vide in Iob XL. 20. hoc est Pharhonis, quem cum copiis obtrivit mare: sic Isaiæ XXVII. I. Dedisti eum escam populis AEthiopum. Hebr. *Dabis eum escam populo*, *ipsis* ציים *tziim*, sive *ipsis siccis*: appositive, id est populo sicca, & deserta loca incolenti; sive *deserticolis*, *eremicolis*, seu *solitudinicolis*. Alii, *populo in deserta proficiscenti*. Vide Exod. XIV. 30. & 31. nam eorum arma, & spolia cessisse videntur Israelitis in prædam. Nec desunt qui reddant, *populo*, *ipsis nautis*. Nam qui tunc sinum Arabicum navigabant, spolia submersorum ceperunt. Aliqui allegorice exponunt: *Obiecisti eum devorandum feris & corvis qui in desertis & aridis locis versari solent, & victitare cadaveribus*. Nonnulli contra rationem affixi coniuncti reddunt: *Dedisti cibus ipsi populo per deserta proficiscenti*; id est, dedisti man, & coturnices, de quibus Exod. XVI. & Numeror. 11. ipsi populo Israelitico qui tum per deserta proficiscebatur. Vide Exod. XVI. & Deuter. VIII. Hunc autem locum ita accipiendum esse, ostendit ipsa verborum series cum historia comparata. Similem constructionem vide Iosue XV. 19. & Iudic. I. 15. Alias explanationes ut futiles silentio præterimus.

V. 15. Tu dirupisti fontes, et torrentes. Heb. *Tu excidisti*, *secuisti fontem & torrentem*. Aliqui: *Tu ex fissuris eduxisti fontem*, &c. Alii: *Tu fidisti fontem*, id est petram & rupem, ut manaret fontem: frequens synecdoche, a fine, ut vulgo coquere panem, molere farinam dicimus, ex Isaiæ XLIV. 19. & XLVII. 2. Vide Exod. XVII. 6. & Numer. XX. 11. *Et torrentem*, id est aquam multam ut biberet populus, & iumenta eius, Numeror. XX. 11. Tu siccasti fluvios Ethan. Ex Hebr. reddunt: *Tu siccasti, arefecisti fluvios prævalidos*, *fortes*. Alii, *flumina durabilia*, *perennia*. Nonnulli, *fluvios immanes*, *rapidos*, *ingentes*: alveum Iordanis exsiccatum intelligunt; id est, spatium aridum effecisti ad transitum populi tui per Iardenem, quo tempore Iarden superabat ripas suas. Dicit autem pluraliter *fluvios*, vel per hyperbolem poeticam, vel quod Iordanis tunc plenissimus flueret, vel quod forte minora alia flumina in eum influerent. Chaldæus Interpres, Arnonem, Iabokum, Iordanem accepit, quæ flumina Israelitæ sicco vestigio transiverint.

V. 16. Tu fabricatus es auroram. Hebr. *Tu apparuisti luminare*, videlicet minus, nempe lunam, & stellas. Alii: *Tu*

Tu adornasti lucem. Nonnulli: *Tu parasti lumen huius*, id est lunam cum stellis. Nisi quis forte de luce accipi maluerit, quæ primo die emissa a Deo, in die quarto demum fuerit aptata soli.

V. 18. INIMICUS IMPROPERAVIT DOMINO. Hebr. *Iehveh* potest esse accusandi casus: *Ipsum Ieuveh conviciis proscidit:* vel vocandi, *O Iehveh*, eodem sensu; id est, *te*, *olehveh*. Alii iungunt: *Memento, o Iehova*, *huius quod inimicus exprobrat*. Quidam hunc versum ita accipiunt: *Recordare saltem huius, inimicum probo afficere, o Iehova; & populum stultum irritare nomen tuum*: ut sit locus ab indignitate blasphemiarum, quas in Deum torquent inimici; quasi dicat: Ut taceamus gratiosum fœdus tuum nobiscum, & opera admirabilia, saltem hoc effice, ut nomen tuum vindicetur ab inimicis tuis.

V. 19. NE TRADAS BESTIIS ANIMAS CONFITENTES TIBI. Hebr. *Ne tradas feræ turturem*. II. *Ne tradas bestiæ animam legis tuæ*, id est animam doctrina legis tuæ imbutam. III. *Ne tradas congregationi inimicorum animam turturis tuæ*. IV. *Ne obiicias animam turturis tuæ cœtui hostium*. V. *Ne tradas isti catervæ*, hostium tuorum, *vitam turturis tuæ*, id est Ecclesiæ tuæ inermis, imbellis, simplicis, candidæ, & mitis, prout est columba, adeoque turtur, qui minimus censetur in columbarum genere, teste Aristotele Lib. V. de Historia Animalium, cap. III. & Plinio Lib. X. cap. XXXIV. ET ANIMAS PAUPERUM TUORUM. Suspicio esse potest, ne Noster scripserit, *animal pauperum tuorum*. Nam חית *chaiath*, *vivum*, *animal*, *feram*, *bestiam*, significat, ut initio huius versus. Alii hic reddunt, *& armentum*, *pecus*, *gregem*, *agmen*, *turmam*, *catervam pauperum tuorum*. Vide in Psal. LXVII. 11. Possis reddere, *& vitam afflictorum tuorum*.

V. 20. QUIA REPLETI SUNT QUI OBSCURATI SUNT, TERRAE DOMIBUS INIQUITATUM. Multifariam ex Hebræo elucidant. I. *Quia impleverunt* captivi *tenebrositates terræ*, *habitacula iniquitatis*; id est, quia captivi pauperes, & afflicti tui coguntur habitare loca tenebrosa situ squalida, carceres, ergastula, habitacula iniquitatis, appositive, id est quæ sunt habitacula prædonum grassatorum, & fontium. II. *Quia repleverunt obscurante terram*, *habitationem iniquitatis*. III. *Quia repleta sunt loca tenebrosa terræ*, *habitationibus iniquitatis*; id est, quia terra tenebris obruta, plena est hominibus studentibus iniuriæ. IV. *Quia tenebricosæ habitationes terræ*, *violentia & iniuria plenæ sunt*. V. *Quoniam tenebrosa terræ domicilia scelere repleta sunt*. VI. *Quia tenebricosa terræ plena sunt habitaculis violentiæ*. VII. *Quia repleverunt tenebræ terram*, *habitacula prædonum*. VIII. *Quia repleta sunt omnia tenebrosis carceribus terræ*, *& habitaculis violentis*. IX. paraphrastice: *Eo enim malorum pervenimus*, *& in teterrimis locis*, *& veluti subterraneis*, *& obscuritatibus plenissimis degere mæsti cogamur*: *nec hæ tamen domus ab iniuria & insultibus hostium immunes sunt*. X. *Nam repleta sunt obscurissima terræ*, *caulæ sunt violentiæ*; id est, nihil est tam abstrusum atque reconditum, quo non pervaserit istorum violentia. Buchananus:

Nam nec tenebræ nos tegunt, *nec pellimus*
obscuritate iniurias.

V. 21. NE AVERTATUR HUMILIS FACTUS CONFUSUS. Quidam ex Heb. exponunt: *Qui attritus est*, *ne redeat ignominia affectus*, id est repulsam a te ferens.

V. 23. SUPERBIA EORUM QUI TE ODERUNT, ASCENDIT SEMPER. Heb. *Strepitus*, *fremitus*, *sonitus*, *fragor*, *insurgentium adversus te*, *ascendit*, id est augescit, crescit, *iugiter*, vel ascendit in conspectum tuum, ideo non potes dissimulare te illum audire. Quidam: *Fastus enim insurgentium in te*, *vehementer crescit*. Alii: *Contumeliosa enim vociferatio eorum qui se opponunt tibi*, *assidue fit maior & maior*.

MENOCHII.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Vide dicta ad titul. Psal. XXXI. *Repulisti in finem*: omnino abiecisti populum tuum. Ita te geris, ut populum tuum omnino deseruisse videaris. OVES PASCUAE TUAE, populum tuum, quem peculiari providentia regere solebas, ut pastor gregem suum.

V. 2. CONGREGATIONIS TUAE, *Synagogæ tuæ*, ut est in Græco: populi tui, quem congregasti. QUAM POSSEDISTI AB INITIO: qui nullum habuit Regem, aut dominum ante te. REDEMISTI VIRGAM HERE-

HEREDITATIS TUAE; id est, ut esset virga, & sceptrum hereditatis tuæ; ut esset hereditas in qua tu regnares, & sceptrum teneres. Vel *redemisti virgam*, id est sceptrum, *hereditatis tuæ*: regnum tuum hereditarium asseruisti, & liberasti hactenus. MONS SION: quæ hereditas tua est mons Sion. IN QUO HABITASTI IN EO: quem tibi delegisti ut in eo habitares.

℣. 3. LEVA MANUS TUAS ad feriendum. IN SUPERBIAS EORUM IN FINEM: ad comprimendam, & conterendam penitus eorum superbiam. QUANTA MALIGNATUS EST INIMICUS IN SANCTO! Sunt enim multa, & gravia mala, quæ inimici tui in sanctuario fecerunt. In Hebræo est: *Omne malum fecit inimicus in sanctuario*. Antiochus, ut habemus I. Machab. 1. spoliavit, & profanavit sanctuarium Dei.

℣. 4. GLORIATI SUNT. In Hebr. est *rugierunt*. Gloriati sunt, & fremuerunt quasi victores capta præda. QUI ODERUNT TE, sacra scilicet tua, & religiones tuas. IN MEDIO SOLEMNITATIS TUAE; id est, ingressi templum, & sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur.

℣. 5. SIGNA SUA, vexilla sua. SIGNA trophæa, & monumenta victoriæ. NON COGNOVERUNT. Aliquid supplendum est; verbi gratia, non cognoverunt te; vel, non cognoverunt nos. Nos hæc spectantes non curarunt; te Dominum templi non agnoverunt, nec reveriti sunt, non distinguentes inter sacrum & profanum. Duæ hæ voces, *Non cognoverunt*, legendæ sunt per parenthesim. SICUT IN EXITU: non discreverunt templum ab exitu, sive compito, & loco profano. Exitus hoc loco significat locum in quem plures vici desinunt, qua significatione Matth. XXII. dicitur: *Ite ad exitus viarum*. SUPER SUMMUM: in suprema parte portarum, vel turrium signa locaverunt. QUASI IN SILVA LIGNORUM. Non aliter quam si silvam arborum essent ingressi, ita sine ulla loci sancti reverentia, nulli rei parcentes ianuas exciderunt.

℣. 6. IN IDIPSUM, omnes simul, uno animo, uno conatu. IN SECURI ET ASCIA. *Ascia* est fabrile instrumentum quo dolatur fabricæ materia. DEIECERUNT EAM, scilicet Ierusalem.

℣. 7. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM. Sic legimus I. Machab. IV. *Et viderunt Machabæi sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas*, &c. IN TERRA: in terram alliserunt, & deiecerunt. Bellarm. putat iungendum cum *tabernaculum tuum*, hoc ordine, & sensu: Polluerunt tabernaculum, tuum, quod habes in terra.

℣. 8. DIXERUNT IN CORDE SUO, &c. Ordo est inversus, sententia vero, & ordo rectus, est huiusmodi: Omnis cognatio eorum simul dixit in corde suo, id est omnis cognatio eorum, natio, & gens. QUIESCERE FACIAMUS, &c. Cessare faciamus in terra omnes festivitates, omnemque cultum Dei, quo utitur populus iste.

℣. 9. SIGNA NOSTRA, &c. Sunt verba populi fidelis in malis fatiscentis, & de divino auxilio propemodum desperantis. SIGNA NOSTRA NON VIDIMUS. Non videmus aliqua talia Dei miracula, qualia nobis promissa sunt in lege, & tempore maiorum nostrorum, quæ in eorum beneficium edita sunt. NON EST PROPHETA. Nullos habemus Prophetas, qui populo adsint, & illum voce solentur, & miraculis iuvent contra hostes. NOS NON COGNOSCET AMPLIUS. Nos amplius Deus ut populum suum non cognoscet, nec favebit nobis.

℣. 10. IMPROPERABIT INIMICUS: insultabit nobis, & tibi quasi non possis nos e tantis malis eruere. IRRITAT NOMEN TUUM: irritat te, blasphemando nomen tuum. IN FINEM, perpetuo, assidue.

℣. 11. UT QUID AVERTIS? &c. Cur manus tuas de sinu tuo eductas non regeris in inimicos nostros, sed eas post tergum vertis, & iungis more hominum nihil negotii habentium. MANUM TUAM, sinistram, nam nomen generis more Hebraico de deteriore dicitur. IN FINEM, perpetuo abstinens ab ope nobis ferenda.

℣. 12. ANTE SAECULA: qui scilicet Deus est ante sæcula. Vel, iam ante aliquot sæcula Deus noster est. OPERATUS EST SALUTEM, Iudæorum. IN MEDIO TERRAE. In terra promissionis in quam nos introduxit post AEgypti servitutem.

℣. 13. CONFIRMASTI: solidasti potentia tua mare rubrum. CONTRIBULASTI CAPITA DRACONUM IN AQUIS. Draconum nomine AEgyptios intelligit immanes, & feros.

℣. 14.

V. 14. Draconis, Pharaonis. Dedisti eum escam populis AEtiopum, Arabibus, qui Pharaonis AEgyptiorum cadavera ad littus eiecta spoliaverunt.

V. 15. Dirupisti fontes: aperuisti petram, ut aquas funderet copiosas in morem torrentis. Siccasti fluvios Ethan: siccasti fluvium Iordanem, qui rapidus est: hoc enim significat vox Hebraica איתן *ethan*, id est fortis, vehemens, rapidus.

V. 17. Tu plasmasti ea: tu temporum vicissitudinis auctor fuisti. Figurate de quatuor anni temporibus loquitur ut de re corporea.

V. 18. Memor esto huius. *Huius* neutrius generis, id est huius rei, potentiae huius, horumque facinorum, ut paria nunc edas. Inimicus improperavit Domino. Nam tibi inimicus infirmitatem, & impotentiam exprobrat, quasi non possis, ut maxime velis, nobis opem ferre. Incitavit: contumeliis irritavit, provocavit blasphemis.

V. 19. Bestiis, hostibus ferocibus, & rationis quodammodo expertibus. Confitentes tibi: te Deum agnoscentes, colentes, & laudibus celebrantes. In finem, omnino.

V. 20. In testamentum tuum. Ostende te meminisse testamenti, & pacti, quod cum patribus nostris pepigisti. Quia repleti sunt: bonis nostris, divitiis nostris ditati sunt. Qui obscurati sunt terrae: obscuri, ignobiles, & plebeii divitias ingenuorum, & nobilium rapuerunt. Domibus iniquitatum: scilicet repleti sunt domibus iniquae partis.

V. 21. Ne avertatur, discedens scilicet ab oratione. Humilis, populus tuus, qui humiles ad te preces fundit. Factus confusus, erubescens, quod frustra oraverit, voti compos minime factus. Pauper et inops laudabunt nomen tuum; quasi dicat: Non enim divites in se ipsis confidentes, sed pauperes, & humiles, qui spem suam omnem in te locaverunt. Exurge Deus; quasi dicat: Evigila, excitare. Iudica, vindica, causam tuam, causam pauperis, quae etiam tua est, quia tibi derelictus est pauper, & quia etiam de tuo honore agitur. Improperiorum tuorum, blasphemiarum, quibus te scelerati impetunt. Ab insipiente sunt: A populo hoc barbaro, & insipiente proferuntur.

V. 23. Voces, blasphemias. Ascendit, crescit semper, ideoque comprimenda, & malis inflictis contundenda.

TIRINI.

Vers. 2. Redemisti, *ex AEgypto*, inquit Chaldaeus, virgam hereditatis tuae; Hebraice, *sceptrum* tibi hereditarium, nempe populum Israeliticum, in quo tu sceptrum hereditario iure tenes. Mons Sion; id est, haec hereditas tua est populus qui nunc incolit montem Sion, ubi & tu habitas cum arca, & templo tuo. Ita & fere Symmachus, Hieronymus, Theodoretus, & Euthymius.

V. 4. & 5. In medio solemnitatis tuae, id est diei tibi festi, vel loci solemnis, scilicet templi. Signa sua, id est vexilla bellica, posuerunt. Chaldaei *signa*, id est quasi trophaea victoriae, sicut in exitu, scilicet urbium, id est in portis, ubi solent erigi trophaea, sic super summum verticem templi posuerunt illa. Et non cognoverunt; id est, nesciverunt, neque curarunt Chaldaei, quantus honor deberetur templo tuo, utpote loco totius orbis sanctissimo. Ita Hieronymus, & Theodoretus.

V. 6. Exciderunt ianuas eius, scilicet templi, in idipsum, id est simul, omnes, pariter, ut vertit Hieron. & Chald.

V. 8. Quiescere, & cessare faciamus; id est, omnino aboleamus, scilicet exscindendo, & exurendo templum, omnesque synagogas illorum: nam his excisis, exscinduntur pariter omnes solemnitates illorum. Unde Hieron. & Chald. vertit: *Incenderunt*; Aquila, & Theodotion: *Comburamus* omnes *solemnitates Dei*. Itaque non amplius

V. 9. Vidimus signa nostra, id est vexilla & insignia religionis nobis usitata, nempe templum, altare, sacrificia, &c. Ita Genebrardus. Iam non est Propheta, qui nobis opitulari possit, ut olim Moyses, Samuel, & alii. Ieremias enim non est profectus cum Iudaeis in Babylonem, sed in AEgyptum, ut dicitur Ierem. XLIII. Et non cognoscet amplius; supple, Deus; quasi dicat: Videtur Deus

tis nos quasi alienos nolle amplius agnoscere aut curare.

V. 11. DE MEDIO SINU TUO; supple, non educens illam ad nos iuvandos. Unde Chaldæus: *Educ eam, & dele afflictionem.*

V. 12. OPERATUS EST SALUTEM; id est, sæpius liberavit & salvavit populum suum, IN MEDIO TERRAE, id est palam, & ubique in omni terra, inquit Theodoretus, & Euthymius: vel, ut S. Hieronymus, *in Ierusalem*, vel generaliter *in Iudæa*, quæ est medium terræ habitatæ. Unde & illam pro sua Ecclesia delegisse videtur Deus, & Christus pro passione sua, ut ipsa ex se quasi ex orbis corde salutem in totum mundum transmitteret, inquit Genebrardus.

Allegorice Hieronymus, *in medio terræ*, id est in ventre virginali.

V. 13. TU CONFIRMASTI, id est solidasti, MARE rubrum, ut utrimque instar muri stans, Hebræis in medio transitum daret. Unde Chaldæus vertit: *Divisisti aquas maris*; Hieronymus, *Dissipasti*. Uti & pro CONTRIBULASTI, vertunt *contrivisti*, CAPITA DRACONUM, id est crocodilorum, qui dracones sunt aquatici, id est AEgyptiorum, qui crudelissime necabant nos, & infantes nostros, inquit Theodoretus, & Euthymius.

V. 14. CAPITA DRACONIS, antonomastice, id est Pharaonis: id est primores & proceres AEgypti, ut vertit Chald. DEDISTI EUM ESCAM POPULIS AETHIOPUM, id est accolis maris rubri qui erant AEthiopes; vel corvis, inquit Iansenius; *cercopithecis*, Chald., id est simiis. Aliquando enim *populus* in Scriptura dicitur etiam de belluis, ut Proverb. XXXVIII. *Formicæ populus infirmus:* Ioel cap. I. de locustis: *Gens ascendit super terram.*

V. 15. DIRUPISTI; id est, *erumpere fecisti fontem e rupe* disrupta, *& fuit in flumen:* ita Chaldæus. Exod. XVII. & Num. 20. SICCASTI FLUVIOS ETHAN, id est fortitudinis; fluvios fortes, vehementes, & magnos, ut vertit Hieron. Aquila, & Chald. qui etiam nominat illos, nempe *Arnon*, *Ioubecha*, & *Iordanem*, Iosue III. & Eccli. XII.

V. 18. MEMOR ESTO HUIUS, quod sequitur: POPULUS INCITAVIT te blasphemiis & contumeliis. Ita fere Hier. & Chald.

V. 20. RESPICE IN TESTAMENTUM TUUM; id est, memineris pacti quo pepigisti te semper fore adiutorem populo tuo. QUIA QUI OBSCURATI SUNT, id est qui ante obscuri & ignobiles erant in terra, nempe Chaldæi, REPLETI & ditati SUNT nostris agris, DOMIBUS, & supellectilibus INIQUITATUM, id est inique nobis ereptis. Quadrat iam in turcas, & hæreticos. Ita Genebrardus.

V. 21. NE AVERTATUR, id est ne repellatur a te, HUMILIS; Chald. *miser*; Hieron. *confractus* populus tuus.

GORDONI.

Titulus: INTELLECTUS ASAPH, seu *eruditio Asaph* cantoris. Vide Psal. XXXI. & Psalm. XLI. Argumentum tropologice esse potest consolatio multorum in tribulatione; tamen ad sensum litteræ quid proponatur, valde discrepant Expositores. Forte minus male opinantur qui hunc Psalmum referunt prophetice ad persecutionem Iudæorum sub Antiocho, Machab. Lib. I.

Vers. 3. LEVA MANUS TUAS, &c. Septuag. ἔπαρον, *eleva*. In vocibus discrepant versiones, at non in sensu. Denotatur enim valida percussio, sive vertas *manus*, sive *pedes* cum Hieronymo. Vox למשאות *lemaśśvoth* cum puncto ש in sinistro cornu, designat superbias: & ita legerunt Septuag. quibus credendum in significatu vocis Hebr. Alioquin significat dissipationes per ש, ex rad. שאה, *desolari*.

V. 4. & 5. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA. Hieron. *Posuerunt signa sua in trophæum, manifesta in introitu desuper:* certe in suprema parte portarum, per quas fit exitus, & introitus: & per parenthesim: ET NON COGNOVERUNT, scilicet quod agerent contra Deum. Sept. οὐκ ἔγνωσαν, Prævalet sane versio Septuag. ex qua licet coniicere quid ipsi in Hebræo legerint.

V. 6. EXCIDERUNT. Septuag. ἐξέκοψαν. In Hebræo est ועת *vebbath*. Hieronymus vertit *& nunc*. Clarum est aliquid in voce Hebraica esse immutatum: nam ut est iam in Hebræo, nec significat quod ponit Hieronymus, nec quod ponunt LXX.

V. 8.

V. 8. Quiescere faciamus. Septuag. καταπαύσωμεν. Sic verti vult Hieronymus, epist. ad Suniam, licet aliter fateatur esse in Hebræo: nec probabile est Septuag. vertisse κατακαύσωμεν, hoc est *incendamus*, ut aliqui legunt in Græco: nec verum est eos per מועד *mobhad* intellexisse synagogas, sed dies festos. Quorsum ergo *incendamus*? dies non incenduntur.

V. 12. Deus autem Rex noster ante saecula, &c. Hic, & quinque consequentibus versiculis explicat potentiam Dei, qua usus olim est pro populo suo, ut concludat posse Deum etiam ab hac calamitate liberare. Ceterum post vocem *sæcula* est distinctio, ut sit sensus cum Augustino: Deus qui ante sæcula, hoc fecit in Palæstina, seu medio terræ. Porro vers. 13. intelligit mare rubrum; per *capita draconum* AEgyptios. Esca vero populis AEthiopum designat spolia quæ submersis AEgyptiis destruxerunt AEthiopes. Dixi alibi esse duplicem AEthiopiam. Præterea vers. 15. docet fontem erupisse in deserto, & exsiccatum fluvium *Ethan*, scilicet Iordanem. איתן *ethan*, *fortis*: erat enim Iordanis magnus & fortis fluvius.

V. 29. Confitentes tibi. Sept. ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι. Sed hinc colligo Sept. non legisse תורך *thorecha*, sed תודך *thodecha*: reducitur ad radicem ידה *iadah*, *confiteri*. תודה *thodah*, *confessio*: & תודתך *thodathecha*, *confessionis tuæ*, seu *confitentes animas tibi*: & per contradictionem תודך *thodecha*.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 1. & 2. Ut *quid Deus?* &c. Tam gravis fuit persecutio populi Iudaici sub Epiphane (quod docent Libri Machabæorum) ut haberet populus unde dubitaret, an penitus in finem, seu in æternum esset a Deo derelictus? Et hoc malum est quod deplorat hic Propheta in persona populi, memorans (ut Deum flectat) versu 2. pristinam Dei solicitudinem de populo, quando ab initio eum possedit tamquam hereditatem suam, & quam eximie redemit, deinceps habitans in Sion, velut Rex in regia sua.

V. 3. usq. ad 9. *Leva manus*, &c. Post explicatam populi miseriam, orat Deum ut se convertat in hostes, & superbiam hostium, a quibus sanctum, seu sanctuarium maligne profanatum est, I. Machab. I. idque *in medio solemnitatis* suæ, seu dum sacra peragebantur solemnia. Nec est cur hoc universe dictum restringatur ad tempus paschale, & Vespasianum. Esse autem de Antiocho sermonem, confirmat versus quintus de signo erecto: non enim evertit penitus templum, aut civitatem Antiochus, sed in summis locis signa, & trophæa dominii collocavit, excisis portis, & muris, quasi ut silva excidi solet securibus. Nec obstat quod vers. 7. subiicitur: *Incenderunt sanctuarium*. Nam ex I. Machab. IV. etiam Antiochus exuri fecit portas igne applicato. Et hoc est quod ait: *Incenderunt igne sanctuarium tuum*. Fateor tamen posse satis probabiliter referri ad excidium urbis sub Vespasiano.

V. 8. *Dixerunt in corde*, &c. Plenius explicat hic, & vers. 9. miseriam populi, ut tandem vers. 10. subiungat petitionem auxilii. Ergo, ut hic ait, accessit ad miseriam, quod omnes etiam vicini expeterent deleri nomen & cognationem Iudæorum. Accessit aliud, populum esse sine signis potentiæ Dei solitis, ac miris operibus; sine Prophetis, & sine recordatione Dei solita, ac si non cognosceret eos.

V. 10. *Usquequo Domine?* &c. Iam incipit populus petere auxilium, ut deleatur opprobrium illatum a Gentibus, dum blasphemando exasperant nomen Dei. Agnoscit vero populus Deum Regem, & salutem quam olim operatus est inter eos: & longa narratione confitetur mirabilia Dei, quæ mox subiicio ad vers. 12. De hac Dei potentia agit usque ad versum 18.

V. 18. *Memor esto*, &c. ac si diceret: Cum tanta sit potentia tua Domine, ut dictum est, & tantum opprobrium nominis tui ab inimicis tuis, gente insipiente; noli tradere, Domine, nos persecutori, velut perpetuo immemor nostri: recordare testamenti & pacti cum Patribus. Vide etiam indignam conditionem hostium, qui *obscurati terræ*, seu viles in terra, iam abundant, repleti domibus, & palatiis iniquitate acquisitis.

V. 21. & seq. *Ne av.rtatur*, &c. Itaque, mine, ne abiicias populum humilem, qui laudabit nomen tuum. *Exurge* Domine, hæc caufa tua eft: fuperbia inimicorum tuorum crefcit quotidie.

BOSSUET.

Verf. 2. VIRGAM HEREDITATIS TUAE: hereditatem ipfam virga menforia, feu pertica per tribus divifam. MONS SION, *montem*, Hier. ὄρος: neutr.

V. 3. LEVA MANUS: *attolle pedes*: Hebr. incede fublimis, & velox. IN SUPERBIAS EORUM, hoftium populi fui: *ad vaftitates eorum*: Hebr. ad vaftandos eos. *Quanta malignatus eft! omnia mala*, &c. Hier. *In fancto*, in fanctuario.

V. 4. GLORIATI SUNT, &c. *Fremuerunt hoftes*: Hier. SOLEMNITATIS, &c. congregationis, Hebr. eodem fenfu.

V. 5. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA: fic Hebr. id eft, pofuerunt ea ut figna victoriæ fuæ: quod recte Hier. *Pofuerunt figna fua in trophæum, manifefta in introitu*, &c. Vexilla prophana in portis templi in fignum victoriæ ftatuerunt.

V. 6. IANUAS EIUS, valvas; alii fculpturas. DEIECERUNT: *deraferunt*, Hier. Vide portas exuftas I. Maccab. IV. 38.

V. 7. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM. Admoverunt ignem ad templum, portis etiam exuftis: ibid. IN TERRA: ipfa terra Deo tot miraculis confecrata. Vide ibid.

V. 8. COGNATIO EORUM, &c. *depopulabimur eos*: Hebr. QUIESCERE FACIAMUS. Id moliebatur Antiochus I. Maccab. I. 41. &c. *Incenderunt omnes congregationes Dei*: Heb. id eft fynagogas, loca congregationum.

V. 9. SIGNA NOSTRA, templum, altaria: figna præfentiæ Dei, & religionis infignia. NON EST PROPHETA, qui nos confoletur fpe futuri, ut olim Ifaias, premente Sennacheribo; Ieremias in captivitate; & alii. Tempore Antiochi expreffe dicitur non fuiffe Prophetas, I. Maccab. IX. 27. ET NOS NON COGNOSCET AMPLIUS: Deus oblitus eft noftri: melius Hier. *& non eft nobifcum qui fciat ufquequo*: non eft Propheta qui fciat quoufque inimicus defæviat.

V. 10. IMPROPERABIT INIMICUS. Id maxime Antiocho convenit, eiufque ducibus Nicanori, & aliis: I. Maccab. I. 25. &c. VII. 2. XIV. XV. &c.

V. 11. UT QUID AVERTIS? &c. Sic diftingue: *Ut quid avertis manum tuam* ab hoftibus? quin tu profer eam DE MEDIO SINU TUO: exere vires, ne fis velut manibus in finum complicatis: quod eft nihil agentis. Prov. XIX. 25. *Abfcondit piger manum fub afcella*. IN FINEM: *confu mere*: Hebr. profer manum confumere; id eft, ad confumendos hoftes.

V. 13. CONFIRMASTI..... MARE: ftare fecifti utrimque quafi murum fluctus rubri maris, ut populus tranfiret: Exod. XIV. 22. at Hier. *diffipafti*, divififti, exficcafti: ibid. ἐκραταίωσας, LXX. *dominatus es*. CAPITA DRACONUM: Regem, & principes AEgypti devolvifti in mare: ibid.

V. 14. CAPITA DRACONIS, *Leviathan* Hebr. crocodili. Vide Iob XI. 20. Pharaonis, Ezech. XXIX. POPULIS AETHIOPUM, *Letfium*, populo deferti fiticulofo, Ichtyophagis ad mare rubrum pofitis: apud quos fama vigebat magno quondam maris receffu fundum coloris viridis apparuiffe, & rurfum mare refluum in priorem locum effe reftitutum. Diod. Sicul Lib. III. *His igitur dedifti devorandos pifces AEgyptiorum carnibus faginatos*.

V. 15. DIRUPISTI FONTES: *fciffa rupe elicuifti fontem*. Chald. FLUVIOS ETHAN, *flumina fortia*, Hier. Iordanem, & torrentes Arnon. Num. XXI. 14. Deut. II. 36. Iof. III. & ita Chald.

V. 16. FABRICATUS ES, &c. *ordinafti luminaria & folem*: Hier.

V. 17. AESTATEM ET VER, *æftatem, & hiemem*, Hier.

V. 18. MEMOR ESTO HUIUS (rei): nempe quod INIMICUS Anthiochus, Nicanor, alii, I. Maccab. VII. 2. XIV. IMPROPERAVIT DOMINO, tamquam imbecilli, nec valenti tueri plebem fuam, Sennacheribi inftar dicentis: *Quis Deus eruet vos de manu mea?* quod exemplum Iudas Maccabæus memoravit I. Macc. VII. 41. *Incitavit, blafphemavit*, Hier.

V. 19. ANIMAS CONFITENTES TIBI animam eruditam lege tua. ANIMAS PAUPERUM, &c. *Vitæ pauperum tuorum ne oblivifcaris in perpetuum*: Hier. quo magis fe pauperes abiectofque putant, eo apud Deum clariores. *V.* 20.

V. 20. REPLETI SUNT, &c. *Tenebrosa loca terræ violentia repleta sunt*: Hebr. nullæ iam latebræ ab hostium incursibus securæ sunt.

V. 21. NE AVERTATUR HUMILIS: ne pauper repulsam passus confusus abeat.

V. 23. SUPERBIA, *sonitus*, Hier. Superbæ voces semper increscunt: dum tu differs pœnas, illi proficiunt in blasphemias. Hier. ad Sun.

PSALMUS LXXIV. MORALIS,

Ad superbos, ne extollantur; sed Deum fausta æque & adversa pro sua æquitate temperantem agnoscant.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori ut non disperdas Psalmus Asaph, Cantici.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur: & iuxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua.

Cum accepero tempus, ego recta iudicabo.

Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus suis: ego appendi columnas eius. Semper.

Dixi inique agentibus, nolite inique agere: & impiis, nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in excelsum cornu vestrum: loquentes in cervice veteri.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente: neque a solitudine montium.

Sed Deus iudex: hunc humiliabit, & hunc exaltabit.

Quia calix in manu Domini ex vino meraco usque ad plenum mixtus, & propinabit ex eo: verumtamen fæces eius epotabunt bibentes omnes impii terræ.

Ego autem annuntiabo in sempiternum: cantabo Deo Iacob.

Et omnia cornua impiorum con-

VERSIO VULGATA.

1. * In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.

2. Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: 3. cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

4. Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius.

5. Dixi iniquis: Nolite inique agere: & derelinquentibus: Nolite exaltare cornu.

6. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus:

8. Quoniam Deus iudex est.

Hunc humiliat, & hunc exaltat: 9. quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

10. Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Iacob.

11. Et omnia cornua peccatorum frin-

fringam, & exaltabuntur cornua iusti.

confringam: & exaltabuntur cornua iusti.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. *In finem*, *ne corrumpas*. Quidam libri pro *corrumpas* habent *disperdas*; quod idem unum est.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. ET INVOCABIMUS NOMEN TUUM. Heb. nunc legitur, *& prope* (est, aut fuit) *nomen tuum*. Multo magis convenit lectio LXX. καὶ ἐπικαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου. Si etiam quod sequitur, eadem persona convertissent, *narrabimus*.

V. 4. EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EIUS. Heb. præteritum pro futuro, *confirmabo*. Loquitur persona Christi.

V. 5. DIXI INIQUIS, &c. Heb. *insanis*: *Ne insanitatis*.

V. 6. NOLITE LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM. Heb. בצואר עתק, *collo pingui*, id est superbi; ut Gallice, *Parler gros*. Septuag. videntur legisse בצור עתק, *contra Deum durum*: quod interpretati sunt ἀδικίαν.

V. 7. NEQUE A DESERTIS MONTIBUS. Heb. *neque a deserto* הרים *exaltatio* (est, aut venit) id est a meridie. Septuag. הרים, *montes* verterunt. Alter sensus melior, quia statim sequitur: *Hunc humiliat, & hunc exaltat*.

V. 9. QUIA CALIX IN MANU DOMINI VINI. Heb. *plenus mixtura vini rubei*.

V. 10. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC. Heb. *Et effundet ex hoc* (calice) *& fæces eius expriment*, *& bibent omnes peccatores terræ*, id est de calice iræ Domini. Isai. LI. 17. & Ierem. XXV. 15.

V. 11. ET EXALTABUNTUR CORNUA IUSTI. Heb. *exaltabuntur*. Loquitur sumpta persona Christi.

SA.

De Dei iusto iudicio.

Vers. 1. NE CORRUMPAS. Chald. *Quando David dixit*, *Ne destruas populum tuum*.

V. 2. CONFITEBIMUR TIBI, id est laudabimus te.

V. 3. CUM ACCEPERO, scilicet ait Deus. TEMPUS; quasi dicat: Cum erit tempus iudicandi. IUSTITIAS. Hieron. & Chal. *recta*; quasi dicat, quod rectum est.

V. 4. LIQUEFACTA. Hieron. *Dissolvetur*. TERRA. Chald. *terræ incolæ*; quasi dicat: Etsi homines deficiant, tamen terra firma manebit semper. ET OMNES; pro, id est omnes. CONFIRMAVI COLUMNAS; quasi dicat: Ego eam velut columnis stabilivi.

V. 5. CORNU; quasi dicat, cristas.

V. 6. CORNU VESTRUM. Chald. *gloriam vestram*.

V. 7. NEQUE AB ORIENTE, scilicet est, qui possit a Dei ira eripere.

V. 9. CALIX, scilicet divinæ punitionis. VINI MERI, id est potentis iræ. MIXTO, scilicet non aqua, ut solet, sed altero vino (ideo enim dixit *meri*) seu mixto acerbitate supplicii. Chald. *mixtione amaritudinis*. INCLINAVIT, id est effudit. EX HOC IN HOC, id est in diversas partes. EXINANITA, id est exhausta; quasi dicat: Semper est unde puniat iniquos.

V. 10. ANNUNTIABO, scilicet Dei opera, seu iustitiam. DEO, id est in Dei honorem.

V. 11. CORNUA, id est potentiam. CONFRINGAM, scilicet ait Deus.

ESTII.

ESTII.

Verſ. 9. QUIA CALIX IN MANU DOMINI VINI MERI, PLENUS MIXTO. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC: VERUMTAMEN FAEX EIUS NON EST EXINANITA. Quæritur, quomodo non pugnent mixtum, & merum. Hieron. ex Hebræo vertit: *Vino meraco uſque ad plenum mixtus*. Et ſane *miſcere* in ſacris litteris ſæpe non aliud quam proponere, vel ad bibendum parare ſignificat: ut Prov. IX. *Bibite vinum quod miſcui vobis*. Porro illud, *Et inclinavi ex hoc in hoc*, ſic intelligendum eſt ſecundum Hieron. in III. Malachiæ: Miſericordia iuſtitiam temperat, & iuſtitia quoque ipſam miſericordiam. Auguſt. legit *ex hoc in hunc*, & exponit, ex Iudæo populo in gentilem.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM, NE CORRUMPAS, PSALMUS CANTICI, ſeu *canticum*, ASAPH. *Ne corrumpas* initium erat cantilenæ vulgaris, ad cuius modos Pſalmus hic compoſitus, & decantandus erat. Sic Hebræus. Hieronymus *non diſperdas* vertit, ſicque ſignificare μὴ διαφθείρῃς, contendit ad Suniam, & Fretellam. Verum Hebr. vox *taſheth*, *corrumpere* potius ſignificat, neque vox Græca diſſentit. Dei minas in impios continet.

V. 2. ET INVOCABIMUS NOMEN TUUM; id eſt, opem tuam implorabimus. Hebr. *Prope eſt nomen tuum* (iis qui) *narrant mirabilia tua*.

V. 3. CUM ACCEPERO TEMPUS. Verba ſunt Dei reſpondentis Prophetæ. Hebr. *tempus ſtatutum*, definitum. EGO IUSTITIAS IUDICABO; id eſt, iuſte cuique pro meritis tribuam.

V. 4. LIQUEFACTA EST TERRA; id eſt, liquefiet præ metu, ſcilicet mei iudicii. EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EIUS. Non mirum ſi metuit quando ego eam fulcio, fulcivique.

V. 5. DIXI INIQUIS: NOLITE INIQUE AGERE. Si talis eſt iudex, compeſcite pravitatem. Hebr. *Dixi ſtolidis*: *Ne inſaniatis*, NOLITE EXALTARE CORNU, id eſt ſuperbire.

V. 6. IN ALTUM, id eſt contra Deum; ne ſuperbiatis. NOLITE LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM. Hebr. *Nec loquamini in collo duro*. Septuag. pro צואר *zavar*, legiſſe videntur צור *zur*, id eſt *petram*, pro qua voce vertunt *Deum*. Pro עתק *hathak*, id eſt *durum*, poſuerunt *iniquitatem*.

V. 7. QUIA NEQUE AB ORIENTE, ſcilicet erit evaſio. NEQUE A DESERTIS MONTIBUS, id eſt meridie: quoniam Iudæa ad auſtrum habet Arabiam deſertam. Hieronymus, *neque a ſolitudine montium*. Ego dicerem, *neque a deſertis montibus*.

V. 8. QUIA CALIX IN MANU DOMINI. Per *calicem* intelligit poteſtatem gubernandi, & iudicandi. VINI MERI. Per *vinum*, vindictam. Sanguinis color id indicat: nam legitur Hebr. *& vinum rubet*. PLENUS MIXTO; id eſt, vinum dilutum eſt aqua: non ergo merum. Chald. *vinum forte* dixit, quod vox ἀκέρατος poteſt etiam ſignificare. Id tamen ſignificat, neque bona, neque mala in hac vita pura dari cuiquam, ſed vindictæ miſceri benignitatem. ET INCLINAVIT EX HOC, pro in hunc; id eſt, ſingulis potum dedit. Hebr. *& effudit ex hoc*, ſcilicet homine, *in alium*: nam pronomen eſt maſculinum; & כוס *chos*, id eſt *calix*, femininum. FAEX EIUS NON EST EXINANITA. Hebr. *fæces eius expriment*. BIBENT OMNES PECCATORES; id eſt quod peſſimum eſt, id ſervatur peccatoribus. Aliis vindicta tolerabilior erit, impiis graviſſima. Simile eſt huic quod Homerus fingit, Iovem cum duobus doliis, bonorum, & malorum, mixta utraque dare mortalibus.

V. 10. EGO AUTEM, pro ea benignitate & cura, Dei laudes celebrabo.

V. 11. CORNUA PECCATORUM CONFRINGAM; pro, confringetur ſuperbia & faſtus eorum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. NE CORRUMPAS. Vide in Pſal. LVI. 1. PSALMUS CANTICI. vel *Pſalmus canticum*. Vide in Pſal. XLVII. 1. ASAPH. Hebr. *Ipſi Aſapho*. Vide in Pſal. XLIX. 1. Obſervant, hunc Pſalmum eſſe, ut ita dicamus, deprecativum, quo deprecatur David funeſta illa & exitialia bella, quæ inter ipſum & domum Schau-

lis

lis gesta fuerant, videns utrumque populum misere perditum iri, nisi Deus pro misericordia sua provideret. Hunc enim Psalmum ad ea tempora pertinere nominatim ostendi vers. 4. cum Abner ad Davidem profectus, regnum Israelis obtulerat ipsi; & Ioab totum consilium nefario suo scelere ita conturbaverat, ut a gravioribus bellis metus esset, II. Samuel. III.

V. 2. ET INVOCABIMUS NOMEN TUUM. NARRABIMUS MIRABILIA TUA. Diversimode accipiuntur Hebræa. I. *Et propinquum nomen tuum narraverunt separata*, seu *mirabilia tua*. II. *Etenim propinquum* erat *nomen tuum:* liberati a te *narraverunt mirabilia tua*; id est, aderat nobis numen, auxilium, & robur tuum. III. *Quia proximum est nomen tuum, narraverunt mirabilia tua*. IV. *Etenim prope est nomen tuum illis qui miranda facinora tua enumerant*. V. iungunt antecedentibus: *Confitebimur etiam præsenti nomini tuo, & egregia facta tua* omnes *narrabunt*. VI. *Nam propinquum nomen tuum enarrant mirabilia tua*; id est, multa nobis suppeditasti publica & privata argumenta celebrandi nominis tui, ex quibus cognoscimus te nobis adesse, etiam his turbulentis & calamitosis temporibus. In his enim miraculis Dei non respicit proprie David ad prisca iam olim in populo facta; sed partim ad singularia Dei opera erga ipsum, cum profugus esset restitutus, evectus, & in regno unius tribus conservatus contra vim ceterarum; partim ad publica erga suum regnum. VII. *Et continuo sensimus præsentiam nominis tui: quare commemorabunt quotquot viderunt, quam miris modis nobis adfueris contra hostes nostros*. Interpunctio Hebraica, si eius habenda est ratio, poscit hunc sensum: *Celebravimus etiam nomen tuum propinquum: narraverunt omnes mirabilia tua*.

V. 3. CUM ACCEPERO TEMPUS, EGO IUSTITIAS IUDICABO. Diversimode ex Hebr. convertunt. I. *Quoniam accipiam conventum, ergo rectitudines iudicabo*: vel, *Quia assumam cœtum*, sive *ecclesiam*, subaudi electorum, *ego æquitates iudicabo*; id est, omnimoda & summa æquitate iniquitatem profligabo, & pietatis studium afferam. II. *Cum accepero terminum, ego recta iudicabo*. III. *Ego cum statutum*, seu *destinatum tempus nactus fuero, quod æquum & rectum est iudicabo*. Hæc plerique de Deo, vel de Christo accipiunt; fundante Ecclesiam suam, vel statuto tempore iudicii universalis iudicante orbem. Alii de Davide: *Cum accepero conventum, ego rectissime iudicabo*; ut sit professio officii quod se præstiturum pollicetur David; quasi dicat: Ne sinas, o Deus, Iudæos, & Israelitas amplius mutuis in se bellis confici, aut consilium de habendo Israelitarum omnium conventu (quod iam Abnero auctore initum est) abrumpi; sed propter nomen, & veritatem tuam effice, ut Israelitæ in hoc consilio pergant, & ego meis partibus coram te defungi possim. Ergo quod ait: *Cum accepero conventum*: conventum eum intellige in quem Israelitæ, suadente Abnero, consenserant, II. Samuel. III. 17. & qui postmodum Chebrone habitus est, II. Samuel. V. ubi Israelitas honorificentissime a Davide exceptos fuisse legimus I. Paralipom. XI. 3. & XII. 23. ad finem usque.

V. 4. LIQUEFACTA EST TERRA, &c. Hunc versum quidam I. ita reddunt *Liquefactas*, *solutas terræ*, *omniumque habitatorum eius*, *ego aptabo columnas*; id est, statum regni, & Ecclesiæ dissutum & labefactatum per has diuturnas clades & dissentiones, instaurabo: metaphora, quæ sequentibus exponitur. *Columnas*, id est statumina, & firmamenta regni: metaphora. II. *Langueat tellus licet, & universi qui habitant in ea, ego fulciam columnas eius*. III. Terra sentiet iram meam & præ metu exanimabuntur quotquor habitabunt in ea, cuius ego fundamenta ieci, & veluti columnis stabilivi, quare & concutere eam difficile mihi non erit: ut intelligatur de extremo Christi iudicio, quo tremefacturus est mundum. IV. *Resolvuntur terra*, *& omnes habitatores eius: ego mensurati columnas eius*. Aiunt verbum תכן *thiccem* in Pihel significare, certo mensurus est, secundum omnes dimensiones mensuravit, seu paravit. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Maxime*; 4. O quam magna est potentia Dei! vel, O quantum beneficium mihi Deus præstitit stabilito regno!

V. 5. NOLITE EXALTARE CORNU. Exponunt: Id est, ne insolescatis, & ferociatis: thrasonice: metaphora a petulcis ani-

mantibus. Alii: *Ne erigatis cristas*: nam hæ sunt gallis cornua. Virgilius:

Et rubræ cornua cristæ.

Nonnulli, id est robur vestrum; quasi dicar, vires vestras contra Deum.

V. 6. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Quidam: *Nolite in sublime attollere cornu vestrum*; id est ne nimium & thrasonice vires vestras efferatis. Alii מרום *marom* hic de Deo dici volunt: *Ne attollatis contra Excelsum cornu vestrum*, id est contra Deum, quo auctore Rex sui institutus. II. Samuel. III. 18. & hic conventus indictus est. Nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Hebr. varie redduntur. I. *Neque loquamini collo pingui, præfracto, duro*, id est cum fastu, & superbe. II. *Ut contumaciter cogitetis perversa*. III. *Neque loquamini cervice erecta contumeliose de illo*. IV. *Ne loquamini collo duro*, id est reluctante & renitente adversus voluntatem Dei: metaphora ab animantibus refractariis & impatientibus iugi. Aptius reddes: *Ne loquamini in collo*, id est erecto collo, superbe, fastuose, ut Iob XV. 16. durum, præfractum, insolens quidquam. Quidam: *Aut loquamini in collo durabile*.

V. 7. Quia neque ab oriente, &c. Ex Hebr. I. *Quia non ab exitu* solis, *&* non *ab occidente*, *& non a deserto*, id est ab utroque polo, *celsitudines*, hominum pendent. II. *Quia neque ab oriente*, *neque ab occidente*, *neque a solitudine montium*. III. *Quia nec ab exortu solis*, *nec ab occidente*, *neque ab aquilone venit exaltatio*. Alii, *neque a deserto*. seu *meridie*, quod vastissima Iudææ solitudo spectet ad meridiem; quasi dicat: Dignitatis nullum est emporium, nusquam terrarum venditur dignitas, seu potentia; sed a solo Deo est: ne quis ergo se contra Deum erigat ob dignitatem aut vires, quod eæ a Deo sint. IV. *Quia neque ab oriente*, *neque ab occidente*, *neque ab austro cuiquam continget*, *quod solide magnum facere poterit illum*. Buchananus.

Eois coeat viribus occidens,
Coniurent calidæ cum Borea plagæ,
Frustra divitias, sceptra, potentiam
Cuiquam conciliaverint.

V. *Non enim ab exortu*, *aut ab occasu*, *neque a deserto est exaltatio*. Ergasia illius præcedentis propositionis, *ne cornua efferant contra excelsum adversarii*, vers. 6. Non est, inquit, hoc regnum meum a mundo, sed a Deo profectum. *A deserto*, id est a septemtrione, aut meridie: nam utrinque Iudæa clauditur deserto. VI. *Quoniam neque ab ortu*, *neque ab occasu*, *non a deserto aut montibus aderit*, *qui defendat*; vel erit eis evasio, effugium, liberatio, auxilium, &c. הרים *harim* potest esse *montes*, & infinitum Hiphil verbi רום *rum*, *elevare*, *exaltare*, *extollere*; & nominaliter, *elevatio*, *exaltatio*. Punctatio Hebraica magis postulat exponi, *a deserto montium*, quam *a deserto exaltatio*, quod vox מדבר *midbar* sit in regimine.

V. 8. Quoniam Deus iudex est: hunc humiliat, et hunc exaltat. Quidam: *Sed Deus iudex*, *hunc deprimit*, *& illum extollit*. Respectum putant ad illud II. Samuel. III. vers. 1. Alii universe, Deus pro sua voluntate hos deprimit, illos evehit, ipse solus auctor honorum.

V. 9. Quia calix in manu Domini, &c. Hunc versum diversimode alii ex Hebr. explanant. I. *Quia calix in manu Domini*, *& vino mero plenus mixto*; *& effudit ex hoc*: *tantum fæces eius expriment*, *bibent omnes impii terræ*. II. *Quia calix in manu Dei*, *& vino mero usque ad plenum mixtus est*, *& propinabit ex eo*: *verumtamen fæces eius epotabunt*, *bibentes omnes impii terræ*. III. *Quia calix in manu Iehovæ*, *& vinum quod in eo rubet*, vel *turbidum*, seu *turbulentum est*, *& plenus est mixtione*, *& effundit ex hoc*: *utique fæces eius sugent*, *& bibent omnes impii terræ*. IV. *Nam calix in manu Domini est*, *vino meraco plene adornatus*, *e quo fundet*: *attamen fæces eius exsugent ac epotabunt omnes impii in terra*. V. *Nam crater vino meraco plenus & adornatus*, *in manu Domini est de quo fundetur*: *& fæces eius sugent ac ebibent omnes impii terræ*. VI. *Quia calix in manu Iehovæ*, *& vinum*, *quod intumuit*, seu *inferbuit*, seu *turbidum*, *& turbulentum*, aut *rubrum fuit*, *plenus infusione*, id est liquore infuso, *& extrahere faciet ex eo*: *verumtamen fæces eius exsugent*, *bibent omnes improbi terræ*. VII. *Habet etenim Dominus in manu poculum*, *in quo pulchre rubet vinum*, *sed cui plurimum est fæcis admixtum*: *ex hoc porriget meracum piis*; *fæcem vero noxiam exsugere*, *immo epotare coget impios omnes*, *quamtumvis de-*

gant-

gant in terra multi. VIII. *Nam poculum in manu Iehovæ, & vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fudit verumtamen fæces eius, quas expresserint, bibent omnes improbi terræ*: occupatio; quasi dicat: Fateor quidem me non sine gravi damno meo, & meorum huc usque evectum esse, ut calamitates bonis æque ac malis communes sunt; sed tamen utcumque turbulenta sint, & periculosa omnia, quam male cedat improbis, ex parte res præsentes commonstrant, & tandem exitus adversariorum funestus ostendet: hæc allegorice poculi appellatione figurantur: quod suis quidem bibendum, improbis vero epotandum præbet Deus, ut Isaiæ LI. 17. Ierem. XXV. 15. & alibi. Illud, *Ex quo fudit*, exponunt, id est quo hactenus populum suum exercuit: nam hæc omnia dicuntur allegorice. Illud, *Quas expresserint*, id est quas ipsi sua impuritate, gravitate, & pertinacia sibi comparaverint.

Sed verba ipsa expendamus: VINI MERI. Heb. *Et vinum* חמר *chamar*, id est, *Intumuit, efferbuit, turbidum, turbulentum fuit*, vel *rubuit*, seu *meracissimum efferbuit*. Notant Hebræi vina terræ sanctæ rubra esse, turbida, generosa, & vehementia: & nos videmus vina Valentina vetera & generosa in poculo scintillare, ac fervere. Allegorica significatio atrocitatis pœnarum. PLENUS MIXTO. Hebr. *plenus infusione*, seu *mixtione*, id est vel liquore infuso, vel plurima mixtione fæcium: alii, plenus aquæ infusione, vel mixtura, id est dilutus & temperatus aquæ: quod Iudæi vinum dilutum biberent, numquam merum, quod terra sancta sit cæli calidi. Nec desunt qui exponant, *plenus mixtione*, amaritudinis, veneni aut rerum aliarum infectarum, aut noxiarum; ut maiorem pœnarum vim exaggeret. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC. Heb. *Et trahere fecit*, sive *extraxit*, *effudit*, *fluere fecit*, *ex isto*. VERUMTAMEN FAEX EIUS NON EST EXINANITA. Heb. *Tantummodo, verumtamen, certe, utique, profecto, fæces eius exprimunt, emulgebunt, exsugent* שמרים *schemarim* aiunt esse *fæces*, a servando, quod serventur, & sidant in imo vasis, & vina ipsa conservent. Nec aliene exposueris: *Utique servata, conservata*, seu *conservationes eius exsugent*: ut intelligat vina vetera, in multos annos servata, quæ sunt meracissima, & generosissima: Valentine vocamus *Fondellols*, quod in fundo vasorum conserventur: seu vina condita, & multis speciebus confecta & conservata; quæ habentur dulcia ac pretiosa: nec ab hac significatione abludit locus Isaiæ XXV. 6. & fæces hic intelliguntur, non proprie fæces ipsæ vini, quæ sunt potui ingratæ & absurdæ, sed vinum ipsum in fundo vasis fortius & vehementius. *Eius*, calicis, nam utrumque, & pronomen, & calix Heb. est femineum: non *vini*, quod est masculeum: quamvis metonymice, *eius*, id est vini.

V. 10. EGO AUTEM ANNUNTIABO IN SAECULUM, &c. Volunt esse petitionem per paralepsim: nam perinde est ac si dixisset David: Ne perdas, o Deus, sed potius rationem ineas, qua tui Israelitæ conserventur, ut annuntiem in sæculum, psallam, &c. DEO IACOB. Exponunt, Id est Deo Israelis, qui populus unus est, ad Dei unici fœdus & cultum: vocatus; pro ut etiam designavit Elias I. Reg. XVII 31.

V. 11. ET OMNIA CORNUA PECCATORUM CONFRINGAM. Hebr. *succidam*; id est, ut exarmem improbos, & ira mutilem viribus & potentia, ut se in posterum contra Deum efferre nequeant. Quidam hæc verba Dei, alii Davidis esse volunt: quod est rectius. ET EXALTABUNTUR CORNUA IUSTI, vel *exaltentur cornua iusti*; id est, confirmentur iusti, ut erecto capite Deum colere, & in regno tranquille versari possint. Sic I. Samuel. II. 1.

MENOCHII.

Vers. 1. NE CORRUMPAS. Vide dicta ad titulum Psal. LVI. in illud, *Ne disperdas*: sunt enim eædem voces in Hebr. אל תשחת *al thaschcheth*. PSALMUS CANTICI. Vide dicta ad titulum Psal. XXIX.

V. 2. CONFITEBIMUR TIBI, laudabimus te.

V. 3. CUM ACCEPERO TEMPUS. Psalmus hic videtur esse compositus per modum dialogismi: itaque verba hæc sunt Christi, ut quæ superiori versiculo præcesserunt, sunt populi iustorum. CUM ACCEPERO TEMPUS; quasi dicat: Cum otium

otium

otium nactus fuero, cum fuerit tempus opportunum. IUSTITIAS IUDICABO: iuste, & recte iudicabo, LIQUEFACTA EST TERRA; quasi dicat: Terra sentiet iram meam, & timore hominum corda liquescent. Vel significat id quod dicitur II. Petr. III. 10. *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ea sunt opera exurentur*. EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EIUS; quasi dicat: Ego eius fundamenta ieci, & velut columnis stabilivi, quare & concutere eam mihi difficile non erit, cum voluero.

V. 5. DIXI INIQUIS, &c. Iam loquitur Propheta tamquam unus de numero iustorum. EXALTARE CORNU, superbire: nolite vos efferre contra Deum, & eius legem.

V. 6. LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM, in blasphemias erumpendo, aut sacra irridendo, &c. In Hebræo est: *Ne loquamini in collo pingui*, vel *in collo duro*; id est, nolite esse superbi, contumaces, dura cervice; sed Deo obedite, & illius iugo colla submittite.

V. 7. QUIA NEQUE AB ORIENTE, &c. subintellige, vobis erit evasio, vel quid simile. QUONIAM DEUS IUDEX EST: qui ubique est, & a cuius potestate nemo se potest subducere. HUNC HUMILIAT, ET HUNC EXALTAT, pro sua iustitia, & pro iudicandorum meritis, aut peccatis. Humilem exaltat, deprimit superbum.

V. 9. CALIX IN MANU DOMINI: calix iræ, & furoris sui. VINI MERI, generosi, & non diluti admixtione misericordiæ, aut favoris. PLENUS MIXTO; id est, plenus non simplici vino unius generis, sed mixtione variorum generum vini meri, qua mixtione non temperatur neque diluitur vis vini, sed fortius redditur. Id significat iustitiam Dei vindicativam abundare multitudine, & varietate pœnarum: nam, ut dicitur Psalm. x. *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC; id est, iam multis propinavit Deus hunc calicem iræ suæ; inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os; transtulit ad varias gentes, ut cum punivit Sodomitas, Chaldæos, AEgyptios, &c. VERUMTAMEN FAEX EIUS NON EST EXINANITA; id est, adhuc remanet gravissima pars iustitiæ vindicativæ; quæ servantur in diem ultimi iudicii, & tunc eam bibent omnes peccatores terræ.

V. 10. ANNUNTIABO laudes Dei.

V. 11. CORNUA PECCATORUM CONFRINGAM. Vox est Christi. Peccatorum superbiam contundam. EXALTABUNTUR CORNUA IUSTI: potentia, dignitas, gloria iusti exaltabitur.

TIRINI.

Vers. 1. NE CORRUMPAS. Hieronymus: *Ne disperdas*. Est initium cantilenæ alicuius, ad cuius tonum Psalmus hic cani iubetur. Ita Genebrardus.

V. 3. CUM ACCEPERO (Chaldæus, *elegero*) TEMPUS; id est, cum aderit tempus iudicandi, ab æterno præfinitum a Deo: (ita Symmachus, & Aquila) tunc IUSTITIAS, Hieron. & Chald. *iusta*, IUDICABO; id est, id quod iustum & æquum est decernam. Ita S. Hieronymus, & Theodoretus. In illo iudicii die

V. 4. LIQUEFACTA EST TERRA. Hieronymus, *dissolvetur*, instar ceræ ad præsentiam ignis, II. Petri III. EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EIUS; id est, ego solus sum qui nunc terram confirmo & stabilio quasi solidis columnis; sed tunc in die iudicii, subtractis illis columnis, totam dissolvam.

Allegorice columnas Ecclesiæ, Apostolos eorumque successores confirmat christus, inquit S. Augustinus.

V. 7. NEQUE AB ORIENTE, &c. supple, quisquam est qui possit a Dei ira, vel iudicio se, vel alium eripere, inquit Theodoretus.

V. 9. CALIX, id est portio & mensura pœnæ dimensa cuique a Deo, & necessario ebibenda. Dicitur *calix vini*, quia mentem hominis inebriat, & a se alienat. Dicitur *vinum merum*, quia aqua misericordiæ non est dilutum, sed innato sibi fervori atque energiæ relictum. Interim *plenum* est alio *mixto*, verbigratia fæcium, myrrhæ, fellis, veneni. Nam ultio divina, cum hominem serio deprehendit, plerumque non est unius generis, sed ex variis commixta. Ita S. Hieronymus, Augustinus, & Theodoretus. IN-

CLINAVIT, effundendo, vel *propinando*, ut vertit Hieronymus. EX HOC IN HOC, nunc in hanc, nunc in aliam partem, nempe ut OMNES PECCATORES suo vicissim ordine BIBANT. Sed quantumcumque multi, & multum bibant, numquam *exinanitur*, id est exhauritur, FAEX huius calicis; quasi dicat: Semper restabit sat multum quo mundum puniat Deus: immo extremas & amariores pœnas, quæ sunt quasi fæces infirmæ, reservat in futuram vitam. Ita iidem.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, NE CORRUMPAS, &c. Vide Psal. LV. At quid est, *Ne corrumpas*? apud LXX. *μὴ διαφθείρῃς*. In Hebræo est etiam verbum תשחת, corrumpere. De re tamen hic denotata per hunc titulum, non constat inter. Expositores, nisi quod argumentum Psalmi (ex occasione forte reditus populi a captivitate aliquam) hortetur ad perseverandum in bono, proponendo Divinum tandem iudicium ultimum. Vicissitudo loquentium est: nam nunc loquitur Propheta, nunc Deus, aut Christus, nunc etiam populus iustorum.

Vers. 1. ORditur in hoc Psalmo sermonem populus Dei electus, idque a confessione mirabilium Dei. Quod vero est in vers. 2. CUM ACCEPERO TEMPUS, Dei verba sunt. Ceterum quod est in Vulgato, & apud Septuag. INVOCABIMUS NOMEN TUUM; Hebræus habet; *Et propinquum nomen tuum*. Oportet ergo Septuag. legisse וקרו *vecaro*, & *invocare*: nisi quis velit explicare (quod habet Hebræus) nomen Dei esse propinquum ore, & mente (quod est quodammodo invocare) quando invocatur.

V. 3. LIQUEFACTA EST TERRA. Hæc videntur dici a populo iustorum. Quod vero subditur, EGO CONFIRMAVI, in persona Dei est respondentis. Aliqui tamen volunt totum versiculum esse in persona Dei: placet prior sensus.

V. 5. DIXI INIQUIS. Nunc loquitur & deinceps Propheta usque ad versiculum 11. in quo Deus loquens concludit Psalmum.

V. 6. NOLITE LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM. In Hebr. est, *loquentes in cervice veteri*, vel *præfracta*: ubi non repetitur negatio: tamen manet idem sensus, dum ponitur participium *loquentes*. Septuag. & Vulgarus consentiunt: nec dissentit, ut dixi, Hebræus, si sensum spectes. Quid legerint Septuag. divinandum est.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. CONfitebor, &c. Totus hic Psalmus, qui proposito Dei iudicio, hortatur ad bene, id que perseveranter operandum, solum habet aliquam obscuritatem ex varietate loquentium, quam explicat quod subiicio.

V. 9. *Quia calix*, &c. Optimum ad vitanda peccata remedium est, sedulo expendere iudicia Dei, qui, prout vult, *hunc humiliat*, alium ad magna extollit, quem invenit humilem. Semper stat in manu Dei *calix vini meri*: est Dei iustitia vindicativa: nempe mensura ista est iustæ retributionis. Sed calix *plenus* est *mixto*, vario scilicet vino, & varietate pœnarum. Nec, dum vivunt mortales, *exinanita est*, & finita *fæx* calicis, sed servatur in diem iudicii; & tunc plene inde *bibent omnes peccatores*. Bibent certe fæces calicis, & iram acerbam.

BOSSUET.

Vers. 1. NE CORRUMPAS, ne disperdas, ut supra Ps. LVI. & aliis.

V. 2. ET INVOCABIMUS NOMEN TUUM: & prope est nomen tuum: tu præsens auxiliator. At Hier. *iuxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua*: te tantum extollent quam est nomen tuum inclytum, *Cum accepero tempus*, &c. Loquitur Deus Tempore opportuno recte iudicabo: iusta decernam.

V. 4. LIQUEFACTA EST TERRA: debilitata, exinanita defluxit ad nihilum, prævalente iniquitate.

V. 6. NOLITE LOQUI: *loquentes in cervice veteri*: Hier. id est in contumacia pridem genti insita.

V. 7. NEQUE A DESERTIS MONTIBUS; supple, veniet vobis auxilium.

V. 9.

V. 9. Calix in manu Domini, ultio, calix iræ, indignationis, Isa. LI. 17. 22. Calix mæroris, & tristitiæ, Ezech. XXXIII. 33. Vini meri. & hoc ad ultionem pertinet. Ebrietate enim, & dolore repleberis: Ezech. ibid. Et apud Ieremiam LI. 7. Calix aureus Babel in manu Domini: de eius vino bibent gentes. Plenus. Calix plenus, plenam ultionem designat. Calicem bibes profundum & latum: Ezech. ibid. Plenus mixto: *vino mero usque ad plenum mixtus*: Hier. In regionibus æstu torrentibus, ubi erant vina fervidissima, non bibebant, ac nequidem condebant (quod in usu est etiamnum per Italiam) nisi aliqualiter temperata: unde vulgaris potio Græcis κρᾶσις hoc est *mixtio*, dicebatur. Alii sic volunt intelligi, ut calicem Deus teneat non vino simplice, sed rebus aliis vino mero mixtis atque infusis plenum, quibus fiat nocentius. Et inclinavit: propinavit ex eo, calice scicitet: Hier. Faex eius ex hoc, &c. *fæces eius epotabunt*, &c. Hier. Bibes illum & epotabis usque ad fæces: Ezech. ibid. 34. Usque ad fundum potasti, usque ad fæces: Isa. LI. 17. Erat ergo illa mixtio quam Deus propinabit, & amplissima, pleno videlicet calice; & fervidissima, vinumque merum redolens; & turbida fæcibus, quam tamen ad imum haurire peccatores cogerentur, neque ullam partem divinæ ultionis effugerent.

PSALMUS LXXV. EUCHARISTICUS.

Victoria de hostibus parta: quales multæ fuere sub Davide, II. *Reg.* V. VIII. X. *Asaphus optimi Regis nomine Deo Israelis Epinicium canit.*

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
Victori in carminibus Psalmus Asaph Canticum.	1. In finem, in Laudibus, Psalmus Asaph. Canticum ad Assyrios.
COgnoscitur in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. Et erit in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion.	2. NOtus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. 3. Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.
Ibi confringet volatilia arcus, scutum, & gladium, & bellum. Semper.	4. * Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.
Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.	5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis:
Spoliati sunt superbi corde: dormitaverunt somnum suum, & non invenerunt omnes viri exercitus manus suas.	6. Turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.
Ab increpatione tua Deus Iacob: consopitus est currus, & equus.	7. Ab increpatione tua Deus Iacob dormitaverunt qui ascenderunt equos:

Tu

Tu terribilis es: & quis ſtabit adverſum te, ex tunc ira tua?	8. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua.
De cælo annuntiabit iudicium: terra timens tacebit.	9. De cælo auditum feciſti iudicium: † terra tremuit & quievit.
Cum ſurrexerit ad iudicandum Deus, ut ſalvos faciat omnes mites terræ. Semper.	10. Cum exurgeret in iudicium Deus, ut ſalvos faceret omnes manſuetos terræ.
Quia ira hominis confitebitur tibi: reliquiis iræ accingeris.	11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.
Vovete & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent dona terribili.	12. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro: * omnes qui in circuitu eius affertis numera.
Auferet ſpiritum ducum: terribili Regibus terræ.	Terribilis 13. & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud Reges terræ.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 4. *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum*. Retinendus eſt genitivus pluralis *arcuum*, non ſurrogandus accuſativus ſingularis *arcum*.

V. 12. *Omnes qui in circuitu eius affertis munera*, Legendum eſt *affertis* prima vocali, potius quam quarta *offertis*.

Lectionum Varietas.

V. 9. *Terra tremuit & quievit*. In aliis libris eſt *timuit* pro *tremuit*.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. IN FINEM, IN LAUDIBUS, vel *in carminibus*, &c. Hebr. *Victori* בנגינות *in nequinoth* (muſicis inſtrumentis) ut Pſal. IV. *Pſalmus cantici Aſaph*.

V. 3. ET FACTUS EST IN PACE LOCUS EIUS. Hebr. *in Salem*. Sic enim vocabatur ante Iuruſalem, Gen. IV.

V. 4. IBI CONFREGIT POTENTIAS. Hebr. *ſagittas arcus*. Septuag. τὰ κράτη τῶν τόξω Bellum autem vocat totum exercitum.

V. 5. ILLUMINANS TU MIRABILITER, &c. Hebr. *Celebrior & magnificentior es tu montibus prædæ*, id eſt excelſis, inacceſſis, ubi non habitant niſi prædones. Aut, *Clarior & illuſtrior* (factus es) *tu ex montibus prædæ*, id eſt ſpoliatis hoſtibus; quos montes propter ſuperbiam appellat, ut Iſai. LX. 4. *Omnis mons & collis humiliabitur*. Ita hæret quod ſequitur:

V. TURBATI SUNT, &c. Hebr. *Spoliati ſunt fortes corde*, id eſt ſuperbi. ET NIHIL INVENERUNT, &c. Hebr. *Et non invenerunt, viri potentiæ manus ſuas*, Iob XXVII. 19. *Aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet*.

V. 7. DORMITAVERUNT. Hebr. *Sopitus eſt* (extinctus) *& currus & equus*.

V. 8. ET QUIS RESISTET TIBI? Hebr. *Quis ſtabit ante faciem tuam? ex, tunc ira tua*; id eſt, ſimulatque cœperit excandeſcere ira tua.

V. 11. QUONIAM COGITATIO. &c. Hebr. *Quia ira hominis confitebitur*; id eſt, materiam præbebit laudibus tuis. & reliquias iræ conſtringes, aut, compeſces.

V. 12.

V. 12. OMNES QUI IN CIRCUITU EIUS AFFERTIS MUNERA. Hebr. *Omnes qui in circuitu eius estis: afferant munera terribili*.

V. 13. AUFERT SPIRITUM PRINCIPUM, &c. Hebr. *Coercet spiritum principum, terribilis* (est) *regibus terræ*.

S A.

De protectione Dei.

Vers. 1. AD ASSYRIOS, id est de victoria contra Assyrios.

V. 2. MAGNUM, scilicet esse agnoscitur; seu magni fit.

V. 3. PACE. Hieron. *Salem*. Chald. *Ierusalem*. LOCUS. Hieron. *tabernaculum*. Chald. *domus sanctuarii*.

V. 4. POTENTIAS, id est vires. Chald. *sagittas*. BELLUM, id est bellica instrumenta. Chald. *acies belli*.

V. 5. ILLUMINANS, id est adiuvans, seu favens. MONTIBUS, id est cælis. Nazianzenus, *ab Angelis*. AETERNIS, id est numquam interituris.

V. 6. INSIPIENTES, scilicet hostes. Hieron. *superbi*. SOMNUM, scilicet mortis. NIHIL, scilicet quo se defenderent. VIRI DIVITIARUM, id est divites, seu potentes.

V. 7. INCREPATIONE; quasi dicat, te obiurgante, & puniente. DORMITAVERUNT, id est mortui sunt.

V. 8. EX TUNC IRA TUA; id est, ex quo tempore fueris iratus, vel ex eo tempore quo cœperunt peccare, es illis iratus.

V. 9. AUDITUM FECISTI, id est pronuntiasti. IUDICIUM; quasi dicat, sententiam contra hostes. TERRA, id est terreni. QUIEVIT, scilicet a persequendo iustos.

V. 11. CONFITEBITUR, scilicet ob iustam iniquorum punitionem. ET RELIQUIAE COGITATIONIS; quasi dicat, & reliquæ cogitationes. AGENT, scilicet celebrando tuam iustitiam.

V. 12. IN CIRCUITU EIUS, id est circum altare eius. AFFERTIS: scilicet offerre soletis.

V. 13. AUFERT SPIRITUM, id est vitam, seu animam. Chald. *comprimit tumorem*.

E S T I I.

Vers. 8. TU TERRIBILIS ES, ET QUIS RESISTET TIBI? EX TUNC IRA TUA. Hoc Rupert. Lib. I. de Victoria Verbi Dei cap. XVI. sic exponit: *Non ex quo quisque peccat, sed ex quo tibi resistit peccator, ira tua vim suam exercet, cui resistere nemo potest*. Verum hoc modo rectius exponas: Adeo terribilis & potens es, ut nemo resistere tibi valeat, ex quo cœperit ira tua desævire. Sermo enim est eclypticus, ita supplendus: *Quis resistet tibi? ex tunc, cum ira tua fuerit commota*.

V. 12. VOVETE, ET REDDITE DOMINO DEO VESTRO. Hortatur ad vovendum, & reddendum; ita scilicet ut si voveas, necessitatis sit reddere, quemadmodum & aliæ Scripturæ declarant. Conantur hoc hæretici sic eludere, ut dicant ad tempus veteris Testamenti pertinere. Quibus respondemus: Si tunc gratum Deo fuit, tunc ingratum esse non potest; cum non pertineat ad cæremonialia, sed ad moralem Dei cultum. Sed circumstantiæ satis significant, esse quoque propheticam ad ecclesiam gentium pertinentem. Denique quod ait Christus Matth. XIX. *Sunt qui seipsos castraverunt propter regnum Dei*, non potest sine voto fieri. Itaque vota Deo placent.

M A R I A N AE.

Vers. 1. IN FINEM, IN LAUDIBUS (Hebr. *in neghinoth*) PSALMUS ASAPH, CANTICUM AD ASSYRIOS. Illud, *ad Assyrios*, Hebr. non est, neque in Octaplis, neque in Sept. ut ait Græcus Scholiastes, ac ne in Latinis Fabri. Quid *neghinoth*, superius est dictum, significare pulsationes, seu instrumenta, cum quibus hic Psalmus psallebatur. Hebr. sic: *Præfecto instrumentorum*, seu *pulsationum Psalmus Asaphi Canticum*. Vocatur *canticum*, quoniam ad modum cantici compositus fuit hic Psalmus. Ad cultum Dei omnes invitat.

V. 2. NOTUS IN IUDAEA DEUS: ibi se manifestabat, ibi colebatur.

V. 3. IN PACE. Hieronymus, *in Salem*, ut est Hebr. quod de Ierusalem Hebræi in-

intelligunt. Locus eius. Hieron. *tabernaculum eius*.

V. 4. Ibi confregit potentias arcuum. Hebr. *prunas, arcus*. Sic sagittas vocat propter spicula splendentia, quibus sunt præfixæ; id est, fregit hostiles exercitus in eo loco.

V. 5. Illuminans tu. Hebr. *illustris tu*. Mirabiliter. Hebr. *magnificus*. A montibus aeternis. Sic *montes*, ubi erat Ierusalem, propter stabilitatem vocat. Ergo illustris in iis montibus evasisti devictis hostibus. Hebr. a *montibus prædæ*, id est ubi hostium spolia diripuisti.

V. 6. Turbati sunt. Hebr. *spoliati sunt*. Omnes insipientes corde. Hieron. *superbi corde*. Dormierunt somnum suum: sic mortem vocat. Ergo non solum bonis sunt spoliati, sed etiam vita. Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus, scilicet spoliati rebus omnibus, & vita, Hebr. *& non invenerunt viri robusti*, aut *divites manus suas*, id est robur ad resistendum; vel, ut Sept. *manus suas*, pro *in manibus*: sæpe in lingua Hebr. supplentur præpositiones.

V. 7. Ab increpatione tua, id est propter tuam increpationem: sic vocat promissionem factam delendi hostes. Dormitaverunt qui ascenderunt equos Hebr. *consopitus est currus & equus*; id est, qui illis vehebantur perierunt. Sept. pro רכב *recheb*, id est *curru*, legerunt רכב *rocheb*, id est *equitans*, seu *ascendens equum*.

V. 8. Ex tunc ira tua, id est ab antiquo, eoque maior & acerbior.

V. 9. De caelo auditum fecisti iudicium, id est pronuntiasti sententiam ultionis: aut de cælo manifestasti concitatis tempestatibus. Terra tremuit et quievit. Hebr. *terra timuit, & siluit*. Non intulere amplius bellum Israeli terra; id est, terræ habitatores.

V. 10. Cum exurgeret in iudicium Deus. Sic stragem vocat qua facta quievit & siluit terra.

V. 11. Quoniam, pro sane. Cogitatio hominis: scilicet qui hæc cogitat, te laudabit. Hebr. *ira hominis laudabit te*: scilicet ira hostium a te compressa laudis argumentum erit. Et reliquiae cogitationis, id est finis. In eo desinet cogitatio, ut te celebret. Id vocat *diem festum agere*. Hebr. *& reliquias iræ cinges*, id est, facies, ne amplius hostis eam iram concipiat adversus Ierusalem.

V. 12. Vovete, et reddite, pro tam insigni beneficio. Omnes qui in circuitu eius, supple *estis*. In circuitu eius, id est qui eum colitis, illi altaris ut famuli. Affertis munera, pro *afferte*. Psalt. Gallicum Fabri, *afferent*. Hieron. *offerent*. Hebr. non dissentiunt, si Vulgatæ lectio ad hunc modum instituatur, legamusque *afferent*. Terribili, scilicet manus.

V. 13. Et ei, qui aufert. Hebr. *vindemiat spiritum Principum*, id est occidit eos. Terribili apud reges terrae. Hebr. *Regibus terræ*, scilicet iis incutit timorem.

MALVENDAE.

Vers. 1. In laudibus. Hebr. *In neghinoth*. Vide in Psal. IV. vers. 1. Psalmus canticum. Vide in Psal. XLVII. vers. 1. Asaph. Heb. *Ipsi Asapho*. Vide in Psal. XLIX. vers. 1. Volunt Psalmum ad tempora Ezechiæ referendum esse, quibus copiarum Sancheribi pars magna cælitus interfecta fuit: II. Reg. XIX. & II. Paralipom. XXXII. & Isaiæ XXXVII.

V. 2. Notus, id est celebris, nobilis, inclytus, famosus.

V. 3. In pace. Hebr. *in Salem*: hic enim pro nomine proprio urbis Ierusalem accipiunt, quæ dicta sit *Salem*. Vide Notas in Genes. XIV. 18. & Iosue x. 1. Locus eius. סוכו *succo, absconsio, cooperimentum, tectorium, tugurium, umbra, umbraculum, casa frondea, trichila, tabernaculum, eius*: nec sine emphasi, nam Dei magnitudini quantumvis ampla palatia, & augusta templa, trichilæ, ac casæ quædam viles ac frondæ sunt: sic in sequente voce. Vide de nominis ratione Notas in Levit. XXIII. 34. Et habitatio eius. Heb. *cavea, lustrum, habitaculum: stata, & constituta ædes eius*.

V. 4. Ibi confregit, id est, Ierusalaimis, & Tziione, unde misit Angelum suum Deus perditurum Assyriorum copias. Vide II. Reg. XIX. 35. *Confregit*; id est, hostes ita cæcidit, ut nullis militaribus armis uti possent, his vitam adimens,

meos, illis frangens animum, perinde atque si omnia ipsorum arma dissiluissent: metonymia. POTENTIAS ARCUUM. Heb. varie alii reddunt: 1. *volucres sagittas arcus*: 2. *volatilia ignita arcus*: 3. *iacula ignita arcus*: quo putant allusisse Paulum Ephesior. VI. 16. cum ait, *Tela ignita*: 4. *prunas*, vel *scintillas arcus*, id est arcus præ nitore scintillantes, & ignoscentes arcus, seu coruscos arcus: 5. *fulgetra*, *fulmina*, *præsteras*, *arcus*, id est celerrimas & acerrimas, volando adurentes, incendentes, inflammantes, proterentes omnia. Vocis רשף *rescheph* notionem exposuimus in Deuteron. XXXII. 24. Quidam vertunt *aculeos arcus*. POTENTIAS ARCUUM, SCUTUM, GLADIUM, ET BELLUM. Notant esse amplificationem; quasi dicat, potentissimum, instructissimum, & accuratissimum exercitum: synecdoche metonymica. Adiicitur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *ita factum est*; 3. *Vehementissime*; 4. O quam potens est divinum auxilium ad vindicandos suos ab hostibus!

V. 5. ILLUMINANS TU MIRABILITER A MONTIBUS AETERNIS. נאור *naor* faciunt participium Niphal verbi אור *or*. Diversimode ex Heb. explanant. I. *Luminosus tu*, *fortis plus montibus rapinæ*; id est clarior tu omnibus aliis regibus & principibus, qui sunt montes rapinæ, & omnia rapiunt, ac vastant; atque etiam ipso Sancheribo. II. *Illuminatus tu*, *& fortis plusquam illi qui sunt a montibus rapinæ*. III. *Splendidus es*, *& fortis præ montibus prædæ*. IV. *Conspicuus es*, *robustus*, seu *admirandus*, *montium prædæ*, sive *in montibus prædæ*. V. *Apparuisti maximus a montibus prædæ*; id est, declarasti admirabilem potentiam tuam in montibus Iudææ, innumeris copiis Assyriorum cæsis, & direptis. VI. *Clarior & magnificentior es tu quam montes prædonum*. VII. *Conspicuus apparuisti tu*, *& ferox in hostes magis quam ullus leo*, *vel ursus egressus ad prædandum e montibus*, *qui receptacula esse solent rapacium animalium*. VIII. *Conspicuus es*, id est *epiphanes*, *illustris*, & similis *robusto* leoni, qui est *in montibus prædæ*, id est ad prædam idoneis; quasi dicat: Illustris es ob partam victoriam, ut leo ob prædam. IX. *Illustrior es & magnificentior quam montes*, *in quibus laceratur*. X. *Illustris factus es*, *magnificus* (apostrophe ad Deum, inceptam narrationem illustrans) *ex montibus direptionis*; id est, nobilitata est maiestas tua ex eo maxime quod Assyriorum castra montes occupantia, diripienda tradidisti nobis; prout sequens versus explicat. Quidam faciunt nomen, seu participium verbi נאר *naar*, *corrumpens*, *perdens*, *destruens*, *abolens*, *discerpens*, *dilacerans tu amplissime præ montibus discerptionis*, id est præ omnibus feris quæ in montibus discerpunt: metonymia: qui sensus optime instituto convenit. Nonnulli, *montes prædæ*, intelligunt regna tyrannica, quæ rapinis & extorsionibus omnia complent, futura ipsa etiam rapinæ & prædæ aliis; quasi dicat: Quanto illustrius & magnificentius est regnum tuum tyrannicis regnis!

V. 6. TURBATI SUNT. אשתוללו *estcholalu* pro השתוללו *histcholelu*: *Despoliati sunt*, *in spolium in prædam se dederunt*, *spolio expositi*, *traditi sunt*. Exponunt, id est superstites ex clade, qui mane deseruerunt castra, & in fugam se proripuerunt: quin & interfectorum spolias ceperunt: vide II. Reg. XIX. 35. Formula Hithpahel ingentem vim spoliorum tum collectam indicat. DORMIERUNT SOMNUM SUUM, occisi ab Angelo centum octuaginta quinque milia, II. Reg. XIX. 35. ET NIHIL INVENERUNT OMNES VIRI DIVITIARUM IN MANIBUS SUIS. Hebr. *Non invenerunt omnes homines virtutis manus suas*. Alii. I. *Nec invenerunt viri fortes manus suas*; id est, Sancheribus, & principes eius mane surgentes, non invenerunt manus suas militares, seu manipulos, copias, exercitum: nam nocte interfecti fuerant ab Angelo: vel nihil manibus suis potuerunt efficere cuncti viri bellicosi. Aut manus suas promptas & expeditas non habuerunt ut se tuerentur, qui prius instructi erant arte bellica: nihil viribus suis profecerunt, quamvis bellicosi essent. II. *Et in nihilum rediguntur cum opibus suis omnes potentes*. III. Nec usui illis esse potuerunt, quamtumvis viri essent alioquin fortes, manus illorum. IV. *Adeo ut non invenerint ulli viri bellatores manus suas*, his prostratis, illis se in fugam conîicientibus. Vide II. Reg. XIX. quomodo nihil plane adversus Ierusalaima tentare potuerint, quod hic dicitur *invenire manus suas*,

suas, sed præventi, & attriti fuerint manu Dei. Possis exponere: Nihil omnino suffecerunt, nihil opis, roboris, potentiæ, facultatis attulerunt viris fortibus manus ipsorum. Sic enim sumi solet verbum inveniendi, nonnumquam. Vide in Psal.xx. 9. *Viri divitiarum*. Hebr. *viri strenuitatis*, *virtutis*, seu *copiarum*, *opum*, id est viri bellicosi, militares: nam etiam olim apud Latinos, opes dicebantur milites. Servius ad illud AEneidos VIII.

Auxilio dimittam lætos, opibusque iuvabo,

iniquit: *Opibus, id est militibus, opes antiqui vocabant, milites*. Hinc sæpe illud apud Ennium, & Virgilium,

Magna nituntur opum vi.

V. 7. AB INCREPATIONE ;TUA, DEUS. Exponunt, Id est potente verbo tuo, & nullo negotio; prout denuntiaverat Iesaias II. Reg. XIX. 20. & seqq. DORMITAVERUNT, QUI ASCENDERUNT EQUOS. Heb. *consopitus est & currus & equus*. Explicant Id est quisquis valebat robore, antecessor, & princeps in castris regis Assyriæ, I. Paralip. XII. 21. hi enim maxime curribus, & equis vehi solent: synecdoche. Alii collective accipiunt, Id est omnes currus, seu omnis curraturra falcatorum, & omnis equitatus.

V. 8. ET QUIS RESISTET TIBI; EX TUNC IRA TUA? Quidam reddunt: *Et quis consisteret coram te ex quo irasceris?* locus communis de imbecillitate rerum creatarum adversus iratum creatorem suum. Alii: *Et quis stabit coram te, simul atque exarserit ira tua?* Aliqui: *Et quis subsistere poterit coram te, ubi iratus fueris?* Nonnulli: *Quis enim constet in conspectu tuo, cum irasceris?*

V. 9. DE CAELO AUDITUM FECISTI, &c. Hunc versum quidam dilucidius ita ex Hebr. reddunt. I. *Cum de cælo iudicium pronuntias, iam tellus timet ac tacet*. II. *Efficies ut e cælo audiant æquitatem iudicii: quod ubi factum fuerit, metuent sibi quicumque terram inhabitant, nec mutire contra audebunt*. III. *E cælo fecisti audire iudicium: terra timuit, & siluit*. Explicant: De cælo venit iudicium, cum Angelus centum octoginta quinque millia interfecit: & tunc cum primum Ierusalem timuit Sancheribum, postea tranquilla fuit, & absque prælio rem confecit. Allusum putant ad tonitrua, fulgura, & id genus alia, quæ in cælo fiunt, quibus Deus terram tremefacit. IV. *E cælis facis ut audiatur sententia: terra timet, & quieta sidit*: ergasia superioris versus ab exemplo totius terræ: quod metaphorice exponit Psaltes, Deum cum iudice terreno comparans, hoc, & sequente versu: nam Deo exercente iudicium, omnia pavent ad nutum eius.

V. 10. OMNES MANSUETOS TERRAE. Hic additur *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Maxime*; 4. O magnam Dei virtutem iudicantis, & vindicantis suos!

V. 11. QUONIAM COGITATIO HOMINIS CONFITEBITUR TIBI. Hebr. *Quia æstus iræ*, vel *ira hominis, confitebitur te*; id est, ira Sancheribi adversus Ierusalem materia ampla fuit, exercitu eius a te deleto, & ipso profligato, celebrandi te. II. *Ob eam vindictam homines confitebuntur tibi*. III. *Honori profecto tibi erunt qui ira conciti temere contra te in prælium prodierunt: peribunt enim*. IV. *Etenim furor hominis cedet in laudem, tuam*, cum tantus exercitus cæsus, & dux profligatus fuit. V. *Nam æstus hominum celebrat te*; id est, æstuantes & insolescentes adversum te homines coercentur iudicio tuo, ac proinde materiam præbent celebrandi tui. Hic primus usus sententiæ Dei, de qua vers. 9. ET RELIQUIAE COGITATIONIS DIEM FESTUM AGENT TIBI. Varie ex Heb. exponunt. I. *Reliquias irarum cinges*; id est, reliquos Iudæorum hostes quasi ligando cinges, seu compesces. II. *Quod reliquum est furorum constringes*; quasi dicat: Velut vinculo cohibebis, ne quis tibi posthac irascatur. III. *Ut iterum accingaris ad vindicandum*. IV. *Et si quid minarum hostilium reliquum fuerit, id tu vendicabis tibi, & te illi oppones, ne terreantur tui*: vel, *Ad id contundendum, & confringendum te accinges, & hostes piorum funditus vertes*. V. *Residuo æstuum accingis tuos*; id est, circumvallas & munis populum tuum, quem ex hostium tuorum æstu reservasti. Respicit autem ad prophetiam, quæ habetur II. Reg. XIX. 30. & 31. ac proinde utitur eadem voce. Et hic est alter usus sententiæ Dei, bonorum salus.

V. 12. VOVETE, &c. Indicit vota, & sacrificia pro victoria. OMNES QUI IN CIRCUITU EIUS; subaudi, estis. Quidam: *Quot-*

Quotquot habitatis circa illum. Alii: *Omnes qui in hoc cœtu adestis*. Nonnuli: *Quicumque circumstant illum*. AFFERATIS MUNERA TERRIBILI. Hebr. futurum: *Sensim, & cum pompa*, seu *iubilo deducent* (proprie, *iubilabunt*) *munus terribili*: quod factum fuisse observant II. Paralip. XXXII. 23. מורא *mora* quidam concretum esse volunt, *metuendo*, *timendo*, *terribili*, *formidabili*, *venerando*, *colendo*; ut sit epithetum Dei. Alii abstractum, *timori*, *terrori*; ut sit nomen Dei. Sic Genes. XXXI. vers. 42. Deus dicitur *Pavor*: vide Notas ibi. Aliqui exponunt: *Adducent meum* Iehovæ *cum timore*, *veneratione*, *cultu*, *religione*.

V. 13. QUI AUFERT SPIRITUM PRINCIPUM. Varie alii ex Hebr. I. *Prohibebit spiritum principum*; id est, cohibebit animum principum a pugnando contra Ierusalaim. II. *Vindimiabit*, *succidet*, *ut racemos*, *spiritum principum*; id est, adimet illis vitam. III. *Qui intercipet spiritum principum*, id est qui adimit illis animos. IV. *Qui vindemiat spiritum antecessorum*; id est, propter suos, ut suos tueatur, potentibus illis vitam momento, & nullo negotio adimit. II. Paralip. XXXII. 21.

MENOCHII.

Vers. 1. IN LAUDIBUS. Idem est quod in carminibus, vel in hymnis: vide dicta ad tit. Psal. IV. PSALMUS ASAPH. Vide dicta in titulo Psalmi IV. AD ASSYRIOS. Propter hanc inscriptionem putant aliqui cani prophetice internecionem exercitus Sennacherib, IV. Reg. XIX. & sane multa cladi illi conveniunt; sed argumentum latius patere videtur, & generatim celebrari victoria electorum Dei adversus omnes hostes visibiles, & invisibiles.

V. 2. NOTUS IN IUDAEA DEUS. Nam apud illam gentem veri Dei notitia, & cultus vignit. Notus in Ecclesia, quæ constat ex veris Iudæis, hoc est Deum confitentibus. MAGNUM NOMEN EIUS, celebre, & inclytum, quia Deus verus habebatur, & quia multa mirabilia, & memoranda patraverat in gentis illius bonum.

V. 3. FACTUS EST IN PACE LOCUS EIUS: habitationem sibi delegit in *Salem*, quæ vox pacem significat. In urbe pacifica Deus sedem habet, hoc est in Ecclesia, in qua est pax Christi diffusa in corda fidelium. IN SION, in monte Sion, in Ecclesia, cuius typus fuit mons Sion.

V. 4. CONFREGIT POTENTIAS ARCUUM, &c. Convenit hoc victoriæ de Assyriis, cuius facta est mentio in titulo: nam liberavit Deus Ierusalem ab obsidione Sennacherib, sine ulla pugna Iudæorum. Sensu sublimiore per iacula ignita, & gladios, &c. significantur arma, hoc est tentationes, quibus spirituales hostes nos aggrediuntur.

V. 5. ILLUMINANS TU MIRABILITER A MONTIBUS AETERNIS. Confregit Dominus arma Assyriorum, ille autem Dominus tu es qui hæc fecisti, dum ex cælis quasi ab æternis quibusdam montibus tuis, ac veluti altissima in arce, ac specula tua mirabiliter fulgurasti, & Angelum tuum tamquam cæleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum.

V. 6. TURBATI SUNT OMNES INSIPIENTES CORDE: omnes milites Sennacherib obstupefacti, & de statu mentis deiecti sunt. DORMIERUNT SOMNUM SUUM: mortui sunt. NIHIL INVENERUNT, qui aliena rapere studebant, suis non contenti, licet essent ditissimi, quare etiam appellantur VIRI DIVITIARUM, scilicet multarum. Sublimiore sensu hæc intelliguntur de insipientibus, qui magni faciunt bona temporalia, quibus vacui erunt cum dormierint somnum mortis, neque enim hinc quidquam licebit efferre.

V. 7. AB INCREPATIONE TUA, propter minas, & animadversionem tuam in eos, DORMITAVERUNT, extincti sunt. QUI ASCENDERUNT EQUOS: equites assyriorum, & qui de curribus iuxta ævi illius morem pugnabant.

V. 8. EX TUNC IRA TUA: ex quo tempore desævire cœperit ira tua. Vel sensus est: Ira tua est pridem concepta contra hostes Sion, & inveterata; ideoque maxima.

V. 9. DE CAELO AUDITUM FECISTI IUDICIUM. E cælo tu pro nobis protulisti iustum iudicium, illudque omnibus gentibus auditum fecisti, cum palam cælesti virtute tua pro nobis pugnasti. Altiori sensu videtur iudicii extremi dies indicari, cum Deus signis in sole, & luna exhibitis, iudicium iam imminere significabit. TER-

RA TREMUIT: homines terram incolentes timore concutientur. ET QUIEVIT. Non de laboribus, & operibus loquitur, sed de taciturnitate, & silentio ob timorem.

V. 10. CUM EXURGERET IN IUDICIUM DEUS, contra Assyrios, vel contra humanum genus, scelera eorum vindicaturus. MANSUETOS, humiles.

V. 11. QUONIAM COGITATIO HOMINIS CONFITEBITUR TIBI. Sane homines tam insigne beneficium liberati populi animo reputantes laudabunt te. RELIQUAE COGITATIONUM, &c. & effectus cogitationis huius beneficii, lætitia nimirum, quæ pectus tuum pervadet. DIEM FESTUM AGENT TIBI: ita te afficiet ac si festus dies esset, qui hilariter transigi consuevit.

V. 12. VOVETE, ET REDDITE, &c. In tanti ergo beneficii memoriam, & actionem gratiarum, vos omnes Israelitæ spontaneas oblationes illi vovete, & cum voveritis, fideliter eas repræsentate. IN CIRCUITU EIUS; id est, vos omnes qui frequentatis aras Domini, & in circuitu altaris existentes offerre munera soletis.

V. 13. SPIRITUM, fastum, arrogantiam, animositatem: vel certe spiritus vitam significat: sic Psal. CIII. dicitur: *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur*. TERRIBILI APUD REGES TERRAE: ei, qui etiam Regibus est formidabilis.

T I R I N I.

Vers. 1. CANTICUM AD ASSYRIOS. Sic Psalmus inscribitur, licet hic titulus in Hebræo, Chaldæo, in Octaplis, & plerisque Græcis non habeatur.

V. 3. IN PACE. Appellativum pro nomine proprio: Hieronymus enim vertit, *in Salem*; Chaldæus, *in Ierusalem*, quod significat *visionem pacis*. FACTUS EST LOCUS EIUS, nempe tabernaculum & templum Dei, in quo quasi habitabat, ut mox sequitur.
Allegorice est Ecclesia; tropologice anima sancta, cuius passiones omnes quietæ & rationi subiectæ; anagogice cælum, inquit S. Hieronymus, & Augustinus.

V. 5. ILLUMINANS TU, &c. Id est, tu o Deus, nos in tenebris obsidionis Sennacherib mirabili ope & favore tuo, quasi nova luce ac sole exilarasti, A MONTIBUS AETERNIS, id est ex cælis; supple, nobis suppetias mittens. Ita Euthymius. *AEternis*, id est antiquis a mundi exordio, & in æternum duraturis. Nazianzenus id de Angelis exponit, quorum manu cæsi sunt Assyrii. Allegorice S. Hieronymus, & Augustinus de Apostolis.

V. 6. INSIPIENTES, Hieron. *superbi*, CORDE, id est Assyrii, qui tam stulte & superbe se iactitant, Deumque blasphemarant. DORMIERUNT SOMNUM SUUM, id est mortem ab Angelo noctu immissam: ET NIHIL speratæ ex Iudæis prædæ, inquit Euthymius: vel potius nihil armorum quibus se adversus mortem tuerentur, INVENERUNT IN MANIBUS. Ita fere Hieronymus, & Chaldæus.

V. 7. AB INCREPATIONE TUA, id est te, DEUS, increpante, id est puniente, DORMITAVERUNT, somno mortis oppressi, QUI ASCENDERUNT EQUOS, id est equites Assyrii.

V. 8. EX TUNC, id est simulatque blasphemarunt te Assyrii, exarsit in eos IRA TUA. Theodoretus, Euthymius, Vatablus, & Iansenius.

V. 9. DE CAELO AUDITUM FECISTI, id est pronuntiasti palam, audiente toto cælo, IUDICIUM, id est sententiam contra hostes, quam mox executioni mandasti per Angelum. Ita iidem. Tunc TERRA, id est habitatores terræ *tremuerunt*, & *quieverunt*, id est silentes obstupuerunt.

V. 11. COGITATIO HOMINIS, scilicet furibunda, irata: est enim Hebraice *furor, ira*, ut vertit Hieronymus; quasi dicat: Irati & furibundi hostes, qui antea nil nisi malum nobis inferre cogitabant, iam mitescent, & *confitebuntur* TIBI; id est, laudabunt te Domine. Et si quæ supersint in iis RELIQUIAE furibundæ cogitationis, hæ quoque visa hac tua ultione Sennacherib, mutabuntur, & DIEM FESTUM AGENT TIBI; id est, omni cum lætitia laudabunt te. De morali sensu, vide S. Augustinum, & Bernardum *a*. Anagogice, in die iudicii omnis cogitatio se ipsam revelabit Deo iudici.

V. 12. IN CIRCUITU EIUS, id est circum altare Dei, AFFERTIS, id est afferre soletis, MUNERA.

V. 13.

V. 13. Spiritum, id est vitam; Chald. *tumorem spiritus*.

(a) Bern. ferm. lxii. in Cant.

GORDONI.

Titulus est: In laudibus, Psalmus Asaph, &c. Vide Psal. lx. & lxvi. Sed verba illa, Ad Assyrios, non habentur in Hebræo. Septuag. πρὸς Ἀσσύριον. Multi cum Euthymio, & Theodoreto referunt argumentum huius Psalmi ad victoriam Ezechiæ de Sennacherib, per modum vaticinii. Vide historiam IV. Reg. cap. xix. & II. Paralip. iii. Sed insuper in spiritu prædicitur victoria iustorum contra illecebras huius vitæ. Hoc Paraphrasis argumentum prosequitur.

Verf. 1. Notus in Iudaea Deus, &c. Sistendo in iam designato sensu ad litteram, docent sacræ historiæ veteris Testamenti, quam sit manifestata Dei potentia, & maiestas erga populum Israelicum, & præsertim in illa citata victoria Ezechiæ: & eo facile referri possunt quæ habent infequentes versiculi. Sensum vero alterum de Christo, & Ecclesia satis attingit Paraphrasis.

V. 5 Illuminans tu... a montibus aeternis. Septuag. φωτίζεις, *illuminas*, & ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων. In Heb. pro *æternis*, est טרף *tereph*, & prædam significat, aut captivitatem, ut legas *præ montibus prædæ*. Putantur Septuag. hic legisse טרם *terem*, *ante*; ut dictum sit *a montibus ante*, pro *montibus æternis*, seu præ montibus ante factis, & ab initio.

V. 7. Ab increpatione, &c. A versu præcedente attingit sensu litteræ mortem Assyriorum, qui ascenderunt equos, οἱ ἐπιβεβηκότες τοῖς ἵπποις. Heb. *currus & equus*. Hinc Septuag. non legerunt *currus*, seu רכב *recheb*, sed רכב *rocheb*, *eques*. Legerunt ergo *equus & eques*; & una voce dixerunt ἐπιβεβηκότες.

V. 11. Quoniam cogitatio hominis. Heb. חמה *chama* non tantum significat *iram*, ut vertit Hieronymus, sed etiam *cogitationem*, ex hac versione, & auctoritate Septuag. Interpretum. Porro quod est hic in Heb. תחגר *tahgor*; Septuag. legerunt תחגג *thachgog*, a radice חגג *chagag*, *festum agere*.

Eiusdem Paraphrasis.

Verf. 2. usq. ad 6. Notus, &c. In hac quæ prædicitur futura Ezechiæ victoria, seu etiam futura victoria Christi, & Ecclesiæ; exordium dicendi sumitur a notitia de Deo habita illustriore in Iudæa, & in continuata per Christum Ecclesia, quam (iuxta duos sensus datos) Deus sibi fecit peculiarem sedem, & habitationem: ubi reportando victoriam, confregit totam inimici potentiam, feliciterque debellatum est, utroque, inquam, sensu: nimirum tum misso Angelo in exercitum Sennacherib, (ubi *turbati sunt insipientes* Assyrii, velut fulmine misso a montibus æternis, & cælo) tum altero sensu referendo hoc ad Christum victorem.

V. 6. usq. ad 11. *Dormierunt*, &c. Sensus est: Cesi sunt Assyrii; & quamvis essent ditissimi, *nihil invenerunt* ex divitiis vel suis, vel alienis post mortem. Illustrior etiam sensus est de his qui in Ecclesia Christi rapiuntur amore divitiarum in peccata, & male pereunt: tanta scilicet est, ut subiungit, & tam potens increpatio divina: *terribilis* enim est ira Dei *ex tunc*, seu ex quo tempore semel incipit, & quando apparere facit Deus in terris iudicium suum, pugnaturus pro mansuetis corde, & innocentibus.

V. 11. 12. & 13. *Quoniam*, &c. Merito ergo, Domine, confitebuntur mirabilia tua, & agent dies festos in laudem nominis tui. Concludit hortando omnes ad vota in honorem Dei emittenda, & illi terribili Deo, qui quando vult, *aufert spiritum principum*; sane apposite ad hoc quod dicitur hic de hoste debellando: ipse enim quando vult, spiritum eorum reprimit, & aufert audaciam: vel etiam *aufert spiritum*, hoc est extinguit. Augustinus in hunc locum belle approbat vota virginitatis, & similia, quæ sunt de rebus non imperatis a Deo, contra falsam doctrinam Novatorum, qui talia reiiciunt.

BOS-

BOSSUET.

Verf. 1. AD Assyrios deeſt quidem in Hebr. ſed repeti potuit, Aſſyriis ſub Ezechia per Angelum cæſis.

V. 2. In Iudaea, *in Iuda*, Hebr. Magnus quidem Deus in univerſo Iſraele; ſed maxime Iudæ notus iam regiæ tribui, ac Davidis victoriis nobilitatæ.

V. 3. In pace, *in Salem*, Hebr. quæ eſt Ieruſalem, Gen. xiv. 18. a pace ſic vocata Hebr. vii. 2. Locus eius, propter arcam eo a Davide translatam, & in Sione collocatam.

V. 4. Ibi confregit potentias, *volatilia arcus*, Hier. ſagittas. Inde nobis auxilium quibus arma hoſtium vireſque confregimus: ibi arma & manubias hoſtium in memoriam præſtiti a Deo auxilii conſecravimus: quod factum a Davide I. Reg. viii. 7. 11. 12. &c.

*V.*5. Illumnians tu mirabiliter: *Lumen tu es*, &c. Hier. a quo illuſtramur ingente gloria. A montibus aeternis, cælis: *a montibus captivitatis*, Hier. alii, prædæ: a montibus Syriæ, & aliorum, quibus olim prædæ fuimus. Inde ergo nobis lux, ubi quondam captivi fueramus: Iudic. ii. iii.

V. 6. Turbati sunt: *Spoliati ſunt ſuperbi corde*, Hier. Dormierunt somnum: inertes & veluti ſomnolenti: ſicut verſ. 7. Nihil invenerunt &c. *non invenerunt omnes viri exercitus manus ſuas*: Hier. velut in ſomnis magna moliri videmur caſſo conatu: tales hoſtium niſus. Notum illud Poetæ de Turno: *Ac velut in ſomnis* &c. AEneid. XII. ſub fin. Vel, Parte exercitus cæſa & ſomnum mortis dormiente, reliqui conterriti nec pugnare potuerunt. Simili comparatione uſus eſt Iſa. xxxix. 7. 8. Porro vulgatæ ſenſus obvius; ſed contextui parum congruit.

*V.*7. Dormitaverunt, &c. *Conſopitus eſt currus & equus*. Hier. id eſt, nihil egit: ceſſavit, evanuit.

V. 8. Quis resistet .... ex tunc: ex quo apparet ira tua: quis reſiſtet tibi? *quis ſtabit adverſum te?* Hier.

V. 9. Auditum fecisti: *Annuntiabis*: Hier. Terra tremuit, *timens tacebit*: Idem: te de cælo intonante.

V. 10. Mansuetos: Iſraelitas mites & humiles, unoque Deo nixos.

V. 11. Cogitatio hominis: *ira hominis*, Hier. confitebitur; id eſt, cedet in laudem tuam. Reliquiae cogitationis, *reliquiis iræ accingeris*, Hier. ut ornamento: tibi erunt decori. Senſus eſt: Qui prius iraſcebantur, & fremebant ſub hoſtili iugo, nunc tuas canunt laudes: ac ſi quid irarum dolorisque ſupereſt, tibi laudi vertet deletis ad internecionem hoſtibus.

V. 12. Affertis munera, *offerent dona terribili*: Hier.

V. 13. Spiritum: animum, conſilium. Sic Sauli, ſic Nabuchodonoſori, aliiſque ſuperbis ducibus Deus mentem eripuit.

PSALMUS LXXVI. CONSOLATORIUS.

Rebellante Abſalomo, Davide ad Domini iudicia contremiſcente, Aſaphus pii Regis nomine hoc carmen edidit. Certe ad verſum uſque 13. perſona quædam ſingularis inducitur, eaque quæ Pſalmos confecerit. Vide verſ. 7. ex Hebr. Reliquus Pſal. a verſ. 14. affl.cti reficit animum ex recordatione Dei populum ab AEgyptiaca ſervitute liberantis. Convenit etiam populo a Nabuchodonoſore afflicto, ex miraculis in ſuam olim gratiam factis ſpem erigenti.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro Idithun, Pſalmus Aſaph.

VOce mea ad Dominum exclamavi: voce mea ad Dominum, & exaudivit me.

In die tribulationis meæ Deum exquiſivi, manus mea nocte extenditur & non quieſcit: noluit conſolari anima mea.

Recordatus Dei conturbabar: loquebar in memetipſo, & deficiebat ſpiritus meus. Semper.

Prohibebam ſuſpectum oculorum meorum: ſtupebam, & non loquebar.

Recogitabam dies antiquos: annos ſæculorum.

Recordabar pſalmorum meorum: in nocte cum corde meo loquebar, & ſcopebam ſpiritum meum.

Ergone in æternum proiiciet Dominus, & non propitiabitur ultra?

Ergone complebit uſque in finem miſericordiam ſuam: conſummabitur verbum de generatione in generationem?

Numquid oblitus eſt miſereri Deus: aut complebit furore miſericordiam ſuam? Semper.

VERSIO VULGATA.

1. In finem, pro Idithun, Pſalmus Aſaph.

2. VOce mea ad Dominum clamavi voce mea ad Deum, & intendit mihi.

3. In die tribulationis meæ Deum exquiſivi, manibus meis nocte contra eum: & non ſum deceptus.

Renuit conſolari anima mea. 4. Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum: & defecit ſpiritus meus.

5. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus ſum, & non ſum locutus.

6. Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui.

7. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.

8. Numquid in æternum proiiciet Deus: aut non apponet ut complacitior ſit adhuc?

9. Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, a generatione in generationem?

10. Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?

Et

Et dixi, imbecillitas mea est: hæc commutatio dexteræ Excelsi.

Recordabor cogitationum Domini: reminiscens antiqua mirabilia tua.

Et meditabor in omni opere tuo, & adinventiones tuas loquar.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus ut Deus?

Tu es Deus faciens mirabilia: ostendens in populis potentiam tuam.

Redemisti in brachio populum tuum, filios Iacob & Ioseph. Semper.

Videntes te aquæ Deus, videntes te aquæ parturierunt: & commotæ sunt abyssi.

Excusserunt aquas nubila, vocem dederunt nubes, & sagittæ tuæ discurrebant.

Vox tonitrui tui in rota, apparuerunt fulgura tua orbi: concussa est & commota est terra.

In mari via tua: & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non sunt agnita.

Deduxisti quasi gregem populum tuum: in manu Moysi & Aaron.

11. * Et dixi: Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.

12. Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

13. Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinventionibus tuis exercebor.

14. Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? 15. Tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: 16. Redemisti in brachio tuo. populum tuum, filios Iacob, & Ioseph.

17. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

18. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: 19. Vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

20. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.

21. Deduxisti (*a*) sicut oves populum tuum, in manu Moysi & Aaron.

(a) Exod. xiv. 29.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 11. *Et dixi*: *Nunc cœpi*. Non mutes personam primam *cœpi* in tertiam *cœpit*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM, &c. Hebr. *Manus mea nocte extendebatur* נגרה (ad Deum) *& non est remissa*; quasi dicat: Tota nocte sine intermissione orabam.

V. 5. MEMOR FUI DEI, &c. Hebr. *Recordabar Dei, & tumultuabar*; id est, solicitudine angebar, vel vociferabar: *meditabar, & affigebatur spiritus meus*, *me deficiebat spiritus meus*; id est, orabam, donec spiritus meus deficeret.

V. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCU-

LI

LI MEI. Hebr. *Tenuisti vigilias oculorum meorum:* aut *apprehendisti palpebras oculorum meorum*; id est, non permisisti me dormire. TURBATUS SUM, &c. Heb. *Concussus sum & non sum locutus*; id est, adeo sum perturbatus, ut non potuerim loqui.

V. 6. ET ANNOS AETERNOS IN MENTE HABUI. Hebr. *saeculorum*; id est, superiorum temporum.

V. 7. ET MEDITATUS SUM NOCTE CUM CORDE MEO, &c. Hebr. *Et recordabar carminis mei*, scilicet quod canebam in rebus prosperis: *& in corde meo locutus sum, & spiritus meus scrutabatur* (quae sequuntur.)

V. 9. ABSCINDET A GENERATIONE, &c. Hebr. *Retrahet, colliget, & consumptum est verbum in generationem & generationem*; id est, an non loquetur nobis amplius.

V. 11. ET DIXI: NUNC COEPI, &c. Hebr. *Et dixi: Mors mea est haec*, id est perii, actum est de me. *Annos dexterae Excelsi recordabar, & operum Domini*; id est, consolabar me recordatione eorum temporum quibus Deus nobis benignus erat.

V. 12. QUIA MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM. Hebr. *Omnia memoria repetam a primo ad ultimum.*

V. 13. EXERCEBOR. Hebr. *Meditabar, loquebar de studiis tuis.*

V. 14. DEUS IN SANCTO VIA TUA; id est, Opera tua plena sunt sanctitatis; aut Tu es Deus, cuius opera sancta sunt; sicut statim dicit: QUIS DEUS MAGNUS SICUT DEUS NOSTER.

V. 18. MULTITUDO SONITUS AQUARUM, &c. Hebr. *Aquae nubium inundaverunt:* aut, *Nubes effuderunt aquas: vocem dederunt caeli*, id est tonuit. SAGITTAE TUAE TRANSEUNT; Hebr. *discurrerunt*, id est fulgura tua:

V. 19. VOX TONITRUI TUI IN ROTA, id est ut sonus rotae. Est enim sonus tonitrui persimilis sono rotae.

V. 20. ET VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR; id est, ambulas super mare, nec relinquis ullum vestigium.

SA.

De Dei ope in tribulatione.

Vers. 1. PRO IDITHUN. Hieron. *super Idithun*; quasi dicat, datus Idithun ad cantandum.

V. 2. INTENDIT MIHI. Hieron. *exaudivit me.*

V. 3. MANIBUS, scilicet extensis. CONTRA EUM, id est coram eo. RENUIT, scilicet ob peccata mea. Hieron. 11. contra Pelag. RENUIT CONSOLARI, scilicet extra Deum.

V. 4. DELECTATUS SUM, scilicet cogitans Dei misericordiam. EXERCITATUS SUM, scilicet meditando. DEFECIT, scilicet prae maerore, vel intentione meditationis fatigatus.

V. 5. ANTICIPAVERUNT, id est anteverterunt. VIGILIAS, id est vigiliarum custodes; quasi dicat: Ante illos surgebam, seu vigilabam. ET NON SUM LOCUTUS; quasi dicat, adeo ut loqui non possem, aut non liberet.

V. 6. DIES, scilicet quibus tuos eripere solebas. AETERNOS; quasi dicat, aeternam felicitatem. Hieron. *saeculorum*, id est superiorum temporum.

V. 7. SCOPEBAM; id est, velut fodiens scrutabar, vel verrebam; ut sit quasi dicat, *Scobebam*, vel *scopabam*.

V. 8. NUMQUID, scilicet dicebam apud me. COMPLACITIOR, id est placatior, seu propitius. Quidam legunt *complacatior*.

V. 9. IN FINEM. Chald. *in aeternum*. A GENERATIONE, &c. id est perpetuo. Repetitio.

V. 10. IN IRA, id est prae ira.

V. 11. COEPI, scilicet intelligere quod sequitur, nempe Deum uti vicissitudine nunc affligendo, nunc liberando: vel *coepi* aliter vitam instituere per Dei gratiam, vel sapere, vel respirare, seu recreari.

V. 12. QUIA MEMOR ERO; quasi dicat: Libenter enim recordor. AB INITIO, factorum.

V. 13. ADINVENTIONIBUS, id est consiliis.

V. 14. IN SANCTO, id est sanctitate. Chald. *sanctae*.

V. 15. VIRTUTEM. Hieron. *potentiam*.

V. 16. BRACHIO, id est potentia. ET IOSEPH. Chald. *quos enutrivit Ioseph*, scilicet in fame.

V. 17. TIMUERUNT; id est, velut timentes recesserunt, scilicet in mari rubro.

V. 18. SONITUS AQUARUM, id est pluviæ: scilicet solet te præcipiente decidere, vel olim decidit. VOCEM, id est tonitrua. ETENIM, pro etiam. SAGITTAE, scilicet fulgura, vel grando, aut fulmina. TRANSEUNT, id est transire solent. Hieron. & Chald. *discurrebant*.

V. 19. VOX, scilicet auditur, seu audita est. IN ROTA, id est mundo sphærico, vel in curribus Pharaonis. CORUSCATIONES. Hieron. *fulgura*. TERRA, id est terræ habitatores.

V. 20. MARI, scilicet rubro, cum populum tuum præcederes. NON COGNOSCENTUR. Hieron. & Chald. *non sunt agnita*, scilicet reducta in locum suum

V. 21. IN MANU. Chald. *per manum*, id est ministerium.

ESTII.

Vers. 10. NON CONTINEBIT IN IRA SUA MISERICORDIAS SUAS. Vide supra ad illud Psal. XXIV. *Universæ viæ Domini, misericordia & veritas*.

V. 12. MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM. Ordo est iste: Memor ero mirabilium tuorum quæ sunt ab initio, id est quæ ab origine mundi & deinceps fecisti. Et simile est illud: *Misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt*. Quamquam apud Septuag. non præfigatur articulus τῶν. Hebr. sic: *Recordabor quondam miraculi. tui*. Quod habet etiam eum sensum quem dixi.

V. 18. & 19. ETENIM SAGITTAE TUAE TRANSEUNT, VOX TONITRUI TUI IN ROTA. Multi sic exponunt, *In rota*, id est in sphæra & aere: est enim aer circularis figuræ. Immo & Augustinus sic exponit. Sed rectius fortasse, *In rota*, id est in turbine; qui est ventus vorticosus, & in orbem actus instar rotæ. Describit enim Psalmista tempestatem; quam quidem vehementissimam turbines illi concitare solent. Unde illud Virgilii AEneidos I.

... *Venti velut agmine facto*,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH. Hebr. *super Idithun*: sed *super* sumitur pro *ad*: sic Hebræus. Erat autem *Idithun* præcipuus inter cantores, cui hic Psalmus tradebatur ad decantandum. Se multis malis vexari conqueritur.

V. 2. MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM; id est, manus meas ad eum nocte extendo. Hebr. *Manus mea nocte defluxit*, sive *sparsa est*, scilicet ad Deum. ET NON SUM DECEPTUS: quia me scilicet axaudivit. Hebr. *& non remittitur*; id est, non cessat ab oratione mea manus.

V. 4. RENUIT CONSOLARI ANIMA MEA, nisi voti compos facta. MEMOR FUI DEI, cum Dei memoriam in precibus versarem. DELECTATUS SUM, ob spem consequendi quod volebam. Hebr. *tumultuatus fum*: scilicet præ cupiditate non quiescebam. ET EXERCITATUS SUM. Hebr. *meditabar*, sive *loquebar*. Id Sept. vocarunt *se exercere*, scilicet in precibus: iis vacare. ET DEFECIT SPIRITUS MEUS. Heb. *affligebatur*, scilicet auxilii petiti mora.

V. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS: quiescere & dormire præ solicitudine non poteram. Hebr. *Tenebas custodias oculorum meorum*. Et per *custodias*, palpebras Hebræi intelligunt, quia custodiunt oculos. Tenebas ergo eas, ne somno clauderentur. TURBATUS SUM. Hebr. *contritus sum*, atque ita ut non possem loqui.

V. 6. COGITAVI DIES ANTIQUOS. Silentii causa meditatio erat, qua antiqua tempora, & prodigia tunc a te facta cogitabam.

V. 7. ET MEDITATUS SUM NOCTE CUM CORDE MEO. Hebraice: *Recordabar cantici mei in nocte*; id est, Psalmos, quos composueram, tunc canebam. ET EXERCITABAR. Hebr. *meditabar*. Meditationem sæpe Sept. ἀδολεσχίαν Noster *exercitationem* vocat. ET SCOPEBAM. Sic Hieron. Græce, ἔσκαλλον, id est *sarriebam*, *fodiebam*: sic est in Bibliis Rom. & in Regiis. ἔσκαλλε, id est *sarriebat*. Sed priorem lectionem esse commodiorem, docet Hieronymus ad Suniam & Fretellam.

Quid

Quid est autem *scopere spiritum*, ut est in Vulgata, & Hieronymo? eum in bonis cogitationibus volutare. Hebr. *& scrutabatur spiritus meus*, scilicet quæ sequuntur. Sic etiam inter Græcos Theodotion dixit ἐξηρεύνησεν: eadem significatio *scrutandi*. Sic etiam Augustinus legit.

V. 8. NUMQUID IN AETERNUM PROIICIET DEUS? Hæcsunt quæ pescrutabatur.

V. 9. AUT IN FINEM, in perpetuum. A GENERATIONE IN GENERATIONEM, id est per omnes generationes, perpetuo. Repetitio. Hebr. *Defecit verbum ad generationem & generationem*. Verbum, inquam, promissionis factæ suis.

V. 11. ET DIXI: NUNC COEPI: scilicet tiro sum, Dei mysteria non intelligo. Hebr. *Et dixi*: *Imbecillitas mea*; id est, propterea id non intelligo. HAEC MUTATIO DEXTERAE EXCELSI: sic Hieron. id est, iam intelligo meas afflictiones a Deo proficisci.

V. 12. MEMOR FUI, aut ero. Sic me consolabor memoria operum Dei. QUIA MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM. Inverte, *mirabilium ab initio*, id est antiquorum. Soles momento temporis mutare vices.

V. 13. ET IN ADINVENTIONIBUS TUIS, prodigiis tuis. EXERCEBOR. Hebr. *meditabor*, aut *loquar*.

V. 14. DEUS IN SANCTO VIA TUA, id est in sanctitate. Hæc quæ subiicit, sunt Dei opera mira, quæ meditabatur. Dei opera esse sancta.

V. 15. IN POPULIS. AEgypto, & Chanaan fecisti notam. VIRTUTEM TUAM, robur. FILIOS IACOB. EX IOSEPH. Eius meminit præ aliis, quia ab ipso origo liberationis ex AEgypto.

V. 17. VIDERUNT TE AQUAE DEUS, maris rubri. ABYSSI; id est, aquarum profunditates sunt conterritæ. Prosopopœia.

V. 18. MULTITUDO SONITUS AQUARUM. Hebr. *Inundaverunt aquas nubes*. Itaque non solum aquis maris, sed & nimbis submersi videntur AEgyptii. VOCEM DEDERUNT NUBES: tonitrua dederunt nubes. SAGITTAE TUAE, fulmina. TRANSEUNT, pro transierunt.

V. 19. IN ROTA, pro *in rotis curruum*. Tonitrua videbantur currus invertere, & cursum morari. Aut in rotæ modum omni ex parte perstrepebant tonitrua. Aut *rota* sit cælum, quod movetur ut rota. Elias in Thisbi radice גלגל. Ergo *vox tonitrui in rota*, id est in cælo. ILLUXERUNT. Hebr. *Fulgura illuminarunt orbem*.

V. 20. IN MARI VIA TUA; id est, tu per mare ingrediebaris. ET VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR; id est, nulla remansere vestigia itineris, quippe per aquas, & mare.

MALVENDAE.

Vers. 1. PRO IDITHUN. Hebr. *Super Iedithunem*, vel *Iedutbunem*. Quidam, *Præfecto posteris Iedutbunis*. Vide in Psal. XXXVIII. vers. 1. & I. Paralip. XXV. 2. & 3. PSALMUS ASAPH. Vide in Psal. XLIX. vers. 1. Notant, hunc Psalmum esse didalcalicum, seu eruditivum, quo Propheta ostendit, primum quanta certamina subeat animus suus, cum premitur calamitatibus; deinde quibus modis & argumentis erigatur, ut Ecclesiam suo exemplo doceat.

V. 2. VOCE MEA, &c. Quidam hunc versum ita reddunt: *Vox mea ad Deum fertur, cum exclamo*, id est cum pressus afflictionibus fidem alienam implorare cogor. II. *Vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me*; quasi dicat: Cum affligor, & conflictatur animus meus, recordatione fœderis, operumque Dei revocor ad ipsum implorandum unum.

V. 3. MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM. Heb. *Manus mea nocte tracta fuit*. Alii. I. *Manus mea nocte mota est*, id est extensa ad preces. II. *Plaga mea nocte defluxit*, seu *defluebat*: metaphora ab ulcerosis plagis saniem continuo manantibus. III. *Vulnus meum per noctem recrudescebat*. IV. *Vacillabat totas noctes virtus mea*. V. *Manus mea nocte sparsa erat*; id est, dissoluta compage præ imbecillitate. VI. *Manus mea nocte perfusa fuit*; id est, præafflictionum gravitate madebant ex continua lacrymatione manus meæ, sive precando consererentur, sive adhiberentur ad abstergendos oculos. ET NON SUM DECEPTUS. Futurum תפוג *tapbugh* potest esse tertia persona feminea; *& non remittet se, non intermittet, non quiescet, non cessabit, non relaxabitur*, scilicet plaga, dolor, aut manus. Vel secunda masculea: *Et non remittes, non relaxabis, non debilitabis, non cessabis*, tu Domine ab affligendo me.

V. 4. MEMOR FUI DEI, ET DELECTATUS SUM; ET EXERCINATUS SUM, ET DE-

FECIT SPIRITUS MEUS. Diversimode alii Heb. I. *Recordabor Dei, & conturbabor: & collabetur spiritus meus.* II. *Recordabor Dei, & tumultuabor; loquetur, & extensim patietur spiritus meus.* III. *Recordabor Dei, & tumultuabar, inquietus eram, infremebam, loquebar, querulabar, & angustiis afficiebatur spiritus meus.* IV. *Dei memoriam, cum repeterem, fremebam; cum ordirer, deficiebat me spiritus meus.* V. *In memoria ergo habebo Deum, & eiulabo ad illum: loquar solicitudine conficiet spiritus meus.* VI. *Recordor Dei, cum fluctuando perstrepo*; id est, cum incertus animus huc illuc impellitur, & quasi undis agitatus, querulas voces emittit: metaphora: *cum obruit se spiritus meus.* Sic Psal. LX. 3. & CI. 1. & CXLI. 4. & CXLII. 4. Quidam reddunt: *Et operiebat se, obtegebat spiritus meus*; id est, ita ut oratione opertus prope fuerit spiritus meus, & pene obrutus; hoc est, totus fuit in oratione spiritus meus: vel ita ut plane passus sim deliquium præ vehementia orationis. Additur hic *selah*, id est, 1. *Semper*; 2. *Ita fiet*; 3. *Vehementissime*; 4. O ingentem vim calamitatum mearum!

V. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCULI MEI. Heb. *Apprehendisti, tenuisti, custodias, vigilias, palpebras oculorum meorum.* שמרות *semuroth* exponunt *custodias*: vocat autem Propheta palpebras, seu tegumenta oculorum hoc nomine, quia sunt velut custodiæ quædam oculorum. Plerique: *Tenuisti vigilias oculorum meorum*: hypallage; pro, *tenes vigiles*, vel *in vigiliis oculos meos*; id est, ita affligis, ut non possim dormire: vel, *Prehendidisti palpebras oculorum meorum*, ut non possim dormire. TURBATUS SUM, ET NON SUM LOCUTUS. Alii ex Heb. I. *Passus sum, & non loquar.* II. *Stupebam, & non loquebar.* III. *Perculsus sum, adeo ut loqui non possim.* IV. *Consternatus sum, contritus sum, nec loqui potui.* V. *Attonitus eram, ut loqui non possem.* VI. *Quæ res sic me conturbavit, ut ne loqui quidem amplius liberit.* VII. *Concutior, ita ut non possim eloqui*, vel vigiliis, morbo, vel doloribus & ærumnis.

V. 6. COGITAVI DIES ANTIQUOS: ET ANNOS AETERNOS, &c. Alii ex Heb. I. *Cogitavi dies ex principio, & annos sæculorum.* II. *Tunc supputavi, reputavi, recogitavi, reduxi in animum dies qui fuerunt a principio: & annos sæculorum*, id est pristinos, seu priscos. III. *Tunc reputabam mecum retro tempora, & annos priorum sæculorum.* IV. *Quare animo revolvi dies ab initio sæculi, & annos sæculorum superiorum*; id est, mecum considerabam tempora illa prisca, & sæcula antiqua, quibus Deus tam illustribus & vere divinis beneficiis affecerat gentem suam. Buchananus:

Tum mente versa volvere sæcula
Cœpi antecacti temporis, ac Dei
Numen bonis præsens, nec umquam
Auxilii miseris avarum.

V. *Repuso tempora, inde ab antiquitate, annos superiorum sæculorum*, id est administrationem superiorum temporum, ut sequentia dicent; sive universalem, hoc versu; sive singularem, sequente.

V. 7. ET MEDITATUS SUM. Heb. *Recordabar pulsationis musicæ meæ.* Alii. I. *Recordabar modulationis meæ*, vel *cantici*, seu *cantus mei*; id est, recordabar temporis quo præ gaudio ob res secundas canebam: in memoriam revocabam modulationes meas. II. *Reputabam carmina mea.* III. *Recordor musicæ pulsationis meæ*, id est antea acceptorum beneficiorum quibus dies noctesque excitabar ad celebrandum te. Synecdoche. ET SCOPEBAM SPIRITUM MEUM. Heb. *Et perscrutabitur, pervestigabit, renudabit, spiritum meum*, scilicet Deus. Et hoc est aptius. Alii: *Et perscrutabitur, perquiret, spiritus meus*, scilicet sequentia, vel dicens id quod sequitur. Heb. verbum est masculeum; *spiritus* plerumque femineum; sed interdum masculeum. Quidam: *Et erit animus meus in cogitationibus totus.* Non tam recte alii: *Et nudatus spiritus meus:* nam verbum est ex Pihel.

V. 8. NUMQUID IN AETERNUM PROIICIET: proprie, *removebit, elongabit, repellet, deseret*, &c. Vide Psal. XLII. 2. Hypotyposis confligtantis animi cum gravissimis & difficillimis necessitatibus, ac veluti disceptantis de fide & constantia Dei, hoc, & duobus versibus sequentibus. UT COMPLACITIOR SIT ADHUC? Varie alii ex Heb. 1. *ad volendum adhuc?* 2. *ut complaceat ultra?* 3. *ut bene velit adhuc?* sive *ut benignum se exhibeat, ut benevolus sit, ut placidus sit, ultra?* 4. *placatior fiat umquam post hæc?* 5. *aut non pergeret benevelle amplius?*

V. 9.

V. 9. A GENERATIONE IN GENERATIONEM? Hebr. addunt: *Consumptus est sermo in generationem & generationem?* Varie alii. I. *Complevit dictum generationi & generationi?* id est, absolvit dictum suum de extendenda gratia sua in omnes generationes? II. *Defecit verbum, eloquium, finem ne habet oraculum*, id est verbum consolatorium, *in generationem & generationem?* id est in omnes ætates? III. *Irritus ne factus est sermo, quo pollicitus est se consolaturum mæstos, non una tantum generatione, sed omnibus?* IV. *Et posteris loqui desinet?* V. *Desineret sermo*, id est promissio quam fecit suis, *in quamcumque generationem?*

V. 10. AUT CONTINEBIT IN IRA SUA MISERICORDIAS SUAS? Heb. *An contraxit, occlusit, repressit, in ira misericordias suas.* Adiicitur *selah*; id est, 1. *Semper, in perpetuum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Summe*; 4. Fieri omnino non potest, ut Deus miserationes suas subtrahat: vel, O quam amare animus eius conflictatur, qui putat se a Deo derelictum!

V. 11. ET DIXI: NUNC COEPI: HAEC MUTATIO DEXTERAE EXCELSI. Multifaria ex Heb. explanant. I. *Et dixi: Ægritudo mea ipsa, mutationis dexteræ Excelsi*; hoc est, ipsa afflictio quam patior, est veluti ægritudo curabilis mutationibus incrementi, status, declinationis potenti manu Dei. II. *Et dixi: Imbecillitas mea hæc mutationes dexteræ Excelsi.* III. *Et dixi*, seu *& cogitavi: Occidere meum*, id est *occidere*, vel *mors mea est*; id est, succumbam in hac calamitate; actum est de me: tunc recordatus sum *annorum dexteræ Excelsi*; ac si dicat: In tanta desperatione recordabar temporum quibus Deus dexteram suam exerabat succurrendo suis, versu sequente; quasi dicat: Quid multis verbis opus est? tanta est calamitatum magnitudo, ut aliquando de salute mea desperare cogar; sed in tanta rerum acerbitate unica erat consolatio memoria beneficiorum tuorum, quibus semper tuis opem fers. IV. *Et dixi: Ægrotare meum hoc, mutare est dexteræ Excelsi*; id est, ægritudo hæc mea, mutatio dexteræ Excelsi est. IV. *Tandem huc veniebam, ut dicerem: Satin sanus es? dextera Excelsi vices mutat.* V. *Profecto dicebam: Ad mortem usque cruciat me hæc recordatio superiorum annorum; quibus toties, & tam manifeste adfuit omnipotenti dextera sua, is qui supra omnia est Dominus.* VI. *Tandem dico: Infirmare me istud, mutata dextera Excelsi?* Altera hypotyposis resipiscentis, & seipsum reprehendentis animi; quasi dicat: Quid? Ego ne, cum seriem omnium temporum memoria repetens agnoscam perpetuum cursum beneficentiæ Dei, & vitam meam ante actam recolens, sentiam perpetuam fuisse erga me benignitatem ipsius; nunc demum cederem? & cum naturæ Dei, tum promissionum operumque obliviscerer, ubi semel manum suam mutat, hoc est rationem administrandi me? non patiar me infirmari hoc pacto, neque animo abiecto cedam præsentibus castigationibus. Elegantissima aposiopesis indignabundum animum exprimens. NUNC COEPI. חלותי *challothi* alii infinitum faciunt ex Kal cum affixo, a חלל *chalal*, id est *confodi, violari, interfici, occidi me*, vel *meum*. Plerique tamen, quod est rectius, infinitum Pihel, a חלה *chalah*, id est *ægrotare, infirmare, dolere, cruciari me*, seu *meum*; quod tamen pro nomine infinito capiunt, *ægrotatio mea, infirmitas mea*, &c. Aliqui reddunt: *Expectatio mea, mutationes dexteræ Excelsi*; id est, quod spero, est ut dextera Excelsi mutet sortem meam miseram. Deduxerunt a יחל *iachal*. MUTATIO DEXTERAE. שנות *schenoth* potest esse infinitum Kal, *mutari dexteræ*: vel nominaliter, *mutatio dexteræ*: vel nomen plurale, *annorum dexteræ*, ut subaudiatur *recordabor*, e sequente versu. Verum hunc locum aptissime verbis Hebraicis nos ita reddemus: *Ipsum ægrotare facere me*; id est, quod Deus me ægrotare facit tantis calamitatibus obruens, est *iterare dexteræ Excelsi*; id est, inde est quod sæpius in me Deus ictus repetat, & flagella iteret, quod plagas ingeminer.

V. 12. MEMOR FUI OPERUM DOMINI. Quidam: *Immo recordabor actionum Iah.* Subiectio officii quod præstare debet piorum animus, ubi rediens ad se confirmari cupit: nimirum ut opera Dei memoria colligat ad recreandum se, prout explicatur ad finem usque. QUIA MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM. Hebr. *Quia recordabor ab ante mirabile tuum.* Alii. I. *Quoniam recordabor ex principio se-*

separatum tuum, id est unumquodque e mirabilibus tuis, vel multitudinem mirabilium tuorum, quæ designavisti a principio mundi, vel populi Israelitici, II. *Reminiscens antiqua mirabilia tua*. III. *Memoria repetebam mirabilia facinora tua*, *quæ olim edidisti*, in liberandis patribus nostris ex AEgypto. IV. *Nam libens recensebo vetera miracula tua*. V *Memoria*, *inquam*, *repetam*, *quam miraculose olim ipse adfueris tuis*, *Deus*. VI. *Quin recordabor*, *inde ab antiquitate*, *quodque mirabilium tuorum*.

V. 13. ET MEDITABOR IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS, &c. Aliqui hunc versum ita reddunt: *Et meditabor de unoquoque opere tuo*; *de actionibus tuis confabulabor*, dicens. Alii: *Et omnia opera tua prædicabo*, *deque consiliis tuis disseram*. Nonnulli: *Animo volvebam & revolvebam omnis generis opera tua*, *& in recensendis consiliis tuis occupatus eram*.

V. 14. DEUS IN SANCTO VIA TUA. Quidam exponunt: Instituta tua & consilia tua in sanctitate, id est sanctimoniæ plena, sanctissima sunt. Alii: *Viæ tuæ*, id est opera tua, notæ sunt *in sanctuario*, seu *sacrario tuo*, id est in templo, vel cælo, inde exeris vim tuam. Nonnulli: *O Deus in sanctitate via tua* est; id est, administratio tua est sanctissima, potentissima, & summe admirabilis.

V. 15. NOTAM FECISTI IN POPULIS VIRTUTEM TUAM. Quidam: *Ostendisti in populis robur tuum*; id est, cuius potentiam omnes populi experti sunt, a quibus, per quos, & ad quos deduxisti servos tuos: ut docet historia Mosis in Lib. Genesis a cap. XI. ad finem usque.

V. 16. REDEMISTI IN BRACHIO TUO POPULUM. Alii: *Vindicasti brachio tuo*, id est robore & potentia tua: humanitus dictum. FILIOS, seu POSTEROS, IACOB, nimirum ex AEgypto, ut habetur Exod. XII. ET IOSEPH. Aliqui non in genitivo capiunt, ut subaudiatur *& posteros Iosephi*; sed in accusativo, *etiam Iosephum*, id est regnum ipsum Israelitarum; quod atrocissimis peccatis adeo te provocavit, ut iam plane a gratia tua, & spe restitutionis exciderit: sic accipitur Abdiæ vers. 18. Zachar. X. 6. & alibi: sic commendat Psaltes communia & singularia beneficia Dei. Rectius alii, *Et filios Iosephi*, id est Israelitas ipsos omnes; quorum hic pater dicitur Ioseph, quod eos in AEgypto tamquam pater nutriverit ac foverit. *Selah* addidit; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Maxime*; 4. O magnam Dei erga suos curam, & administrationem!

V. 17. ET TIMUERUNT. Hebr. *Dolebunt*, *dolore afficientur*, *enitentur*, *parturient*, *formidabunt*, *trepidabunt*. Quidam: *Viribus destitutæ sunt*. Notant esse hic periphrasticam descriptionem transitus per mare rubrum: in qua per prosopopœiam docet Psaltes quid mare, quid cælum, & terra fecerint ad imperium Dei. ET TURBATAE SUNT ABYSSI. Quidam: *Etiam commotæ sunt abyssi*, id est profundum mare discedens atque dividens, ut iter tuum sterneretur populo tuo, infra vers. 20.

V. 18. MULTITUDO SONITUS AQUARUM. Verbum זרמו *zoremu* quidam ex Pohel faciunt: *Inundaverunt*, *inundare fecerunt*, *raptim effuderunt*, *aquas nubes*. Alii ex Puhal: *Inundatæ sunt*, *eruperunt*, *præcipitaverunt*, *ruerunt*, *aquæ ex nubibus densis*. Vide Exod. XIV. 24. Nos vertimus, *Ut cataractæ ruerunt aquis nubes*, vel *aquæ e nubibus*: quia cum maximo impetu & fragore nubes ruebant impetuosissimum imbrem. VOCEM DEDERUNT NUBES. Quidam: *Sonum ediderunt superiores nubes*; id est, perstrepebant nimbi, & grandines. Aliqui hic sonum, seu vocem *tonitru* intelligunt. ETENIM SAGITTAE TUAE TRANSEUNT. Heb. *Etiam sagittæ tuæ ambulabunt*. Quidam: *Etiam pervaserunt sagittæ tuæ*. Alii: *Etiam sagittæ tuæ discurrunt*. Plerique fulgetra seu fulmina exponunt. Nonnulli: *Etiam calculi*, *lapilli tui ibant*, id est lapides grandinis, acuti instar lapidum sagittariorum. Aliqui: *Quin & grando copiose te iubente decidit*, *sagittis similis*. Buchananus:

.... grandinisque
Infremuit lapidosus imber.

V. 19. VOX TONITRUI TUI IN ROTA. Heb. I. *Sonitus tonitrui tui in rotunditate*, id est in aere, qui est formæ circularis. II. *Vox tonitrui tui in sphæra roboat*. III. *Auditur e cælo tonitru vehementer suorum*. IV. *Vox commotionis tuæ*, seu, *tonitrui tui in sphæra*, hoc est in horizonte cæli. V. *Sono tonitrui tui*, id est *sonante tonitru tuo*, *in isto orbe*, hoc est, in regione aeris.

ris. VI. *Vox tonitrui tui in turbine*, seu *in revolutione*. Ego reddiderim: *Vox*, sonitus, fragor, *tonitru tui in typhone*, vel *cum typhone*. Plinius Lib. II. cap. XLVIII. de repentinis flatibus: *Maiore vero illati pondere, incursuque, si late siccam rupere nubem, procellam gignunt quæ vocatur a Græcis Ecnephias: sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est, sine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur*, id est, vibratus *Ecnephias*. *Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens, versansque, & ruinam suam illo pondere aggravans, & locum ex loco mutans rapida vertigine*. Gellius Lib. XIX. cap. I. *Fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas Typhonas vocabant*. Et mire congruit notatio vocis Hebraicæ גלגל *galgal*, hic positæ, cum Typhone, quæ a convolutione, seu revolutione dicitur.

V. 20. IN MARI VIA TUA. Alii: *Per mare via tua*, id est quæ tibi soli patet, ac familiaris est: ut sequentia verba per exegesim commodissime explicant. ET VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR. Heb. *Non sunt cognita*, id est explorata & tentata ab ullo homine.

V. 21. IN MANU, vel PER MANUM, MOYSI, ET AARON, id est ductu, opera, ministerio, Mosis, & Aharonis.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO IDITHUN PSALMUS ASAPH. Aliqui volunt hunc ita inscribi, quod esset ab Idithun, & Asaph alternis canendus. De Idithun cantore diximus ad Psal. XXXVIII. de Asaph vero Psal. XLVI. Alii putant Idithun non esse nomen cantoris, sed vel instrumenti musici, vel modulationis alicuius, ad cuius formam Psalmus canendus esset; quæ explicatio placuit Bellarmino: nihil est certi.

V. 2. INTENDIT MIHI, *aures præbuit mibi*, ut est in Hebræo.

V. 3. MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM, Nocturno tempore expansis, & in cælum ad Dominum sublatis manibus eum quæsivi. NON SUM DECEPTUS: non fum mea spe frustratus. RENUIT CONSOLARI ANIMA MEA; cum adeo mærerem, ut anima mea nullam consolationem admitteret. Vel sensus est: Quantumvis blandirentur terrenæ voluptates, noluit inde gaudere anima mea, non ignorans eas secum trahere graviores tristitias.

V. 4. MEMOR FUI DEI, eius potentiam, sapientiam, & bonitatem in mentem revocans. DELECTATUS SUM. Hæc cogitans magno voluptatis sensu perfusus sum. EXERCITATUS SUM. *Precatus*, sive *meditatus sum*, ut est in Hebræo. DEFECIT SPIRITUS MEUS: suavitate consolationis tuæ liquefactus. Sic Psal. LXXXIII. dicitur: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*.

V. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCULI MEI; id est, noctu surgebam ad meditandum, antequam militares excubiæ vigilare inciperent. TURBATUS SUM. Calamitates, vel pericula huius vitæ reputando. ET NON SUM LOCUTUS: nihil ausus sum pronuntiare, sciens iustissima esse iudicia tua.

V. 6. COGITAVI DIES ANTIQUOS, tempora præterita mente repetens, & quæ olim beneficia populo Israelitico contulisti. ET ANNOS AETERNOS, vitæ futuræ. Vel est repetitio eiusdem sententiæ quæ habetur prima parte versiculi; & sensus erit, & annos a multis iam sæculis elapsos in mente habui.

V. 7. EXERCITABAR: meditabar, apud me loquebar. SCOPEBAM SPIRITUM MEUM. In Hebræo est, *Scrutabor spiritum meum*, ut etiam legit S. Augustinus. Quod autem in nostra versione dicitur, *scopebam*, non significat scopis mundabam, aut purgabam; sed scopis verrebam, & agitabam, & sic scrutabar spiritum meum, & veritatem indagabam; ut etiam mulier illa evangelica drachmam quærebat.

V. 8. NUMQUID IN AETERNUM PROIICIET DEUS? hoc est quod in meditatione sua cum animo suo volvebat. Num in æternum sua cura, & favore destruet nos Deus? AUT NON APPONET UT COMPLACITIOR SIT ADHUC? id est, numquid Deus non addet aliquando ad iram suam misericordiam, ut nobis reddatur placatior?

V. 9. IN FINEM, in perpetuum. MISERICORDIAM SUAM ABSCINDET: misericordiam suam tollet, & volet nos illius esse expertes. A GENERATIONE IN GENERATIONEM, in sequentia omnia sæcula.

V. 10.

V. 10. OBLIVISCETUR MISERERI DEUS. Idem repetit aliis verbis. CONTINEBIT MISERICORDIAS SUAS; id est, nos misericordiæ suæ participes non efficiet. IN IRA SUA, nobis iratus.

V. 11. ET DIXI post diuturnam meditationem: NUNC COEPI sperare, vel respirare, vel misericordia affici, vel Dei consolatione, vel quid simile. HAEC MUTATIO DEXTERAE EXCELSI. Hæc vicissitudo tribulationis, & consolationis, opus est divinæ providentiæ. *Digitus Dei est hic.*

V. 12. MEMOR FUI OPERUM DOMINI: memor fui eorum quæ olim gessit Dominus erga afflictos mei similes. QUIA MEMOR ERO: quin & memor ero: hæ enim particulæ, *quia*, *quoniam*, transitionibus non infrequenter inserviunt. AB INITIO MIRABILIUM TUORUM. Est ordo inversus: memor ero mirabilium tuorum, quæ olim ab orbe condito sæculis omnibus patrasti.

V. 13. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS: considerans opera iustitiæ, potentiæ, misericordiæ tuæ, &c.

ADINVENTIONIBUS TUIS, consiliis, & rationibus, quas inivisti, ut tuis opem ferres. EXERCEBOR, cogitando, & meditando.

V. 14. IN SANCTO VIA TUA, *in sanctitate*, ut est in Hebræo.

V. 15. NOTAM FECISTI, ostendisti, IN POPULIS, AEgypti, Chanaam, Arabiæ, Philisthæorum, VIRTUTEM TUAM, potentiam tuam, fortitudinem tuam.

V. 16. REDEMISTI, ex AEgypti servitute, IN BRACHIO TUO, potentia, & fortitudine tua, FILIOS IACOB, ET IOSEPH. Nominatur Ioseph, quia duæ tribus a duobus Iosephi filiis nomen habuerunt, Ephraim scilicet, & Manasse.

V. 17. VIDERUNT TE AQUE DEUS. Aquas maris rubri intelligit. Est descriptio poetica, quæ rebus inanimatis sensum tribuit. TIMUERUNT: præsentiam, & potentiam tuam timuerunt & quasi refugientes, iter populo per alveum maris paraverunt. ABYSSI. Abyssus est altitudo, sive profunditas aquarum.

V. 18. MULTITUDO SONITUS AQUARUM; id est, magnus fremitus maris successit, cum egresso iam populo, aquæ, quæ instar murorum steterant, magno impetu cadentes obruerunt AEgyptios. VOCEM DEDERUNT NUBES: tonitru, & fulgurationes dederunt ad persequentium terrorem. ETENIM SAGITTAE TUAE TRANSEUNT: sed & sagittæ tuæ, fulmina scilicet, fulgura, grandines, & huiusmodi e cælo decidebant.

V. 19. VOX TONITRUI TUI IN ROTA, pro in rotis: synecdoche numeri. In rotis AEgyptiorum erat, illas cum curribus subvertens. Vide Exodi XIV. Alii rotam, cælum figuræ rotundæ interpretantur, vel potius aeris sphæram & circulum: est enim aer formæ circularis. ILLUXERUNT CORRUSCATIONES TUAE ORBI TERRAE: e. micuerunt, & splendorem dederunt fulgura tua. COMMOTA EST, &c. Ipsa terra concussa est, & eius incolæ timuerunt.

V. 20. IN MARI VIAE TUAE: per ipsum mare ambulasti ante populum tuum. IN AQUIS MULTIS, quæ utrimque stabant dum transiret Israel. VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR, aquis iterum alveo, per quem ambulaveras, superfusis.

V. 21. SICUT OVES, ad modum gregis. IN MANU MOYSI ET AARON: ducibus Moyse, & Aaron.

TIRINI.

Vers. 1. PRO IDITHUN. Vide initio Psal. XXXVIII. et hoc hic repetitum sufficiat.

V. 3. MANIBUS MEIS, supple, extensis in oratione, CONTRA EUM. Græc. *coram eo*.

V. 4. EXERCITATUS SUM. Græce, *exercui meipsum*, scilicet in precibus, vel in meditatione mearum ærumnarum, & de modis evadendi: quos cum nullos reperio, DEFICIT SPIRITUS MEUS præ anxietate & mærore. Ita Theodoretus.

V. 5. VIGILIAS, id est *custodias*, seu vigilias nocturnas; quasi dicat: Ante ipsos vigiles evigilavi. Theodotion, & Aquila: *Ante lucem evigilavi*, eo quod præ mærore & anxietate animi dormire non possem.

V. 6. DIES ANTIQUOS, id est præterita tempora, quibus mirabili favore solebas iuvare populum tuum, ut Noe, Moyse, Iosue, aliisque iudicibus. ET ANNOS AETERNOS. Heb. *annos sæculorum*, nempe præteritorum ab Adam hucusque, inquit Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. S. Augu-

Auguſtinus, & Genebrardus id exponunt de æternitate ipſiuſmet Dei.

V. 7. & 8. SCOPEBAM SPIRITUM; id eſt, variis cogitationibus ac diſcurſibus quaſi ſcopis verrebam, & excutiebam animum MEUM, nempe ut ſcirem num verum ſit quod hoſtes mei iactant, ſcilicet Deum me æternum a ſe proieciſſe, nec umquam mihi fore *complacitorem*, id eſt placatorem.

V. 11. NUNC COEPI; quaſi dicat: Poſt longam anxietatem, & moleſtam meditationem, cœpi tandem reſpirare, recreari & meliora ſperare. HAEC MUTATIO, a puſillanimitate, & anxietate mentis in ſpem, a magnanimitatem, & quietem, provenit a DEXTERA EXCELSI, per gratiam ſuam diſpellente priorem nebulam & caliginem. Ita S. Auguſtinus. Alii: *Nunc cœpi* ſapere, & in melius commutare vitam, nempe præventus novo lumine, novo robore cæleſti. Unde S. Antonius hoc cuique propoſitum mane faciendum, iterandumque docebat.

V. 14. VIA, id eſt actio, TUA omnis eſt IN SANCTO; Hebraice, *in ſanctitate*; id eſt, ſancta eſt; Chaldæus: *Quam ſanctæ ſunt* viæ tuæ; quaſi dicat: Licet flagella tua nobis gravia & dura videantur, tamen ſancta & iuſta ſunt, & ad nos ſanctificandos tendunt.

Allegorice. Actiones & paſſiones omnes tuæ, Chriſte, ſunt ſanctæ, licet Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia videantur, inquit Euthymius.

V. 16. FILIOS IOSEPH. Vide Pſal. LXXIX. 2.

V. 17. TIMUERUNT AQUAE; id eſt, inſtar timentium receſſerunt & fugerunt: ET TURBATAE SUNT ABYSSI maris rubri.

V. 18. & 19. MULTITUDO SONITUS AQUARUM; id eſt, magnus & multus inde ortus eſt ſtrepitus aquarum, maxime cum rurſus conglobarentur & confluerent oppreſſuræ AEgyptios. Nam & SAGITTAE TUAE, id eſt fulmina & fulgura, TRANSEUNT; Hieron. & Chald. *diſcurrebant & accendebantur*: & vox, id eſt ſonus, TONITRUI TUI IN ROTA, pro *in rotas* (ut vertit Symmachus) curruum AEgyptiorum, qui omnes ſubverſi, & ſubmerſi ſunt in mari. Theodoretus, & Euthymius.

V. 20. IN MARI VIA TUA; quaſi dicat: Cum tibi lubet, etiam per medium mare patet tibi via, & quidem tam dextre ut ſoli populo tuo pateat; hoſtibus vero inſequentibus VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR. Maxime cum reductis iam aquis orbitæ omnes & veſtigia penitus opplerentur. Vide Exodi XIV. ita S. Hieronymus & Chaldæus.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM PRO IDITHUN, &c. Obſcurus omnino titulus. Si neuter horum virorum eſt auctor Pſalmi, ſed David, probabile eſt denotari vel alternis canendum a duobus choris Pſalmum, quibus hi præerant, vel Idithun eſſe inſtrumentum muſicum, vel aliud aliquid, quod non aſſequor. Ceterum argumentum eſt oratio adverſus tribulationem, ſive Babylonicæ captivitatis, ſive ſub Epiphane. Ac demum referri poteſt ad virum pium, in tot vitæ huius miſeriis ſuſpirantem ad cæleſtem patriam.

Verſ. 2. VOCE MEA, &c. Ab hoc Pſalmi principio, per decem inſequentes verſiculos, Auctor animi affectum explicat, preſſus calamitatibus, & quam moleſte ferat pericula peregrinationis huius.

V. 4. ET DELECTATUS SUM, &c. Eſt etiam delectatio ſua in tribulatione, quam pro Deo ſuſtinemus. Græce, εὐφράνθην. Hebr. ואחמיה *veehemaiah*; radix המה, *tumultum edidi, ſonui, clamavi*; intellige, iuxta verſionem Septuag. de ſono lætitiæ. Porro EXERCITATUS SUM; Hieronymus, *loquebar in meipſo*. Apud LXX. ἠδολέσχησα. Hieronymus per ἀδολεσχίας intelligit decantationem, certe hoc loco mæſtam.

V. 7. ET MEDITATUS SUM. Septuag. ἐμελέτησα, qui proinde non legerunt נגינתי *neginathi*, ut nunc eſt; ſed והגיתי *vehagithi*. ut vides verſ. 13. Radix eſt הגה, *meditatus ſum*; Quid vero ſit meditatus, habent verſiculi 8. 9. & 10. Tandem verſ. 11. reſpirat in ſpem liberationis, Donec verſ. 14. prorumpat in laudem Dei, incipiens inde laudare potentiam, & magnalia.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. 3. & 4. VOce mea, &c. Qui conſiderat hanc vocem eſſe hominis ſpe pleni, & ſuſpirantis ad cælum; facile hunc Pſalmum percurret inoffenſo pede. Ille quidem ſic orat qui clamat voce etiam mentis ad Deum, conſiderans vitæ huius miſerias; & extenſis manibus (vel, ſi vis, bene operando; ut aliqui locum hunc exponunt) *memor* eſt *Dei*, in ſua exercitatione, ſeu meditatione, ubi *& renuit conſolari* ex rebus præſentis vitæ, & ſimul delectatur, adeo ut præ deſiderio alterius, & cæleſtis vitæ, deficiat *ſpiritus*: ſicut Pſal. LXXXIII. concupiſcere dicitur, & deficere animo in atria Domini.

V. 5. 6. & 7. *Anticipaverunt*, &c. Quod ante dixit de exercitatione, & meditatione, explicat deinceps oſtendendo, quando, & quid meditatus ſit. Sane anticipabam, inquit, tempore nocturno vigilias militares. Meditabar vero dies æternos, (comparando vitam præſentem, quæ momentum eſt, cum vita æterna) *ſcopebam* ſpiritum meum, hoc eſt ſcrutabar, ut hanc vocem interpretatur Auguſtinus; & recte: non enim eſt ſenſus, mundabam, ſed verrebam, & verſabam agitando in omnem partem, ut quod verum, & ſolidum eſſet, invenirem.

V. 8. 9. & 10. *Numquid in æternum*, &c. Hæc eſt materia meditationis, & quæſtio, inquit, quam verſabam; ſcopando ſpiritum; quaſi diceret: Quærebam apud me, intuens in tanta multitudine hominum, tot mala, & peccata: Numquid hos omnes abiiciet Deus? & dixi, non faciet; ſed iræ ſuæ opponet miſericordiam.

V. 11. uſq. ad 17. *Et dixi Nunc cœpi*, vel reſpirare a mærore, vel etiam ex meditatione, & inſpiratione cognoſcere hanc eſſe *mutationem dexteræ Excelſi*; quà vel mutat mærorem in gaudium, vel miſertus humani generis, mutat iram in miſericordiam, dando gratiam. Et proinde præſtabo, inquit, quæ ſequuntur, meditando opera tua, & conſiderando mirabilia potentiæ tuæ: quod profitetur, verſ. 12. 13. & 14. & incipit narrare, verſu 15. facta coram patribus in AEgypto, & alibi.

V. 17. & ſeq. *Viderunt te aquæ*, &c. Hæc ſunt mirabilia, quæ memorat: & hoc verſu 17. deſcribit ſciſſionem maris rubri, quando, ut ſubdit Propheta, *vocem dederunt nubes*, & cælum intonuit in hoſtem. Immo ex verſu 19. innotuit hæc ingens coruſcatio *orbi terræ*, gentibus multis, & timuerunt. Factum que tandem eſt, ex verſu 20. ut *via tua* aperta populo tuo eſſet *in aquis*, non relicto ibi veſtigio. Sic *deduxiſti populum*, ut concludit verſu ultimo.

BOSSUET.

Verſ. 1. PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH. Ita Heb. & omnes interpretes: quo demonſtrari videtur carmen hoc ab Aſapho compoſitum, atque Idithuno traditum; quo etiam ſenſu in titulo Pſal XXXVIII. legimus: *Pro Idithun, Canticum David*: ut ſupra diximus.

V. 3. MANIBUS MEIS NOCTE, &c. *manus mea nocte extenditur, & non quieſcit*: Hier.

V. 4. ET DELECTATUS SUM. Quantum in peccatis meis fuit, nullam invenire potui conſolationem; rurſum cogitavi de Deo, & miſericordia ipſius delectatus ſum. At Hier. ex Heb. aliter: „ Memor „ fui Dei, & conturbabar: qui olim, af„ flictus quamvis, audito Dei nomine „ reſpirabam, nunc minis eius territus „ divini nominis recordatione conturbor. „ nempe conſideravi manſuetudinem ip„ ſius, conſideravi pietatem, conſideravi „ munditiam, & videns me ipſum im„ mundum, vehementer conturbabar. “ Comm. Hier. ET EXERCITATUS SUM: ET DEFECIT SPIRITUS MEUS: Hier. in Comment. In Hebr. melius habet: *Loquebar in memetipſo, & defecit ſpiritus meus*: quod etiam ita vertit hic ipſe Hier. ſenſuſque eſt: Homo anxius ac tremens, ſuis ſe ipſe cogitationibus conficit.

V. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCULI MEI. Comm. Hier. in Hebræo aliter habet: *Prohibebam ſuſpectum oculorum meorum: conſtupebam, & non loquebar*: ac ſi ipſe vertit, hic. Idem in Comm. quod dicit hoc eſt: Conſiderans peccata mea, oculos ad cælum erigere non audebam: propterea ſtupebam, timebam, loqui non poteram. Heb. ad verbum: *Tenuiſti vigilias oculorum meorum*: ſeu, *Tenui-*

Tenuisti in custodiis oculos meos : ut ne palpebras quidem possem attollere.

V. 6. COGITAVI DIES ANTIQUOS : lege Hier. cum præsentia omnia nil nisi horrorem iniicerent, priscorum sæculorum miracula revolvebam quibus sustentarem spem meam: Vide vers. 14.

V. 7. ET MEDITATUS SUM, &c. *Recordabar Psalmorum* : Hier. cui Heb. congruit : quærebam solatium in recordatione suavissimorum carminum, quæ te auctore cecini. ET EXERCITABAR : *nocte loquebar cum corde meo* : Hier. cum corde meo garriebam. LXX. ἠδολέσχουν vana & confusa animo volutabam, abreptus incerto cogitationum æstu. SCOPEBAM : scrutabar spiritum meum : alii, ventilabam : hac illacque versabam : profundissimis & acutissimis curis me ipse conficiebam. At LXX. ἔσκαλλον Sarriebam animum meum: cogitationes meas secabam quasi sarculo: Hier. ad Sun. Quæ modo probaveram, eadem improbabam rursus: eodem ubique sensu; eadem animi fluctuatione.

V. 8. NON APPONET UT COMPLACITIOR SIT ADHUC? *non propitiabitur ultra?* Hier.

V. 9. ABSCINDET: adde, ut apud Hier. *consummabitur verbum de generatione in generationem?* id est, oracula eius quæ toties fausta audivimus, penitus desierunt; nec spes ulla super.

V. 11. ET DIXI : NUNC COEPI : Hier. hic, & in comment. In Hebræo : *Et dixi, imbecillitas mea* ; id est, hoc quod patior, non de crudelitate Dei, sed de peccatis meis. HAEC MUTATIO, &c. id est, Dei est rès turbidas immutare: inde expectandæ sunt vices.

V. 13. EXERCEBOR, &c. *adinventiones tuas loquar* : Hier. sapientæ tuæ arcana, & ad salutem nostram excogitata consilia.

V. 14. IN SANCTO VIA TUA : viæ tuæ sanctæ.

V. 17. VIDERUNT TE AQUAE, &c. Psal. CXIII. 3. *Mare vidit & fugit*, &c. Ex hoc incipit graphice describere transitum maris rubri. Infra vers. 20.

V. 18. MULTITUDO SONITUS AQUARUM, recedentium ac statim in AEgyptios refluentium. At Hier. *Excusserunt aquas nubila* : id est, effuderunt imbres. ETENIM SAGITTAE : *& sagittæ tuæ* (fulmina) *discurrebant* : Hier. Dominus enim respiciebat AEgyptios per columnam ignis, & nubis, & pugnabat contra eos, Exod. XIV. 24. 25.

V. 19. VOX TONITRUI TUI IN ROTA: instar rotæ rapide discurrentis: sive Deus revera intonuit, ut textus Exodi significare videtur : sive iram eius tonitrui ac fulguris imagine, Psalmi auctor designat: ut Psal. XVII. 14.

V. 20. IN MARI VIA TUA: qua tu populum deduxisti, dux ipse itineris & ante eos gradiens: Exod. XIII. 21. &c.

PSALMUS LXXVII. HORTATORIUS, ET INCREPATORIUS

Ad decem Tribus: ne agnito Davide, & in unum semel cum Iuda coalitæ, II. *Reg.* VI. 5. *a Davide eiusque posteris desciscant. Hæc autem sanctus Asaph cecinit præscius futurorum: namque inerant iam inde ab ipsis Davidis initiis inter Iudæ tribum & reliquas, æmulationis ac discordiæ semina: cum in Hebron regnantem Davidem super Iudam ceteri bello etiam illato repellerent, & Isboset Regem sequerentur,* II. *Reg.* II. III. *victo quoque Absalomo, Iudæ tribu facile ad obsequium redeunte: ceteri Israelitæ tardissimi ac postremi omnium resipuerunt,* II. *Reg.* XIX. II. *& seqq.* 40. *& seqq. quin etiam paulo post:* Seba vir Iemineus cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua Israel. *Igitur* separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba: viri autem Iuda adhæserunt Regi suo: II. Reg. XX. 1. 2. *adeo invidebant tribui Iuda, quod una non modo singulis, verum etiam omnibus & numero, & gloria clarior potiorque haberetur, attributa etiam nuper ad cumulum regia dignitate, civitate regia, sacris etiam, quæque gloria gentis erat, arca Dei temploque. His igitur irarum fomitibus in æterna diffidia proni videbantur: ut postea contigit, Ieroboamo duce, cum decem tribus a fratribus, & Davidis familia se abruperunt. Hæc ergo cogitans Asaph hortatur has tribus ut in fide perstent. Causas autem has maxime commemorat: quod Deus Davidem elegerit: quod Ierfolymis & in ipsa Sione civitate David sedem arcæ elegerit: quod ibidem ipse David locum futuri templi designarit:* II. *Reg.* XXIV. 25. *&* I. *Paralip.* XXI. 22. *&* II. III. I. *&c. quod huius templi extructio Davidi Salomonis filio reservata esset: idque repulsa Silo, vetere arcæ sede; ne Ephraimitæ, quorum in sorte erat, ea superbirent. Sic decem tribus Davidis familiæ arctissimis cum civilibus tum etiam religionis vinculis coniungebat: quas etiam causas refert Abias Roboami filius cur decem tribus ad se Davidicamque stirpem reverterentur,* II. *Paralip.* XIII. 5. *& seqq.*

VER.

VERSIO S. HIERONYMI.

Eruditio Aſaph.

AUſculta populus meus legem meam: inclinate aurem veſtram ad verba oris mei.

Aperiam in parabola os meum: loquar ænigmata antiqua.

Quæ audivimus & cognovimus, & patres noſtri narraverunt nobis.

Non ſunt abſcondita a filiis eorum, a generatione ſequenti.

Narrantes laudes Domini, & potentiam eius: & mirabilia eius quæ fecit.

Statuit conteſtationem in Iacob, & legem poſuit in Iſrael: quæ mandavit patribus noſtris, ut docerent filios ſuos.

Ut cognoſceret generatio ſubſequens filii naſcituri: ſurgent & narrabunt filiis ſuis.

Ut ponant in Deo ſpem ſuam: & non obliviſcantur cogitationum Dei, & mandata eius cuſtodiant.

Et non ſint ſicut patres eorum generatio declinans, & provocans: generatio quæ non præparavit cor ſuum, & non credidit Deo ſpiritus eius.

Filii Ephraim intendentes & mittentes arcum: terga verterunt in die belli.

Non cuſtodierunt pactum Dei ſui, & in lege eius noluerunt ingredi.

Et obliti ſunt commutationum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia: in terra AEgypti, in regione Taneos.

Diviſit mare, & transduxit eos: & ſtare fecit aquas quaſi acervum.

Et duxit eos in nube per diem, & tota nocte in lumine ignis.

Scidit petram in deſerto, & potum dedit quaſi de abyſſis magnis.

VERSIO VULGATA.

1. Intellectus Aſaph.

ATtendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

2. Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio.

3. Quanta audivimus & cognovimus ea: & patres noſtri narraverunt nobis.

4. Non ſunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.

Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit.

5. Et ſuſcitavit teſtimonium in Iacob: & legem poſuiſti in Iſrael.

Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis.

6. Ut cognoſcat generatio altera.

Filii qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis,

7. Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei: & mandata eius exquirant.

8. Ne fiant ſicut patres eorum: generatio prava & exaſperans.

Generatio, quæ non direxit cor ſuum: & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

9. Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum: converſi ſunt in die belli.

10. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.

11. Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis.

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra AEgypti, in campo Taneos.

13. Interrupit (a) mare, & perduxit eos: & ſtatuit aquas quaſi in utre.

14. Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

15. Interrupit (b) petram in eremo: & adaquavit eos velut in abyſſo multa.

Et

Et eduxit rivos de petra, & elicuit quasi flumina aquas.

Et addiderunt ultra peccare ei, ut provocarent Excelsum in invio.

Et tentaverunt Deum in cordibus suis: petentes cibum animæ suæ.

Et loquentes contra Deum dicebant, numquid poterit Deus ponere mensam in solitudine?

Ecce percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt: numquid & panem poterit dare, aut præparare carnem populo suo.

Ideo audivit Dominus, & non distulit: & ignis accensus est in Iacob, & furor ascendit in Israel.

Quia non crediderunt in Deo; nec habuerunt fiduciam in salutari eius.

Et præcepit nubibus desuper, & portas cæli aperuit.

Et pluit super eos manna ut comederent, & triticum cæli dedit eis.

Panem fortium comedit vir: cibaria misit eis in saturitatem.

Abstulit Eurum de cælo, & induxit in fortitudine sua Africum.

Et pluit super eos quasi pulverem carnes, & quasi arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum: in circuitu tabernaculorum eorum.

Et comederunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis.

Non indiguerunt de cupiditate sua: cum adhuc cibus esset in ore eorum:

Furor ergo Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorum, & electos Israel incurvavit.

In omnibus his peccaverunt ultra, & non crediderunt in mirabilibus eius.

16. * Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas.

17. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.

19. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

20. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.

Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

21. Ideo (c) audivit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel:

22. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari eius,

23. Et mandavit nubibus desuper, & iannas cæli aperuit.

24. Et (d) pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis.

25. Panem (e) Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.

26. Transtulit (f) austrum de cælo: & induxit in virtute sua africum.

27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.

28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.

29. Et manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: 30. non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc (g) escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos:

Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.

32. In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.

Et

Et consumpsit in vanitate dies eorum, & annos eorum velociter.

Si occidebat eos, tunc requirebant eum: & convertebantur, & diluculo consurgebant ad Deum.

Et recordabantur quia Deus fortitudo eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

Et lactaverunt eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat firmum cum eo: nec permanserunt in pacto eius.

Ipse vero misericors propitiabitur iniquitati, & non disperdet: multumque avertit iram suam, & non suscitavit totum furorem suum.

Sed recordatus est quia caro essent: spiritus vadens & non revertens.

Quoties provocaverunt eum in deserto: afflixerunt eum in solitudine.

Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & sanctum Israel concitaverunt.

Non sunt recordati manus eius: diei qua redemit eos a tribulante.

Qui fecit in AEgypto signa sua, & ostenta sua in regione Taneos.

Qui convertit in sanguinem fluvios eorum, & rivos eorum ne biberent.

Qui immisit in eis omne genus muscarum ut comederent eos, & ranas ut disperderent eos.

Qui dedit brucho germen eorum, & laborem eorum locustæ.

Qui occidit in grandine vineas eorum, & sycomoros eorum in frigore.

Qui tradidit grandini pascua eorum, & iumenta eorum volucribus.

Qui misit in eos iram furoris sui:

33. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum, cum festinatione.

34. Cum occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

35. Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.

36. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei:

37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.

38. Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.

* Et abundavit ut averteret iram suam: & non accendit omnem iram suam:

39. Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens, & non rediens.

40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?

41. Et conversi sunt, & tentaverunt Deum: & sanctum Israel exacerbaverunt.

42. Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis:

43. Sicut posuit in AEgypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

44. Et (*b*) convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.

45. * Misit (*i*) in eos cœnomyiam, & comedit eos: & (*k*) ranam, & disperdidit eos.

46. Et (*l*) dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.

47. Et (*m*) occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.

48. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni.

49. Misit in eos iram indignationis in-

indignationem, & comminationem, & anguſtiam, immiſſionem angelorum malorum.

Munivit ſemitam furori ſuo, non pepercit a morte animæ eorum: & animantia eorum peſti tradidit.

Et percuſſit omne primogenitum in AEgypto: principium partus in tabernaculis Cham.

Et tulit velut oves populum ſuum, & minavit eos ſicut gregem in deſerto.

Et eduxit eos cum fiducia & abſque timore: inimicos autem eorum operuit mare.

Et adduxit eos ad terminum ſanctificatum ſuum: montem iſtum quem poſſedit dextera eius.

Et eiecit a facie eorum gentes: & poſſidere eos fecit in funiculo hereditatem, & collocavit in tabernaculis eorum tribus Iſrael.

Et tentaverunt, & provocaverunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierunt.

Et averſi ſunt & prævaricati ſunt ut patres eorum: incurvati ſunt quaſi arcus inutilis.

Et provocaverunt eum in excelſis ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulandum concitaverunt.

Audivit Deus & non diſtulit: & proiecit vehementer Iſrael.

Et reliquit tabernaculum Silo: tentorium quod collocavit inter homines.

Tradidit in captivitatem gloriam ſuam, & decorem ſuum in manu hoſtis.

Et concluſit in gladio populum ſuum, & in hereditatem ſuam non diſtulit.

Iuvenes eius devoravit ignis, & virgines eius nemo luxit.

Sacerdotes eius gladio ceciderunt, &

ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immiſſiones per angelos malos.

50. Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ *, non pepercit a morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte concluſit.

51. Et (*n*) percuſſit omne primogenitum in terra AEgypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

52. Et abſtulit ſicut oves populum ſuum: & perduxit eos tamquam gregem in deſerto.

53. * Et (*o*) deduxit eos in ſpe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.

54. Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ; montem, quem acquiſivit dextera eius.

Et eiecit a facie eorum Gentes: & (*p*) ſorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis.

55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſrael 56. Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierunt.

57. Et averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum: quemadmodnm patres eorum, converſi ſunt in arcum pravum.

58. In iram concitaverunt eum in collibus ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad æmulatiouem eum provocaverunt.

59. Audivit Deus, & ſprevit: & ad nihilum redegit valde Iſrael.

60 Et (*q*) repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus.

61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.

62. Et concluſit in gladio populum ſuum: & hereditatem ſuam ſprevit.

63. Iuvenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non ſunt lamentatæ.

64. Sacerdotes eorum in gladio ceci-

viduæ eius non sunt fletæ.

Et evigilavit quasi dormiens Dominus: quasi fortis post crapulam vini.

Et percussit hostes suos retrorsum: opprobrium sempiternum dedit eis.

Et proiecit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit in similitudine monocerotis sanctuarium suum: quasi terram fundavit illud in sæculum.

Et elegit David servum suum, & tulit eum de gregibus ovium.

Sequentem fetas adduxit eum, ut pasceret Iacob populum eius, & Israel hereditatem suam.

Qui pavit eos in simplicitate cordis sui, & in prudentia manuum suarum dux eorum fuit.

ciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.
65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.
66. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.
67. Et repulit tabernaculum Ioseph: & tribum Ephraim non elegit.
68. Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.
69. * Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.
70. Et elegit David servum suum; & sustulit eum de gregibus ovium: de post fetantes accepit eum,
71. Pascere Iacob servum suum, & Israel hereditatem suam:
72. Et pavit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

(a) Exod. xiv. 22. (b) Exod. xvii. 6. Psalm. civ. 41. (c) Num. xi. 1. (d) Exod. xvi. 4. Numer. xvii. 7. (e) Ioan. vi. 31. I. Corinth. x. 3. (f) Numer. xi. 31. (g) Numer. xi. 33. (h) Exod. vii. 20. (i) Exod. viii. 24. (k) Exod. viii. 6. (l) Exod. x. 15. (m) Exod. ix. 25. (n) Exod. xii. 29. (o) xiv. 27. (p) Ios. xiii. 6. & 7. (q) I. Reg. iv. 4. Ierem. vii. 12. 14. & xxvi. 6.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 16. *Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas*. Non est posteriori loco ut priori legendum *eduxit*.

V. 28. *Et abundavit ut averteret iram*. Pro *abundavit* alii verterunt *multiplicavit*, quod proinde non est nostræ editionis.

V. 45. *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos*. Scribendum est, etiam D. Hieronymo doctore, cœnomyam, quod interpreteris muscam communem, non *cynomyiam*, quod muscam caninam; id est consonanti primæ danda est diphthongus æ, non y græcum, quod *ypsilon* dicitur.

V. 50. *Non pepercit a morte animabus eorum*. Non præponas & coniunctionem.

V. 53. *Et deduxit eos in spe, & non timuerunt*. Non scribas pro *deduxit*, ablata d littera, *eduxit*.

V. 59. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra*. Quidam libri genitivum pluralem *unicornium* mutant cum genetivo singulari *unicornis*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. LOQUAR PROPOSITIONES AB INITIO. Hebr. *ænigmata & myſteria rerum quæ olim fuerunt.*

V. 3. QUANTA AUDIVIMUS ET COGNOVIMUS EA. Hebr. *Quæ audivimus.*

V. 4. NON SUNT OCCULTATA A FILIIS EORUM, &c. Hebr. *Non occultabimus filiis eorum, ſed generationi poſteræ narrabimus laudes*, &c.

V. 5. ET SUSCITAVIT TESTIMONIUM IN IACOB, id eſt legem. Repetitio. QUANTA. Hebr. *quæ.*

V. 7. EXQUIRANT. Hebr. *obſervent.*

V. 8. GENERATIO PRAVA ET EXASPERANS. Hebr. *rebellis.* ET NON EST CREDITUS CUM DEO SPIRITUS EIUS. Hebr. *& non fuit fidelis Deo*, aut *erga Deum.*

V. 9. FILII EPHREM INTENDENTES ET MITTENTES ARCUM. Hebr. *armati.* I. Paral. VII.

V. 12. IN CAMPO TANEOS. Hebr. *Soban.* Tanis præcipua civitas AEgypti, Straboni Lib. XVII. Numer. XIII. Iſai. XIX. Ezech. XXX.

V. 13. QUASI IN UTRE. Hebr. *quaſi cumulum.*

V. 17. IN IRAM EXCITAVERUNT EXCELSUM IN INAQUOSO. Hebr. *Ut rebellarent*, aut *rebellando, contra eum in ſolitudine.*

V. 20. QUONIAM PERCUSSIT PETRAM; Hebr. *Ecce.* Id eſt, cum illi hæc murmurarent; derepente percuſſit petram.

V. 25 PANEM ANGELORUM. Hebr. *Panem fortium.*

V. 28. ET CECIDERUNT. Hebr. *cadere fecit.*

V. 31. ET ELECTOS ISRAEL IMPEDIVIT. Hebr. *proſtravit.*

V. 32. IN OMNIBUS HIS PECCAVERUNT ADHUC. Hebr. *Cum omni hoc*, id eſt hoc non obſtante.

V. 33. ET DEFECERUNT IN VANITATE DIES EORUM. Hebr. *Conſumpſit in vanitate*; id eſt, ſicut rem vanam: aut *in vanitatem*; id eſt, in nihilum redegit: *& annos eorum in perturbatione.*

V. 36. ET DILEXERUNT EUM IN ORE SUO. Hebr. *Et deceperunt eum*, aut *blanditi ſunt ei.*

V. 38. ET ABUNDAVIT, &c. Hebr. הרבה, *multiplicavit*; id eſt, addidit hunc cumulum ſuperioribus beneficiis.

V. 40. IN IRAM CONCITAVERUNT EUM IN INAQUOSO. Hebr. *in ſolitudine.*

V. 41. ET CONVERSI SUNT, ET TENTAVERUNT DEUM, &c. Heb. *Et reverſi ſunt, & tentaveruut fortiſſimum Deum* id eſt, iterum atque iterum tentaverunt eum: *& Sancto Iſraelis ſignum poſuerunt*; id eſt, petiverunt ſigna ab eo; quæcumque voluerunt quod erat tentare eum: aut præſcripſerunt illi terminos; id eſt, definiverunt eius potentiam, dicentes: Hoc poteſt facere, illud non poteſt; ut ait R. David in Lib. Rad.

V. 43. SICUT POSUIT. Hebr. אשר *quod poſuiſſet in AEgypto ſigna ſua.*

V. 47. IN PRUINA. Hebr. *glacie.*

V. 49. PER ANGELOS MALOS. Hebr. *immiſſionem angelorum malarum rerum*, id eſt quæ ſolent inferri hominibus per angelos quibus Deus utitur in puniendis hominibus; qualis fuit ille qui peſte populum occidebat II. Reg. XXIV. 16. 17. Ex hoc loco probabilis coniectura ducitur, certos quoſdam eſſe Angelos, quorum officium ſit, pœnas hominibus infligere iuſſu Dei.

V. 50. VIAM FECIT SEMITAE IRAE SUAE, &c. Hebr. *Direxit ſemitam ad iram ſuam*; id eſt, indulſit iræ ſuæ, aut habenas laxavit iræ ſuæ: *& non pepercit a morte vitæ eorum*; id eſt, non eis pepercit, quominus occideret, & iumenta eorum peſti tradidit.

V. 51. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM, &c. Hebr. *Primitias*, aut *principium virtutum*, aut *virium*, *in tabernaculis Cham.* Vocat *principium virium* primogenitos in quibus gignendis parentes exprimere ſolent primas vires iuventutis: ſicut Gen. XLIX. 3. *Ruben primogenitus meus, & principium doloris mei* (Hebr. *virtutis meæ.*) *Tabernacula* autem *Cham* vocat AEgyptum, quod AEgyptii originem duxerint ex Cham: ſic & Pſal. CIV. 36.

V. 52. ET AESTULIT. Heb. *Et deduxit.*

V. 53. ET DEDUXIT EOS IN SPE. Hebr. *Et*

Et deduxit eos in fiducia, id eſt tuto, confidenter, ut non timerent.

V. 54. Et induxit eos in montem sanctificationis suae. Hebr. *in terminum ſanctitatis ſuæ*; id eſt, ubi nunc eſt ſanctum templum eius in montem Sion. Et sorte divisit eis terram. Hebr. *& cadere fecit eos in funiculum hereditatis*; id eſt, fecit eos ſuccedere in hereditatem, ex qua gentes expulerat. Aut, *Cadere fecit eis funiculum hereditatis gentium*. Alii (quod minus mihi placet) *Cadere fecit eas* (gentes) id eſt occidit, *in parte hereditatis*, id eſt in terminis regionis ipſarum.

V. 57. In arcum pravum. Hebr. *Sicut arcus proiectionis*; id eſt, ſtatim redierunt ad ſuos malos mores, ſicut arcus redit ad ſuum priorem ſtatum, ſimulatque ſagitta proiecta eſt. Aut, *ſicut arcus doloſus*, qui ſcilicet cum retentus eſt reflectitur, & percutit ſagittarium; ita illi vertebant ſe contra Deum.

V. 59. Audivit Deus, et sprevit. Hebr. *Et iratus eſt*, *& ſprevit*, aut *repudiavit valde Iſrael*.

V. 60. Et repulit tabernaculum Silo. Id eſt, arcam fœderis, quæ erat in urbe Siloh, permiſit a Philiſtæis capi; quod erat eius tabernaculum quo inter homines habitabat: I. Reg. IV.

V. 61. Virtutem eorum. Hebr. *fortitudinem eius*, id eſt arcæ, aut ſuam arcam, quam *fortitudinem* Dei vocat: *& pulchritudinem eius*, aut *ſuam in manus inimici*.

V. 62. Et hereditatem suam sprevit. Hebr. *In hereditatem ſuam iratus eſt*.

V. 63. Non sunt lamentatae. Hebr. *Non ſunt laudatæ*; id eſt, non inveniebant procos, a quibus laudarentur, quibuſque nuberent.

V. 65. Tamquam potens crapulatus a vino. Hebr. *ſicut vir potens clamans præ vino*, aut *poſt vinum*, id eſt cum ebrius eſt.

V. 66. Et percussit inimicos suos in posteriora. Philiſtæi in natibus percuſſi ſunt a Deo propter arcam, I. Reg. V.

V. 67. Et repulit tabernaculum Ioseph. Id eſt, cum prius eſſet arca in Siloh, quæ pertinebat ad tribum Ephraim, & Ioſeph; poſtquam capta eſt, reſtituta eſt in montem Sion, qui pertinebat ad tribum Iudah.

V. 69. Sicut unicornis. Hebr. *in excelſis*, ſi כ lectum fuit pro ב; aut *ſicut excelſa* (palatia.)

SA.

De Dei operibus.

Verſ. 1. Intellectus. Hieron. *Eruditio*. Chald. *Intellectus Spiritus ſancti*. Asaph. Chald. *per manum Aſaph*. Legem, id eſt inſtitutionem.

V. 2. Parabolis, id eſt ſermonibus reconditis. Propositiones. Hieron. & Chald. *ænigmata*, id eſt occulta quædam, ſeu vulgo ignota. Ab initio, ſcilicet geſta. Hieron. *antiqua*.

V. 3. Quanta, ſcilicet loquar. Hieron. & Chald. *Quæ*.

V. 4. Altera. Hieron. *ſequenti*. Narrantes, ſcilicet patres.

V. 5. Et suscitavit. *Et* abundat. *Suſcitavit*, id eſt de novo dedit: *ſuſcitare* enim eſt de novo facere. Testimonium, id eſt legem, ut ſtatim repetitione explicatur. Chald. *teſtamentum*. Quanta. Hieron. & Chald. *Quæ*.

V. 6. Altera. Hieron. *ſubſequens*.

V. 7. Exquirant. Hieron. & Chald. *cuſtodiant*.

V. 8. Prava. Hieron. *declinans*. Chald. *rebellis*. Exasperans, ſcilicet Deum. Hieron. & Chald. *provocans*, ſcilicet Deum ad iram. Direxit. Chald. *direxit ad Dominum*. Hieron. *præparavit*. Non est creditus cum Deo. Hieron. *non credidit Deo*. Chald. *non fuit fidelis in Deum*.

V. 9. Ephrem, id eſt Ephraim, ſcilicet Iſraelitæ: pars pro toto. Arcum, id eſt arcus ſagittas: Conversi sunt. Hieron. & Chald. *terga verterunt*, id eſt facti hoſtibus inferiores ob peccata.

V. 10. Non custodierunt. Chald. eo quod non *obſervaſſent*. Testamentum. Hieron. & Chald. *pactum*.

V. 12. Campo. Hieron. *regione*. Taneos civitas eſt AEgypti regia. Hebr. *Tſoan* hoc loco; at Ierem. XLIII. Hieron. & Chald. *Tach panches*. LXX. *Taphnes*, cum tamen hic LXX. *Tanεos*, Chald. *Tanes*.

V. 13. Quasi in utre, id eſt in unum locum coactas. Hieron. *quaſi acervum*.

V. 14. Diei. Hieron. & Chald. *per diem*. Ignis, id eſt columnæ igneæ.

V. 15. Abysso, id eſt copia aquarum.

V. 17. EXCELSUM, scilicet Deum. INAQUOSO; Chald. *deserto*, *arido*; Hieron. *invio*.

V. 18. TENTAVERUNT, scilicet velut periculum facientes, quantum posset.

V. 20. PANEM, id est cibum: carnes enim optabant.

V. 21. DISTULIT, id est abiecit, scilicet illos; vel significatur dilatio ingressus in terram promissam. Chald. *Iratus est*. IGNIS. Vide Numeror. cap. XI. IN, id est contra.

V. 22. IN DEO. Chald. *Deo*. IN SALUTARI EIUS; quasi dicat, salutem ab ipso.

V. 23. IANUAS, id est velut ianuas. CAELI, id est aeris, seu nubium.

V. 24. CAELI, id est ex aere decidentem.

V. 25. ANGELORUM, id est Angelorum opera factum; vel quasi dicat: caelestem, seu dignum Angelis. Hieron. *fortium* scilicet Angelorum.

V. 26. TRANSTULIT. Graec. & Hieron. *abstulit*; quasi dicat: Fecit ne flaret ille ventus, sed qui sequitur. Quidam tamen pro incitavit, seu impulit, accipiunt. Quod si is est sensus, pro eodem auster & africus accipiendus, ut sit repetitio. Chald. *intulit*. AUSTRUM. Hieron. *eurum*: scilicet eurus erat respectu deserti, at respectu Iudaeae, auster. AFRICUM, scilicet ab occidente, respectu deserti.

V. 27. CARNES, scilicet coturnices.

V. 29. DESIDERIUM, id est quod optabant.

V. 31. PINGUES, id est primarios. Chald. *robustos*. ELECTOS, id est praecipuos. Chald. *iuvenes*. IMPEDIVIT. Chald. *prostravit*.

V. 32. IN OMNIBUS HIS, id est post haec omnia. IN MIRABILIBUS. Chald. *miraculis*.

V. 33. IN VANITATE, id est evanescentes. CUM FESTINATIONE, id est cito.

V. 34. EOS, id est aliquos eorum. QUAEREBANT, scilicet alii. DILUCULO, id est cito.

V. 35. REMEMORATI, id est recordati.

V. 36. DILEXERUNT, id est diligere finxerunt. MENTITI SUNT, id est amorem simularunt.

V. 37. CUM EO, id est erga eum. TESTAMENTO. Hieron. & Chald. *pacto*.

V. 38. FIET. Futura pro praeteritis. ABUNDAVIT UT AVERTERET. Hieron. *multumque avertit*. OMNEM, scilicet quam illi merebantur; vel quasi dicat, nullam, ut sit Hebraismus.

V. 39. CARO; quasi dicat: fragiles. VADENS, scilicet sponte sua, & facile in malum, vel in mortem. REDIENS, scilicet in bonum, vel in vitam.

V. 40. EXACERBAVERUNT, id est irritaverunt. INAQUOSO. Hieron. *solitudine*.

V. 41. CONVERSI SUNT; id est, ad ingenium redierunt; vel quasi dicat, iterum.

V. 42. MANUS, id est operum.

V. 43. SICUT POSUIT; pro, ut posuisset.

V. 44. IMBRES. Hieron. *rivos*.

V. 45. COENOMYIAM. Hieronym. *omne genus muscarum*. Notandum, quod Hier. κοινόμυιαν legendum ait, non κυνόμυιαν. Chald. *mixtionem ferarum*.

V. 46. AERUGINI. Hieron. & Chald. *brucho*.

V. 48. POSSESSIONEM, Hieron. *iumenta*. Chald. *armenta*. IGNI, scilicet mixto cum grandine.

V. 49. MALOS, id est malum inferentes, seu nocentes.

V. 50. VIAM FECIT, &c. quasi dicat, progressusque in ira sua. A MORTE, id est quin occideret.

V. 51. OMNIS LABORIS. Hieron. *partus*, scilicet maxime in partu labor. Quidam *roboris* vertunt, ut Gen. XLIX. scilicet primogeniti sunt primitiae roboris patrum. CHAM, id est AEgyptiorum, qui ex Cham.

V. 52. PERDUXIT, id est deduxit.

V. 53. IN SPE. Hieron. *cum fiducia*. Chald. *secure*.

V. 54. SANCTIFICATIONIS, id est sanctuarii. ACQUISIVIT, scilicet eiectis Chananaeis. Hieron. *possidet*. DISTRIBUTIONIS, id est quo divisa est illis terra.

V. 55. EORUM, id est gentium expulsarum.

V. 56. TESTIMONIA, id est praecepta.

V. 57. PATRES, scilicet non servaverant. PRAVUM, scilicet aliter iacientem sagittam, quam velles.

V. 58. SCULPTILIBUS, id est idolis. AEMULATIONEM, id est indignationem.

V. 59. SPREVIT. Supra eamdem vocem Hebraicam verterunt *distulit*. Hieron. autem

tem utrobique vertit, *non distulit*. Chald. *iratus est*. AD NIHILUM REDEGIT. Hieron. *proiecit*. Chald. *abominatus est*.

V. 60. REPULIT. Hieron. & Chald. *reliquit*. IN HOMINIBUS, id est inter homines.

V. 61. VIRTUTEM, id est arcam, unde sibi videbantur invicti: Aug. Chald. *legem*. PULCHRITUDINEM. Hieron. *decorem*, scilicet arcam. Repetitio.

V. 62. CONCLUSIT IN GLADIO, id est tradidit hostibus.

V. 63. IGNIS, scilicet belli vis, vel urbis incendium, vel Dei ira. NON SUNT LAMENTATAE. Hieron. *Nemo luxit*, scilicet occisas.

V. 64. VIDUAE, scilicet occisae. NON PLORABANTUR; quasi dicat: Nemo erat qui fleret mortuos.

V. 65. EXCITATUS; scilicet contra hostes. CRAPULATUS A VINO, id est plenus vino. Hieron. *post crapulam vini*.

V. 66. IN POSTERIORA; quasi dicat, terga vertentes. Chald. *haemorrhoidibus*: scilicet ea plaga affecti Philisthaei. SEMPITERNUM; quasi dicat, quod numquam eluere poterunt.

V. 67. IOSEPH. Chald. *quod tetenderat in termino Ioseph*, scilicet in Silo urbe Ephraim. EPHRAIM, id est reliquas tribus. ELEGIT, scilicet ad regnum.

V. 69. UNICORNIUM; quasi dicat, alto, & forti loco. SANCTIFICIUM. Hieron. & Chald. *sanctuarium*. TERRA, scilicet Iuda.

V. 71. SERVUM. Hieron. & Chald. *populum*.

V. 72. PAVIT EOS. Chald. *regnavit super eos*. INNOCENTIA. Hieron. *simplicitate*. Chald. *integritate*. INTELLECTIBUS. Hieron. & Chald. *prudentia*. MANUUM, id est qua usus est in operibus.

E S T I I.

Vers. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM: LOQUAR PROPOSITIONES AB INITIO. Citatur hic versus Matth. XIII. & ita citatur, ut significetur esse prophetia de Christo aliquando locuturo ad populum in parabolis.

Sed quaeres, quomodo haec conveniant ad litteram Davidi, vel Asaph, qui nullam parabolam aut allegoricum sermonem in hoc Psamo adfert?

Respond. Sicut res quaedam minus perfecte competunt figuris, perfectius autem figuratis, ut quae praedicta sunt de stabilitate regni Davidis, & Salomonis, ipsis quidem imperfecte competunt, perfectissime vero Christo, cuius illi typum gerebant; ita quod hic dicitur de Asaph (cui hic Psalmus adscribitur) *Aperiam in parabolis os meum*, imperfecte quidem, & tantum generali ratione convenit, quatenus parabola vocatur quidquid graviter & sapienter dicitur, perfecte autem Christo, quatenus videlicet parabola specialem habet significationem, qua significat allegoricum sermonem, ut ibi, Matth. XIII. scilicet, hic locus explicatur.

V. 24. & 25. ET PLUIT ILLIS MANNA AD MANDUCANDUM, ET PANEM CAELI DEDIT EIS PANEM ANGELORUM MANDUCAVIT HOMO. Pro *panem caeli*, Hebr. est *triticum caeli*; id est de caelo, sive ex aere descendens. Ad litteram tamen de manna intelligitur, de quo praecedit: *Et pluit illis manna ad manducandum*. Ceterum in eo quod subditur: *Panem Angelorum manducavit homo*: manna vocatur panis Angelorum, quia ministerio Angelorum formatus est; non autem quod revera illo cibo Angeli utantur, qui nullo egent cibo corporeo; neque etiam quod descendat ex habitaculo Angelorum, etsi sic habeat Chaldaea Paraphrasis „: Scilicet „ non de caelis proprie dictis, ubi Ange- „ lorum est domicilium, manna descen- „ dit; sed de caelo aereo, a quo dictae „ sunt volucres caeli.“ Ipse tamen panis verus, id est corpus Christi sub sacramenti institutione, cuius manna typus fuit, vere fuit, & est panis Angelorum, quia etiam eo perpetuo Angeli reficiuntur. Et vere dixit ipse Christus Ioan. VI. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*.

V. 39. SPIRITUS VADENS ET NON REDIENS. Vide explicatum supra ad illud Psalm. XXXVIII. *Donec abeam, & amplius non ero*; itemque plenius ad illud Iob. VII. *Sicut consumitur nubes, & pertransit. sic & qui descendit ad infernum non ascendet*.

V. 63. IUVENES EORUM COMEDIT IGNIS: ET VIRGINES EORUM NON SUNT LAMENTATAE. *Lamentatae* passive ponitur, sicut in.

indicat quoque versus sequens: *Et viduæ eorum non plorabantur*. Unde Hieron. ad vitandam amphibologiam hic vertit: *Virgines eorum nemo luxit*. Sic etiam Psal. LXXXVI. verbum *meditabuntur* sumitur passive.

V. 66. ET PERCUSSIT INIMICOS IN POSTERIORA. Plerique intelligunt de Philistæis percussis in secretiori parte natium, ut habetur I. Reg. V. Alii sic vertere volunt ex Hebræo: *Percussit inimicos suos retrorsum*; id est, ita ut terga verterent persequentibus, & ita postremi eorum cæderentur. Sed priori expositioni præter locum Scripturæ I. Reg. V. favet etiam quod hic subiungitur: OPPROBRIUM SEMPITERNUM DEDIT ILLIS. Fuit enim Philisthæis illa percussio opprobrium sempiternum, ut plenius patet iam dicto loco I. Reg. V.

MARIANAE.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Hebr. *erudiens* (Psalmus) *Asaph*. Plenus eruditione Psalmus earum rerum quæ illi populo olim contigerunt. ATTENDITE. Hebr. *Ausculta*. LEGEM MEAM, id est doctrinam, institutionem meam. *Lex* Hebr. *thorah* dicitur a docendo, qua si non cogat, sed ducat volentes.

V. 2. IN PARABOLIS. *Parabola* est gravis sententia. Hic sumitur pro re gravi. De rebus gravissimis erit sermo. PROPOSITIONES. Græc. *problemata*. Hebr. *anigmata*: sic Psal. XLVIII. 5. *Ænigma* est obscura & mirabilis sententia. Ergo agam de rebus mirabilibus. AB INITIO, ab antiquo, & iungitur cum voce *propositiones*, non cum verbo *loquar*. *Propositiones ab initio*, id est antiquas, loquar.

V. 3. QUANTA AUDIVIMUS. Hebr. *Quæ audivimus*, scilicet ea loquar.

V. 4. NON SUNT OCCULTATA, Hebr. *Non occultabimus a filiis eorum*, id est posteris eorum, a quibus accepimus. IN GENERATIONE ALTERA. Hebr. *generationi novissimæ*. NARRANTES LAUDES DOMINI. Regitur a verbo *non occultabimus*. VIRTUTES EIUS. Hebr. *fortitudinem eius*.

V. 5. ET SUSCITAVIT, & constituit. TESTIMONIUM, decretum. ET LEGEM POSUIT. Non loquitur de universa Lege, sed de hac peculiari, quam subiicit. QUANTA MANDAVIT. Hebr. *Quæ præcepit patribus nostris*. NOTA FACERE EA FILIIS SUIS. Hæc fuit lex, ut quæ viderant, ea narrarent.

V. 6. GENERATIO ALTERA. Hebr. *ut cognoscat generatio novissima*, aut *posterior*. FILII QUI NASCENTUR, ET EXURGENT; id est, crescent, & maiores facti filiis suis aperient hæc. ET NARRABUNT FILIIS SUIS. Sic Hebr. & Græc. *& narrabunt ea filiis suis*: sic in Vulgata Regia.

V. 7. UT PONANT IN DEO. Hebr. *Et ponent in Deo*. Hoc consequetur ex hac lege, ut videntes quæ Deus olim fecit, in eum sperent. EXQUIRANT, *observent* mandata eius.

V. 8. NE FIANT SICUT PATRES EORUM, GENERATIO PRAVA ET EXASPERANS. Hebr. *recedens*, *rebellis*. ET NON EST CREDITUS CUM DEO SPIRITUS EIUS. Hebr. *& non credidit Deo spiritus eius*: sic Hieronymus. Aut *non fuit fidelis cum Deo spiritus eius*: sic Pagn. Hoc significat vox *creditus*, id est fidelis.

V. 9. FILII EPHREM. A parte totum intelligit, quoniam ea tribus erat maxime bellicosa. Ergo filii Ephraim, id est milites populi. INTENDENTES ET MITTENTES ARCUM, id est arcu sagittas mittentes, assueti rei bellicæ. CONVERSI SUNT: verterunt terga.

V. 10. NON CUSTODIERUNT: non mirum si corruerunt, legi Dei non obtemperarunt. TESTAMENTUM DEI, id est pactum cum Deo initum, legem.

V. 12. IN CAMPO TANEOS. Tanis est Ægypti urbs primaria ad Nili ostium. Hebr. *in campo Soban*. Quidam eamdem Tanim esse putant: sicque Hieronymus vertit, *in campo Taneos*. Hebræus Scholiastes ait Sohan esse metropolim Chanaan.

V. 13. INTERRUPIT MARE: divisit mare. Pergit Dei mira opera explicare. QUASI IN UTRE. Hebr. *Constituit aquas quasi acervum*: sic Hieronymus.

V. 14. ET DEDUXIT EOS IN NUBE, id est super nubem. DIEI, interdiu. IN ILLUMINATIONE IGNIS. Hebr. *in luce ignis*. Ea fuit ignis columna, qua eos deduxit per noctem.

V. 15. INTERRUPIT PETRAM. Hebr. *petras*. Bis enim elicuit e petra aquam: Exod. XVII, & Num. XX. ET ADAQUAVIT,

vit, potavit. VELUT IN ABYSSO MULTA: ac si esset aqua profunda & copiosa.

V. 16. AQUAM DE PETRA eduxit. Hebr. *rivos de petra*. Repetitio.

V. 17. ET APPOSUERUNT. Nihil moti tot prodigiis, peccata adiecerunt. IN INAQUOSO: in deserto, in siccis locis irritarunt Deum.

V. 18. IN CORDIBUS SUIS, id est ex animo: obstinate tentaverunt Deum. UT PETERENT ESCAS ANIMABUS SUIS, id est sibi.

V. 19. ET MALE LOCUTI SUNT. Hebr. *Et locuti sunt in Deum*, oblocuti sunt. Græc. κατελάλησαν τοῦ Θεοῦ.

V. 20. QUONIAM PERCUSSIT. Hebr. *Ecce percussit petram*. Iam id vidimus. PARARE MENSAM. Hebr. *carnes* an poterit dare?

V. 21. AUDIVIT; pro, cum audisset Dominus. ET DISTULIT, opitulari scilicet. Hebr. *& exarsit*, scilicet furore.

V. 22. IN SALUTARI EIUS, Hebr. *in salute eius*, non speraverunt.

V. 23. ET MANDAVIT; pro, & iam mandaverat: nam manna iam erat datum, Exod. XVI. Numer. XI. antequam carnes peterent. IANUAS CAELI; id est, nubes aeris, & nubium rupturas aperuit.

V. 25. PANEM ANGELORUM. Chald. *Panem qui descendit de habitaculo Angelorum*, id est *panem cæli*, quod ante dixerat. Hebr. *Panem fortium*, quod est Angelorum epitheton. Hebræus *forte* ait cælos vocari, quod sint solidi. Ergo *panem cælorum*, aut *panem Angelorum*, id est panem optimum dedit eis.

V. 26. TRANSTULIT AUSTRUM DE CAELO. Hebr. *excitavit eurum*. ET INDUXIT IN VIRTUTE SUA. Hebr. *fortitudine sua*. AFRICUM, id est ventum australem. Si ex mari rubro coturnices venissent, quæ solent mare traiicere omnibus annis, zephyro potius opus erat: sed & africus servire potuit.

V. 30. NON SUNT FRAUDATI. Hebr. *Non sunt alienati*: eadem significatio: non sunt elongati, seu depulsi a desiderio: obtinuere quod volebant.

V. 31. ET OCCIDIT PINGUES EORUM: scilicet ob ea quæ oblocuti ante erant, *occidit pingues*, id est ditiores, præstantiores: sic Hebr. & Hieron. sic Græce in Rom. ἐν τοῖς πίοσιν. In Regiis tamen, ἐν τοῖς πλείοσιν, *plurimos eorum*, ut est etiam in Vulgata Regia. Consentit Psalt. Rom. *Et occidit plurimos eorum*: de qua re Hieronymus ad Suniam, & Fretellam. Sed nescias, utram præferat lectionem. Nobis lectio nostra potior videtur, Hebr. consentanea magis: tum Chald. *Occidit robustos eorum*. IMPEDIVIT, Græc. συνεπόδισεν, scilicet quasi iniectis compedibus, ne effugerent plagam. Hebr. *incurvavit*, pro humiliavit.

V. 32. IN OMNIBUS HIS PECCAVERUNT ADHUC; id est, rursus præter alia peccata quæ ante fecerant, & hæc omnia peccata adiecerunt. ET NON CREDIDERUNT, id est nihil moti miris operibus quæ Deus fecerat.

V. 33. ET DEFECERUNT. Hebr. *consumpsit*. IN VANITATE; id est, instar fumi, celeriter consumpsit dies eorum. ET ANNI EORUM. Repetitio. Citius opinione mortui sunt.

V. 34. CUM OCCIDERET EOS, QUAEREBANT EUM; quasi dicat: Non beneficiis, sed supplicio movebantur. ET DILUCULO VENIEBANT AD EUM. Hebr. *& quærebant mane Deum*; id est, diebus omnibus mane fundebant preces.

V. 35. ET REMEMORATI SUNT: tunc scilicet cum eos occidebat. QUIA DEUS ADIUTOR, Hebr. *petra eorum est*. Hic Psalterii dimidium. Sic Hebraica Biblia habent.

V. 36. ET DILEXERUNT. Hieronymus: *Et lactaverunt eum in ore suo*, id est deceperunt. Alia dicebant, alia sentiebant. MENTITI SUNT EI. Ficta eorum pœnitentia erat.

V. 37. NEC FIDELES HABITI SUNT. Hieron. *nec permanserunt*: scilicet non fuerunt stabiles. Chald. *& non fuerunt fideles*. IN TESTAMENTO EIUS: Chald. *in pacto eius*: sic Hebr. id est, non servarunt quæ pepigerant.

V. 38. ET PROPITIUS FIET, aut fuit Deus. ET NON DISPERDET EOS. *Eos* Hebr. & Græc. non est; sed additum ab Hieronymo, ut ipse docet ad Suniam, & Fretellam: quod intellige in Psalt. quod ex Græco castigavit: nam in versione ex Hebr. id non est. ET ABUNDAVIT. Heb. *& multiplicavit*; id est, sæpe avertit iram suam: sæpe eis pepercit. ET NON ACCENDIT.

DIT. Hebr. *non excitavit*. OMNEM IRAM SUAM, id est nullam: *Non omne* Hebræis idem quod *nullum*.

V. 39. QUIA CARO SUNT, id est infirmi. SPIRITUS VADENS; id est, ut ventus qui transit, nec revertitur; aut homo morti obnoxius, neque post mortem redire valens.

V. 40. QUOTIES EXACERBAVERUNT. Decies numerant Hebræi, propter illud Numer. XIV. 22. *Tentaverunt me iam per decem vices*. IN INAQUOSO. Hebr. *in solitudine*.

V. 41. ET CONVERSI SUNT, ET TENTAVERUNT DEUM. Hebraismus; pro, rursus tentaverunt. EXACERBAVERUNT. Hebr. *limitaverunt*, dicentes scilicet: Hoc Deus potest, hoc non potest. Potest etiam exponi, *crucifixerunt*: nam verbum Hebraicum *bithuu* a תו *thau* deducitur, quæ vox in lingua Hebraica *crucem* significat, sed & in Græca, ut Lucianus ait in Iudicio Vocalium. Et sane ea litera crucis figura est Græcis. Hebræis etiam erat olim, prius quam Esdras hos novos characteres excogitasset. Unde fortassis manavit, ut eius litteræ nomine *crux* intelligatur.

V. 42. MANUS EIUS; id est auxilii quod dedit sunt obliti. DIE, pro diei. Sic Grec. sic Hieronymus in Fabri Psal. Hebraica in utroque casu verti possunt, sed præstat in genitivo; ut sit sensus: Neque auxilii recordati sunt, neque temporis, quo liberavit eos.

V. 43. SICUT POSUIT. Repete: *Non sunt recordati*, quomodo signa posuit. Hebr. *quæ posuit in AEgypto*. SIGNA SUA, miracula. IN CAMPO TANEOS. Hebr. *in campo Soban*: de quo vers. 12. est dictum.

V. 44. FLUMINA EORUM, aut *lacus*, ut alii, vertit in sanguinem. ET IMBRES EORUM. In AEgypto non pluvit. Hieronymus, *& rivos eorum*: sic Hebraice.

V. 45. COENOMYIAM, id est *muscas omnifariam*. Sic Hieron. ad Suniam extrema affirmat legendum Græce κοινόμυιαν id est *omne genus muscarum*: sicque vertit ipse in Psalterio ex Hebræo, secus quam in Comment. Idque vox Hebraica significat *muscarum miscellaneam*. ET COMEDIT EOS, id est occidit. ET RANAM, pro ranas. ET DISPERDIDIT EOS, sive corrupit eos.

V. 46. ET DEDIT AERUGINI. *AErugo* est vitium segetum ex humore incidente. Alii vertunt *bruchum*, etiam Hieron. Psalt. Gotth. legit *caniculæ*. Quid id?

V. 47. ET OCCIDIT. Sic Hebr. id est perdidit vineas. ET MOROS EORUM. Heb. & Hieron. *sycomoros*, alii *sycaminos*. Arbores sunt moro & ficui similes. IN PRUINA, aut glaciatis lapidibus occidit, perdidit.

V. 48. ET POSSESSIONEM, aut greges eorum igne consumpsit. Vox Hebr. *mikneh* & *possessiones*, & *greges* significat.

V. 49. IMMISSIONES PER ANGELOS MALOS in eos misit. Hebr. *immissionem angelorum malorum*: sic Hieron. Nam ut Angelos bonos mittit ad salutem, sic malos ad exitium, quibus ut carnificibus utitur.

V. 50. VIAM FECIT, Hebr. *libravit*: complanavit *viam iræ*, ne quod esset impedimentum. NON PEPERCIT A MORTE; id est, tradidit morti, vita spoliavit & anima, tum ipsos, tum iumenta eorum.

V. 51. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM, id est primogenitos. Ii sunt primitiæ doloris parentum in procreando, educandoque; sive fortitudinis eorum, quoniam robur patris in generatione filiorum perspicitur. Vox און *on* & *dolorem* significat, & *robur*. IN TABERNACULIS CHAM, id est in AEgypto. AEgyptii enim ex progenie Cham erant. Idque contumeliæ causa ponit.

V. 52. ET ABSTULIT, & proficisci fecit. SICUT OVES, aut gregem perduxit populum.

V. 53. IN SPE, id est confidenter, tuto. ET NON TIMUERUNT; pro ut non timerent.

V. 54. IN MONTEM. Sive totam Iudæam sic vocat, quoniam montosa erat; sive Ierusalem. Hebr. *in terminum*, pro fines. SANCTIFICATIONIS SUAE. Heb. *sanctitatis suæ*, id est quem elegerat, ut esset domicilium sanctitatis. ACQUISIVIT, scilicet montem eum, pulsis Chananæis. A FACIE EORUM: ante eos eiecit gentes. ET SORTE DIVISIT EIS TERRAM. Heb. *& iecit eis in fune hereditatem*. *Eis*, scilicet Israelitis.

V. 55. IN TABERNACULIS EORUM, scilicet Chananæorum, habitare fecit suos.

V. 56. ET TESTIMONIA: præcepta, leges non custodierunt. loquitur de Hebræis.

V. 57.

V. 57. ET NON SERVAVERUNT PACTUM. Hebr. *prævaricati sunt*. Græca Regia, ἠθέτησαν; id est, *& reprobaverunt*. Rom. ἠσυνθέτησαν; id est, *pactum reliquere*. Atque ex hac posteriori lectione pacti mentionem factam in Vulgata, ait Hieronymus ad Suniam, & Fretellam. IN ARCUM PRAVUM, qui scilicet non scopum attingit, sed aliud quidvis.

V. 58. IN COLLIBUS SUIS, ubi impia altaria erigebant, irritarunt Deum. AD AEMULATIONEM: ad zelum, & indignationem magnam eum provocaverunt.

V. 59. SPREVIT. Hebr. *Iratus est*. ET AD NIHILUM REDEGIT. Hebr. *& repulit valde Israelem*, aut *abominatus est valde*.

V. 60 TABERNACULUM SILO: sprevit scilicet illud propter populi peccata. UBI HABITAVIT IN HOMINIBUS, pro inter homines. Ibi enim responsis, & miraculis se præsentem ostendebat.

V. 61. VIRTUTEM EORUM. Heb. *robur eius*, scilicet populi, id est fortissimum quemque. ET PULCHRITUDINEM, id est quidquid in populo pulchrum erat, hosti tradidit.

V. 62. ET CONCLUSIT IN GLADIO; pro, & tradidit gladio, scilicet Philisthinorum. HEREDITATEM SUAM SPREVIT. Hebr. *& in hereditatem suam indignatus est*.

V. 63. ET VIRGINES EORUM NON SUNT LAMENTATAE. Potest hoc verbum active sumi; pro, non plorarunt in suorum cæde: aut passive; id est, in earum funere nemo luxit. Sic Hieronymus sumpsit: & quidem verbum *hulalu* passivum est. Ex Hebræis plerique sic intelligunt: *Et virgines non sunt laudatæ*, scilicet nuptiali carmine: non pervenerunt ad nuptias. Et qui possent, iuvenibus occisis?

V. 64. SACERDOTES. Forte per *sacerdotes* optimates intelligit. NON PLORABANTUR. Hebr. *non plorabant*. Maior erat calamitas, quam ut lacrymis locum daret. Recte quidam: *Quodque in extremis solet, periere lacrymæ*.

V. 65. TAMQUAM DORMIENS, id est quasi e somno. POTENS CRAPULATUS. Hebr. *Fortis clamans præ vino*, id est ebrius (id significat vox *crapulatus*) excitatus est Dominus.

V. 66. ET PERCUSSIT INIMICOS SUOS IN POSTERIORA; id est, postquam in fugam conversi erant, retro percussit eos.

V. 67. TABERNACULUM IOSEPH, scilicet tabernaculum Silo, quod in tribu Ephraim filii Ioseph, repulit. Nam transtulit tandem arcam, & tabernaculum Ierusalem, urbem tribus Iuda.

V. 69. SICUT UNICORNIUM, scilicet cornu; id est, *excelsum pretiosum fecit sanctuarium*, ut est illud cornu. Sic Heronymus, & Chald. ex quo constat, non legisse eos *ramim*, ut modo Hebr. legitur, sed *remim*, quod significat *unicornem*. Neque vero in sententia discrepant hæ duæ lectiones: sic enim Hebræi explicant: *Aedificavit sanctuarium sicut excelsa*, scilicet palatia, & arces. IN TERRA, QUAM FUNDAVIT IN SAECULA. Hebr. *sicut terram fundavit eam in sæculum*; id est, quam terram fundavit perpetuam. Itaque perpetuitate sanctuarium cum terra certabit. Verum Septuag. pro Caph legerunt Beth: quæ litteræ sunt simillimæ. Sed rursus Græci codices variant, ut Hieronymus ea epistola tradit. Quidam habent, *in terra fundavit in sæcula*, ut *sæcula* iungatur cum *sanctuario*: quæ lectio in Græcis hodie retinetur, tum Reg. tum Rom. Alii, *in terra, quam fundavit in sæcula*. Sic legit vulgatus Interpres.

V. 70. DE POST FETANTES; id est, post fetus euntem e pastoritia arte elegit David.

V. 71. PASCERE; pro, ut pasceret, id est regeret. IACOB SERVUM SUUM. Heb. *Iacob populum suum*.

V. 72. ET IN INTELLECTIBUS deduxit eos David, in prudentia per prudentiam. Heb. est in plurali. Græci variant: alii ἐν συνέσει habent in singulari; alii ἐν συνέσεσι, *in prudentiis*. Prior lectio est in Rom. posterior in Regiis. Utra melior, ne Hieronymus quidem ea epistola, ubi etiam de hac varietate agit, satis explicuit: posteriorem tamen præferre videtur, *in prudentiis*. MANUUM SUARUM. In manibus non est prudentia, sed exemplo facillime iubetur. Et sane prudentia Principis in opus prodire debet, alioquin inutilis erit.

MALVENDAE.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Hebr. משכיל *macil ipsi Asapho*. Vide in Psal. XXXI. vers. 1. & in XLIX. vers. 1.

V. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM. De hac locutione, *Aperire os*, vide in Iob III. vers. 1. Hic exponunt: Id est, initium dicendi faciam. *In parabolis.* Heb. singulariter, *in proverbio*. De voce משל *masal*, abunde disseruimus in Numer. XXIII. 7. Aliqui exponunt: *Aperiam per parabolam os meum*; id est, exempla; quorum alia sunt historica & vera, ut hoc Psalmo; alia ficta, ut similitudines, comparationes, allegoriæ, sed tamen ad docendum apposita; alia denique ex communi usu deprompta, etsi singularem aliquam historiam minime attingant: ut Matth. XIII. & in Evangeliis passim. Ergo hic *parabola* significabit præclara exempla, atque gravissima, mira & præstantissima dicta, quæ auditores captos & attonitos habeant, admirabilem narrationem de rebus magni momenti. Varie alii reddunt. I. *Aperiam cum sententia os meum*; id est, eloquar sententias. II. *Aperiam ad insignia quædam facta os meum*. LOQUAR PROPOSITIONES AB INITIO. De voce חידות *bidoth* vide Notas in Numer. XII. 8. Et Lib. VII. de Antichristo, cap. III. Hic varie transferunt. I. *Scaturiam*, seu *eructabo ænigmata a principio*. II. *Eruam priscarum rerum ænigmata*. III. *Eructabo acumina ab antiquo*. IV. *Eloquar abstrusa quædam temporis prisci*. V. *Proferam ænigmata ab initio*; id est, exponam verbis res, quæ præ vetustate obscuræ sunt. VI. *Eructabo occulta inde a prisco tempore*; id est, copiose effundam: metaphora a fontibus: *occulta*, id est documenta, quæ sub exemplis latent: nam hic versus proleptice complectitur argumentum Psalmi, nimirum exempla, in quibus est narrationis summa; & exemplorum documenta, quæ propositione continentur, a vers. 5. ad 12. Alii *ænigmata*, *arcana*, *recondita*, *abscondita*, *occultata*, *abstrusa* accipiunt, quod omnia illa veteris Instrumenti gesta, factaque typum, figuram, mysterium continerent rerum sub Christo futurarum, quæ sub illis umbris latebantur, & figurabantur, ut late exequitur Paulus 1. Corinth. X. & Hebræor. IX. X. & XI. capp. Aliqui totum versum ita paraphrastice convertunt: *Commemorabo quæ fabulæ videri, & supra fidem esse possint, nisi vere constaret superioribus sæculis contigisse ea.* Buchananus:

Mira canam, sed vera canam; quæ longa vetustas
Occulit arcanis oracula mersa tenebris,
Evolvam....

Sententiam huius versiculi in Christo adimpletam affirmat Matthæus XIII. 35. vel quod eadem verba, alio tamen sensu, aptissime Christo accomodarentur: vel quod Psaltes de se historice loquens, de Christo quoque prophetice intellexerit. Consule Explanatores Evangeliorum. Plerique auctorem huius Psalmi Davidem, vel Asaphum volunt, qui prisca populi Dei gesta, & memoranda Dei opera erga illum, hoc carmine cecinerit. Aliis videtur, hæc Ode a Rege Ezechia, aut Propheta Iesahia, aliove sub illa tempora fuisse scripta, quibus regnum Israelis intercidit, II. Reg. XVII. quod inde a versu 67. explicare videatur præsentem illum statum miserrimum populi Israelitici, quando tandem abductus fuit.

V. 4. NON SUNT OCCULTATA A FILIIS EORUM. Hebr. *Non celabimus ea de filiis eorum*, vel non celabimus filios eorum. Vide Deuteron. IV. 9. & VI. 7. NARRANTES LAUDES DOMINI. Notant esse præsens pro tempore perpetuo, ut accipiendum esse docet vers. 6. quasi dicat, narraturos perpetuo.

V. 5. ET SUSCITAVIT. Hebr. *Et statuit*: observant esse propositionem documentorum Dei usque ad vers. 8. & exemplorum ad confirmanda documenta pertinentium, usque ad vers. 12. TESTIMONIUM. Exponunt, Id est Circumcisionem, & cæremonias, quibus doctrinam de suo fœdere & populi officio, id est legem, & Evangelium suis testificabatur, & obsignabant Deus. Sequens membrum huius exegesis est: nam Testimonii nomine lex & mandata Dei intelliguntur, quod sint testimonio Israelitis, quod ea super se receperunt: & universe sumitur pro Dei verbo, quo nobis suam voluntatem testatur. Aliqui fœdus hic accipiunt, quod partium contestatione & stipulatione peragebatur.

V. 8. NE FIANT SICUT PATRES EORUM; quorum historia continetur in narratione infra vers. 12. ad vers. 59. GENERATIO PRAVA, ET EXASPERANS, &c. Diversimode reliquam hanc partem versus ex Heb. transferunt. I. *Generatio rebellis & irritans*:

tans: generatio, quæ non præparavit cor suum, & non credidit Deum spiritus eius. II. *Generatio declinans, & provocans: generatio, quæ non præparavit cor suum, & non est fidelis Deo spiritus eius.* III. *Natio defectrix & perfida: natio, que non muniret cor suum, cuius spiritus non esset verax erga Deum.* IV. *Homines, qui pertinaciter rebelles fuerunt Deo, & contumaces: quibus numquam, id quod rectum est, cordi fuit, nec umquam ex animo crediderunt Deo.* V. *Natio deficiens & rebellis: natio quæ recte cor suum haud quaquam instituit, & cuius spiritus numquam vere Deo credidit*, seu *firmiter adhæsit*. VI. *Generatio contumax & rebellis: generatio, quæ non comparavit animum suum, & cuius spiritus non fuit constans erga Deum fortem.*

V. 9. FILII EPHRAIM INTENDENTES ET MITTENTES ARCUM, CONVERSI SUNT IN DIE BELLI. Plerique putant tangi hic historiam illam, cuius obscure fit mentio I. Paralipom. VII. 20. & 21. de qua vide Notas in eum locum. Alii malunt hic describi breviter, & proleptice eversionem regni Israelitici, & postremam deportationem II. Reg. XVII. Unde exponunt: Ut posteri Ephraiimi, id est regnum Israeliticum, quod synecdochice Ephraiimi nomine significari solet, quia regnum Israelis ab ea tribu cœpit in Ieroboamo, quæ ex eo tempore principatum in decem tribus obtinuit: sic apud Prophetas passim. Huius autem historia habetur infra a vers. 59. usque ad 68. *Armati, iaculantes arcu*, id est instructissimi peritia, rebusque militaribus, sive ad deferendum se, sive ad lædendum: synecdoche: *vertentes terga tempore prælii*, id est fusi & cæsi sunt, prout Hoseas prædixerat, sub finem cap. X. & Hamos VII. 17. *Intendentes*. Heb. proprie, *Osculantes, applicantes* ad os arcum, ut directius sagittarentur, seu iacularentur: sic I. Paralipom. XII. vers. 2. alii, *armati arcu*: nam est duplex regimen, & genitivus, *arcus*, servit utrique participio: *applicantes arcus, & iacientes arcus*. Nonnulli hunc versum ita reddunt: *Filii Ephraiim armati proficiscebantur contra voluntatem Domini, ut iaculis peterent vicinos, & bona illorum diriperent: quare inferiores hostibus facti, in prœlio terga verterunt*. Buchananus:

.... cur soboles Eframi docta sagittis
Figere, vel iaculo quamvis distantia certo
Terga dedit pene ante tubas? latebrisque salutem
(O pudor!) abiectis quæsivit turpiter armis.

Nec desunt qui existimant, breviter innui hic a Psalte magnam illam Ephraiimitarum cladem, quæ describitur Iudic. XII.

V. 10. NON CUSTODIERUNT TESTAMENTUM DEI. Quidam: *Quia non servaverunt fœdus Dei*. Putant respectum ad II. Reg. XVII. 7. & sequentibus. Alii universe de defectionibus variis populi a fœdere Dei in deserto, & terra Chenahanæa.

V. 12. CORAM PATRIBUS EORUM FECIT MIRABILIA, &c. Orditur iam elegantissimam narrationem operum mirabilium Dei, & beneficiorum eius, quæ per antithesim cum ingratis Israelitarum factis comparata amplificant eorum impietatem, & æquitatem iudiciorum Dei. Notant autem, ista opera, quibus amplificatur populi improbitas, duobus temporibus distincta hic esse: primum est cum in AEgypto versati sunt, & in profectione, usque ad vers. 54. secundum cum missi sunt in possessionem terræ, & eam obtinuerunt, inde a vers. 54. usque ad vers. 68. Prioris autem temporis duplicia sunt opera: unum singularis beneficentiæ Dei erga suos, hinc usque ad vers. 42. alterum mirabilium iudiciorum in adversarios, versibus sequentibus. MIRABILIA IN TERRA AEGYPTI. Heb. singulariter, *Arduum, excelsum, separatum, mirabile, miraculum*, pro *miracula*, id est ingentia, & mirabilia opera, supra captum & vires humanas: de quibus a primo capite Exod. usque ad XIV. IN CAMPO TANEOS. Heb. *in agro Tzobanis*. Alii, *agro Tanitico*. Vide de hac regione in Numer. XIII. 23. sic infra vers. 43.

V. 13. INTERRUPIT MARE, ET PERDUXIT EOS, &c. Vide de hoc versu Exod. XIV. 21. & XV. 8.

V. 14. ET DEDUXIT EOS IN NUBE DIEI, &c. Vide de hoc versu Exod. XIII. 21.

V. 15. INTERRUPIT PETRAM IN EREMO, &c. Vide Exod. XVII. 6. & Num. XX. 11.

V. 17. IN IRAM EXCITAVERUNT EXCELSUM. Heb. est infinitum למרות *lamroth*. Varie redunt. I. *Ad mutandum altis-*

tissimum; id est, ut verum Deum profalso mutarent. II. *Ut provocarent*, *irritarent*, *exacerbarent*, *Excelsum*: vel *exacerbando*, *exasperando*, *Altissimum*. III. *Rebellare*, *deficere*, *apostatare*, *ab Altissimo*, scilicet addiderunt, vel perrexerunt, ex initio versus. IV. *Ad esse inobedientes*, *immorigeros*, *Altissimo*. V. *Ad amaricare*, vel *amarore afficere*, *Altissimum*. Elegante Hispanica phrasi, qua eum cui vehementer ægre facimus, dicimus, *Lo amargò*. Sic infra vers. 40. & 56.

V. 18. UT PETERENT ESCAS ANIMABUS SUIS. Heb. singulariter, *ad postulandum cibum*, *escam*, *animæ suæ*. Exponunt, id est *sibi*, vel *pro desiderio animi sui*, aut *pro sua cupiditate*, seu *libidine*. Quidam, *qui gulæ suæ*, seu *voracitati*, *faceret satis*.

V. 19. ET MALE LOCUTI SUNT DE DEO, &c. Heb. *Et locuti sunt in Deum*. Alii: *Et oblocuti sunt contra Deum*, &c. Vide historiam Numeror. 11.

V. 21. ET DISTULIT. Heb. *Et transire se se fecit*. Explicant, scilicet per ignem iræ, *excanduit*, *exarsit*, *excessit modum*, *gravissime animo inflammatus est*. Nos ita accipimus: *Et invectus est*: coniugatio Hithpahel sensum auget: *acerbissime invectus est*, *vehementissime pervasit*, vel *invasit*. Quidam exponunt: *Transire fecit sibilem*, *efferbuit*. Illud Nostri, *Et distulit*, eodem pertinet. *Sese extulit*, vel *intulit in eos*: aut *distulit*, seu *distraxit eos*. Sic infra vers. 59. & 62. ET IGNIS ACCENSUS EST. Heb. proprie, *ascensus*, *scansus*, *est*; id est, succensus est: cum primum enim ignis est, accenditur, ascendit flamma. Verbum quod hic in Niphal ponitur, proprie *scandere*, *ascendere*, significat; & de ascensione ignis in altum dicitur: congruitque non nihil cum נשק *nascbak*, dextro, quod flamma in altum ascendens superiora osculetur, & allambat. Vide consimilem locutionem Exod. XXV. 37. ET IRA ASCENDIT. Consimili præcedenti locutione, *Ascendere iram* est vehementer iram exardescere, quod accenso igne statim flamma ascendat: synecdoche. Heb. *Et nasus ascendit*, id est intumuit; quod vehementer iratis nasus intumescat. Sic infra vers. 31.

V. 23. ET MANDAVIT NUBIBUS DESUPER. Aliqui reddunt: *Quamvis præcepisset superioribus nubibus superne*; id est, præcepto suo effecisset ut nubes distillarent man. ET IANUAS CAELI APERUIT; id est, maxima copia effudit: metaphora. Quidam: *Et tamquam ianuas cæli aperuisset, nubes ipsas rupit*.

V. 24. ET PLUIT ILLIS MANNA AD MANDUCANDUM, &c. Vide Exod. XVI. 14. & seqq. & Numeror. XI. 7. & seqq. PANEM CAELI DEDIT EIS. Quidam, *frumentum cælorum*. Alii, *cæleste triticum*, id est semen man, præbens usum frumenti. Vide Numer. XI. 8.

V. 25. PANEM ANGELORUM. Vocem אבירים *abbirim* varie hic explanant. I. *Fortium*, *robustorum*, *magnatum*, *regum*, *principum*, *magnificorum*, *potentium*, *heroum*, id est panem, vel cibum dignum eiusmodi hominibus, qualem ii manducare solent. II. *Fortium*, *robustorum*, id est cælorum, qui fortes sunt, vel nubium. Quidam reddunt: *Panem*, *res mira! qui e nubibus deciderat*, *quæ natura frumenti feraces non sunt*, *comedit homo prognatus e terra*. III. *Panem robustissimorum*, id est Angelorum, quem non pistores, aut humana opera, sed ipsi cælites Angeli administri voluntatis Dei suppeditabant. Sic dicuntur Angeli, quia & natura robustissimi, & potentiam suam aliquatenus cum eis communicat Deus, quem Scriptura passim Robustum Israelis vocat. Nos: *Panem pennigerorum*, *alatorum*, *pennatorum*, *volucrium*, *volantium*; ut sit hic proprium Angelorum epitheton. Vide in Genes. XLIX. 24.

V. 26. TRANSTULIT AUSTRUM DE CAELO. Alii: *Impellens eurum in cælis*, id est eum ventum qui intermedius est inter orientem & meridiem, quem Eurum proprie appellari docet Vitruvius Lib. I. Alii non tam recte, *Abstulit*. AFRICUM. Alii, *Austrum*, ventum meridianum, Græcis, *Notum*, quo ex tractu plurimum animalia eiusmodi gregaria impelluntur. De utroque vento vide Nonium Marcellum, cap. 1. §. 251. Historiam hanc descriptam habes Numer. XI. 31. & 32.

V. 28. IN MEDIO CASTRORUM EORUM. Heb. affixum est singulare, *in medio castrorum eius*, scilicet *populi*: vel intra castra sua, nempe Dei, id est quæ sibi vendicabat, & in quibus habitabat prospiciens populo suo: exaggeratio criminis Israelitarum: sic in sequente membro, *circa tabernacula eius*, vel *sua*.

V. 29.

V. 29. Et desiderium eorum attulit eis. Heb. *& concupiscentiam eorum venire faciet*, vel *fecit*, *eis*. Alii: 1. *& quod concupiverant illi, attulit illis*: 2. *& reddidit eos voti compotes*: 3. *& satisfecit gulæ, aviditati, eorum.*

V. 30. Non sunt fraudati a desiderio suo. Heb. *Non abalienati sunt a concupiscentia sua*. Plerique cum LXX. & Nostro antecedentibus iungunt: *Non sunt destituti, separati, fraudati concupiscentia sua*, id est iis quæ concupiverant: nihil deerat desiderio eorum: plene illis omnia pro voto obtigerunt: ut bis idem dicat ad auxesim. Alii sequentibus nectunt, quod & interpunctio Hebraica videtur exposcere: *Nondum alienati erant a concupiscentia sua*; id est, nondum recesserant a cupiditate sua: nondum cessaverat aviditas illa, seu voracitas eorum: adhuc se explebant carnibus, quas concupierant, post elapsum mensem, de quo Numer. xi. 20. nondum satietas carnium eos cœperat; immo cum adhuc cibus eorum esse in ore eorum. Vide Numer. xi. 33. Buchananus versum sic carmine reddidit:

> *Iamque epulis exempta fames: sed prava libido*
> *Non exempta tamen: sed adhuc fine fine petitæ*
> *Faucibus hærebant epulæ.*

V. 31. Et occidit pingues eorum. Heb. *Et interfecit in pinguedinibus eorum*. Quidam, *inter pingues eorum*. Alii, *e pinguidissimis eorum*, id est e quibusque robustissimis, & valentissimis corpore, qui præstantiores erant inter eos, fortiores; qui habitiores erant, & viribus præcellebant: quos non dubium est, eo insolentius firma sui corporis constitutione abusos extulisse se contra Deum, postquam illis profusis donis a Deo saginati essent, ut exprobrat Moseh Deuteronom. xxxii. 15. Et electos Israel impedivit. Hebr. *& iuvenes adolescentes, selectiores, Israelis curvare fecit, deiecit stravit, prostravit, succumbere fecit, pressit, succidit.*

V. 32. In omnibus his peccaverunt adhuc. Heb. *In omni isto peccaverunt adhuc*. Quidam: *Cum omni hoc*, vel *super omne hoc, peccaverunt adhuc*. Alii: *Post totum hoc peccaverunt amplius*, murmurando adversus Deum, Numeror. xiv. xvi. & xvii.

V. 35. Redemptor eorum est. גואל *ghoel, redemptor, assertor, vindex iure consanguinitatis*: quod proprie Christo æterno ac vivo Filio Dei convenit. Vide in Genes. xlviii. 16.

V. 37. Et dilexerunt eum in ore suo. Varie ex Hebr. convertunt. I. *Et lactaverunt eum in ore suo*, id est blande deceperunt. II. *Et blandiebantur ei in ore suo*. III. *Et allexerunt eum ore suo*. IV. *Et blande persuaserunt eum ore suo*. V. *Quamvis conarentur eum decipere*, id est hypocritas agerent coram eo. Hoc versu statuunt Hebræi dimidium libri Psalmorum. Vide hic Notas Nebiensis, & Titelmani.

V. 37. Cor autem eorum non erat, &c. Hunc versum alii ita ex Hebr. reddunt. I. *Et animus ipsorum non esset comparatus erga eum: neque constantes essent in fœdere eius*. II. *Cor enim eorum non erat integrum erga ipsum: neque fidem fœderis eius servabunt*. III. *Cor enim eorum non erat candidum erga illum: nec perstiterunt bona fide in pacto quod pepigerant cum illo*: vel *nec, fidi fuerunt in fœdere eius*; id est, neque servaverunt fidem in pacto Dei, quod erat ut Deus esset Deus eorum, & ipsi eius populus.

V. 38. Et abundavit, vel *multiplicavit*, ut averteret iram suam. Hebraismum hunc alii ita emolliunt. I. *Et strenue curavit, ut cohiberet iram suam*. II. *Et magnopere iram suam sedavit*. III. *Ac sæpe numero revocavit, retraxit, iram suam*. IV. *Et abundavit in avertenda ira sua*; id est, magnopere compressit indignationem suam. V. *Et plurimum avertebat iram suam.*

V. 39. Quia caro sunt: spiritus vadens, &c. id est mortales esse a natura, ut omnis caro est, & evanidos, instabilesque ut ventus. Alii: *Quod caro essent ipsi, variis, & stultis concupiscentiis obnoxii: & spiritus abiens suapte natura* a corpore, *non reversurus*. Nonnulli: *Spiritus vadit & non revertitur*: vel *abeunte spiritu, & non redeunte*; id est, evanescente mox ab eis illa divinarum actionum cogitatione.

V. 40. In iram concitaverunt eum. Alii ex Hebr. 1. *contristaverunt eum*; 2. *dolore affecerunt eum*; 3. *affixerunt, fatigaverunt eum*; 4. *molesti ei fuerunt*. Notant esse hoc versu exclamationem patheticam;

quasi

quasi dicat: Quis fando possit enarrare tot rebelliones, & improbitates, quibus provocarunt Deum?

V. 41. ET CONVERSI SUNT, ET TENTAVERUNT DEUM. Heb. *Et reversi sunt, & tentaverunt fortissimum Deum*; id est, identidem & sæpius, iterum atque iterum tentaverunt, notissimo Hebraismo, & Hispanismo. Alii: *Qui subinde tentaverunt Deum fortem*. Non tam recte nonnulli: *Et aversi ab eo, tentaverunt Deum*: vel, *Reversi enim ad ingenium, iterum tentare conati sunt, quam ipse potens esset Deus*. ET SANCTUM ISRAEL EXACERBAVERUNT. Diversimode ex Hebr. transfundunt. I. *Et Sanctum Israelis signaverunt*. II. *Et Sanctum Israelis definierunt*. III. *Et Sanctum Israelis limitaverunt*. IV. *Et Sanctum Israelis designaverunt*. V. *Et Sanctum Israelis circumscripserunt*. Exponunt: Fere & Deum Israelis sanctificatorem, quasi quibusdam præscriptis signis, terminis, limitibus, finibus, metis concluserunt & comprehenderunt, ut dicerent, eum ista posse facere, & illa non posse: tantum sibi arrogarunt, ut infinitam Dei potentiam arbitratu suo definirent, & quasi terminos eis circumdarent, modo hæc ab illo præstanda esse affirmantes ex sententia animi sui, modo negantes illa præstari posse: quod genus exempla in libris Mosis recesentur multa. VI. *Et Sancto Israelis signum præscripserunt*. VII. *Et Sanctum Israelis ludibrio habuerunt*, vel *pro insano habuerunt*: quæ verbi acceptio non abhorret a loco I. Samuel. XXI. 13. VIII. curiose aliqui: *Et Sanctum Israelis crucifixerunt*. Putant verbum תוה *thavah* effictum a littera Thau, quam olim figuram crucis expressisse volunt: vide Notas in Ezechiel. IX. 4. ut iam his acerbitatibus, quibus isti in Deum debacchati sunt, quasi præfigurasse viri sint supplicium crucis, quo tandem Filium Dei erant affecturi. Et si libet sectari mysterium, haud absurde accipies, *Et Sanctum Israelis signaverunt*, de sacris plagis & stigmatibus Christi. Nec mysterio vacat transitiva significatio formulæ Hiphil: *Et Sanctum Israelis crucifigere*, vel *signare fecerunt*. Iudæi non per se, sed per Gentiles, id agentes apud Pilatum: *Tradent eum gentibus ad flagellandum, & crucifigendum*: Matth. XX. 19.

V. 44. ET CONVERTIT IN SANGUINEM FLUMINA EORUM, &c. Vide Exod. VII. vers. 19. & sequentibus.

V. 45. MISIT IN EOS COENOMYIAM, &c. Vide Exodi VIII. 21. & seqq. ET RANAM, &c. Vide Exod. VIII. 2. & seqq.

V. 46. ET DEDIT AERUGINI FRUCTUS EORUM; &c. Vide Exod. X. 12. & seqq.

V. 47. ET OCCIDIT IN GRANDINE VINEAS EORUM. Heb. *Interficiet in grandine vitem eorum*, id est corrupit, & omnino perdidit: metaphora: & futurum indicat continuitatem & perseverantiam perdendi: & numerus singularis, *vitem eorum*, emphasim habet, id est unamquamque vitem, ut ne unam quidem reliquam fecerit. Quidam putant in nominibus *vitis*, ac *sycomororum* esse synecdochem, id est omnem proventum terræ, & plantas qualibet, sativas, insitivas, humiles, altas, teneras, agrestes, ac valentissimas. Vide Exod. IX. 22. & seqq. IN PRUINA. חנמל *chanamal* aiunt esse *grandinem vehementiorem habentem ignem intermixtum*, ac licere *fulmen reddere, & sicimos eorum fulmine*. Alii, *grandine maiuscula*. Quidam, *concretis ex nube lapidibus*. Nonnulli *glaciato lapide*. Alii, *frigore acerbo*. Alii, *gelu incisivo*. Aliqui componunt ex חנית *chanith*, *lancea*, & מול *mul*, *præcidere*: atque *fulmen*, vel *ictum fulminis* interpretantur, ut cum nubibus emittitur lapis aculeatus instar lanceæ, qui discindit, & perdit res tactas. Hebræorum nonnulli speciem locustæ esse volunt, a חנה *chanah*, *insedit*, & מל *mal*, *excidit*, quæ herbis, & arboribus insideret, & in illis excideret virentia. Plerique tamen alii *glaciem fortem* esse docent, quæ flores arborum frangit, seu decutit, & humorem exsiccat, seu virorem. Nec desunt qui *glaciem rotundam* reddant. Tremellius, & Iunius: *Igni, qui quacumque insidebat, consumere. Sic interpretamur Hebræam vocem compositam, adducti cum illius etymo, tum comparatione sequentis versus, & verborum Moschis Exod.* IX. *vers.* 23. & 24. Quod equidem censemus recte instituto convenire. Nec male Noster, *in pruina*, quæ insidet, & exurit.

V. 48. ET POSSESSIONEM EORUM IGNI. Varie alii ex Hebr. 1. *& acquisitionem eorum scintillis*; 2. *& iumenta eorum dæmonibus*; *& 3. pecora eorum carbonibus ignitis*, seu *prunis ignitis*; 4. *& greges eorum contagionis iaculis*; 5. *& pecora eorum fulge-*

getris, quæ scilicet volando incendunt. 6. *& peculium eorum ignitis iaculis*, seu *telis*, id est fulminibus. Vide de voce רשפים *reschaphim*, in Deuteron. XXXII. vers. 24.

V. 49. INDIGNATIONEM. עברה *ghebrah* aiunt esse *ardorem iræ*, *excandescentiam*, *furorem*, *qui inflammat & pervadit ut ignis*. Proprie est *transitus*, *pervasio*, *excessus*, *iræ*, *impetus iræ*, *via pervadens*, *ira gravior*, *& quæ modum transgreditur*, *iracundia*, *indignatio*. IMMISSIONES PER ANGELOS MALOS. Hebr. *missionem angelorum malorum*. Constructio Hebraica exposcit, ut illud *malorum* non sit epitheton adiectivum *angelorum*, quasi malos angelos accipiamus: nam nomen *Angelorum* est in regimine: sed substantive intelligamus *angelos*, seu *nuntios malorum*. Unde in Nostro clarius dictum fuisset, *per angelos malorum*, id est calamitatum. Alii neglecta syntaxi reddunt, *impressionem*, *incursionem*, *vim angelorum noxiorum*, seu *cacodæmonum*: nam Deus eiusmodi plagas seu calamitates immittere solet opera cacodæmonum, seu malignorum spirituum. Quidam, *immissionem cacodæmonum*, hic intelligunt umbras, & horrenda terriculamenta pravorum spirituum, quæ AEgyptiis obiiciebantur: de quibus Sapientiæ XVII. 4. Aliqui exponunt, *emissionem*, *manumissionem angelorum malorum*; quasi Deus eos tunc emiserit, ac manu miserit, laxasque AEgyptiis malefaciendi habenas effuderit. Nonnulli paraphrastice reddunt: *Vexatio illa & plagæ fuerunt*, *quales non solent ab hominibus quantumvis inimicis inferri*; *sed quales per angelos ab irato Deo immissos ad flagellandos illos qui vehementer sunt scelerati*. *Angelos malorum* hic quidam pravos spiritus; alii bonos Angelos intelligunt, per quos quoque solet Deus improbos punire, ut Genes. XIX. 13. & II. Reg. XIX. 35. Tremellius, & Iunius ita explanant, *Missione*, *missu*, vel *mittendo nuntios malorum*, id est Moschen, & Aharonem, per quos cum superiores plagæ, tum aliæ quæ hic *indignationis*, &c. nomine comprehenduntur, AEgyptiis prænuntiatæ atque immissæ sunt.

V. 50. VIAM FECIT SEMITAE IRAE SUAE. Diversimode ex Hebr. convertunt. I. *Appendet semitam furori suo*. II. *Direxit semitam furori suo*. III. *Ponderavit semitam furori suo*. IV. *Regulabit semitam iræ suæ*. V. *Ponderabat*, *trutinabat*, *dirigebat*, *semitam furori suo*. VI. *AEquilibravit*, *libravit semitam iræ suæ*, id est, adæquavit, sive munivit, ut sine impedimento exagitaret improbos. VII. *Libravit iter ad iram suam*; id est, iter profundendæ iræ suæ super AEgyptios quasi ad libram pependit, iniustam illorum contumaciam compensans iustis Dei iudiciis: elegans metaphora. VIII. *Perrexit quomodo cœperat irasci*. IX. *Expendit*, *consideravit*, *semitam iræ suæ*, id est modum & rationem, quo iram suam immitteret. NON PEPERCIT A MORTE ANIMABUS EORUM. Heb. *Non cohibuit a morte vitam illorum*; id est, non se abstinuit quin eos occideret.

V. 51. ET PERCUSSIT OMNE PRIMOGENITUM IN TERRA AEGYPTI. Vide Exod. XII. 29. PRIMITIAS OMNIS LABORIS. Vide de hac locutione in Genes. XLIX. 3. IN TABERNACULIS CHAM, id est AEgyptiorum a maledicto Cham filio Noe originem ducentium Genes. IX. & X. ubi S. Hieronymus: *A quo & AEgyptus usque hodie AEgyptiorum lingua Cham dicitur*. Et Chemmim urbem in Thebaide magnam, templo Persei celebrem nominat Herodotus Lib II. Numer. XCI. & Diodorus Siculus Lib. I. num. II.

V. 53. ET INIMICOS EORUM OPERUIT MARE. Quidam perspicuitatis causa reddunt: *Postquam inimicos eorum operuisset mare*: prout narratur Exod. XI. & XII.

V. 54. IN MONTEM SANCTIFICATIONIS SUAE. Hebr. *ad terminum sanctitatis suæ*. Alii: 1. *in fines sanctuarii sui*: 2. *in regionem sanctissimæ maiestati suæ gratam*, vel in regionem promissam a sanctitate sua, aut in regionem, in qua sancte coli & haberi pro Deo volebat: 3. *in terminum sanctitatis suæ*: hypallage: in sanctuarium, tabernaculum ab ipso determinatum. Vide Exod. XV. 13.

V. 55. ET EIECIT A FACIE EORUM GENTES, &c. Vide Numer. XXI. & Iosue XII. ET SORTE DIVISIT EIS TERRAM, &c. Vide Iosue 13. & sequentibus capitibus. Heb. *Et cadere fecit eos in fune hereditatis*. Quidam exponunt: *Et cadere fecit eas gentes in funiculo hereditatis*, id est prostravit gentes in sua ipsarum hereditate; quasi dicat: Partim expulit gentes, partim in suis earum finibus occidit. Alii: *Faciensque ut acciderent funiculo possessionis*, id

id est cederent gentes in possessionem populo Dei. Vide Deuteronom. xxxii. 8. & 9. Communiter de Israelitis accipiunt: *Proiecitque eis sortem hereditatis*: vel, *Et in funiculo dimisit eis hereditatem*; id est, habitare fecit Israelitas in hereditate promissa. Quidam: *Et admensus est eis hereditatem*. Alii: *Fune dividebat eis hereditatem*. Nonnulli: *Et immisit suos, ut iure velut hereditario possiderent sortem*.

V. 57. QUEMADMODUM PATRES EORUM, scilicet qui ex AEgypto exiverant, & perfide in Deum egerant, ut supra dictum est, CONVERSI SUNT IN ARCUM PRAVUM. Hebr. *sicut arcus fallaciæ*. Varie alii. I. *Rebellarunt sicut arcus vitiosus*. II. *Aversi sunt quemadmodum arcus, qui scopum non petit, sed fractus percutit eum qui tetendit*. III. *Retroacti sunt ut arcus qui fallit*. IV. *Retorti sunt in adversum ut arcus fraudis*. *Arcum fraudis* vocat, quod cum ad aliquid dirigatur, tamen alio mittit sagittam; quasi dicat: Retrocesserunt, nec servaverunt fœdus. V. *Conversi sunt* ad ingenium suum, *ut arcus iaculationis*, seu *sagittationis*, id est aptus ad sagittas emittendas; hoc est, ut arcus rigidus & fortis, qui quantumvis adducatur & inflectatur, statim emissa sagitta, redit in pristinam duritiem & statum; sic isti. VI. *Conversi sunt ut arcus fallax*; id est, licet prius sua hypocrisi præseferebant fidem, & utilitatem aliquam; tamen momento efficiebantur inutiles; ut cum arcus repente aliquo pacto corruptus fallit expectationem sagittarii: sic Hoseæ vii. 16. Buchananus:

Avertere suos recto de tramite gressus,
Non secus arcus curvat se in cornua nervo
Adducto, dextraque iterum, nervoque remisso,
In faciem subito flectit se sponte priorem.

V. 58. AD AEMULATIONEM EUM PROVOCAVERUNT. Hebr. *Ad zelotypiam concitaverunt eum*. Vide Deuteron. xxxii. 16. & 21.

V. 59. AUDIVIT DEUS, ET SPREVIT. Quidam: *Quod audiens Deus excanduit*, id est cognoscens: humanitus dictum.

V. 60. ET REPULIT TABERNACULUM SILO. Vide Historiam I. Samuel. cap. iv. TABERNACULUM SUUM, UBI HABITAVIT IN HOMINIBUS. Verbum שכן *schicen* in Pihel, passim intransitive accipiunt, *tentorium* quo *habitavit inter homines*. Alii transitive, *tentorium quod habitare fecit*, seu *collocaverat, inter homines*.

V. 61. VIRTUTEM EORUM. Hebr. *robur suum*, vel *fortitudinem suam*, id est arcam, & propitiatorium. Vide in I. Paralipomen. xvi. 11. ET PULCHRITUDINEM EORUM. Hebr. *& decorem suum*. תפארת *tiphereth*, *decus*, *ornatum*, *ornamentum*, *gloriam*, *splendorem*, *magnidecentiam suam*. Quidam exponunt, & cultum decore, & decenter institutum: nam loquitur de cultu in Silo decenter instituto. Quo respexisse putant Paulum I. Corinth. xvi. vers. 40. cum hortatur ut in Ecclesia *omnia decore, decenter, & secundum ordinem fiant*. Alii potius arcam accipiunt, quod sese in ea Deus gloriosum exhiberet: ut idem dicat duabus vocibus. Observant hanc vocem *Thiphereth*, Paulum aliquando *gloriam*, aliquando *coronam*, interdum utrumque simul complexum reddidisse, & nonnumquam *gaudium* addidisse, imitatum Ezechielis locum xxiv. 25. ut Philippens. iv. vers. 1. *gaudium & corona mea*: & I. Thessalonicens. ii. 19. *aut gaudium, aut corona gloriæ: vos enim estis gloria nostra, & gaudium*: ut sane Deus aptissime arcam vocet decus, ornamentum, gloriam, coronam suam, & gaudium suum. Quidam hunc versum paraphrastice ita reddunt: *Et capi permisit arcam fœderis, quæ erat veluti receptaculum omnipotentiæ illius: & ornamentum illud, unde ornare solitus fuerat populum suum, in potestatem hostium venire permisit*. Buchananus:

Deseruit monimentum fœderis arcam.
Hostibus in prædam, monimentum roboris, unde
Clara Dei in cunctas splendebat gloria terras.

V. 63. COMEDIT, seu *absumpsit*, *devoravit*, IGNIS. Exponunt, Id est iræ Dei, vel gladius Phelisthæorum consumens. Ignem appellat impetum, & furorem bellicum omnia devastantem. NON SUNT LAMENTATAE: passive, id est lamentis funebribus, næniis, & elegiis celebratæ. Putant, LXX. הוללו *hullalu* existimasse esse Hophal verbi ילל *ialal*: *Non sunt ululatæ*. Quidam: *Et virgines eius nemo deplanxit*. Hebræi, & plerique passim, He radicale faciunt, & volunt esse Puhal ver-

bi

bi הלל *balal*: *Et virgines eius sunt laudatæ*. Notant alludi ad morem, & cæremoniam, qua antiquitus in nuptiis, epithalamiis, & aliis id genus carminibus sponsas, cum a corporis, tum ab animi dotibus laudabant: & vult dicere, quod ante nuptias sint extinctæ, cælibes. Unde exponunt: *Et virgines eius non sunt laudatæ*, epithalamiis nuptialibus; hoc est, permanserunt, seu perierunt innuptæ, seu antequam elocarentur; propterea quod antequam nuberent, ab hostibus vel interfectæ, vel in servitutem abductæ sunt; vel earum sponsi in prælio ceciderunt. Nonnulli: *Et virgines eius non laudarentur*, id est manerent innuptæ, ac proinde illaudatæ epithalamiis, quæ solebant decantare paranymphæ ad laudes sponsi, & sponsæ, ut Psalm. XLIV. vers. 1. Ieremiæ VII. 34. & XXV. 9. & XVI. 10.

V. 64. SACERDOTES EIUS IN GLADIO CECIDERUNT, ut Hophni, & Phinechas I. Samuel. IV. 11. ET VIDUAE EORUM NON PLORABANTUR. Heb. *Et viduæ eius non flebunt*. Exponunt: Id est, nec viduæ superstites, si quæ fuerunt, casum illorum defleverunt. Alii: *Nec viduæ superfuerunt*, quæ casum illorum deflerent. Nonnulli: *Et viduæ eius non flerent*, sed præ gravitate mæroris illico extinguerentur; ut narratur de uxore Phinechasi I. Samuel. IV. 19. Bochius:

Funera nec cessis viduæ luxere maritis.

Alii cum Nostro malunt passive: *Et viduæ eius non sunt defletæ, deploratæ*, seu *comploratæ*. Buchananus:

.... carique mariti
Indeploratis viduæ iacuere sepulcris.

V. 65. ET EXCITATUS EST TAMQUAM DORMIENS DOMINUS. Aliqui reddunt: *Deinde evigilavit Dominus*; id est, post temporariam cessationem (quæ cum dormitione fere comparatur) opus tandem aggressus est in adversarios: humanitus dictum: qui visus fuerat tamquam dormiens; id est, quem Phelisthæi tum desidere, & ab omni opere vacare cogitabant, sive dormientem, sive vigilem. Nam hæc ex iudicio Phelisthæorum dici, historia docet, cum ita statuerent secum: Hic Deus magnificentissimus est: I. Samuel. IV. 8. quid ergo causæ est cur nunc cesset a magnificis operibus suis, nisi quod nunc demum dormit, & se ex anteacto labore recreat: aut si vigil est, vino obruitur, & in præsentia sui non est compos. Sed rectius est ut hæc allegoria sit ex iudicio Psaltis, qua humanitus describit, quasi excitatum Deum a gravi sopore, in hostes insurgentem. TAMQUAM POTENS CRAPULATUS A VINO. Varie ex Heb. transferunt: 1. *quasi fortis post crapulam vini*: 2. *quasi fortis exsultans ex vino*: 3. *tamquam potens clamans a vino*, vel *post vinum*, hoc est ubi edormivit crapulam: 5. *& sicut miles a vino exhilaratus*: 6. *velut heros qui ovat a vino*: 7. *tamquam aliquis heros fortis præ vino iubilans*: 8. *sicut fortis vociferans a vino*: 9. *sicut robustus cantillans ex vino*, id est nihil agens, sed tantum a vino actus, & mussitans. Sic idolatræ res ridiculas affingunt Deo. Quidam totum versum paraphrasi explanant: *Et expergefactus est tandem Dominus, quomodo solet qui vino obrutus post longum redit ad se: & iterum vino exhilarans sese, fortiter pericula aggreditur.*

V. 66. ET PERCUSSIT INIMICOS SUOS IN POSTERIORA. Heb. *Et percussit coangustatores suos post*. Nonnulli hic percussos Israelitas accipiunt: *Et percussit hostes suos retrorsum*, vel *in posteriori parte*; id est, effecit ut Israel terga verteret hosti, fugiendoque vulnera tergo acciperet: vel Israelem egit in fugam, effecitque ut hostis percuteret eos qui erant in postrema acie. Quidam: *Atque cecidit terga hostium suorum*. Buchananus:

.... arma iterum fugientes vertit in hostes:
Tergaque vulneribus figens imbellia cæcis.

Plerique tamen rectius Phelisthæos hostes populi Dei percussos intelligunt: unde reddunt: *Quare vulneravit hostium suorum podices*. Alii: *Et percussit hostes suos in podice*, id est exstantis ani. Vide I. Samuel. V. 6. OPPROBRIUM SEMPITERNUM DEDIT ILLIS. Istud de probo extantiarum ani accipiunt; quasi dicat: Sempiterna ac infami podicis ignominia affecit eos, quam numquam eluere poterunt: pudendo morbo ani in sempiternum reddidit eos propudiosos. Quidam: *Opprobrium sæculi*, seu *perpetuum*, *indidit eis*, nimirum cum Daghonem prostravisset, atque confregisset: unde invaluit mos apud Phelisthæos, ut non calcent limen inferum in æde Da-

ghonis: quæ superstitio ipsis probro fuit: I. Samuel v. 4. & 5. Non recte alii hoc de Israelitis intelligunt, quod scilicet vi armorum arca fœderis capta sit, & Israeli ablata, quod ipsis maximo probro fuit.

V. 67. ET REPULIT TABERNACULUM IOSEPH. Quidam reddunt: *Et repudiavit tentorium Ioseph*; vel *& abhoruit a tentorio Ioseph*, id est a tentorio quod erat in tribu Ephraim filii Ioseph, hoc est in Silo; ut supra vers. 60. Alii: *Tandem sprevit tentorium Iosephi*; id est, postquam multa ab Israelitis perpessus, & multa ipsorum causa in adversarios executus, multis modis divexavit eos, neque tamen resipuerunt ad ferulas eius; eo postremo deventum est, ut regnum Israelis pessumdaret, ut dictum est supra vers. 9. *Tentorium Iosepoi, & tribum Ephraimi non elegit*; id est, abiecit regionem, & regnum Israelitarum. Vide supra vers. 9.

V. 68. SED ELEGIT TRIBUM IUDA, &c. Beneficium Dei erga tribum Iudæ, in cuius regione cum sacerdotium, & cultum suum, hoc versu, & sequente tum etiam regnum stabilivit, & servavit Deus, versibus sequentibus. Vide II. Samuel. VII.

V. 69. ET AEDIFICAVIT SICUT UNICORNIUM SANCTIFICIUM SUUM. LXX. videntur legisse רמים *remim*, ut Psal. XXI. 22. *sicut unicornium*, id est sanctuarium suum validum, robustum, præstans, pretiosum, ut sunt unicornium cornua; iam exemplaria habent רמים *ramim*, *sicut excelsa*. Exponunt, Id est instar cælorum, sicut cælos: nam tabernaculum seu templum, & magnificentia & gloria cælum referebat, & sedes Dei, ut cælum erat. Alii vero, *sicut excelsa palatia*, vel arces, unde reddunt. I. *Et ædificavit sicut palatia excelsa sanctuarium suum*. II. *Istbic extruxit, quantum ambitiosissime fieri potuit, sanctuarium suum*. III. *Et extruxit similem altissimis regum palatiis ædem maiestati suæ dicatam*. IV. *AEdificavit simile excelsis palatiis sanctuarium suum*. IN TERRA, QUAM FUNDAVIT IN SAECULA. Heb. *sicut terram fundavit eam in æternum*. Diverse alii. I. *sicut terram, quam fundavit in sæculum*. II. *veluti terram, quam fundavit ut perpetuo subsistat*, vel *in æternum duraturam*; id est, ædificavit, inquam, sanctuarium suum, tamdiu duraturum, quamdiu duratura esset terra. Hoc proprie convenit Ecclesiæ, cuius illud vetus tabernaculum, seu templum typus fuit. III. *ac velut ipsam terram, fundavit, ut in perpetuum duraret*. IV. *quam* ædem suam *stabilem esse voluit, sicut terram perpetuo*. V. *utpote in terra quam statuit in sæculum*; id est, consilio suo inde a principio ad hoc destinavit.

V. 70. ET ELEGIT DAVID SERVUM SUUM, &c. Vide I. Samuel. vers. 16. DE POST FETANTES, vel A POST FOETAS ACCEPIT EUM. Alii. I. *Post fetas cum eum abduxit eum*. II. *At ergo fetarum duxit eum*. III. *A fetis vaccis*, vel *ovibus quas sectabatur pastor, avocavit eum*. IV. *Sectantem lactantes oves adduxit, assumpsit, eum*. PASCERE IACOB, &c. Vide II. Samuel v. 2.

V. 72. IN INNOCENTIA CORDIS SUI. Alii. 1. *pro integritate animi sui*; 2. *pro candore animi sui*; 3. *in simplicitate cordis sui*. ET IN INTELLECTIBUS MANUUM SUARUM DEDUXIT EOS. Varie alii ex Heb. I. *Et prudentiis manuum suarum deduxit eos*. II. *Et summa prudentia manuum suarum deduxit eos*, id est prudentissima administratione: nam *manus* metonymice pro opera, & administratione accipitur passim, ut supra Psal. LXXVI. vers. 21. Vide I. Samuel. IX. 1. III. *& minavit eos manibus suis in prudentia*. IV. *& pro summa prudentia, qua usus est in omnibus operibus suis, gubernavit eos*. V. *& pro industria virtutis suæ duxit eos*.

MENOCHII.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Vide dicta ad tit. Psalm. XXXI. LEGEM MEAM, doctrinam meam, & præcepta mea. INCLINATE AUREM: pronis & benevolis auribus audite.

V. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS: loquar parabolas, insignes, memorabiles, figuratas, propheticasque sententias. PROPOSITIONES. Græce προβλήματα, *problemata*, ænigmata, sententias involucris quibusdam tegentes res arcanas, & mysteriis plenas. AB INITIO: repetens scilicet ab initio liberationis a servitute AEgypti.

V. 3. QUANTA AUDIVIMUS: quæ audivimus: quæcumque audivimus, & cognovimus narrantibus nobis maioribus nostris.

V. 4.

V. 4. Non sunt occultata, &c. Maiores nostri non permiserunt ea esse occulta posteris suis in generatione quæ post eos ventura erat. Narrantes laudes Domini: sed narraverunt laudes Domini. Virtutes eius: ea quæ patravit eximia sua potentia, & fortitudine.

V. 5. Suscitavit, statuit, stabilivit. In Hebr. est, *surgere fecit*. Testimonium, legem scriptam datam per Moysem, quam *testimonium* vocat, quia per eam Deus testatus est de voluntate sua, & quid a populo suo fieri vellet: vel quia eam cum contestatione dedit. In Iacob, Israelitis, filiis Iacob. Legem posuit, &c. Repetitio prioris hemistichii. Quanta, quæ, ut supra, num. 3 Nota facere, &c. ut scilicet patres filiis, filii nepotibus narrarent, & nota facerent.

V. 6. Ut cognoscat generatio altera: ne venturæ generationes ignorent divina beneficia, & quid ex legis præscripto facere debeant.

V. 7. Exquirant: solicite custodiant.

V. 8. Generatio exasperans: quæ peccatis, & nominatim idololatria Deum exasperavit, & provocavit ad iracundiam. Non direxit cor suum: ad rectitudinem, & iustitiam non paravit, neque composuit. In Hebr. est: *Generatio quæ non præparavit cor suum*. Non est creditus cum Deo spiritus eius. Non fuit fidelis spiritus populi cum Deo, quia sæpe defecit a fide, & obedientia. In Græco est, οὐκ ἐπιστώθη, *non fuit firmus*, fidus, fixus in Deo.

V. 9. Filii Ephrem, &c. Alludit ad historiam quæ narratur I. Paral. vii. 21. Vide quæ ibi diximus. Intendentes et mittentes arcum. Egregii sagittarii, & bellatores. *Mittentes arcum*, idem est ac remittentes arcum ad sagittas eiaculandas. Conversi sunt: in fugam se dederunt.

V. 10. Testamentum Dei, legem Dei.

V. 12. In campo Taneos, in planitie AEgypti, cuius Regia dicitur Tanis. Est enim Tanis urbs ad Nili ostium, quod propterea Taniticum appellatur apud Ptolemæum, & Strabonem Lib. XVII.

V. 13. Interrupit mare: divisit mare. Vide Exodi xiv. 21. Statuit aquas: Collegit aquas maris.

V. 14. Deduxit eos in nube diei. Interdiu enim nubes castra Israelitarum præcedebat, quemadmodum nocte columna ignis, de qua subditur: Et tota nocte in illuminatione ignis.

V. 15. Interrupit petram: aperuit petram. Historiam habes Exodi xvii. 6. Adaquavit: aquæ potum large dedit. Sumpta est similitudo a gregibus, qui proprie adaquantur. Velut in abysso multa: tantam aquarum copiam suppeditavit, ac si essent ad ripam profundissimi alicuius fluminis.

V. 17. Apposuerunt peccare: iterum peccaverunt. In inaquoso: in deserto aquis carente.

V. 18. Tentaverunt Deum; quasi experimentum capere volentes quantum facere posset Deus. In cordibus suis, in desideriis suis, quæ corde versabant, & ore promebant carnium esum postulantes. Animabus suis, sibi, vel cupiditatibus suis.

V. 19. Male locuti sunt de Deo, murmurantes, & dubitantes, an populum suum Deus in deserto pascere posset ut, ex sequentibus patet: *Numquid poterit* &c.

V. 20. Quoniam percussit petram, &c. quasi dicerent: Poterit ne Deus cibum dare, quemadmodum potum dedit? Panem, cibum.

V. 21. Distulit, promissam scilicet terram populo suo dare. Vel sensus est: Longe fecit a se popolum suum: amovit benevolentiam, & favorem suum. Ignis accensus est in Iacob. Iratus misit ignem, qui devoraret eos qui erant in extremis castris. Vide Numer. xi. Ascendit in Israel: Israelitas invasit

V. 22. Non crediderunt in Deo. Post tot miracula, & beneficia non crediderunt Deum posse, & velle, illis adesse, & curam illorum gerere. In salutari eius, in salute eius. Nec ab eo salutem speraverunt.

V. 23. Et mandavit nubibus, &c. quasi dicat: Et tamen sperare debebant, quandoquidem prius nubibus mandaverat ut pluerent manna, Exod. xvi. 4. Ianuas caeli. Dictum poetice. Cæli nomine aer significatur, ut sæpe alibi in Scriptura.

V. 24. PANEM CAELI, manna, cibum de cælo venientem.

V. 25. PANEM ANGELORUM, manna, quod Angelorum ministerio formabatur. CIBARIA, commeatum. Italice dicimus *vettovaglia*. IN ABUNDANTIA. Nam manna late per desertum, & circum castra spargebat, ut longe pluribus sufficere posset.

V. 26. TRANSTULIT. Græce πῆρε, *abstulit*, *cessare fecit*, *removit*: IN VIRTUTE SUA, potentia sua. AUSTRUM, austrum orientalem, qui dicitur eurus, nam in Hebræo est: *Transtulit ventum orientalem*. AFRICUM, ventum libicum, euro quidem vicinum, & coniunctum, sed adducendis avibus illis magis opportunum.

V. 27. SICUT PULVEREM CARNES: tanta copia, quanta est pulvis, innumerabili. CARNES, coturnices.

V. 28. CECIDERUNT. Volabant enim in aere duorum cubitorum altitudine super terram, ut habemus Num. cap. XI. 31.

V. 29. DESIDERIUM EORUM ATTULIT EIS: dedit eis quod desideraverunt.

V. 30. NON SUNT FRAUDATI A DESIDERIO SUO: plane impletum est desiderium, & votum ipsorum. ADHUC ESCAE EORUM ERANT IN ORE IPSORUM: nondum defecerat huiusmodi carnium cibus, sed adhuc hærebat in dentibus eorum.

V. 31. IRA DEI ASCENDIT SUPER EOS: ultio divina illos invasit. OCCIDIT plaga ignis, de quo vide Numer. XI. 33. PINGUES, magnates, primarios viros. ELECTOS, præcipuos Israelitarum. IMPEDIVIT. Græce συνεπόδισεν *compedivit*, quasi pedes stringendo, & prohibendo ne in terram promissionis possent ascendere, per mortis scilicet immissionem.

V. 32. IN OMNIBUS HIS: his omnibus suppliciis, & plagis non obstantibus. NON CREDIDERUNT IN MIRABILIBUS EIUS: non resipuerunt, nec miraculis fidem adhibuerunt.

V. 33. DEFECERUNT IN VANITATE DIES EORUM. Absumpti sunt dies vitæ eorum in vanitate, ita ut sine honore, & sine aliquo præclaro facinore otiose in deserto vitam absolverent. ET ANNI EORUM CUM FESTINATIONE. Accisa est, & contractior facta vita eorum: nam quadraginta annorum spatio omnes qui ex AEgypto egressi fuerant, morte absumpti sunt, præter duos, Iosue scilicet, & Caleb.

V. 34. CUM OCCIDERET EOS. Cum eos Deus plagis affligebat, & atterebat malis. QUAEREBANT EUM. Convertebantur ad Dominum. DILUCULO, festinanter, perniciter.

V. 35. ET REMEMORATI SUNT, vexatione dante intellectum recordabantur.

V. 36. IN ORE SUO, ore tenus: multa pollicebantur, pauca præstabant. MENTITI SUNT: quia nimirum cor eorum non erat rectum, & sincerum, ut statim subditur.

V. 37. NEC FIDELES HABITI SUNT: nec inventi sunt fideles. IN TESTAMENTO EIUS, in lege, & præceptis eius.

V. 38. ABUNDAVIT UT AVERTERET IRAM SUAM. Abunde avertit iram suam, immo omnino non accendit iram suam, adeo misericors est. RECORDATUS EST QUIA CARO SUNT, id est res infirma, corrupta, obnoxia peccatis, & miseriis. SPIRITUS VADENS, ET NON REDIENS, res tenuis quasi ventus, &c. ut dicitur Iacobi IV. *vapor ad modicum parens*, qui scilicet evanescit, nec amplius apparet.

V. 40. QUOTIES EXACERBAVERUNT EUM, &c. id est, sane frequenter illum ad iracundiam provocaverunt in deserto, murmurantes, non credentes Deo, nec fidentes divinæ illius providentiæ, aliisque peccatis. IN IRAM, &c. Usitata repetitio præsentis hemistichii. IN INAQUOSO, in deserto arenti, & sine aquis.

V. 41. CONVERSI SUNT: Hebraismus; pro, & rursum tentaverunt Deum. Alii interpretantur: Et redierunt ad ingenium, & ad pristinos mores. SANCTUM ISRAEL EXACERBAVERUNT. In Hebræo est: *Sanctum Israel limitaverunt*, התוו *bituu*, a radice תוה; quasi Deus tantum dumtaxat posset, quantum ipsi volebant, & sibi fingebant.

V. 42. MANUS EIUS, auxilii, defensionis, potentiæ divinæ. DIE QUA REDEMIT, &c. Obliti sunt illius temporis, cum e potestate Pharaonis liberati sunt a Deo.

V. 43. SICUT POSUIT: qua ratione prodigia patrarit in AEgypto. IN CAMPO

PO TANEOS. Vide dicta supra num. 12.

V. 44 CONVERTIT IN SANGUINEM, &c. Historia nota est ex Lib. Exod. cap. VII. 20. IMBRES, fluenta, rivos. NE BIBERENT: adeo ut quod biberent, non haberent.

V. 45. COENOMYIAM. Vide Exod. VIII 24. *κοινομυῖα* omne genus muscarum significat, quasi mixtionem, seu mixturam muscarum. Aquila vocavit *πάμμυια* eodem sensu, id est *omnimodam muscam*. COMEDIT EOS musca, scilicet AEgyptios. ET RANAM. De plaga ranarum vide Exod. VIII. 6. DISPERDIDIT EOS. Græce *διέφθειρεν αὐτοὺς*, *perdidit*, *corrupit eos*.

V. 46. AERUGINI. D. Hieronymus *bruchum* vertit: hoc enim significat Hæbraicum חסיל *chasil*. Ita per æruginem intelligendi sunt bruchi, & locustæ: quæ animantia devorant herbas ad modum æruginis. Alioquin ærugo, Græce *ἐρυσίβη* vitium segetum est, cuius meminit Ovid. I. Fastor. cum ait:

Interea crescat scabræ rubiginis expers,
Nec vitio cæli palleat ægra seges.

De plaga locustarum vide Exod. x.

V. 47. OCCIDIT, perdidit: metaphora. Etiam plantæ suo modo vivunt, anima vegetante: sic Aristæus apud Virgil. IV. Georg. dicebat: *Interfice messes*. MOROS. Vox שקמות *siqmoth* sycomoros significat genus ficuum silvestrium, quibus AEgyptus abundat. IN PRUINA. S. Hieronymus vertit *in frigore*, scilicet pruinæ.

V. 48. ET TRADIDIT GRANDINI, &c. De hac plaga vide Exod. IX. 23. 25. IGNI: grandini enim fulgura, & fulmina miscebantur.

V. 49. IRAM INDIGNATIONIS, &c. Hoc versiculo generatim complectitur Propheta omnes alias plagas quas omiserat, ut ulcera, & vesicas, & alia id genus. IMMISSIONES PER ANGELOS MALOS, calamitates ab angelis malis immissas: insinuat etiam plagam primogenitorum occisorum, qui ab angelo percutiente interfecti sunt Exod. XII. *Angelos malos*, vel dæmones intelligit, vel bonos nocentes.

V. 50. VIAM FECIT SEMITAE IRAE SUAE: præscripsit iræ suæ viam, per quam transiret, AEgyptiis nimirum nocendo, parcendo Hebræis. NON PEPERCIT A MORTE, quo minus morti traderet. ANIMABUS EORUM, vitæ eorum. IN MORTE CONCLUSIT: morti tradidit.

V. 51. OMNE PRIMOGENITUM. Vide Exod. XII. 29. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM. Periphrasis primogenitorum, qui sunt primitiæ laborum patrum. Genes. XLIX. 3. Ruben primogenitus dicitur *principium doloris patris*. IN TABERNACULIS CHAM, AEgyptiorum, qui sunt a Cham Noe filio prognati per Mizraim, Genes. x. 6.

V. 52. ABSTULIT, eduxit.

V. 53. IN SPE, tuto, secure, confidenter. INIMICOS EORUM, AEgyptios persequentes Israelem.

V. 54. IN MONTEM SANCTIFICATIONIS SUAE. Sic appellat Iudæam, magna ex parte montosam, quam sibi sanctificaverat, & consecraverat pro loco, & sede primaria religionis. AQUISIVIT, possedit, bello eiectis Chananæis. GENTES, Chananæos. SORTE DIVISIT EIS TERRAM. Quod factum legimus Ios. XIII. 8. IN FUNICULO DISTRIBUTIONIS. Quia ad dividendos agros, & eorum fines constituendos olim funiculis utebantur, sive materiati essent, sive mathematici, & imaginarii.

V. 55. HABITARE FECIT, collocavit. IN TABERNACULIS EORUM, in sedibus, & regionibus Chananæorum.

V. 56. ET TENTAVERUNT, &c. rursum tentaverunt, & irritaverunt Deum. TESTIMONIA EIUS, legem, & præcepta eius. Vide dicta num. 5.

V. 57. CONVERSI SUNT IN ARCUM PRAVUM, in modum arcus pravi, & fallacis, qui in scopum sagittas non dirigit, sed fractus, vel inversus nocet sagittario.

V. 58. IN COLLIBUS SUIS, in collibus excelsis, in quibus tamquam in templis idolis sacrificabant. SCULPTILIBUS, idolis ex lapide, vel ligno sculptis. AD AEMULATIONEM, ad zelum, & iracundiam.

V. 59. AUDIVIT DEUS: audivit, & vidit scelera eorum. SPREVIT: abominatus est Israelem. AD NIHILUM REDEGIT: perdidit, & ab hostibus vexari, & dura servitute premi permisit.

V. 60. REPULIT TABERNACULUM SILO. Tabernaculum quod erat in Silo, in quo tabernaculo servabatur arca fœderis,

de-

deseruit, & arcam in Philisthæorum manus venire permisit: I. Reg. XIV. IN HOMINIBUS, inter homines.

V. 61. VIRTUTEM EORUM, &c. arcam, quæ robur, & ornamentum præstabat populo.

V. 62. CONCLUSIT IN GLADIO: objecit undique clades hostilibus. HEREDITATEM SUAM, Israelitas, quos prius ut populum, & peculium suum diligebat, & fovebat.

V. 63. IGNIS, ira, & indignatio divina. NON SUNT LAMENTATAE. Hebr. *non sunt eiulatæ*: nemo eas lugebat: passive enim sumitur illud *lamentatæ*. Quare D. Hieronymus vertit: *Et virgines eius nemo luxit.*

V. 64. SACERDOTES EIUS, Ophni, & Phinees, qui eadem clade perierunt I. Reg. IV. VIDUAE EORUM, sacerdotum, NON PLORABANTUR. Nemo illas consolabatur cum illis extinctos maritos lugendo, omnes enim domestico luctu, & funere tenebantur.

V. 65. EXCITATUS EST, ad ferendum auxilium populo suo. TAMQUAM DORMIENS, ad modum eius qui post longum somnum exurgit. TAMQUAM POTENS, tamquam prævalidus aliquis pugnator. CRAPULATUS A VINO, vino madidus, qui omnia clamoribus, & plagis miscet, vino vires, & animum suggerente. Loquitur de Deo humano more.

V. 66. PERCUSSIT IN POSTERIORA, morbo natium, de quo I. Reg. v. 9. OPPROBRIUM, dedecus, propter pudendum morbi genus.

V. 67. REPULIT TABERNACULUM IOSEPH. Noluit enim Deus tabernaculum suum amplius esse in Silo urbe tribus Ephraim, sive Ioseph, quod idem est. NON ELEGIT. Idem quod dixerat *repulit*.

V. 68. SED ELEGIT TRIBUM IUDA, & in ea montem Sion, ubi regni, & templi sedem constituit; idque propter Christum, qui ex illa tribu erat exoriturus.

V. 69. SICUT UNICORNIUM SANCTIFICIUM SUUM; id est, sanctuarium suum firmissimum quasi cornu monocerotis, quod est durissimum, & solidissimum. Hæc est præcipua parabola & propositio, sive ænigma potissimum, quod initio Psalmi Propheta promisit: neque enim sanctuarium veteris Testamenti fuit firmum ut cornu monocerotis, nisi quatenus fuit figura sanctuarii novi Testamenti, quemadmodum nec Sion, aut Ierusalem fundata est in sæcula, nisi quatenus typus fuit Christi Ecclesiæ.

V. 70. DE POST FETANTES, euntem post fetas oves, ab agendis fetis ovibus.

V. 71. PASCERE IACOB: populum Hebræum gubernare. HEREDITATEM SUAM: quem Deus suam peculiarem hereditatem esse voluit.

V. 72. INNOCENTIA CORDIS, mente integra, & sincera. IN INTELLECTIBUS MANUUM SUARUM: prudenter, intelligenter peritis manibus peritum se illis ducem præbuit: sic pastores manu, & pede oves dirigunt.

TIRINI.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Vide initio Psalm. XXXI.

V. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM. *a* De parabolis, & propositionibus. Vide initio Psal. XLVIII.

V. 5. TESTIMONIUM, id est legem divinam, suscitavit in IACOB; id est, de novo dedit Israeli, in Sinai.

V. 8. NON EST CREDITUS CUM DEO; id est, non adhæsit firma fide & fiducia DEO SPIRITUS Israelis, sed statim obmurmuravit. Ita sanctus Hieronymus Theodoretus, Euthymius. De quatuordecim Murmurationibus vide Chronicon capite XIX.

V. 9. FILII EPHREM, id est Israelitæ (pars seu tribus numerosior & bellicosior, pro toto populo *b*) MITTENTES ARCUM, seu arcu sagittas, id est eximii sagittarii, & bellicæ rei ut peritissimi, ita & addictissimi, sæpius tamen CONVERSI SUNT in fugam DIE, id est tempore, BELLI; verbi gratia, sub Iephte, sub Eli, sub aliis.

V. 12. IN CAMPO TANEOS, id est in regione vicina regiæ Pharaonis, Isaiæ XIX.

V. 13. STATUIT AQUAS QUASI IN UTRE, id est in unum locum utrimque coactas, & quasi tumido utri inclusas tenuit.

V. 14. IN NUBE DIEI, id est in columna nubis per diem, & ignis per noctem, Exodi XIII.

V. 17. IN INAQUOSO: Hieron. *in invio*;

vio; Chal. *in arido deserto:* ubi omni humana ope destituti debuissent omnes ad Deum recurrere, & toti ab illo pendere, ibi tamen irritarunt Deum.

V. 21. IDEO DISTULIT DOMINUS, scilicet opitulari, vel explere promissum suum de introducendis illis in terram sanctam.

V. 23. IANUAS CAELI; id est, nubes aeris rupit, ut ex eis quasi e cella sua penuaria plueret illis PANEM CAELI, in cælo, id est aere, confectum. De *manna* quid fuerit, cur *panis Angelorum* dicatur, quid allegorice significet, dixi Exod. cap. XVI.

V. 26. TRANSTULIT AUSTRUM DE CAELO; id est, abstulit ex aere, seu fecit ne flaret amplius *auster*; sed loco eius africus oppositus austro, ut ita commodius ex partibus trans mare rubrum circa occidentem sitis deferrentur coturnices in castra Hebræorum, Num XI.

V. 31. PINGUES ET ELECTOS, id est primarios, ditiores, nobiliores, IMPEDIVIT, quo minus ingrederentur terram promissam: quia, ut Chald. vertit, *prostravit*; Hieron. *incurvavit*, id est occidit eos in deserto: Num. XI.

V. 33. ET DEFECERUNT IN VANITATE; id est, vane & otiose, nullo edito præclaro facinore mortui sunt omnes qui murmurarant in deserto.

V. 38. ABUNDAVIT UT AVERTERET, id est *abunde*; Hieronymus, multum *avertit*, & quantum optare poterant. Verbum pro adverbio.

V. 39. SPIRITUS VADENS, ET NON REDIENS; id est, sicut ventus qui vadit huc illuc flans, postea evanescit, nec ad fontem suum revertitur; sic homo, & vita hominis, quasi ventus & vapor in morte quasi evanescit, nec per se redire potest ad vitam, sed solo gratuito dono Dei in Resurrectione.

V. 44. IMBRES; Hier. *rivos*, scaturigines, lacus, qui AEgyptiis sunt loco imbrium, et pluviarum. Describit hic plagas. AEgypti ex Exod. VII. & seq.

V. 45. COENOMYIAM, id est mixtam seu omnis generis muscam, ut Hieron. Aquil., & Chald. vertunt: alioquin Septuag. habent κυνόμυιαν, id est *caninam muscam*, quia impudens, & mordax erat instar canis.

V. 46. AERUGINI. Vitium est segetum, ut dixi Deuteron. XXVIII. XVII. quod alii *rubiginem*, vel robiginem vocant. Unde & apud Gentiles *Robigus* Deus & *Robiga* colebatur, eique offerebantur sacrificia dicta *robigalia*, ut rubiginem averteret a segete. Hieron. hic, & Chald. vertunt *bruchum*, quia segetes perdit æque ac *rubigo*, seu ærugo.

V. 49. ANGELOS MALOS, non in se (ut putant Vatablus, & Genebrardus) sed erga AEgyptios. Hebraice enim, & Chaldaice est, *Angelos malorum*, seu damnorum auctores. Ita vertunt etiam Symmachus, sanctus Augustinus, Euthymius & Theodoretus.

V. 50. VIAM FECIT SEMITAE IRAE SUAE; id est progressus est Deus in ira sua, & ultione.

V. 51. CHAM, id est AEgyptiorum, qui a Cham filio *Noe* per *Mesraim* (quo nomine tunc AEgyptus vocabatur) descendunt.

V. 53. IN SPE; Hieron. *cum fiducia*, seu confidenter; Chald. *secure*.

V. 54. IN MONTEM SANCTIFICATIONIS SUAE, id est in terram sanctam. Vide Exod. XV. 17. QUEM ACQUISIVIT DEXTERA, Dei nempe, per Iosue eiectis inde Chananæis. ET DIVISIT Hebræis FUNICULO DISTRIBUTIONIS; id est, fune quali tunc temporis dividi solebant agri, & distribui. Vide Iosue XV.

V. 57. CONVERSI SUNT IN ARCUM PRAVUM, id est alter, & alio iacientem sagittas quam velles; quasi dicat, instar arcus obliqui, & fallacis; Hieron. *incurvati*, qui sagittam non in scopum, sed potius in sagittantem retorquet: ita Iudæi non in cultum pietatis, ad quem a Deo dirigebantur, sed contra Deum, & Dei legem retorti & perversi sunt. Ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius.

V. 61. VIRTUTEM ET PULCHRITUDINEM EORUM, id est quidquid in eis robustum & pulchrum erat, ac præ omnibus arcam, quæ erat omne robur, & gloria Israelis, inquit S. Augustinus. Vide I. Reg. IV.

V. 63. IGNIS, id est ira Dei, vel impetus & vis belli.

V. 64. SACERDOTES EORUM, Ophni & Phinees, filii Eli.

V. 65. EXCITATUS EST contra Philisthæos,

ſthæos, quaſi POTENS CRAPULATUS A VINO; id eſt; tanta ira ac furore vindictæ inſurrexit in eos, quanta ſolet róbuſtiſſimus miles, dum vino æſtuans afficitur ab aliquo gravi iniuria. S. Auguſtinus, & Theodoretus.

V. 66. PERCUSSIT IN POSTERIORA, nempe *hæmorrhoidibus*, inquit Chaldæus. Vide I. Reg. v.

V. 67. REPULIT, &c. Chaldæus: *Reprobavit tabernaculum quod tentenderat in termino Ioſeph, & in tribu Ephraim*; id eſt, noluit ut reducta a Philiſthæis arca iterum quieſceret in Silo urbe ſita in tribu Ephraim filii Ioſeph; ſed ad hoc elegit tribum Iuda, & montem Sion. Ibi Deus

V. 66. AEDIFICAVIT SANCTIFICIUM; Hieron. & Chald. *ſanctuarium*, id eſt templum SUUM, ſicut facere ſolent unicornes, qui præ ceteris animalibus magnificas ſibi manſiones alto & prærupto loco, eaſque ſtabiles ſtruunt. Sic Deus templum ſibi ſtruxit in arce Sion excelſum, magnificum, non mobile, ut in Silo, ſed ſtabile in æternum. Allegorice eſt Eccleſia Chriſti.

V. 70. ELEGIT DAVID, ſcilicet in Regem; quaſi dicat: Similiter modo reiecta tribu Beniamin, e qua Saul, Davidem, eiuſque familiam elegit Deus ut æternum regnaret in Iſrael. DE POST FETANTES, id eſt a ſequela fetarum & prægnantium ovium, quas ſequebantur. Ubi ſanctus Baſilius, & Theodoretus notant humilitatem Davidis, qui non ſe vocet Paſtorem, hic enim oves præcedit; ſed paſtoris miniſtium, qui prægnantes oves ſequebatur. Philo vero notat, artem paſtoralem præludium eſſe ad regnum.

V. 72. IN INNOCENTIA, id eſt iuſtitia & integritate: ET IN INTELLECTIBUS MANUUM, id eſt peritis manibus; unde Hieron. & Chald. vertunt, *prudentia manuum*.

(a) Vide Idiotiſmos Heb. num. 14.
(b) Vide Adrichom. de Terra ſancta.
(c) Varro Lib. I. de Re ruſtica.

GORDONI.

Titulus eſt: INTELLECTUS ASAPH; de quo vide Pſal. XXXVII. Eſt autem hic Pſalmus parabolicus, ut ſatis indicat verſus 2. quamvis enim in ipſa rerum enumeratione hiſtoricus ſit, & eo ſpectans, ut populus agnoſcens tot Dei beneficia, ac patrum ſuorum ingratitudinem, diſcat ſequi legem Dei; tamen eſt etiam *intellectus Aſaph*, cui Pſalmus iſte Davidis cantandus traditur, ut ipſe intelligat, & intelligere faciat alios myſterium Chriſti venturi. Pſalmus ergo ſenſu myſtico convenit Chriſto.

Verſ. 1. ATTENDITE POPULE MEUS, &c. Loqui hic Davidem, & ſimiliter in toto reliquo Pſalmo, ſatis colligi videtur ex verſ. 3. nam quod dicit *legem meam*, ibidem explicat, dicens, *Verba oris mei*. Sunt qui cum Auguſtino putant, Deum, aut Chriſtum hic loqui, quibus prolixe occurrit Lorinus hoc loco. Nec obſtat, quod Matthæus cap. XIII. verſ. 35. & 36. dicat Chriſtum locutum in parabolis, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam (nimirum hunc ipſum hic verſ. 1.) nam ibi Matthæus ſolum docet, Davidem hic loquentem in parabolis eſſe figuram Chriſti, qui per parabolas in ſuo adventu erat locutus; aut hunc locum Pſalmi myſtice intelligi de Chriſto in parabolis locuturo. Ceterum non ideo loquebatur Chriſtus in parabolis ut impleretur Scriptura; ſed cum loquebatur in parabolis, factum eſt ut Scriptura impleretur.

V. 2. APERIAM IN PARABOLIS, &c. Septuag. ἐν παραβολαῖς; Hebr. במשל *bemaſçal*. LOQUAR PROPOSITIONES, προβλήματα. Hebr. חידה *chidah*. Hieronymus, *ænigmata antiqua*. Ceterum inter alia in hoc Pſalmo ænigmata, illud vel maximum eſt, quod per regnum David involvatur hic obſcure & myſtice regnum Chriſti; & per Sionem terreſtrem, Sion cæleſtis. Fuerunt autem iſta Chriſti myſteria abſcondita a conſtitutione mundi, ut vocem, *ab initio*, hic poſitam interpretatur citatus Matthæus: tamen ſiſtendo in Davide loquente, & in nudo ſenſu litteræ, poteſt τὸ *ab initio* referri ad tempus

pus Exodi, ut vides verſ. 5. Atque ex his ſatis patet aditus ad utrumque Pſalmi huius ſenſum deprehendendum: & quidem myſticum proſequitur Paraphraſis, citatis etiam locis, quibus ſenſus exterior litteræ, & hiſtoria continetur. Incipit autem verſ. 5. ET SUSCITAVIT, &c. narrare res a Deo geſtas, & beneficia.

V. 9. FILII EPHREM, &c. Videtur eſſe prævaricationis explicatio, per ſimilitudinem militum, qui aciem ingreſſi, mox terga vertunt: alioquin non ſatis apparet ex ſacra hiſtoria, quæ fuerit hæc pugna, ſive per Ephrem intelligas certam tribum, ſive (ut aliquando fit) tribus omnes, ſaltem decem.

V. 43. SICUT POSUIT, &c. His undecim ſequentibus verſiculis deſcribit prodigia quæ Deus fecit adverſus Pharaonem; quamvis non enumeret omnia, de quibus ex profeſſo dixi Exod. cap. VII.

V. 54. ET INDUXIT, &c. Tranſit nunc ad ea quæ narrantur Lib. Ioſue, & Iudic. & mox verſu 65. venitur ad afflictionem, quam paſſus eſt populus a Philiſtæis propter delicta. Poſt has vero calamitates, miſertus eſt Deus populi, ut narrat verſu 65. uſque ad finem Pſalmi.

V. 67. ET REPULIT. Hic narrat quomodo ſtabilitum tandem ſit regnum Iuda; & petentibus Regem, noluiſſe Deum ut eſſet ex familia Ioſeph, ſeu ex tribu Ephraim, ubi erat arca, ſcilicet in Silo; ſed voluiſſe Deum, ut in Sion eſſet arca, & ſceptrum in domo Iuda.

V. 69. AEDIFICAVIT SICUT UNICORNIUM SANCTIFICIUM SUUM. Hieronymus, *in ſimilitudinem monocerotis ſanctuarium ſuum*, ſcilicet ut eſſet ſanctuarium firmum velut cornu monocerotis. Ceterum hæc firmitas ſanctuarii multo efficacius convenit ſanctuario novæ legis ſub Chriſto. In Hebræo eſt רמים *ramim*, *excelſa*, ſcilicet palatia. Septuag. legerunt רמים *remim*, *unicornium*, in plurali, denique habetur רמים *remim*, Pſal. XXI. verſ. 22. & codices Septuaginta correctiores habent *ὡς μονοκεράτων*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

V. I. ATtendite, &c. Propheta dicturus ad litteram de munificentia Dei erga Iudæos, & myſtice de miſericordia per Chriſtum; excitat attentionem, parabolice locuturus. Propoſitio dicendorum, & protheſis inſeritur verſ. 3. & 4.

V. 5. uſq. ad 9. *Et ſuſcitavit*, &c. Agens iam de bonis populo Iſraeli præſtitis a Deo (ſub quo velamine tegitur myſterium Chriſti) incipit a data lege, ſervanda primum & traducenda ad poſteros. Data vero lex eſt (ut ſubdit) in finem, ut Deo adhærerent, & non idolis; demum ne fierent rebelles Deo, & ingrati; quod patribus accidit in AEgypto, & ſæpe in deſerto,

V. 9. *Filii Ephrem*, &c. Rebellionem de qua dictum eſt, explicat hic per ſimilitudinem militis aggredientis certamen, & mox tergum vertentis; tales fuerunt filii Ephrem, ſeu Iſraelitæ. Et hoc idem proſequitur uſque ad verſ. 13.

V. 13. uſq. ad 18. *Interrupit mare*, &c. Poſt proſtratos AEgyptios, iam de geſtis rebus in exitu, & iis quæ inſecuta ſunt. Inter hæc mirabilia primum eſt de maris rubri diviſione, hic verſ. 13. & Exod. cap. XIV. Secundum de nube interdiu contra ardorem ſolis; & columna ignis in nocte, contra tenebras, hic verſ. 14. & Exod. cap. XIII. Tertium de interrupta petra, unde fluxit aqua, verſu 15. & Exod. cap. XVII. & hic infra Pſalmo CIV. At quorſum iterum verſu 16. de aqua educta? Commemorat hic Bellarminus, bis aquam diverſis temporibus miraculoſe eductam. Verum commodius dici poteſt, eſſe repetitam mentionem prioris miraculi; ut dicat Propheta, non obſtante miraculo, ubi peccatum fuit a populo, iterum eos tentaſſe Deum, in ſua infidelitate, ut ſubiungit.

V. 8. uſq. ad 30. *Et tentaverunt Deum*, &c. In hoc altero peccato, ubi tentaverunt Deum, refert Propheta populi ſermones. Dixerunt ergo: Poterit ne Deus dare cibum in deſerto, ſicut dedit potum & aquas? Deinde verſ. 21. Audivit, inquit, Deus murmurationem, *&* *diſtulit* favere; hoc eſt, amovit, & ſepoſuit eos a ſua benevolentia, quia non ſperaverunt in eo; immo *ira aſcendit* con-

tra *Israel*; & tamen ut convinceret infidelitatis populum, ostendit illis potentiam suam, mandans ut cælum plueret manna, ut hic ait versu 23. item Exod. XVI. immo & carnes dedit, hic versu 26. & 27. item Num. XI. Ut autem hoc fieret, *abstulit* ab eis *austrum*, *induxit africum*, & *saturati sunt*. Ventus iste auster, quem cessare fecit Deus, est auster orientalis, seu eurus: successit africus, seu libycus. Hinc Num. XI. adduxit coturnices trans mare ad castra.

V. 30. *Adhuc escæ*, &c. Hinc usque ad versum 38. sensus clatus est de iustitia Dei castigantis infidelitatem populi ingrati, & magnopere inconstantis, ut hic dicitur. Ita vero Deus exercet suam iustitiam, ut simul etiam potentiam suam revelet.

V. 38. usq. ad 43. *Ipse autem*, &c. Hactenus de iustitia, nunc de misericordia, quam demonstrat Deus populo, quamvis rebelli.

V. 43. usq. ad 54. *Sicut posuit*, &c. Hæc enumeratio plagarum AEgypti, quamvis præcesserint illæ ante res gestas in deserto; tamen hic ponitur velut tacita reprehensio ingratitudinis in populo; qui (licet tam potenti & prodigiosa manu Deus illi affuisset) vix ab idolis, & infidelitate avelli potuit. Quod est hic versu 44. *imbres*, accipe poni pro aqua, quando AEgyptus vix pluvias habeat: sicut etiam vers. 49. per Angelos, intelligi possunt vel boni, vel mali angeli: nam utrisque utitur Deus creaturarum Dominus.

V. 54. & seq. *Et induxit*, &c. In hac subsequente descriptione eorum quæ sub Iosue acciderunt, & sub Iudicibus, satis apparet, duræ cervicis populum hunc fuisse, qui toties conversus est in *arcum pravum*, ut hic ait Psalmista, & torvum, qui proiicit sagittas in scopum devium. Ceterum, ut mox attingam, Propheta reliquo Psalmo duo perstringit: nam a versu 59. explicatur ultio divina in populi peccata: deinde a versu 65. agitur de conversa ira in hostes populi, Philisthæos, & alios; & de regno Iuda.

BOSSUET.

Vers. 1. INTELLECTUS ASAPH. Psalmus revera singulari consideratione dignissimus: unde sic incipit: ATTENDITE (Propheta loquitur) POPULE MEUS, populares mei, LEGEM MEAM, doctrinam meam.

V. 2. IN PARABOLIS, &c. Aliud dicit, aliud innuit, ac præteritorum specie futura præsagit. Id quoque ex persona Christi, Matth. XIII. 135. PROPOSITIONES AB INITIO: *abscondita a constitutione mundi*: Matt. ibid. mysteria antiqua ab Abrahamo, & Iacobo patrum traditione collecta, & posteris tradita.

V. 8. EXASPERANS, *provocans*, Hier. contumax, perduellis. NON DIREXIT COR SUUM: rectum non habuit. NON EST CREDITUS, &c. *non credidit Deo spiritus eius*: Hier.

V. FILII EPHREM. Cur Ephremitas hic potissimum commemoret, hæ causæ sunt: quod Iosephi tribus propter ipsum Iosephum Deo dilectissima videretur: quod Iosephi filius Ephraim Dei nutu Manassi, primogenito licet, antepositus, Gen. XLVIII. 17. quod iam inde ab initio Ephraimitæ fortitudine ac viribus prævalerent, Deut. XXXIII. 17. quo factum est, ut ab ipso Davide fortitudo capitis sui ac regni firmamentum haberentur, Psal. LIX. 9. quod denique futurum ut sub Roboamo tribus desciscerent hortatore Ieroboamo Ephraimita, ipsaque novi regni Israelitici sedes Samariæ in forte tribus Ephraim collocanda esset. Unde passim in Prophetis scissæ tribus, Ephraim nomine vocantur. INTENDENTES ARCUM. Ephraimitæ habiti iaculatores egregii. CONVERSI SUNT IN DIE BELLI. Sæpe in fugam acti a Davide cum sociis tribubus: II. Reg. III. 1. Denique sub Abia a paucis fusi sunt: II. Paralip. XIII. 15. &c.

V. 14. ET DEDUXIT EOS IN NUBE DIEI, per diem: eadem columna nubis, per diem præbente umbraculum, nocte facis instar prævia. Vide Exod. XIII. 20. 21. &c.

V. 15. VELUT IN ABYSSO MULTA: quasi ex aquis profundis, sic ex silice potum præstitit.

V. 16. DEDUXIT TAMQUAM FLUMINA, &c. aqua enim populum peregrinantem sequebatur: unde Paulus affirmat spiritualem

lem petram ipsos consecutam, quæ perennem aquam deduceret: I. Corinth. x. 4.

V. 17. In inaquoso, in deserto: & ita passim.

V. 20. Quoniam percussit. *Ecce percussit:* Hier.

V. 21. Distulit, ne tam cito in terram promissionis intrarent. At Heb. *excanduit:* quam vocem Vulgata vertit *sprevit*, infra vers. 59. 62.

V. 24. Panem caeli, *triticum cæli*, Hier. a cælo: quasi messem ab alto provenientem.

V. 25. Panem Angelorum: tamquam per Angelos ministratum: Theodor. *Panem fortium*, Heb.

V. 26. Austrum, *eurum*, Hier. ventum a mari flantem: Numer. xi. 31.

V. 27. Volatilia, coturnices, de quibus ibid.

V. 30. Adhuc escae eorum: ipsissima verba Num. xi. 33.

V. 31. Impedivit. *Incurvavit*, Hier. id est prostravit. Adverte autem iram incipientem ab optimatibus, & divitibus, quippe qui superbius rebellabant.

V. 32. In omnibus his: inter ipsa supplicia peccaverunt.

V. 34. Diluculo, festinanter.

V. 36. Dilexerunt, *blanditi sunt*, Hier.

V. 38. Abundavit: *multum*, id est longe, *avertit iram suam:* Hier.

V. 39. Spiritus vadens, &c. Ut ventus vadit, & non redit; ita vita hominis, brevis ævi.

V. 41. Conversi sunt: redierunt ad peccata.

V. 44. Imbres eorum, *rivos*, Hier. nec tantum fluviales aquas, sed etiam quæ ex pluvia colliguntur, vertit in sanguinem.

V. 45. Coenomyiam, *omne genus muscarum*, Hier.

V. 49. Immissiones per angelos malos, pœnas ab angelis malis immissas.

V. 50. Viam fecit semitae. *Munivit semitam iræ suæ:* Hier. fecit inevitabilem iram. In mortem conclusit: *pesti tradidit:* Her.

V. 51. Laboris, doloris, *partus*, Hier. id est primogenitos. Sic Iacob Ruben primogenitum, principium doloris sui, sive initium curarum vocat. Genes. xlix. 3. tabernaculis Cham, AEgypto, a filiis Cham habitata, Genes. x. 6. Psal. civ. 23.

V. 53. In spe, et non timuerunt: *cum fiducia, & absque timore:* Hier.

V. 54. Montem sanctificationis suae: *terminum sanctificatum suum:* Hier. in regionem a se sanctificatam: ὄρος, LXX. quæ vox & montem, & terminum significat. Montem: terram promissam excelsam & nobilem. Sic in cantico Mariæ, Exod. xv. 17. Vel totam terram a nobiliori parte appellat, a monte Sion scilicet. Quem acquisivit dextera eius, prælio, & victoriis.

V. 56. Et tentaverunt, &c. Memoratis populi rebellionibus in deserto transgreditur ad eas quæ sub Iudicibus, ac deinceps contigerunt.

V. 57. Conversi sunt in arcum pravum: *quasi arcus inutilis*, Hier. *dolosus*, Heb. qui intendente fallit ictu debili. Sic illi, bene instituti licet, a scopo aberrarunt. Vel arcus perversus est, dum contra inimicos sagittam putatur iacere, sauciat tenentem: sic isti, qui in Deum liberatorem suum iniquas iaculabantur verborum sagittas. Comm. Hier.

V. 58. In collibus suis, *excelsis*, Hier. ubi sacrificabant. Tacite increpat rebellaturas, quæ relicto templo sibi fana tribus in excelsis fecerint: III. Reg. xii. 31. &c.

V. 59. Sprevit, *excanduit*, Heb. ut supra vers. 21. & infra vers. 62.

V. 60. Repulit tabernaculum Silo, quod erat in Ephraim; nempe ut ostenderet se Ierusalem elegisse abiecto Ephremitarum loco.

V. 61. Virtutem eorum, fortitudinem, *robur*, Heb. id est arcam fœderis qua confidebant. Pulchritudinem eorum: *decorem suum*, Hier. Eamdem arcam quæ decus erat Israelis propter inhabitantem Deum, captaque est a Philisthæis, cæsis Heli filiis Ophni, & Phinees I. Reg. iv. 22. ac tunc dictum: *Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca:* ibid. 21. 22.

V. 62. Sprevit: *in eam excanduit:* Heb.

V. 63. Iuvenes eorum comedet ignis, urbibus scilicet igni ferroque populatis, ut fit in vastitate. Non sunt lamentatae: passive, fletæ, ut vers. 64. inhumata, infletaque turba: ut ait Poeta: at

Heb. *non sunt laudatæ*, epithalamio scilicet: nullæ nuptiæ, ut in publico luctu.

V. 64. SACERDOTES EORUM, Ophni, & Phinees. NON PLORABANTUR. Vide vers. 63. at Heb. non plorabant, suos scilicet, sed arcam. Uxor Phinees audita viri nece non eum deploravit; sed ait: Translata est gloria ab Israel, &c. ut supra ad vers. 61.

V. 65. CRAPULATUS A VINO, quasi post gravem somnum; qualis solet esse largiter epotis poculis.

V. 66. PERCUSSIT INIMICOS SUOS, Philisthæos, IN POSTERIORA, *in secretiori parte natium:* I. Reg. V. 6.

V. 67. TABERNACULUM IOSEPH, Silo. Non elegit locum templi apud Iosephi posteros, aut ei regiam potestatem attribuit.

V. 68. ELEGIT TRIBUM IUDA, in regnum. SION, in locum arcæ, & arcem regiam. Vide orationem Abiæ II. Paral. XIII. 5. 8.

V. 69. ET AEDIFICAVIT SICUT UNICORNIUM, quorum cornu & excelsum, & unum: & templum Dei. At Heb. *sicut excelsa*, supple palatia. SANCTIFICIUM: templum a Davide designatum, a Salomone condendum, ex Nathani vaticinio: II. Reg. VII. 13. IN TERRA, &c. *quasi terram fundavit*, &c. Hier. Sicut terram in æternum voluit esse stabilem; ita etiam templum.

V. 70. ELEGIT DAVID: deditque ei regnum in sempiternum ipsi, & filiis eius; ut dicebat Abia Roboami filius ad rebellantes tribus, II. Paral. XIII. 5. DE POST FETANTES. *Sequentem fetas:* Hier. Ex pastore pecudum, pastorem hominum fecit: quæ certissima nota divinæ voluntatis a Deo ipso memoratur II. Reg. VII. 8.

PSALMUS LXXVIII. PROPHETICUS.

Super desolatione domus sanctuarii: Chal. quod prophetico spiritu vult dictum. Melius, ut videtur, polluto templo, urbe vastata ab Antiocho. Vide dicta in Psal. LXXVIII. *vers.* 2. & 3. *citantur I. Machab.* VII. 17. *ut ex antiqua scriptura, & ad tempora Maccabaica pertinentes.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum Asaph.

DEus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in acervis lapidum.

Dederunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & derisio his qui in

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus Asaph.

DEus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

2. Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio & illusio his, qui cir-

circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem ardebit quasi ignis zelus tuus?

Effunde furorem tuum super gentes quæ non cognoverunt te, & super regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Iacob, & decorem eius desolaverunt.

Ne recorderis iniquitatum nostrarum veterum: cito occupent nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus nimis.

Auxiliare nobis Deus Iesus noster propter gloriam nominis tui, & libera nos: & propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.

Quare dicunt gentes, Ubi est Deus eorum? nota fiat in gentibus ante oculos nostros ultio sanguinum servorum tuorum, qui effusus est.

Ingrediatur coram te gemitus vinctorum in magnitudine brachii tui: relinque filios interitus.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: opprobrium suum quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos enim populus tuus, & grex pascuæ tuæ confitebimur tibi in sempiternum: in generatione & generatione narrabimus laudes tuas.

in circuitu nostro sunt.

5. Usquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

6. Effunde (a) iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt: & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

7. Quia comederunt Iacob: & locum eius desolaverunt.

8. Ne (b) memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

9. Adiuva nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum:

10. Ne forte dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris,

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: 11. introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.

12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

13. Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.

In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.

(a) Ierem. x. 25. (b) Isai. lxiv. 6.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN POMORUM CUSTODIAM. Hebr. *in acervis*; id est, in rudera redegerunt, aut in solitudines, aut in desolationes, aut in tumulos.

V. 6. NOMEN TUUM NON INVOCAVERUNT. Hebr. *non invocant*.

V. 8. CITO ANTICIPENT NOS MISERICORDIAE TUAE, &c. Hebr. *Festina ut anticipent nos misericordiæ tuæ, quia afflicti sumus valde*.

V. 10. NE FORTE DICANT IN GENTIBUS, &c. Hebr. *Quare dicunt in gentibus*: aut, *Quare dicent in gentibus: Ubi est Deus eorum*? ET INNOTESCAT IN NATIONIBUS, &c. Hebr. *divulgetur inter gentes in oculis nostris*, id est videntibus nobis, *ultio sanguinis*, &c.

V. 11.

V. 11. POSSIDE FILIOS MORTIFICATORUM. Hebr. *Reliquos fac*, id est superstites relinque, *filios mortis*, id est morti destinatos.

V. 12. IN SINU EORUM. Hebr. *In sinum eorum*; id est, fac ut ipsos recidat.

S A.

De fidelium hostibus.

Vers. 1. POMORUM CUSTODIAM, id est desertam, ut solent deseri pomorum custodiæ pomis collectis Chald. *in desolationem*.

V. 2. MORTICINA, id est cadavera servorum tuorum, id est te colentium. SANCTORUM, id est tibi dedicatorum, scilicet fidelium, qui professione sancti.

V. 3. TAMQUAM AQUAM, id est abundanter: Aug.

V. 5. IN FINEM. Chald. *in perpetuum*; quasi dicat, sempiterne. ZELUS, id est indignatio.

V. 6. EFFUNDE. Prophetat, non optat: Aug.

V. 7. COMEDERUNT, Chald. *Dissipaverunt*. LOCUM. Chald. *domum sanctuarii*. DESOLAVERUNT, id est vastaverunt, seu in solitudinem redegerunt.

V. 8. ANTIQUARUM. Hieron. *veterum*. Chald. *priorum*. PAUPERES. Hieron. *attenuati*. Chald. *miserabiles*.

V. 9. SALUTARIS, id est salvator, vel salus, eodem sensu. NOMEN TUUM, id est te, vel gloriam nominis tui; ut sit repetitio.

V. 10. INNOTESCAT, id est appareat, scilicet ultio, &c.

V. 11. COMPEDITORUM. Hieron. & Chald. *vinctorum*. POSSIDE, id est serva. Chald. *solve*. MORTIFICATORUM. Hieron. *interitus*. Chald. *traditos internecioni*; quasi dicat, morti destinatos.

V. 12. SEPTUPLUM, id est perfectam ultionem: Aug. IMPROPERIUM. Chald. *pro punitione improperii*.

V. 13. PASCUAE TUAE, id est quas pascis. ANNUNTIABIMUS, scilicet in hoc sæculo: nam in futuro non erit cui annuntietur: Aug.

E S T I I.

Vers. 1. PSALMUS ASAPH. Est is titulus Psalmi. Et verisimile est hunc Psalmum compositum ab Asaph, vel aliquo filiorum eius, certe longe post tempora Davidis. Nam ad litteram continet querimoniam de calamitate illata civitati Ierosolymorum, quia gentes polluerunt templum Domini, & *posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam*, ut Psalmus loquitur. Videtur autem intelligi calamitas, & excidium illius urbis per Nabuchodonosor. Vide, & confer ea quæ sunt I. Mach. VII.

V. 6. EFFUNDE IRAM TUAM IN GENTES, QUAE TE NON NOVERUNT: ET IN REGNA, QUAE NOMEN TUUM NON INVOCAVERUNT. Quæritur, cum Christus doceat inimicos diligendos, & ipse orarit pro crucifigentibus, quomodo Psalmista vindictam imprecetur inimicis sanctorum. Tractat hanc quæstionem late, & pulchre August. scribens in hunc Psalmum. Summa est, duobus modis ad hoc responderi posse. Uno modo, hæc, & similia esse verba non optantis, sed prophetantis. Sed rursum, quia multa in Scripturis ostendunt non tantum prophetice huiusmodi, ut de Martyribus Apocalyp. VI. petentibus vindictam. Respondet tandem quoque August. Quamdiu impii sunt in hac vita, iustus magis debet petere ut corrigantur quam ut puniantur: ita tamen petit ut puniantur, quatenus hoc cedat ad illorum conversionem, vel in exemplum aliorum. Si autem impius ponitur in futuro sæculo, recte iustus lætatur de Dei iustitia, quoniam tunc pro eo sperari non potest Dei misericordia. Ceterum in omnibus his cavendum est, ut non ideo placeat vindicta Dei in impios, quia in nos peccaverunt, sed quia peccatum est contra iustitiam, & contra legem Dei.

M A R I A N AE.

Vers. 1. PSALMUS ASAPH. Pollutam urbem, & templum deplorat. IN POMORUM CUSTODIAM, id est tuguria ubi fructus servantur, in casas. Hebr. *In acervos*, aut *desolationes*, *posuerunt Ierusalem*. *V.* 2.

V. 2. Morticina, cadavera, servorum, id est cultorum, posuerunt escas avibus.

V. 3. Tamquam aquam effuderunt sanguinem, id est in magna copia, qualis est aquæ copia. Et non erat qui sepeliret: non id permittebat hostis, quæ magna feritas est.

V. 5. Usquequo Domine irasceris in finem? Hebr. *in perpetuum*: sine fine irasceris, scilicet in nos. Zelus tuus: æmulatio tua, indignatio tua usquequo accendetur?

V. 6. Effunde: iram in nos conceptam converte potius in gentes, id est contra Gentes. Commuta rationem agendi.

V. 7. Quia comederunt, vastarunt. Iacob, id est hereditatem eius. Et locum eius. Hebr. *habitaculum eius*; id est habitacula, domos: aut loquitur de templo.

V. 8. Antiquarum iniquitatum ne memineris. Hebr. *priorum*, sive quæ nos ante commisimus, sive quæ patres nostri. Quia pauperes facti sumus nimis: quia vehementer attenuati sumus.

V. 9. Deus salutaris noster. Hebr. *Deus salutis nostræ*, id est qui das salutem nobis, adiuva nos.

V. 10. Ne forte dicant. Hebr. *Quare dicent*. In gentibus. Hebr. *gentes*. Et innotescat, quod sequitur versu sequenti. Coram oculis nostris, nobis videntibus, neque negare valentibus. Ultio sanguinis, scilicet quam fecit inimicus, te permittente.

V. 11. Compeditorum, vinctorum, eorum qui captivi sunt, gemitus. Et intrent in conspectum tuum. Secundum magnitudinem brachii tui, roboris tui. Posside. Hebr. *residuos fac*. Filios mortificatorum. Hebr. *filios mortis*. id est morti addictos: scilicet qui vincti sunt, eos libera.

V. 12. Et redde vicinis, &c. Ordina sic: *Redde vicinis nostris improperium, quod exprobraverunt tibi* (in) *septuplum, in sinu eorum*, id est in se ipsis.

V. 13. Nos autem pro ea liberatione gratias agemus. Oves, aut grex tuus. Confitebimur tibi, laudabimus te. In generationem et generationem, id est per omnes generationes, perpetuo tanti beneficii memores.

MALVENDAE.

Vers. 1. Psalmus Asaph. Heb. *Modulatio*, seu *Ode*, *ipsi Asapho*. Vide in Psalm. XLIX. vers. 1. Plerique hunc Psalmum ad Antiochi Epiphanis tempora pertinere existimant: quibus optime conveniunt singulæ narrationis partes. In hereditatem tuam, seu *in possessionem tuam*, id est in terram Chenanææ, ut appellatur Exod. XV. 17. Polluerunt templum sanctum tuum. Exponunt, id est spoliando, funestando, & omnia profana, impiaque munera in eo obeundo, & designando, ut scribitur I. Machabæor. 1. & apud Iosephum. Lib. XII. Antiquitat. cap. VII. Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, id est in vile tugurium, & casam frondosam, ubi æstate pomorum, quæ sunt in arboribus, custodes excubare solent. Hebr. *Posuerunt*, vel *disposuerunt*, seu *redegerunt*, *Ierusalaim in acervos*, *tumulos*, *cumulos*, *lapidum*, vel *ruderum*, sive *in desolationes*. Hoc factum notant in secundo congressu, cum præfectus Antiochi fraude in urbem involavit. Burgensis, & Reuchlinus, *in foveas*, *fossas*, *fodinas*.

V. 2. Posuerunt morticina servorum tuorum, &c. Heb. *Dederunt cadaver*, seu *cadavera*, *servorum tuorum*, &c. id est eorum qui constantes erant in observatione legis tuæ, contra impii regis edictum, hoc est martyrum tuorum. Vide I. Machab. 1. 39. & 60. Carnes sanctorum tuorum. Heb. *beneficorum tuorum*: active, qui in alios fuere benefici; passive, quos benignitate prosequeris.

V. 4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, &c. Vide alium versum huic similem Psal. XLIII. 14.

V. 7. Quia comederunt Iacob. Heb. singulariter: *Quia comedit*, *voravit*, *absumpsit*, *ipsum Iahakobum*, id est quisque ex hostibus eius: quod maiorem habet emphasim. Quidam reddunt: *Nam consumptor consumpsit Iahakobum*.

V. 8. Iniquitatum nostrarum antiquarum. Heb. *pravitatum priorum*. Alii, *retro peccatorum*, vel *scelerum quæ ante hac commisimus*. Quidam, *iniquitatum præcedentium temporum*, id est quas nos, & maiores nostri ante hac perpetravimus.

Ci-

CITO ANTICIPENT NOS. מהר *maher* potest esse imperativus: *Festina*, *accelera*, *ut antevertant nos*, &c. vel infinitivus, *Festinando*; & adverbialiter, *Festine*, *celeriter*, *cito*, *subito*, *antevertant nos*. Quidam: *Festinantes præveniant nos*; id est, antequam oneri ærumnarum nostrarum succumbamus.

V. 10. ET INNOTESCAT IN NATIONIBUS CORAM OCULIS NOSTRIS, ULTIO SANGUINIS SERVORUM TUORUM, QUI EFFUSUS EST. Quidam: *Vulgetur*, *nobilis fiat*, *inspicientibus oculis nostris*, *in gentes ultio sanguinis servorum tuorum*. Alii: *Innotescat in istis gentibus ante oculos nostros*, *ultione sanguinis servorum tuorum effusi*; id est, palam fiat gentibus, idque videntibus & præsentibus nobis, te non abesse, sed tuis præsentem esse *ultione sanguinis*, &c. Et hoc est rectius: nam alioquin est discordia generum.

V. 11. SECUNDUM MAGNITUDINEM BRACHII TUI, vel *pro magnitudine brachii tui*, id est amplissima, adeoque infinita virtute tua: humanitus dictum. POSSIDE FILIOS MORTIFICATORUM. Diversimode ex Heb. reddunt. I. *Solve filios mortis*, id est morti obnoxios: imperativum הותר *hother* accipiunt ex significatione יתר *iether*, *restis*, *chorda*, *funis*; quasi sit, *solve*, *remove funem*. II. *Relinque*, *reliquos fac*, *filios mortis*. III. *Fac residuos filios mortis*. IV. *Reliquos fac cædi destinatos*. V. *Remanere fac superstites filios mortis*; id est, conserva in vita homines morti addictos. VI. *Fac ut reliqui sint qui iam traduntur morti*; id est, tuos iam iam in præsentissimis mortis angustiis versantes reserva. Sic Psal. CI. 21.

V. 12. ET REDDE VICINIS NOSTRIS SEPTUPLUM; id est, gravissimas pœnas ab eis exige. Vide de hac locutione in Genes. IV. vers. 15. IN SINU EORUM. Exponunt, id est prolixe, & cumulate, ut quæ sine numero, & modo dantur, in gremium profundi solent: metaphora: ut Isaiæ LXV. 6. & 7. & Ierem. XXXII. 18.

MENOCHII.

Vers. 1. PSALMUS ASAPH. Vide dicta ad tit. Psal. XLIX. HEREDITATEM TUAM. Vide dicta superiori Psal. num. LXXI. IN POMORUM CUSTODIAM; id est, de urbe amplissima exiguum, & vile tuguriolum fecerunt, qualia sunt ea in quibus custodiuntur poma, vel in quibus pomorum custodes excubant.

V. 2. MORTICINA, cadavera. CARNES, &c. obiecerunt in escam, & lanienam volucribus, & bestiis.

V. 3. TAMQUAM AQUAM, magna copia.

V. 4. FACTI SUMUS OPPROBRIUM, viles, despicabiles, contempti apud populos nobis conterminos.

V. 5. USQUEQUO IRASCERIS nobis. ZELUS, vehemens ira tua.

V. 7. COMEDERUNT IACOB, perdiderunt, consumpserunt. LOCUM EIUS, regionem quam inhabitat. DESOLAVERUNT: in solitudinem, & vastitatem redegerunt.

V. 8. ANTIQUARUM: quas maiores nostri perpetrarunt, vel nos olim commisimus. ANTICIPENT: priusquam pereamus, adsint nobis misericordiæ tuæ. PAUPERES, afflicti, & miseri.

V. 9. SALUTARIS noster, Salvator, & salus nostra. PROPTER GLORIAM NOMINIS TUI: ut nobis ereptis gloriosius sit nomen tuum: quod rursus repetitur secunda versiculi parte.

V. 10. UBI EST DEUS EORUM? cur eorum Deus, in quo gloriantur, opem illis non fert? an impotens est, & mala ab illorum capitibus avertere non potest? INNOTESCAT...... ULTIO SAGUINIS: cadit enim hoc verbum in sequentem versum.

V. 11. INTROEAT IN CONSPECTU TUO: preces nostræ admittantur ad conspectum tuum, & exaudiantur. COMPEDITORUM, vinctorum, vinculis, vel captivitate oppressorum. BRACHII TUI, potentiæ tuæ. POSSIDE, conserva, vindica, assere. MORTIFICATORUM, occisorum.

V. 12. SEPTUPLUM: supplicium, nostro multis partibus gravius, ut sit quasi pœna septupli. IN SINU EORUM, in ipsosmet, in ipsorum gremium, in caput ipsorum. IMPROPERIUM IPSORUM: Redde vicinis nostris improperium ipsorum, quod exprobraverunt nobis, repende, & regere in eos.

V. 13. POPULUS TUUS, qui sumus populus tuus. PASCUAS TUAE, gregis tui, quos tu pascis. CONFITEBIMUR TIBI, laudabimus te. ANNUNCIABIMUS, prædicabimus, & celebrabimus.

TI-

TIRINI.

Verſ. 1. IN POMORUM CUSTODIAM, id eſt tugurium in quo latere ſolent cuſtodes hortorum dum poma & fructus colliguntur; quibus collectis, deſerunt illud ac diruunt. Sic contigit magnæ, & inclytæ Jeroſolymæ, quæ, cæſis, vel abductis civibus, diruta eſt ac deſerta, inquit Theodoret. IV. Reg. ult. Unde Hieron. vertit, *in acervos lapidum*; Chald. *in deſolationem*.

V. 2. MORTICINA, id eſt cadavera, SANCTORUM TUORUM, id eſt fidelium, qui vocatione, & profeſſione ſancti ſunt.

V. 5. ZELUS, id eſt indignatio.

V. 7. COMEDERUNT; id eſt, ore gladii, & ignis abſumpſerunt filios IACOB, ET LOCUM EIUS: ſcilicet Iudæam, ac templum, deſolatum fecerunt.

V. 11. POSSIDE, id eſt reſerva tibi quaſi partem poſſeſſionis hereditariæ tibi propriæ, FILIOS eorum qui *mortificati*, id eſt occiſi ſunt: ut ſcilicet ex hac ſobole novus populus tibi ſuccreſcat, qui Eccleſiam tuam roborent, & augeant. Ita Theodoretus.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS ASAPH. Dictum eſt ſupra de hoc choro cantorum. Nihil ergo hic novi eſt, præſertim ſi omnium Pſalmorum auctor eſt David. Argumentum dat deplorationem calamitatis, cum petitione; ut malum convertatur ad hoſtes. Refertur a multis ad perſecutiones illas ſub Machabæis. Et cur non etiam cum Auguſtino accommodari poteſt ad perſecutiones quas paſſa eſt Chriſti Eccleſia?

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. uſq. ad 12. DEus *venerunt gentes*, &c. Perlege quæ dixi ad libros Machabæorum, & ſenſus evadet clarus de vaſtata hac hereditate, & calamitate ſub Epiphane. Pro *pomorum cuſtodia* Hieronymus ponit *acervum lapidum*. Sed extabant adhuc domus plurimæ, quamvis parum habitatæ. Rectius ergo comparatur civitas diruto tugurio, ut referat pomorum cuſtodiam non habitatam: nam hic verſu 7. ſunt hæc verba: *Locum deſolaverunt*. Tandem verſ. 10. Aſpice, inquit, ſanguinem effuſum, & poſſide ut hereditatem filios eorum qui pro te occiſi ſunt.

V. 12. & 13. *Redde vicinis*, &c. Antiochenos aliqui interpretantur, qui adfuerunt quando pollutum eſt templum, & incenſa civitas. Sed nihil obſtat, ſi etiam Idumæos, Philiſthæos, & ſimiles intelligas. Petit autem Propheta nomine populi ultionem a Deo, ſeu pœnam rependi, idque ſeptuplum; ac ſi diceret: Caſtiga eos pœna longe ampliore, quam ſit iſta populi tui.

BOSSUET.

Verſ. 1. POLLUERUNT. Non dicit excіſum, ſed pollutum, ut I. Macc. 1. 49. 21. 22. IV. 38. IN POMORUM CUSTODIAM: in ſpeculam quam cuſtodes ſatorum & pomorum habere conſueverant: Hier. epiſt. ad Sun. palatiis, ipſaque urbe velut in tugurium verſa. Idem Hier. ibid. & hic ex Hebræo ſic vertit, *in acervos lapidum*. De Antiocho, & ſancta civitate ſcriptum: *Succendit eam igni, & deſtruxit domos eius, & muros eius in circuitu*: I. Macc. 1. 33.

V. 6. EFFUNDE IRAM TUAM. Hic & ſeqq. verſus a Ierem. repetiti x. 25.

V. 7. LOCUM EIUS, *habitaculum*, Heb. templum. Alii vertunt *decus*, *pulchritudinem*, eodem ſenſu. Tempore Antiochi, *ſanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo*: I. Macc. 1. 41. *Sancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt*: ibid. II. 12. Vide etiam IV. 38. &c.

V. 10. NE FORTE DICANT: *quare dicunt*, &c. Hier. CORAM OCULIS NOSTRIS, ULTIO, &c. Iungenda hæc, ut apud Hier. & LXX.

V. 11. POSSIDE FILIOS MORTIFICATORUM: eorum qui cæſi ſunt. Sint ex nobis reliquiæ quas neci eximas. At Hier. *Relinque filios interitus*. Morti addictos licet, iube eſſe ſuperſtites.

PSALMUS LXXIX. DEPRECATORIUS ET PROPHETICUS.

Cæso Saule a Philistæis, quo tempore David super solo Iuda regnabat in Hebron, petit adunari tribus, & populum ab hostibus vindicari : deinde Davidis victorias, ac demum terræ sanctæ vastitatem prædicit per Nabuchodonosorem. Hinc forte apud LXX. *titulus, super Assyrios.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro liliis testimonium Asaph. Canticum.

Qui pascis Israel ausculta, qui ducis quasi gregem Ioseph: qui sedes super Cherubim, ostendere.

Ante Ephraim & Beniamin & Manasse suscita fortitudinem tuam, & veni ut salvos facias nos.

Deus converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus : Domine Deus exercituum, usquequo fumabis ad orationem populi tui?

Cibasti nos pane flebili, & potasti nos in lacrymis tripliciter.

Posuisti nos contentionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus exercituum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus.

Vineam de Ægypto tulisti: eiecisti gentes & plantasti eam.

Præparasti ante faciem eius, & stabilisti radices eius, & replevit terram.

Operti sunt montes umbra eius, & ramis illius cedri Dei.

Expandit comas suas usque ad ma-

VERSIO VULGATA.

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

2. Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Ioseph.
Qui sedes super Cherubim, manifestare 3. coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.
Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.

4. Deus converte nos : & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

5. Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem servi tui?

6. Cibabis nos pane lacrymarum : & potum dabis nobis in lacrymis in mensura?

7. Posuit nos in contradictionem vicinis nostris : & inimici nostri subsannaverunt nos.

8. Deus virtutum converte nos : & ostende faciem tuam : & salvi erimus.

9. Vineam de Ægypto transtulisti : eiecisti Gentes, & plantasti eam.

10. Dux itineris fuisti in conspectu eius : plantasti radices eius, & implevit terram.

11. Operuit montes umbra eius : & arbusta eius cedros Dei.

12. Extendit palmites suos usque ad

re,

re, & usque ad flumen germina sua.

Quare dissipasti maceriem eius, & vindemiaverunt eam omnes qui transeunt per viam?

Vastavit eam aper de silva, & omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.

Deus exercituum revertere obsecro, respice de cælo, & vide, & visita vineam hanc.

Et radicem quam plantavit dextera tua, & filium quem confirmasti tibi.

Succensam igni & deramatam: ab increpatione faciei tuæ pereant.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non recedimus a te: vivificabis nos, & nomine tuo vocabimur.

Domine Deus exercituum converte nos: ostende faciem tuam, & salvi erimus.

mare: & usque ad flumen propagines eius.

13. Ut quid destruxisti maceriam eius: & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

14. Exterminavit eam aper de silva: & singularis ferus depastus est eam.

15. Deus virtutum convertere: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.

16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

17. Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

19. Et non discedimus a te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus.

20. Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN FINEM, &c. Heb. *Vincenti in Sussanim* (ut Psal. XLIV.) *Eduth.* genus cantionis.

V. 5. SERVI TUI. Heb. *populi tui*. Septuag. legerunt עבדוך pro עבדך.

V. 6. CIBABIS NOS PANE LACRYMARUM, &c. Heb. *Cibabis eos pane lacrymarum, & potas lacrymis magna mensura.*

V. 7. ET INIMICI NOSTRI SUBSANNAVERUNT NOS. Heb. *inter se.*

V. 10. DUX ITINERIS FUISTI IN CONSPECTU EIUS. Hebr. *Præparasti* (locum illi) *& radicavit radices suas, & implevit terram.*

V. 11. ET ARBUSTA EIUS CEDROS DEI. Heb. *Rami eius cedros Dei*; aut, *Rami eius* (ut) *cedri Dei.*

V. 14. EXTERMINAVIT EAM APER DE SILVA, &c. Hebr. *Implevit ventrem ex ea aper de silva, & fera agri depopulata est eam.*

V. 16. ET PERFICE EAM, QUAM PLANTAVIT DEXTERA TUA, &c. Heb. *Plantationem quam plantavit dextera tua, & filium quem roborasti tibi*, id est quem robore tuo liberasti de AEgypto. Vocat filium propaginem vitæ, posteros eorum, qui ex AEgypto liberati sunt.

V. 17. INCENSA IGNI ET SUFFOSSA. Heb. *succisa*; id est, cum dextera tua plantata fuerit, peribit indignatione tua.

V. 19. ET NON DISCEDIMUS A TE. Heb. *non discedemus a te.*

SA.

De fidelium hostibus.

Vers. 1. COMMUTABUNTUR, scilicet a calamitate liberati, vel a peccato. TESTIMONIUM, id est assertio.

V. 2. QUI REGIS. Hieron. & Chald. *Pastor*. INTENDE. Hieron. *ausculta*. OVEM, pro oves. IOSEPH, id est populum Israel:

repetitio. Vocatur autem Ioseph, quod ex eo duæ tribus ortæ, habitusque tamquam primogenitus. Vide I. Paral. v.

V. 3. CORAM EPHRAIM, &c. Has tres tribus præcedebat arca in deserto. Vide Num. II. EXCITA; id est, fac appareat.

V. 4. CONVERTE. Chald. *reduc a captivitate.* OSTENDE FACIEM; id est, placido vultu aspice.

V. 5. VIRTUTUM. Hieron. & Chald. *exercituum.* IRASCERIS. Chald. *non recipies.* SERVI. Hieron. & Chald. *populi*; quasi dicat: Non exaudies orantem populum tuum.

V. 6. CIBABIS. Hieron. *cibasti.* LACRYMARUM. Chald. *intincto lacrymis.* POTUM DABIS. Hieron. *potasti.* MENSURA, scilicet maxima. Hieron. & Chald. *tripliciter*, id est abunde.

V. 7. CONTRADICTIONEM. Hieron. *contentionem*; quasi dicat: Nobis contradicunt contendentes.

V. 11. UMBRA. Chald. *umbra sanctuarii.* EIUS, scilicet vineæ. ARBUSTA. Hieron. *rami.* CEDROS DEI, id est altissimas, scilicet æquabant.

V. 12. EXTENDIT PALMITES. Chald. *misisti discipulos.* MARE. Chald. *mare magnum.* FLUMEN. Chald. *flumen Euphratem.*

V. 13. UT QUID? id est quare. MACERIAM. Chald. *sepem*, scilicet protectionem.

V. 14. EXTERMINAVIT. Hieron. *vastavit.* APER, pro apri, scilicet hostes feri. SINGULARIS FERUS, id est *porcus silvestris*, ut est Græce.

V. 16. PERFICE, id est restitue integritati. SUPER FILIUM HOMINIS. Chald. *propter Regem Christum.* CONFIRMASTI id est roborasti. TIBI, id est apud te, vel tua virtute.

V. 17. INCENSA, scilicet est vinea. SUFFOSSA; Hieron. *dirupta*; Chald. *excisa.* INCREPATIONE, id est indignatione, vel punitione. PERIBUNT, scilicet qui eam vastant.

V. 18. FIAT. Chald. *Sit.* DEXTERAE TUAE, id est quem dextera tua defendis. FILIUM HOMINIS. Chald. *hominem.*

V. 19. DISCEDIMUS. Hieron. & Chald. *recedemus.* A TE. Chald. *a timore tui.*

V. 20. VIRTUTUM. Hieron. & Chald. *exercituum.*

ESTII.

Vers. 17. INCENSA IGNI, ET SUFFOSSA, AB INCREPATIONE VULTUS TUI PERIBUNT. *Incensa igni, & suffossa*, scilicet ipsa vinea, de qua præcedit, ut patet ex Græco. Itaque sequentium hic est sensus: *Ab increpatione vultus tui peribunt*, scilicet inimici nostri, qui vineam tuam Ierusalem incenderunt igni, & suffoderunt. Augustinus tamen in huius loci commentario, & in Psal. XXXVIII. Greco textu, ut videtur, non inspecto, exponit illa, *Incensa, & suffossa*, ut neutra pluralia, & construit cum verbo *peribunt*.

MARIANAE.

Vers. I. IN FINEM, PRO IIS QUI COMMUTABUNTUR, TESTIMONIUM ASAPH. Hebr. *Præfecto super Sosannim, Heduth Asaphi, Psalmus.* *Sosannim* erat instrumentum, *Heduth* initium cantilenæ vulgaris. Orat ut quos ex Aegypto transtulit, benignus tueatur.

V. 2. QUI REGIS ISRAEL. Hebr. *Qui pascis Israel.* INTENDE. Hebr. *ausculta.* QUI DEDUCIS VELUT OVEM, aut gregem, IOSEPH. Ex quo Israelis regnum est scissum, vocata est pars illa *Ioseph*, quoniam is fuit primogenitus Iacob. Et *Ephraim*, quoniam is fuit pro primogenito Ioseph. Sic Hebræus. Aut potius per *Ioseph* totum populum intelligamus, propter eam prærogativam primogenituræ in eum translatæ I. Paral. v. 1. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, id est in propitiatorio, ubi erant Cherubim. MANIFESTARE, affulge; id est, te præsentem esse ostende.

V. 3. CORAM EPHRAIM, BENIAMIN, ET MANASSE. Per has tres tribus ceteras intellige.

V. 4. DEUS CONVERTE NOS, id est restitue nobis nostra. ET OSTENDE. Heb. *& illustra faciem tuam*; id est, te nobis hilarem ostende, & propitium.

V. 5. DOMINE DEUS VIRTUTUM. Heb. *exercituum.* QUOUSQUE IRASCERIS SUPER ORATIONEM? id est aversaris preces nostras. SERVI TUI. Hebr. *populi tui*. Septuag. pro עמך *bamecha*, legere עבדך *habdecha*, facili mutatione litterarum.

V. 6. CIBABIS NOS. Repete *usquequo* posi-

positum superiori versu. PANE LACRYMARUM; id est, facies ut lacrymæ sint quotidianæ, ut panis, & ut potus. IN MENSURA? scilicet magna, qualis est Hebr. *salis*, sic dicta a tribus urceis, quos continet, aut tribus sextariis. Aut quia tertia ephi.

V. 7. POSUISTI NOS, pro pones. IN CONTRADICTIONEM, litem. Hebr. *iurgia*; id est, facies ut cum vicinis semper litigemus. SUBSANNAVERUNT, pro subsannabunt. Repete, *usquequo*. Nos. Hebr. *eos*. sed Hieron. *nos*: sic Chald.

V. 8. DEUS VIRTUTUM. Repetit vers. 6.

V. 9. VINEAM. Sic Hieronymus: *Vitem de Ægypto transtulisti*. Sed per *vitem*, & ea quæ de ipsa dicit usque ad finem, populum Israel intelligit; quem eduxit ex Ægypto, & pulsis septem gentibus in terra Chanaam plantavit.

V. 10. DUX ITINERIS FUISTI. Hieron. *Præparasti ante faciem eius*; alii, *evacuasti*: scilicet lapides abstulisti, aut extirpasti dumos, ut solet in plantatione fieri. PLANTASTI RADICES EIUS. Hebr. *& radicasti radices eius*.

V. 11. OPERUIT MONTES UMBRA EIUS. Hebr. *Operti sunt montes umbra eius*; id est, montes & colles operuit, ubique plantata est. ET ARBUSTA EIUS. Hebr. *rami eius*. CEDROS DEI, id est altissimas cedros, cooperuerunt scilicet. Alludit ad eorum morem, qui vites adiungunt, & imponunt arboribus.

V. 12. USQUE AD MARE, scilicet mediterraneum, extendit palmites. AD FLUMEN, scilicet Euphratem: nam terræ promissæ ii fines erant.

V. 13. UT QUID DESTRUXISTI MACERIAM EIUS? aut sepem; quod fit sublata Dei cura & custodia.

V. 14. EXTERMINAVIT EAM, aut vastavit, APER DE SILVA, id est apri silvæ: per quos gentes feras intellige. ET SINGULARIS FERUS. Quid זיז ziz significat, ambiguum: ea causa sic vertendi. Plerique sentiunt ea promiscue voce significari omnes feras. Id secutus Hieronymus dixit: *Et omnes feræ agri depastæ sunt eam*. Aut verte sic: *Et fera agrestis depasta est eam*.

V. 15. DEUS VIRTUTUM, exercituum. CONVERTERE, id est reconciliare nobis. ET VISITA in bonum: illi prospice. VINEAM, aut vitem.

V. 16. ET PERFICE EAM. Septuag. vocem *canah* quasi verbum sumpsere, alii ut nomen. Hieron. *& radicem, quam plantavit*, scilicet visita. Quidam *vitiarium* vertunt, quasi *plantarium*. In sententia consentiunt omnes. ET SUPER FILIUM HOMINIS; id est, visita hominem, id est homines, qui per eam vineam significantur. Hebr. non est vox *hominis*, & per *filium* intelligunt propaginem vineæ illius, quam visita, illi prospice. QUEM CONFIRMASTI TIBI. Hebr. *roborasti tibi*, id est in tuos usus, & honorem.

V. 17. INCENSA IGNI, scilicet est vinea hæc. ET SUFFOSSA. Hebr. *excisa*. AB INCREPATIONE VULTUS TUI PERIBUNT, pro periere. Transit a vinea ad homines, qui per vineam significantur; quasi dicat: Solo nutu tuo periere Israelitæ.

V. 18. FIAT MANUS TUA, id est auxilium. SUPER VIRUM, scilicet filios Israel. DEXTERAE TUAE, id est quos brachio extento acquisivisti. ET SUPER FILIUM HOMINIS. Repetitio. QUEM CONFIRMASTI TIBI. Hebr. *roborasti*, tuo auxilio scilicet & viribus.

V. 19. ET NON DISCEDIMUS A TE, pro discendemus, deflectemus. VIVIFICABIS NOS; pro, si vivificaveris nos, memores beneficii, te invocabimus, & colemus.

V. 20. DOMINE DEUS VIRTUTUM. Repetit versum quintum.

MALVENDAE.

Vers. 1. PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR. Heb. *Ad* שושנים *schoschannim*. Vide in Psal. XLIV. vers. 1. TESTIMONIUM ASAPH, PSALMUS. Heb. עדות *gheduth ipsi Asapho, Ode*. Vide Psal. LIX. vers. 1. Varie reddunt. I. *Ornamentum ipsi Asaph Psalmus*; quasi dicat; Gloriosus & desiderabilis erat ipsi Asaph Psalmus iste: vel, *Pretiosus erat hic Psalmus Asapho* ut monile, seu ornamentum aliquod. II. *Psalmus testimonii Asapho*. Exponunt: *Testimonii*, id est quo Ecclesia supplicans testificabatur fidem suam in Deum, de promissa liberatione post annos septuaginta, Ieremiæ XXIX. 10. Volunt hunc Psalmum scriptum fuisse temporibus deportationis Babylonicæ, ut partim historiæ comparatio cum hoc Psalmo, partim verba,

ba commonstrant, Chaldaismum quemdam redolentia.

V. 2. QUI REGIS ISRAEL, INTENDE. Heb. *O Pastor Israelis, auribus percipe*, &c. Sensum huius versus quidam ita concipiunt, quasi dicat: Tu qui olim liberasti, pavisti, & deduxisti populum tuum, & Ecclesiæ tradidisti cultum tuum, ac proinde eadem semper officia obtines liberandi tuos, & instaurandi cultus tui, age, auribus percipe. *Pastor Israelis*, id est tuorum omnium. QUI DEDUCIS VELUT OVEM IOSEPH. Quidam: *Ductor Iosephi tamquam gregis*, id est totius Israelis: sic sumi hic volunt nomen Ioseph, ut supra Psal. LXXVI. vers. 16. QUI SEDES SUPER CHERUBIM. Heb. *Insidens Cherubinis*, in propitiatorio, & arca; id est, qui nobis responsa dandi, nos regendi, & tuendi cultum aspectabilem tuum, munus in te recepisti, Exod. XXV. vers. 18. usque ad vers. 23. & Numer. VII. 89. Sic I. Samuel. IV. 4. & II. Samuel. VI. 2. II. Reg. XIX. 15. & I. Paralip. XIII. 6. Aliqui reddunt: *Habitator, sessor, Cherubinorum*. Aliene alii: *Qui Cherubinis velocissimis animantibus inveheris ad quam celerrime nobis opem præstandam*: ut II. Reg. XXII. 11. & Psal XVII. 11. MANIFESTARE. Heb. *Splende, inclaresce, effulge, irradia, splendorem, fulgorem, claritatem, maiestatem, potentiam exere*. Vide Deuteron. XXXIII. 2. Quidam: *Conspicuus appare*. Alii: *Te ipsum exhibe*.

V. 3. CORAM EPHRAIM, BENIAMIN, ET MANASSE. Quidam notant, his tribus synecdochice intelligi totum regnum populi Dei. Nam Ephraim complectitur totum, regnum Israeliticum, seu decem tribuum: vide Psal. LXXVII. vers. 9. Biniamin, regnum Iudaicum, ex tribu Iehudæ & Biniaminis constans: Menasseh vero regionem transiordaninam. Alii harum tantum tribuum hic fieri mentionem volunt, quod hæ in castrametatione essent ad partem occidentalem tabernaculi, a qua parte ante ipsas erat adytum, seu Sanctum sanctorum, ubi Deus in arca, & propitiatorio gloriam suam & præsentiam exhibebat. Vide Numer. II. 18. Rectius nonnulli, ut mihi videtur, exponunt: *Coram Ephraimo, Biniamineque, & Menasscheh*, id est coram reliquiis Ephraimi, & Biniaminis, & Menasschis, quæ regno Iehudæ adhærentes in tuo cultu permanserunt: prout factum esse post reditum a deportatione Babylonica legitur I. Paralipom. IX. 3. EXCITA POTENTIAM TUAM. Exponunt: Id est, velut torpescentem, vel dormientem exere. ET VENI, UT SALVOS FACIAS NOS. Heb. *Et ita salutis nobis*. Quidam: *Et veni ad plenam salutem afferendam nobis*.

V. 4. DEUS CONVERTE NOS. Heb. *Deus redire fac, reduc nos*; subaudi, a via mala in bonam: vel revoca nos a servitute, & exilio, in libertatem, & patriam. Alii: *Deus restitue nos*, in sede nostra, & cultu tuo. Nonnulli: *Redi ad nos Deus*. Aliqui: *Deus recipe in gratiam nos*. ET OSTENDE FACIEM TUAM. Hebr. *& lucere fac faciem tuam*; id est, placido, & benigno vultu aspice nos, fave nobis, dignare nos favore & gratia, benignum te nobis præsta. Vide Psal. IV. 7. Hic versus amœbæus repetitur infra vers. 8. & 20.

V. 5. DOMINE DEUS VIRTUTUM. Heb. tria nomina Dei, IEHVEH, ELOHIM, TZEBAOTH: proculdubio ob mysterium sacræ Triadis QUOUSQUE IRASCERIS? Heb. *Quousque fumavisti?* vel *fumaturus es?* Alii: *Quousque excandesces?* irati per nares fumum emittere solent.

V. 6. CIBABIS NOS PANE LACRYMARUM. Heb. *Cibasti eos pane lacrymæ*; id est, lacrymis velut pane cibasti eos, ut supra Psal. XLI. vers. 4. Quidam: *Coegisti illos comedere cibum flebilem*, id est ærumnosum. ET POTUM DABIS NOBIS IN LACRYMIS IN MENSURA. Quidam minus recte exponunt, *In mensura*, id est commensurate, non supra modum, aut vires; ut I. Corinth. X. 13. Alii ex Heb. varie. I. *Et fecisti bibere eos in lacrymis tertii*; id est, tamquam biberint ex hydria trium metretarum, hoc est abundantissime. II. *Et potasti eos in lacrymis tripliciter*: Hispanice, *tres doble*, id est affatim. III. *Et propinasti eis lacrymas ampla mensura*, id est copiosissimas. IV. *Et pro potu porrexisti illis meras lacrymas maxima mensura*. V. *Et potasti eos lacrymis ternario*, seu *triario*. Aiunt esse genus mensuræ tam aridorum, quam liquidorum. VI. *Et bibendum præbes eis de lacrymis triental*; id est, non communem cyathum, aut mensuram calamitatum, sed magna pocula atque insolentia afflictionum epotanda præbes. Est

enim

enim *triens*, sive *tridental*, tertia pars sextarii, quatuor cyathos communes capiens. Qui rem mensurariam executi sunt, affirmant trientem quatuor cyathos communes continere: vide Georgium Agricolam, & Robertum Senalem. Verum hæc non ampla admodum mensura esse videtur, cum, teste Suetonio, Augustus tres trientes, id est duodecim cyathos, una compotatione hauriret. Ad hæc, *triental* proprie erat poculum quod trientem caperet, ut ex Persio satyra III. perspicuum est: vide ibi commentarium Casauboni. Ex loco Isaiæ XL. 12. videtur שליש *schalisch* non adeo magna mensura fuisse: atque locum sic ipse acceperim: *Et potavisti eos cum lacrymis ternarium*, id est tertiam partem potus ordinarii; quasi dicat: Potasti eos admodum exiguo potu cum multis lacrymis mixto: ut sit simile I. Reg. XXII. 27. & Isaiæ XXX. 20. Hebræi exponunt: *Mensuram, quæ est tertia pars mensuræ magnæ*: quod exsilium istud Babylonicum fuerit tertia pars magni illius exilii AEgyptiaci, quod 210. annis duravit; hoc vero 70.

V. 7. POSUISTI NOS IN CONTRADICTIONEM VICINIS NOSTRIS. Diversimode ex Heb. explanant: I. *Pones nos litem*, seu *contentionem*, *vicinis nostris*; id est, effecisti ut contenderent, sive rixarentur nobiscum, vel de nobis, vicini nostri. Sive, Per te effectum est ut vicini nostri inter se de nobis contenderent, dum quisque nos sibi vendicare studet. II. *Posuisti nos reprehensionem vicinis nostris*: passive, id est assidue nos reprehendunt, & infestantur. III. *Fecisti nos iurgium vicinis nostris*. IV. *Exposuisti nos maledicentiæ vicinorum nostrorum*. V. *Posuisti nos, ut materia simus vicinis nostris iurgandi*. Buchananus:

.... iurgia
Nostris finitimi de spoliis ferunt.

VI. *Exponis nos contentioni vicinis nostris*; id est, facis ut vicini omnes, quibuscum pax & amicitia colenda fuerat, perpetuis rixis & contentionibus exagitent reliquias nostras, quæ in Iudæa commoratæ sunt: de quibus II. Reg. XXV. & Ieremiæ inde a XXXVII. capite. מדון *madon*, a דון *dun*, aiunt esse *iudicium*, *reprehensionem*, *contentionem*, *litem*, *rixam*, *iurgium*. Suspicor esse elegantissimum Hebraismum, & Hispanismum: *Pones nos iudicium vicinis nostris*, id est miserandum & prodigiosum exemplum calamitatum, & iudiciorum Dei, seu divinæ iustitiæ. SUBSANNAVERUNT NOS. Heb. *Subsannarunt eos*, id est nobis: enallage personæ. Alii: *Subsannaverunt sibi nos*; id est, animi causa subsannant nos: nec est pleonasmus, ut quidam volunt, sed vehementia sensus; quasi dicat: Acriter, & ex animo suo illudebant nobis; id est, libenter, & certatim hoc faciebant. Simile illud Maronis I. AEneidos:

.... certantque illudere capto.

V. 9. VINEAM, proprie *vitem*, DE AEGYPTO TRANSTULISTI, &c. Vide Exod. XV. 17. quo hic alluditur. Allegoria vitis elegantissima, qua significatur Ecclesia, seu gens ipsa Dei: quam similitudinem Scriptura frequentat plurimum, ut interpretatur Isai. V. 7. EIECISTI GENTES, ET PLANTASTI EAM. Vide Psal. XLIII. 3.

V. 10. DUX ITINERIS FUISTI IN CONSPECTU EIUS. Varie alii ex Heb. I. *Evacuasti*, *repurgasti*, *locum ante illam*; id est, in loco elapidato, & repurgato statuisti eam, & in loco pingui. II. *Repurgasti diligenter ruderibus eiectis superficiem eius*. III. *Scrobem præparavisti ei*. IV. *Expedivisti*, seu *expediveras*, *ante eam*. Notant exponi istud Exod. XXIII. 28. & Iosue XXIV. 12. Ex verbo reddes: *Faciavisti ad facies eius*; id est, omnia exornavisti, decora reddidisti, apparavisti ante eam: faciem & ornatum addidisti omnibus locis, per quæ transitura erat, ut cum apparatu & ornatu exciperetur. Vide vim verbi in Genes. XXIV. 31. ET IMPLEVIT TERRAM; id est, numero, magnitudine, & gloria præstabat: hyperbole. Possis reddere, *& implevisti terram*, ea vite.

V. 11. ET ARBUSTA EIUS CEDROS DEI. Ex Heb. varie. I. *& palmitum eius cedri maximæ*; id est, umbra palmitum eius cedri altissimæ operiebantur. II. *& frondibus eius cedri Dei*. III. *& rami eius ut cedri Dei*, id est cedri maximæ & altissimæ. IV. *nam rami eius fortes cedros æquabant*. V. *& rami illius similes facti ramis cedrorum maximarum*. Buchananus:

...æqua cedris brachia sparserat.

Cedri Dei, ut *montes Dei* Psal. XXXV. 7.

V. 12. USQUE AD MARE, mediterraneum. ET USQUE AD FLUMEN, Euphratem; id

id eſt, vim ſuam, atque dominatum regni protendebat in omnes terminos quos definiveras. Vide Pſal. LXXI. 8.

V. 13. UT QUID DESTRUXISTI MACERIAM EIUS? Heb. *Quare perrupiſti macerias eius?* Explicant, id eſt ſuſtuliſti manum tuam, qua circum muniebatur: ut minatus fuerat Deus Deuteronom. XXXI. 17. & Iſa. V. 5.

V. 14. EXTERMINAVIT EAM. Verbum quadratum ex Pihel כרסם *cirſam*, cuius hic futurum cum affixo ponitur, יכרסמנה *iebarſemennab*, non alibi legitur in Scriptura: unde diverſimode illud exponunt. I. componunt ex כרש *cores*, *venter*, & מנה *mennab*, *ex ea*; id eſt, *implevit ventrem ex ea*: ſeu *inventravit eam*, *voravit eam*. II. ex כרם *cherem*, *vinea*, & רמס *ramas*, *conculcavit*, per ſynæreſin contractis litteris, ut tantum quatuor diverſæ remaneant; hoc eſt, *devaſtavit vineam conculcando eam*, & perfodiendo ungulis, ut faciunt apri, & ſues. Hinc Græcis per apocopem χερσόω, *deſolo*. III. deducunt a *cerem*, *vinea*, inſerta littera Samech, contraria ſignificatione, *exvineavit eam*; id eſt, roſtro eruit, eradicavit, exſtirpavit, ne amplius ſit vinea. IV. *Evertit*, *devaſtavit*, *ſuccidit*, *excidit*, *evulſit eam*. V. Quidam ſecuti Chaldæum Interpretem: *Suffodiat eam*; id eſt, roſtro proruat terram, & effodiat quod abſconditum eſt ſub ea. Nam verbum eſt compoſitum, Chaldæum potius quam Hebræum origine, quod ſignificat rem abſconditam, ut *theſaurum effodere*. APER DE SILVA. Heb. *Porcus*, *ſus*, *de ſilva*, id eſt ſilveſter, חזיר *chazir* dictus *a volutando*, quod hæc radix Chaldæis id ſignificet, uti eius ingenium deſcribitur II. Petri II. 22. unde nomen videtur Chaldaicum. In voce מיער *miiagbar*, *de ſilva*, Hebræi ſcribunt *Gllaiim* elevatum, ob duas rationes: unam, quod indicet deportationem Babylonicam duraſſe 70. annos, cuius numeri ea littera nota eſt; alteram, quod in ea littera ſit dimidium litterarum Pſalterii. ET SINGULARIS FERUS. *Singularis*, ſubſtantivum eſt *monios*. De voce זיז ziz, abunde diximus in Pſal. XLIX. 11. Hic varie reddunt: 1. *& fera agri*; 2. *& animal agreſte*; 3. *& feræ omnis generis*, *quæ in agris degunt*; 4. *& avis agreſtis*. Caietanus, *& reptile Omnipotentis*. שדי *ſchaddai* legit cum Scin dextro, & Pathach; cum hodie ſcribatur per Scin ſiniſtrum, & Cametz, id eſt *agri*, ut Pſal. XCV. verſ. 12. Plerique *porcum* hunc, & *feram agri*, Nabuchodonoſorem intelligunt: alii univerſe impuriſſimas gentes, atque ferociſſimas, quæ ab imo ad ſummum perdebant radicitus populum fidelem.

V. 15. CONVERTERE. Heb. *Revertere*, *obſecro*. Petitio, qua Eccleſia opem Dei implorat: humanitus dictum; quaſi dicat: Recede, quæſo, ab ira, & recipe nos in gratiam. Alii: *Revertere iam*, id eſt cum prope eſt ut pereamus funditus, infra verſ. 17. RESPICE DE CAELO. Heb. *Intuere de cælis*; id eſt, quamvis in altiſſimis cælorum habites, tamen contemplare. Alii: *Reſpice de cælis ipſis*, quandoquidem aſpectabilis tua præſentia ſublata eſt, cuius recordatione ante nominabatur *Inſidens Cherubinis*. ET VISITA VINEAM ISTAM. Vide de hac locutione in Geneſ. XXI. 1.

V. 16. ET PERFICE EAM, QUAM PLANTAVIT DEXTERA TUA. Vocem כנה *cannab* diverſimode exponunt. I. *Et plantam*, *quam plantavit dextera tua*. II. *Et vitiarium*, *quod plantavit*, &c. III. *Et paratam*, *firmam*, *ratam*, ſcilicet vitam, *quam plantavit*, &c. IV. *Et hortum*, *quem plantavit*, &c. V. *Et habitationem*, *quam plantavit*, &c. id eſt terram Iſraelis, quam tibi delegiſti in locum habitationis. VI. *Et ſurculum*, *quem plantaverat dextera tua*, id eſt totum corpus populi, quod prius deportatum ex AEgypto collocaveras in terra tua. VII. *Et abacum*, *quem plantavit dextera tua*. Hiſpanice, *Aparador de vaſos de aro y plata*. Appoſito vocabulo ornat populum Deo cariſſimum & pretioſiſſimum. Vide Galatinum Lib. VII. de Arcanis Chatolicæ veritatis, cap. III. Forſterus, ſecutus Kimchium, & Reuchlinum, & Sanctem, hæc annotat: *Cannab Pſalmo* LXXX. *verſ.* 16. *Sedem*, *quam plantavit dextera tua*. *Etſi ſciam hanc vocem multifariam exponi (nam Chaldæus pro* עבור *gbaboda*, *opere*; *Hieronymus pro radice*; *alii pro planta*, *ſeu propagine*; *aliqui pro vitæ ordine diſpoſita*; *nonnulli pro* גן *gan*, *horto*, *litterarum ſymbolicarum commutatione*; *quidam pro Viro Iſraelita*, *ſeu regio Meſſia exponunt*: *denique alii verbaliter*, *ut ſit imperativus ſecundæ coniugationis cum*

He

He affixo, ficut Septuaginta, quos vulgata Translatio, & multi alii fecuti verterunt: Perfice eam, fcilicet vitem, quam plantavit dextera tua) tamen ego ut foleo femper in una thematis fignificatione confiftere, pro מעון *magbon, habitatione huic populo deftinata, feu loco refidentiæ conftituto, quam Deus firmam bafim ac fedem fuam effe voluit, in qua habitaret, & regeret populum fuum verbo fuo*, accipio: *& quod Propheta in Mofen refpexerit, Exodi* xv. *verf.* 17. *fic canentem: Introduces eos, & plantabis eos in monte hereditatis tuæ; fedem pro refidentia operatus eft Iehova, fanctuarium Iehova firmaverunt manus tuæ, &c. Atque aliter fentientes oro, ne fe patiantur feduci verbo, plantandi: fiquidem & hoc aliis quoque figurate rebus, quam vel herbis, vel vitibus, vel hortis attribuatur; ut in loco iam ex Mofe citato videre licet; & Danielis* 11. *verf.* 45. *etiam tabernacula plantari legitur*. Hæc ille: quæ nobis appofite annotata videntur, quibus quoque adftipulantur Mercerus, Marinus, Avenarius. *Cannah* fcribitur cum Caph magno: & eft 19. littera magna, quæ reperitur in Hebraicis Bibliis: vide in Iob ix. verf. 34. Hebræi volunt, indicare templi devaftationem factam 20. anno fupra 400. annos a conditu eius per Salomonem; fed hoc eft incertum. Fortaffe innuit quam caram & acceptam habuerit Deus fedem illam, & locum fuæ refidentiæ. ET SUPER FILIUM HOMINIS, QUEM CONFIRMASTI TIBI. Vox *hominis* abeft ab Hebræo, fed accita huc eft e verf. 18. Varie reddunt. I *Et fuper filium, quem roborafti tibi. Filium*, populum Ifraeliticum intelligunt, ut Exod. iv. 22. & 23. Hofeæ 11. 2. II. *Hoc eft, filium quem tibi magnificafti*. III. *Et fuper plantationem, propaginem, ramum, palmitem, quem fortificavifti tibi*. Sic enim nomen בן *ben* aliquando accipitur, ut Genef. xlix. 22. IV. *Idque propter filium, quem fortificafti tibi*, id eft propter Chriftum ... fapientia Dei, & potentia Dei, in ... nos fortificante poffumus omnia: fic infra verf. 18. unde quidam paraphraftice reddunt: *Etfi ipfa non meretur, propter Filium tamen, per fortia defignare conftituifti, fac quod in rem huius vineæ effe putabis*. Hic filius antonomaftice de Filio Dei vivi Chrifto. QUEM CONFIRMASTI, *roborafti, ftrenuum fecifti*, TIBI, id eft quem fortem reddidifti, viribus inftruxifti, adornavifti, in gratiam tuam, in gloriam tuam, in honorem tuum. Buchananus:

Hunc faltem placidus refpice ramulum,
Cui cultu affiduo conciliaveras
Robur, clara tui gloria nominis
Terrarum ut populis nota fit omnium.

Hebræa optime ferunt hunc fenfum: Refpice, vide, & vifita, feu cura vitem iftam, id eft firmam iftam fedem refidentiæ tuæ, nempe Ecclefiam, quam fundafti, fixiftique omnipotenti dextera tua; & fuper Filium tuum Chriftum erexifti eam in gloriam, & laudem nominis tui: ut celebret Pfaltes primarium ac præcipuum caput & fundamentum Ecclefiæ Chriftum.

V. 17. INCENSA IGNI, ET SUFFOSSA id eft everfa flamma, & ferro. AB INCREPATIONE VULTUS TUI PERIBUNT; id eft, ob vehementem iram tuam pereunt, cum Ifraelitæ omnes, tum Iudæi ipfi. Quidam: *Quod exufta fit vinea hæc igni, & vaftata, aufteritas vultus tui in caufa eft: quæ fi duraverit, funditus peribunt qui hac vinea fignificantur, omnes*. Alii: *Pereant qui hoc fecerunt, virtutis tuæ obiurgatione*.

V. 18. FIAT, vel *fit*, MANUS TUA, feu *adfit manus*, id eft virtus, robur, præfidium, potentia tua. SUPER VIRUM DEXTERAE TUAE. Plerique collective exponunt, fuper nos homines, quos potenti dextera tua ex Ægypto eduxifti, & numquam ceffavifti fervare. Alii fingulariter: *Adfit manus tua viro dexteræ tuæ: filio hominis quem*, &c. ut fit exegefis fuperioris allegoriæ, id eft Chrifto filio dilectionis tuæ, tibi cariffimo & amantiffimo, viventi in nobis, & Ecclefiæ fponfæ fuæ perpeffiones toleranti. Eft autem Hebræis *vir dexteræ*, qui ad dexteram eft, velut cariffimus, eaque tegitur ac curatur commodiffime: quomodo Biniamin *filius dexteræ* vocatus eft Genef. xxxv. 18. ET SUPER FILIUM HOMINIS. Genuina appellatio Chrifti, *Filius Adam*, feu *hominis*, qua ipfe fe femper appellavit in Evangeliis, quam ibi elucidabimus: & eft exegefis fuperioris verf. 16. QUEM CONFIRMASTI TIBI: ut fupra verf. 16. Quidam exponunt: *Quem fummis viribus inftructum opponere conftituifti hoftibus tuis*.

V. 19. Et non discedimus a te. Sponsio iuncta postulato, quod clauditur versu sequente amœbæo, ad maiorem vehementiam desiderii.

MENOCHII.

Vers. 1. Pro iis qui commutabuntur. Vide dicta ad titulum Psal. xliv. Testimonium Asaph significatur hunc Psalm. esse testimonium per Asaph decantatum, quo Spiritus sanctus testificatur captivitatem Israel, & liberationem eiusdem.

V. 2. Qui regis, pastoraliter, & suaviter: hoc enim significat Hebræum רעה *robe*, & Græcum ποιμαίνων. Intende: populum tuum respice, & eius orationem audi. Qui deducis velut ovem. Est repetitio eius quod dixit, *qui regis*. Dixit *ovem* in singulari, quia Hebraicum צאן *tson* est collectivum, numero singulari multitudinem significans. Ioseph, id est Israel, gentem Hebræorum a Iosepho Patriarcha partim originem ducentes, partim cum illo cognationem habentes. Item universe eos vocat Ioseph, quia ei datum est ius primogenituræ I. Paral. v. 1. Primogenitus enim denominat totam familiam. Bellarminus putat Ioseph totum populum significare, quia in AEgypto totum populum pavit, illique toti præfuit. Qui sedes super Cherubim: qui sedes in cælo super primarios Angelos, qui Cherubim appellantur; & in typum huius rei in sanctuario tuo super imagines Cherubim, quasi thronum tuum habes propitiatorium, & arcam quasi scabellum pedum tuorum.

V. 3. Manifestare: ostende faciem tuam placatam, & propitiam. Ephraim, Beniamin, et Manasse. Cur per has tres tribus totus populus significetur, non est facile divinare. Fortasse quia hæ tres præcipuæ terræ promissæ partes fuerunt: nam in Ephraim erat Samaria caput regni Israel; in tribu Beniamin saltem ex parte erat Ierusalem caput regni Iuda; Manassis vero tribus magnam partem regionis trans Iordanem complectebatur. Excita potentiam tuam, quæ sopita quodammodo videtur, quam dissimulas.

V. 4. Converte nos ad te per pœnitentiam: nos tibi reconcilia: vel nos ab hac captivitate revoca. Faciem tuam: favorem tuum.

V. 5. Deus virtutum, Deus exercituum. Irasceris super orationem servi tui: dedignaberis audire orationem meam, & illam reiicies iratus.

V. 6. Cibabis nos pane lacrymarum: quousque nos largis, & diuturnis lacrymis conficies? Potum dabis in lacrymis: potum lacrymarum, lacrymas in potum, ita ut lacrymæ sint nobis cibus & potus. In mensura. In Hebr. est שליש *salise*, quæ vox grandem mensuram significat, & quasi explicatam.

V. 7. In contradictionem, in iurgium, ut inter se de nobis contendant, dum quisque nos sibi asserit, ut ii faciunt, qui de agri alicuius possessione iurgantur. Alii intelligunt de hostium contradictione non ad invicem, sed cum Hebræo; quasi dicant: Omnes nobis contradicunt, nos impetunt, pugnant contra nos.

V. 8. Deus virtutum, &c. Est repetitio versic. iv.

V. 9. Vineam de AEgypto transtulisti. Loquitur de populo Israelitico sub vineæ allegoria. Eiecisti gentes, Chananæos, qui prius terram promissam occupabant. Plantasti eam: populo tuo fixas, & stabiles sedes dedisti.

V. 10. Dux itineris fuisti in exitu de AEgypto, & per desertum. In conspectu eius, ante faciem eius, præcedendo in columna nubis, & ignis. Plantasti radices eius: plantasti, & profundas, firmasque radices agere fecisti. Implevit terram promissionis, mirum in modum multiplicatis Hebræis.

V. 11. Operuit montes umbra eius. Alludit ad Iudæam quæ fere tota montosa erat, quam incolarum multitudo operuit. Arbusta eius, *rami eius*, ut vertit D. Hieronymus. Cedros Dei. altissimas cedros superarunt. Qua allegoria significatur Reges, & Principes Hebræorum vicinos Reges dignitate, & potentia superasse. Extendit palmites suos, fines suos, vel incolas e gente Hebræorum. Usque ad mare, mediterraneum. Usque ad flumen, Euphratem. Nam a mari mediterraneo ad Euphratem erat terræ promissæ amplitudo. Exod. xxiii. 31. & Deut. xi. 24. Propagines, idem quod paulo ante dixit palmites. *V.* 13.

V. 13. Destruxisti maceriam : cura, & tutela tua deſtituiſti populum tuum. Vindemiant eam, diripiunt, ut fit in vineis, quarum dirutæ ſunt maceriæ, & diſſipatæ ſepes.

V. 14. Aper de silva. Vel Salmanaſarem intelligit, qui decem tribus; vel Nabuchodonoſor, qui duas reliquas tranſtulit in Aſſyrios. *Aper de ſilva* idem eſt quod aper ſilveſtris. Singularis ferus. Heb. זיז שדי *ziz ſadai*, *fera agri*. Græce μονιὸς ἄγριος animal præ ferocitate ſolitariæ vivens.

V. 15. Virtutum, exercituum. Converters: revertere, reconciliare, nobis eſto placatus. Visita: cura ſolicite. Videtur eſſe deſiderium, & poſtulatio incarnationis Chriſti.

V. 16. Perfice eam, in melius promovens vitem quam plantaſti. Et super filium hominis: ſcilicet reſpice ſuper filium hominis, hoc eſt ſuper Chriſtum Dominum Meſſiam; & illius cauſa, qui ex hac gente naſcetur, benefac toti populo Iſraelis. Quem confirmasti tibi: quem vineæ tuæ colonum præcipuum, & populi tui ducem ſtabiliter conſtituiſti.

V. 17. Incensa igni. Vinea, quam plantaſti, inge eſt incenſa. Suffossa. In Heb. eſt *exciſa*. Ab increpatione vultus tui peribunt; quaſi dicat: Si hæc increpatio, & caſtigatio tua perſeverat, profecto populus tuus funditus peribit.

V. 14. Fiat manus tua: adſit omnipotentia tua protegens. Super virum dexterae tuae, Chriſtum Dominum, quem dextera tua ſola proprie formaſti. Chriſtum enim ad hominem non cooperatio viri, ſed ſola divina virtus in utero Virginis formavit. Super filium hominis, &c. Vide dicta num. 16.

V. 19. Et non discedimus a te: Chriſto nos regente non deficiemus a te, Vivificabis nos, vita gratiæ in terris, & in cælis vita gloriæ. Nomen tuum invocabimus, invocabimus, laudabimus, gratias tibi referemus.

V. 20. Domine Deus virtutum, &c. Vide dicta num. 8.

TIRINI.

Verſ. 1. Pro iis qui commutabuntur. Vide Pſal. xliv. Testimonium, id eſt aſſertio, Asaph, de quo Pſal. lxxii.

V. 2. Ioseph, id eſt Iudæos, Ioſephi ſeu filios, ſeu cognatos. Nam ex quo in AEgypto ſub Ioſepho peregrinati ſunt filii Iſrael, ab ipſo tamquam a capite familiæ (cui etiam ceſſit ius primogenituræ I. Par. v. 5.) ſæpe vocari ſolebant *filii Ioſeph*, ut dixi alibi *a*. Qui sedes super Cherubim, ſcilicet in Sancto ſanctorum, ut dixi Pſal. lxvii. 18.

V. 3. Manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse. Tres iſtæ tribus, quæ ex Rachele prognatæ ſunt, caſtrametabantur in deſerto ad arcæ plagam occidentalem, id eſt ad Sanctum ſanctorum, Numeror. 11. 18. ita ut arca, & conſequenter Deus inſidens arcæ, ſemper verſaretur immediate ante has tribus; quod ſpecialis erga illas favoris indicium erat: cui inſiſtens hic Propheta rogat: Sicut olim, o Deus, ſingulari favore in deſerto ſemper præſens fuiſti tribus iſtis tribubus, ita nunc quoque te iiſdem (& cum illis toti Iſraeli) ſingulari ope & auxilio tuo præſentem oſtende. Ita Theodoretus.

Allegorice tres Rachelis tribus ſunt Eccleſia Gentium.

V. 4. Converte nos; id eſt, *reducito nos e captivitate noſtra*, inquit Chaldæus. Et faciem ſerenam ostende. Eſt verſus intercalaris.

V. 6. Pane lacrymarum; Chaldæus, *intincto lacrymis*: vel, pro pane & vino cibas, & potas nos lacrymis in mensura, ſcilicet maxima, id eſt abunde & largiter; Hieron. & Chald. *tripliciter*, ſeu multipliciter.

V. 9. Vineam tuam, id eſt ſynagogam Hebræorum, plantasti; ſupple, in terra ſancta, eiectis inde Chananæis. Ubi plantata,

V. 11. & 12. Operuit montes umbra eius; id eſt, uſque eo excrevit, ut inſtar altiſſimæ vitis, *montes* vicinos, & proceras cedros (id eſt Principes, & Reges vicinos) ramis ſuis obumbrarit, ac palmites et propagines (id eſt pro-

 ſely-

ſelytos ſuos) extenderit USQUE AD MARE mediterraneum, ET FLUMEN Euphratem, quia iſti ſunt limites terræ ſanctæ. Ita Theodoretus, & Euthymius.

Allegorice Eccleſia Catholica extendit ſe per univerſum orbem.

V. 13. DESTRUXISTI MACERIAM, Chald. *ſepem*, EIUS; id eſt, tutelam & protectionem tuam ſubtraxiſti ei, ut iam expoſita omnium iniuriis pateat vindemiæ, & prædæ omnium gentium vicinarum, inquit Theodoretus.

V. 14. SINGULARIS FERUS, id eſt aper, inquit ſanctus Auguſtinus, & Euthymius. Græcum *μονιὸς* & Latinum *ſingularis*, inſinuat genus eſſe aprorum truculentius & ſolivagum, quod præ ferocitate nullum ſibi ſocium patiatur. Tales enim apri (teſte Cælio, & Ianſenio) præcipue vites ſuffodiunt, & exſtirpant. Chaldæus vertit, *gallus ſilveſtris*; Heſychius, & Suidas, *lupus ſilveſtris*; Cyrillus apud Genebrardum, *onager*. Porro hic *ferus* eſt Nabuchodonoſor, & quivis tyrannus; allegorice diabolus, inquit S. Hieronymus, & Euthymius.

V. 16. SUPER FILIUM. Sic ſolum eſt in Hebræo. Sed Septuaginta addiderunt, HOMINIS, nempe tibi cariſſimi *Iacobi*, vel *Ioſephi*, quorum meminit verſ. 2. quaſi dicat: Reſpice ſuper populum Iſrael, filium ſeu propaginem Iacobi, vel Ioſephi, quem mox verſ. 18. vocat *virum dexteræ*, alludens ad nomen *Iacobi*, quod eſt *Iſrael*, id eſt *dominans Deo*; & ad *Beniamin*, id eſt *filius dexteræ*, de quo verſ. 3. Chaldæus vertit, *Propter Regem Chriſtum*. De quo etiam, id intelligunt Arnobius, Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. QUEM CONFIRMASTI TIBI; id eſt, quem tibi in filium, & heredem ſtabiliviſti in æternum.

V. 17. INCENSA eſt hæc vinea. Ita Septuaginta & Chaldæus. ET AB INCREPATIONE VULTUS TUI, ſeu tua, id eſt perſeverante te increpare, & punire, prorſus PERIBUNT quotquot ſunt incolæ huius vineæ, id eſt omnes Iudæi. Ita Vatablus, & Genebrardus.

(a) In Prolog. de Idiotiſ. Heb. n. 21. & II. Reg. 12. v. 20.

GORDONI.

Titulus. IN FINEM, PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR, &c. Vide titulum Pſalmi XLIV. Reliquæ voces ſignificant hunc Pſalmum eſſe teſtimonium decantatum per Aſaph: teſtimonium, inquam, quo Spiritus ſanctus denuntiat captivitatem Babylonicam, & liberationem. Figuræ etiam ſunt de libertate per Chriſtum. Aliqui titulo addunt pro Aſſyrio, ſed in Vulgaro non eſt.

Verſ. 2. QUI SEDES SUPER CHERUBIM. Sane in cælo ſuper Angelos, cuius rei typus erat propitiatorium Moſaicum.

V. 6. & 7. CIBABIS NOS, &c. Quod hoc verſiculo ponitur, IN MENSURA, non ſignificat, cum moderatione, ſed oppoſitum potius, in menſura pleniſſima. Septuag. *ἐν μέτρῳ*, ſcilicet abundante. Hinc Hieron. *tripliciter*; alii *tribus vicibus*. Sic vox Hebræa שליש *ſcaliſ*, ſignificat menſuram grandem, quaſi ter repetitam, a שלוש *ſcaloſ*, quod tria ſignificat. In proximo autem verſu, lege in Hebræo, *ſubſannaverunt nos*, לנו *lanu*, non autem למו *lamo*, *eos*.

V. 14. EXTERMINAVIT EAM, &c. Aper Aſſyrius eſt, & Nabuchodonoſor. SINGULARIS FERUS. Septuag. *μονιὸς ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν*. Hebr. זיז שדי ziz ſcadai, *beſtia agri*. Non eſt autem hic, שד, quod eſt *omnipotens*. Vide rad. שדד. *ſaddai*.

V. 16. ET PERFICE, &c. Sept. *κατάρτισαι*. In Hebræo Septuag. legerunt כנה *chancha*, per affixum pronomen, quod eſt præparare, parare, ac perficere. Vide rad. כון *chun*, ſeu כן *chan*. Ceterum *filius hominis* hic eſt Meſſias, cui tandem verſ. 18. iterum fauſta precatur. Cetera Paraphraſis explicat.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. QUi *regis Iſrael*, &c. Prioribus his verſiculis poſt invocationem Dei (quem ſuis titulis amicis, & apud Iudæos peculiaribus invocat) Propheta petit nomine captivi populi, ſalutem, & libertatem a tot malis

lis in mensura (v. 6.) hoc est, in magna, & amplissima mensura. Sic deplorat calamitatem: & promovet petitionem usque ad vers. 9.

V. 9. usq. ad 12. *Vineam*, &c. Vinea hæc populus Dei est. Et commemorat præterita beneficia, ut sic incitet ad conservationem gentis tam amatæ a Deo. Hinc est, quod versu 11. inter alia reponat propagationem populi sub nomine vineæ preclarissimæ. Sub Divide sane hoc maxime contigit, qui illustribus victoriis protulit imperium. Iam vero quam recte hæc conveniant Christi Ecclesiæ, facile est videre.

V. 13. & 14 *Ut quid destruxisti*, &c. Persistit in metaphora de vinea: quæ iam misere, inquit, exterminata a feris Babyloniis: eo magis deplorandam sustinet miseriam; quo est crudeliter vastata a Nabuchodonosoro.

V. 15. & seq. *Deus virtutum*, &c. Hac parte extrema Psalmi concludit petendo, ut repraretur vinea, restituta libertate, & patria. Sed optime hæc etiam Christo conveniunt: Immo, ut prædicitur hic, redditus a captivitate Babylonica; ita quoque alio sensu est vaticinium de adventu Christi, qui veram dabit libertatem a captivitate peccati: & quem versu 16. & 18. vocat *filium hominis*: hic enim est qui restituet *incensa igne*, *ut suffossa* ab inimico; & sub quo florebit vinea, seu Ecclesia. Hic idem est, cui omnia precatur felicia Propheta, vers. 18.

BOSSUET.

Vers. 2. QUI REGIS ISRAEL: *Pastor Israel:* Hebr. Totum populum convicturus, a communi nomine Israelis ad Iosephum ac speciales qua. illam familias descendit. QUI DEDUCIS VELUT OVEM IOSEPH, *velut gregem*, Hier. Ergo tribus Ioseph nondum a vero cultu recesserat. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, in arca fœderis, MANIFESTARE: imperativo, resplende.

V. 3. EPHRAIM. &c. Hæ tribus arcam sequi solebant: Numer. 11. 18. Rogat ergo ut Deus ex arca eis affulgeat; pro eis autem orat, ut ostendat Davidem non tantum pro Iuda sibi coniunctissimo, sed etiam pro tribubus sibi adversantibus esse solicitum. Præcipuæ vero etant ex Iosepho oriundæ: Beniaminitas inserit Iosephi filiis, Saulis, eiusque filii Isboseti memor. Simul ut uno tempore commemoret totam Rachelis familiam Iacobo carissimam.

V. 4. OSTENDE FACIEM, *illumina* Hebr. fac inde coruscare vividum lumen.

V. 5. SERVI TUI, *populi tui*, Hier.

V. 6. CIBABIS: *Cibasti*: Hier. POTUM DABIS, *potasti*: idem. IN MENSURA salis, Hebr. quod nomen mensuræ magnæ: unde Hier. *tripliciter*; id est, lacrymis nos cumulatissime satiasti: Saule, & Ionatha, totoque exercitu fœde cæsis, magno populi, & Davidis luctu: II. Reg. 1. 17. &c.

V. 10. DUX ITINERIS, &c. *Repurgasti ante eam*: Hebr. locum vacuasti quem occuparet eiectis Chananæis: viam præparasti: Hier.

V. 11. ARBUSTA, *rami*, Hebr. CEDROS DEI, magnas, proceras.

V. 12. PALMITES, *comas*, Hier. eodem sensu. FLUMEN, Euphratem: Davidis victoriæ a mari ad Euphratem protensæ.

V. 14. APER, Rex Assyrius. SINGULARIS FERUS: *omnes bestiæ agri*: Hier.

V. 16. FILIUM HOMINIS. *Hominis*, deest Heb. sed videtur subintelligendum ex vers. 18. quamquam allii referunt ad metaphoram vitis; quasi diceret, & propaginem.

V. 17. ET SUFFOSSA; supple est: vitis: sed non impune: nam PERIBUNT; supple qui eam incenderunt, ac devastarunt; sive Philistæi, sive etiam Assyrii.

V. 18. VIRUM DEXTERAE TUAE. Davidem a te designatum, & confirmatum Regem, & in eius figura Christum.

PSALMUS LXXX. LAUDIS, ET GRATIARUM ACTIONIS.

Prima die mensis septimi, quod est Sabbatum, memoriale clangentibus tubis, Levit. XXIII. 24. *in memoriam omnium beneficiorum Dei consecratum; populus congregatus antiqua iam inde a Iosepho, & Mose accepta beneficia commemorat. Alii ad festum tabernaculorum referri malunt, quibus favet versio Hieron. ut patebit vers.* 4. *Indicat populum pro peccatis afflictum, nulla temporis nota. Canitur ab Ecclesia in ieiunio septimi mensis, in quo antiquæ Hebræorum eiusdem septimi mensis solemnitates memorantur.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro torcularibus Asaph.

Laudate Deum fortitudinem nostram: iubilate Deo Iacob.

Assumite carmen & date tympanum: citharam decoram cum psalterio.

Clangite in Neomenia buccina, & in medio mense, die solemnitatis nostræ.

Quia legitimum Israel est, & iudicium Deo Iacob.

Testimonium in Ioseph posuit eum cum egrederetur de terra AEgypti: labium quod nesciebam audivi.

Amovi ab onere humerum eius: manus eius a cophino recesserunt.

In tribulatione invocasti, & erui te, & exaudivi te in abscondito tonitrui: probavi te super aquam contradictionis. Semper.

Audi populus meus, & contestabor e: Israel si audier i me.

VERSIO VULGATA.

In finem,
1. Pro torcularibus, * Psalmus ipsi Asaph.

2. Exultate Deo adiutori nostro iubilate Deo Iacob.

3. Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium iucundum cum cithara.

4. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.

5. Quia præceptum in Israel est: & iudicium Deo Iacob.

6. Testimonium (*a*) in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra AEgypti: linguam, quam non noverat, audivit.

7. Divertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino servierunt.

8. In tribulatione invocasti me, & liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi (*b*) te apud aquam contradictionis.

9. Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me, 10. non

Non

Non sit in te deus alienus, & non adores deum peregrinum.	erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.
Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxit te de terra AEgypti: dilata os tuum, & implebo illud.	11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti: dilata os tuum, & implebo illud.
Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non credidit mihi.	12. Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.
Et dimisi eum in pravitate cordis sui: ambulabunt in consiliis suis.	13. Et (d) dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.
Utinam populus meus audisset me: Israel in viis meis ambulasset.	14. Si (e) populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset.
Quasi nihilum inimicos eius humiliassem, & super hostes eorum vertissem manum meam.	15. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.
Qui oderunt Dominum, negabunt eum: & erit tempus eorum in sæculum.	16. Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.
Et cibavit eos de adipe frumenti, & de petra mellis saturavit eos.	17. Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturavit eos.

(a) Genes. xli. 29. (b) Exod. xvii. 5. (c) xx. 3. (d) Exod. Actor. xiv. 15. (e) Baruch iii. 13.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *Psalmus ipsi Asaph*: Non addas quod sequitur in quibusdam libris *quinta Sabbati*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. PRO TORCULARIBUS. Hebr. *Ad githith*, ut supra Psal. VIII.

V. 4. IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS VESTRAE. Hebr. *nostræ*.

V. 6. CUM EXIRET DE TERRA AEGYPTI. Hebr. *Cum prodiret contra terram AEgypti* (ubi) *linguam quam non noveram*, audivi; id est, maiores nostri audierunt: loquitur enim persona populi: tunc (inquam) instituet hoc festum.

V. 7. DIVERTIT AB ONERIBUS DORSUM EIUS. Hebr. *Liberavi ab onere dorsum eius, & manus eius a cophinis cessaverunt*. Sept. legerunt תעברנה, *servierunt*, *pro* תעברנה, *transierunt*, id est cessaverunt.

V. 8. IN ABSCONDITO TEMPESTATIS. Hebr. *in abscondito tonitrui*; id est, tonitru dabam tibi signum, quod nemo intelligebat præter te: vel existens in medio tonitrui, cum tempestatibus affligerent AEgyptum.

V. 9. ET CONTESTABOR TE; id est, tradam tibi præcepta mea, quæ testimonia vocari solent.

V. 13. ET DIMISIT EOS SECUNDUM DESIDERIA CORDIS EORUM, &c. Hebr. *Dimisi eum in cogitationem*, aut *duritiem, cordis eorum, ut ambulent in consiliis suis*.

V. 15 SI POPULUS MEUS AUDISSET ME. Hebr. *Utinam*, &c.

V. 15.

V. 15. PRO NIHILO FORSITAN INIMICOS, &c. Hebr. *Brevi tempore*.

V. 16. INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EI, Hebr. *Mentiti fuissent illi*, id est dispertissent: *ipsorum autem*, id est Israelitarum, *tempus fuisset perpetuum*.

V. 17. ET CIBAVIT ILLOS EX ADIPE FRUMENTI, &c. Hebr. *Et cibasset eum* (populum suum) *medulla frumenti, & de petra melle saturasset eum*.

S A.

De festis & cultu Dei.

Vers. 1. TORCULARIBUS, id est Ecclesiis, unde vinum exprimitur cæleste. Chald. *in cithara allata de Gath*, scilicet cantandus.

V. 2. EXULTATE, id est cum exultatione laudate.

V. 3. DATE, id est pulsate, seu proferte. PSALTERIUM. Hinc apparet *Psalterium* esse musicum instrumentum.

V. 4. BUCCINATE. Hieron. & Chald. *clangite*. NEOMENIA, id est novilunio. Chald. *in mense Tisri*, scilicet Septembri, cujus prima die celebrabatur memoria AEgyptiacæ liberationis tuba cornea, itemque datæ Legis.

V. 5. PRAECEPTUM, scilicet ita faciendi. Hieron. *legitimum*. IUDICIUM, id est mos, seu ritus, aut institutum.

V. 6. TESTIMONIUM, id est præceptum; vel quasi dicat, ad restimonium, seu memoriam accepti beneficii. IOSEPH, id est Ioseph posteris; quasi dicat, Israele. LINGUAM, scilicet AEgyptiacam olim, vel Dei in Sinai loquentis.

V. 7. DIVERTIT, id est liberavit.

V. 8. IN TRIBULATIONE: scilicet AEgypti. TEMPESTATIS, scilicet excitatæ contra AEgyptios; vel quasi dicat, in Sinai, cum tonitrua personarent & fulgura, ut est Exod. xx. vel quasi dicat: Te veluti in tempestate abscondi, seu protexi.

V. 9. CONTESTABOR TE, id est testificabor tibi, scilicet quid a te velim.

V. 11. DILATA, &c. quasi dicat: Pete sane largiter; dabo enim quod postulaveris.

V. 12. INTENDIT, id est obtemperavit. Hieron. *credidit*. Chald. *aquievit*.

V. 13. DIMISI, id est permisi incedere. ADINVENTIONIBUS. Hieron. & Chald. *consiliis*.

V. 15. PRO NIHILO, id est nullo negotio. Hieron. *quasi nihilum*. Chald. *brevi*. FORSITAN, pro utique. Græc. est particula potentialis ἄν. HUMILIASSEM, id est depressissem, seu perdidissem.

V. 16. MENTITI SUNT; pro, mentiti essent; quasi dicat: Se subiecissent Deo, etsi ficto animo, scilicet timentes potentiam; vel quasi dicat: Israelitæ mali violaverunt fidem datam Deo. Hieron. *negabunt eum*. TEMPUS, scilicet quo punientur; vel quasi dicat: Fuissetque eorum, id est Iudæorum, vita perpetuo tranquilla, seu prospera, scilicet si me audissent. Chald. *furor*.

V. 17. ET CIBAVIT; quasi dicat, cum tamen cibaverit olim. ADIPE, id est medulla. PETRA, scilicet educens aquas miraculo. MELLE, id est dulci aqua.

E S T I I.

Vers. 6. TESTIMONIUM IN IOSEPH POSUIT ILLUD, CUM EXIRET DE TERRA AEGYPTI: LINGUAM QUAM NON NOVERAT, AUDIVIT. Præcedit. BUCCINATE IN NEOMENIA TUBA, vers. 4. & vers. 5. QUIA PRAECEPTUM IN ISRAEL EST; quasi dicat: Deus hoc præceptum celebrandæ solemnitatis Neomeniæ primi mensis dedit populo, cum exiret de terra AEgypti, in qua, ut peregrini, linguam sibi ignotam audiverant. Sic plerique, & recte, quamvis dissentiat Iansenius, qui hoc interpretatur de voce Dei in monte Sinai. Atqui Deus non fuit ibi locutus lingua peregrina, sed Hebraica, id est propria illius populi, & quam omnes optime intelligerent. Neque dicit Propheta populum audivisse linguam ignotam in ipso exitu de AEgypto, sed cum in AEgypto peregrinus habitaret. Est enim ἔλλειψις in eo sermone, quem ita suppleas: *Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra AEgypti, ubi linguam quam non noverat, audivit*, &c.

V. 11. DILATA OS TUUM, ET IMPLEBO ILLUD. Vide ad illud Esther XIII. *Convertit spiritum Regis*.

MA-

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO TORCULARIBUS, PSALMUS IPSI ASAPH. Hebr. *Præfecto super ghitith* (Psalmus.) *Ghitith*, pro quo Sept. & Hieronymus *torcularia* vertunt, est potius instrumentum, sic dictum fortassis a *Geth*, urbe Palæstinæ, ut ad Psal. VIII. est dictum. Quod additur in quibusdam codicibus, *Quinta sabbati*, in Græcis non invenio, ac ne in omnibus quidem Latinis codicibus. Invitat hic Psalmus ad celebrandum Deum, eiusque festa.

V. 2. EXULTATE DEO, acclamate, iubilate. ADIUTORI NOSTRO. Hebr. *robori nostro*. DEO IACOB, id est eius populi Deo, qui progenitorem habuit Iacob.

V. 3. ET DATE TYMPANUM, id est sonum tympani: aut date manus in tympano, id est illud pulsate. PSALTERIUM IUCUNDUM CUM CITHARA. Hebr. *citharam suavem cum nablo*. Verum Noster pro *nablo* fere *psalterium* ponit. Ego *psalterium* fidibus sonare puto, *nablum* vento ex utre. *Nebel* enim *utrem* significat.

V. 4. IN NEOMENIA, id est novilunio, primo mensis die. Iudæorum menses sunt lunares, & primum lunæ diem festum agunt. IN INSIGNI DIE. Hebr. *in stato die*. SOLEMNITATIS VESTRAE. Hebr. *nostræ*. Sed perinde est.

V. 5. QUIA PRAECEPTUM IN ISRAEL EST. Hebr. *Israeli*, scilicet ut ita faciamus. ET IUDICIUM, id est lex, mos. DEO IACOB: dicerem *Dei*, quia ה *He* nota genitivi est Hebr.

V. 6. TESTIMONIUM IN IOSEPH; id est, hunc ritum voluit esse memoriale populo eorum quæ in AEgypto fecit. CUM EXIRET populus. LINGUAM QUAM NON NOVERAT; supple, ubi linguam. Periphrasis, ad significandum AEgyptios barbaros esse. Hebr. in prima persona: *Linguam* (quam) *non novi*, *audivi*. Aut sint Dei verba in persona pupuli, ut sequentia sunt eius.

V. 7. DIVERTIT AB ONERIBUS. Hebr *Removi ab onere humerum eius*. MANUS EIUS IN COPHINO SERVIERUNT. Hieron. *Manus eius a cophino recesserunt*, scilicet in quo aquam, aut lutum, ferebant. Sept. quidem pro תעברנה *thababorenab*, id est *transierunt*, legerunt תעבדנה *thababodenab*, id est *servierunt*: pro ר *Res*, legerunt ד *Daleth*, quæ sunt litteræ similimæ.

V. 8. EXAUDIVI TE IN ABSCONDITO TEMPESTATIS. Hebr. *in abscondito tonitrui*, id est cum latebras captares metu tempestatis contra AEgytios concitatæ in mari Rubro, aut postea in monte Sinai. PROBAVI TE, tuam fidem exploravi. APUD AQUAM CONTRADICTIONIS. Heb, *super* (id est ad) *aquas iurgii*.

V. 9. ET CONTESTABOR TE, id est commonefaciam te, audi.

V. 11. DILATA OS TUUM; id est, maiora & maiora pete, quidquid volueris ego tuæ petitioni satisfaciam. Id est *implere os*.

V. 12. NON INTENDIT MIHI. Hebr. *Non voluit* (scilicet audire) *me Israel*.

V. 13. ET DIMISI EOS. Hebr. *& dimisi eum*. SECUNDUM DESIDERIA. Heb. *in fortitudine cordis*, id est contumacia. Ea pœna gravissima rebellionis est. IBUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Hebr. *in consiliis suis*: sic Hieron.

V. 14. SI POPULUS MEUS. Hebr. *O si populus meus audiisset me*. Utinam populus.

V. 15. PRO NIHILO FORSITAN INIMICOS EORUM. Hebr. *Brevi inimicos eorum humiliassem*, seu continuo, statim. MISISSEM MANUM MEAM. Hebr. *revocassem manum meam*; id est, repetiissem affligere hostes illos, non semel, sed sæpe facerem.

V. 16. INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EI; pro, mentiti fuissent, se post supplicia subditos illi simulassent. ET ERIT TEMPUS EORUM IN SAECULA; pro, & esset tempus (id est felicitas) *eorum* (scilicet populi mei) *in sæcula* (id est perpetua.) Aut sic: *Inimici Domini mentiti sunt ei*, id est frustrati spe sua: mentitur illis spes. *Et erit tempus eorum in sæcula*, scilicet tempus punitionis eorum erit perpetuum.

V. 17. ET CIBAVIT EOS, pro & cibasset eos (scilicet populum) ADIPE FRUMENTI; id est, bonis omnibus cumulasset & deliciis. ET DE PETRA, MELLE SATURAVIT EOS, pro saturasset. Alludit ad terræ sanctæ copias, ubi præ copia apum rupes ipsæ hyperbolice dicuntur fundere mel,

mel. Hebr. in prima perſona, *cibavi*, *ſaturavi*. Sententia eadem.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRO TORCULARIBUS. Hebr. *Super* הַגִּתִּית *haghittith*, vel *ſuper ghittith*. Vide in Pſal. VIII. ver. 1. PSALMUS IPSI ASAPH. Hebr. tantum eſt *Aſapho*; ſubauditur tamen *Ode*, vel *Pſalmus*: vide in Pſal. XLIX. verſ. 1. Quibuſdam videtur hæc Ode poſt tempora Iudicum conſcripta eſſe, cum a Samuele, aut Davide cultus Dei inſtauratus eſt.

V. 2. EXULTATE. Hebr. *Acclamate*, *ovate*, *cantate*, *iubilate*. DEO ADIUTORI NOSTRO. Heb. *robori noſtro*. IUBILATE. Heb. *Triumphate*, *tar antarizate*, *Deo Iahakobi*; id eſt, canite io triumphe; quaſi dicat: Omnibus modis celebrate eum in omni conventu ſacro.

V. 3. PSALMUM. זִמְרָה *zimrah* aiunt eſſe nomen inſtrumenti muſici, quod *pſalterium* vertere licebit, dictum, quod in eo Pſal. decantentur. Alii hic reddunt, *Pſalmodiam*, *pſalmodica inſtrumenta*, *cantum*, *carmen*, *modulationem*, *inciſionem muſicam*. Vide in Exod. XV. 2.

V. 4. BUCCINATE IN NEOMENIA TUBA. Quidam ſingulariter de Neomenia תשרי *thiſchri*, ſeu ſeptimi menſis accipiunt, Levit. XXIII. 24. Numer. XXIX. 1. Alii univerſe de omnibus neomeniis, ſive Kalendis, ſeu initiis menſium, quæ erant Iudæis feſtivæ ac ſolemnes, & in quibus tubis clangebant; ut ex Numeror. X. 10. & aliis Scripturæ locis apparet. IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS VESTRAE. Varie ex Hebr. transfundunt. I. *in ſolemnitate diei noſtræ*. II. *in tempore conſtituto, in die feſtivitatis noſtræ*, id eſt in tempore determinato ac definito ad clangendum tuba, nimirum ipſo die feſtivitatis noſtræ. III. *ſtato die ſacrificii noſtri*. IV. *ſtativa quaque feria diei feſti noſtri*, ſive *ſtativis quibuſque feriis*, *diebus feſtis noſtris*. Putant eſſe enallegen numeri. V. *in operimento*, *in die*, vel *ad diem*, *feſtivitatis noſtræ*, id eſt in die operimenti, quo populus Iſraeliticus obtegebatur caſis frondeis, hoc eſt in feſto die Tabernaculorum: vide Levit. XXIII. 39. & ſeqq. unde ſingulariter hunc locum intelligunt de feſto Tabernaculorum: alii univerſe de quibuſvis ſtativis feriis; ut paulo ante. Nonnulli Hebræorum, *operimentum*, hic intelligunt *novilunium*, quod tunc luna ſole tegatur, & operiatur, *in novilunio diei ſolemnitatis noſtræ*: ut idem bis dicat ad auxeſim. VI. Quidam כֶּסֶה *ceſeh* hic volunt eſſe feſtum capitis anni, quod vulgo creditum ſit, eo die Dominum ſedere ſuper ſolio ſeu throno ſuo, & adiudicare mortales omnes cum ad vitam, tum ad mortem, tum ad reliqua accidentia anni venientis, quaſi *foliationem* voce ficta diceres: unde reddunt, *in ſoliatione diei*, vel *ad diem*, *feſtivitatis noſtræ*, id eſt in ſolemni die capitis ſeu initii anni, quo Deus ſolium agit. Sic nos Aragonii ſupremum diem, quo Rex publicos conventus regni peragit, *diem ſolii* appellamus, quod eo die Rex in ſolio ſedens, leges promulgat. Plerique tamen Hebræorum ac noſtrorum *ceſeh tempus ſtatutum*, *feriam ſtativam*, quæ in certum & annumeratum anni diem ſemper recurrit, interpretantur, a verbo כסס *caſas*.

V. 5. QUIA PRAECEPTUM IN ISRAEL EST, ET IUDICIUM DEO IACOB. Ex Heb. I. *Hic enim ritus eſt Iſraeli*, nempe pulſare inſtrumenta muſica, & ſtatas ferias celebrare: *& ius Deo Iahakobi*, id eſt mos iuſte inſtitutus in honorem Dei Iahakobi. Quidam: *& ius a Deo Iahakobi profectum*, vel *& æquiſſime ſtatutum a Deo Iahakobi*. II. *Nam ſtatutum in Iſraele eſt*, *ritus a Deo Iahakobi*, nempe colendi Deum per ſabbata, neomenias, & ſolemnitates: Exod. XXIII. & Numer. XXVIII. & XXIX.

V. 6. TESTIMONIUM IN IOSEPH POSUIT ILLUD, &c. Hunc verſum Hebraice obſcuriorem, diverſimode elucidant. I. *Vite teſtimonii*, ſeu *pro teſtimonio in Ioſepho poſuit illud* ſtatutum, *dum egrederetur ipſe ſuper terram AEgypti*: *ubi ſermonem ignotum audivi*; ac ſi dicat: Deus poſuit ritum illum, & ſtatutum illud in populo Iſraelitico, ut teſtificaretur omnia iſta beneficia ſibi debere accepta referri: ſtatuit, inquam, dum egrederetur ſuper terram AEgypti; id eſt, dum velut relicto cælo, deſcenderet ſuper terram AEgypti, & pararet vindicare populum ſuum ſervientem in AEgypto; ubi ſermonem quem non noveram, audivi; ſubaudi, in patribus; id eſt, audierunt Iſraelitæ maiores noſtri ſermonem AEgyptium illis incognitum. II. *Teſtimo-*

nium,

nium, quod dignatus est ponere, cum pugnavisset adversus AEgyptios: cum labium peregrinum audiremus. III. *Ritum illum servari voluit a posteris Iosephi, in memoriam eius, quod feliciter versatus fuerit ipse in terra AEgypti: quo cum venissemus, linguam quam non didiceramus, audiebamus*. IV. *Qui testimonium in Iosepho imposuit ipsum, cum processisset contra terram AEgypti: ubi sermonem ignotum audiebam*. Exponunt: *Qui testimonium*, &c. exegesis præcedentium verborum, nimirum ritus a Deo Iahakobi instituti: *in Iosepho*, id est in toto Israele, cuius terminos orientem, & occidentem versus obtinebat Menascheh e posteris Iosephlosue, XVII. Synecdoche. Et sane Ioseph in Scriptura solet regnum Israeliticum intelligi: vide Psal. LXXIX. 2. *Cum processisset contra terram AEgypti*, id est AEgyptios terra & mari profligasset, & populum adduxisset Maram usque, Exod. XV. 25. *Ubi sermonem ignotum audiebam*, id est peregrinus eram in deserto: periphrasis. Quidam sensum huius versiculi ita concipiunt: Hunc, inquit, ritum sacrorum posuit Deus testimonium in Iosepho, id est lege sanxit, & mandavit observari a posteritate Iosephi, nimirum ab Hebræis, quo tempore illi ex AEgypto egressi sunt, & Deum ipsum loquentem audierunt, quem antea non audiverant. Hoc enim significari putat aben-Ezra, cum ex persona populi dicitur, *Linguam, quam non noveram, audivi*. Heb. *Labium, quod non noveram*, id est sermonem: metonymia.

V. 7. DIVERTIT AB ONERIBUS DORSUM EIUS. Hebr. in prima persona loquitur Deus: *Amovi*, inquit, *ab onore humerum eius*, id est a durissima servitute; de qua Exod. 1. & 6. MANUS EIUS IN COPHINO SERVIERUNT. Hebr. *Volæ*, seu *palmæ eius de caldario transiverunt*, scilicet tractando, versando, purgando; quod erat abiectissimum servorum ministerium. Notionem vocis דוד *dud* expendimus in I. Samuel. 2. 14. Hic varie reddunt: 1. *Manus eius ab Aheno recesserunt*: 2. *a furno*; 3. *a cacabis, ollis*, fingendis, & conficiendis, sive a quoquendis fictilibus: 4. *Manus eius ollis renuntiarunt*: nam vacabant operibus fictilibus, Exod. 1. 14. & VI. 7. seqq. Interim significatio *cophini, sportæ, canistri*, recte huic loco congruit, ut Ieremiæ XXIV. 2. quod sportis egererent terram, & comportarent, vel ad fictilia, vel ad ædificandas urbes Exod. 1. 11. Quidam *dud* volunt significare hic *pelvim*, sive *labellum*, aut *lacusculum*, quo fertur argilla, aut *intritum*, seu *intrita*: unde reddunt: *Manus eius a lacusculo intritæ abierunt*; id est, a sordidissimis quibusque ministeriis discesserunt: synecdochice: non enim tantum struebant ædificia, lateres coquebant, & similia obibant munera; sed etiam stramen conquirere, & intritæ lacusculos sive labella baiulare humeris cogebantur, sordidissimo, & vilissimo ministerio: quod Hebraica hac voce significari testatur Aben-Hezra.

V. 8. EXAUDIVI TE, scilicet invocante Moseh, Exod. XIV. 15. IN ABSCONDISTO TEMPESTATIS. Quidam reddunt, *Clam per tonitru*; id est, exaudivi te, cum non me videres, tonitru edito. Alii, *in latebris tonitru*, id est in columna illa nubis (quæ profecta cospectu Israelitarum, stabat a tergo eorum inter utraque castra) intonante adversus AEgyptios. Vide Notas in Exod. XIV. vers. 24. & Psal. LXXVI. vers. 19. Aliqui: *Locutus sum tibi sub tonitru latens*. Exod. XIX. vers. 16. Nonnulli: *Ad ea quæ in occulto postulasti, ego tibi respondi tonitru, quo hostes tuos exterrui*. PROBAVI TE APUD AQUAM CONTRADICTIONIS. Quidam exponunt: *Probavi te*, ut Exod. XV. 25. *usque ad aquas Meribæ*, de quibus Exod. XVII. quasi dicat: Pertuli mores tuos, atque exploravi usque dum venisti ad montem Chorebum; ad quem ex aquis Meribæ profectus, accepisti legem: versibus sequentibus. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Summe*; 4. O quam gravis fuit illa lis, seu contentio, sive iurgium!

V. 9. AUDI POPULUS MEUS, ET CONTESTABOR TE, &c. Doctrina Dei quam lege proposuerat Exod. XX prout summatim exposuerat ad aquas Meribæ, Exod. XV. 25.

V. 11. EGO ENIM SUM DOMINUS DEUS TUUS, &c. Heb. *Ego Iehveh D.us tuus*, &c. Notant, esse affirmationem sermonis, quem habet Deus ad populum suum, ab æternitate, fœdere, & operibus suis erga populum; quasi dicat: Tam certe ac vere hæc promissa mea completurus sum,

quam me certum est Iehovam Deum esse, ac eduxisse te e terra AEgypti. DILATA OS TUUM. Exponunt: Id est, tantum pleno ore, plena fiducia, atque libertate, etiam importune pete; seu ampliter & large pete. ET IMPLEBO ILLUD. Quidam: *& impleturus sum illud*; id est, petitiones tuas præstiturus, & cantica laudis indituros ori tuo ex perceptis beneficiis. Alii: *& satiabo illud* postulatis: *Ego copiosissime voti compotem faciam te*.

V. 12. ET NON AUDIVIT POPULUS MEUS VOCEM MEAM, &c. cum in deserto ambulans, tum in regione Chenanææ habitans, ut historia Iudicium commonstrat. NON INTENDIT MIHI. Heb. *Non amavit mihi*. Quidam: *Noluit mihi*, obtemperare, auscultare, parere. Alii: *Non acquievit mihi*. Nonnulli: *Numquam sincere amavit me*.

V. 13. ET DIMISI EOS SECUNDUM DESIDERIA CORDIS EORUM. Varie alii ex Heb. I. *Et misi eum in directione cordis eorum*, id est populum, ut cor cuiusque ipsum dirigeret, id est ut ageret pro arbitratu suo. II. *Et dimisi eam in fortitudine, pertinacia, duritia, obstinatione cordis eorum*. III. *In observatione, intentione, prava, insidiosa, perversa cordis eorum*. IV. *In machinatione, pravo consilio, cordis sui*. V. *Reliqui, permisi ergo eos malignitati cordis eorum*. VI. *Quare permisi eos animo obdurato insanire quantum vellent*. VII. *Permisi igitur eos libidini cordis eorum*. VIII. *Quapropter dimisi eos* ambulaturos, *in conspectu cordis sui*, sive *ex sententia animi sui*. Vide Iudic. & x. vers. 11. 12. & sequentibus. De voce שרירות *scherruth*, & hac locutione, vide in Deuteronom. xxix. 19. IBUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Heb. *Ibunt in consiliis suis*. Quidam imprecanter: *Dicens, abeant cum pravis consiliis suis*; id est, facessant, abeant in malam rem, ad corvos.

V. 14. SI POPULUS MEUS AUDISSET ME. Quidam: *O si populus meus auscultasset mihi*, &c. Conclusio, qua Deus antropopathos populum revocat ad pœnitentiam, & perceptionem beneficiorum suorum: ut Deuteron. xxxii. 29. & Isaiæ xlviii. 18.

V. 15. PRO NIHILO FORSITAN INIMICOS EORUM HUMILIASSEM. Heb. *In pauco hostes eorum deprimam*. Elegantissima phrasis Hispanica, *En poco, en nada*. Alii: *Brevi*, vel *momento, inimicos eorum fuissem depressurus: facile, nullo negotio*. Nonnulli: *Ad paucum*, seu *ad paucos redigerem hostes eorum*. ET SUPER TRIBULANTES EOS MISISSEM MANUM MEAM. Heb. *Et contra oppressores eorum convertam manum meam*. Quidam: *Cum in hostes eorum convertissem manum meam*; id est, sola adversione, seu admotione manus deturbassem eos. Alii: *Et hostes eorum multis magnisve plagis affecissem*.

V. 16. INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EI. Heb. *Osores Iehveh denegabant ei*. Vide de hac locutione in Deuter. xxxiii. 29. II. Samuel xxii. 45. Psal. lxv. Hic varie exponunt. I. *Osores Iehovæ negabunt ei* obedientiam. II. *Odio habentes Iehovam mentiti fuissent ei*; id est, præ nimio timore negassent se aliquid molitos contra eum: vel *fucato animo supplices se fecissent ei*. III. *Osores Iehovæ mentientur ei*, scilicet populo; id est, non nocebunt ei, non efficient quod animo conceperant, frustrabuntur spe sua de illo. Unde aliqui reddunt: *Osores Iehovæ in Israele frustrarentur*. IV. *Osores Iehovæ mendaciter se dedissent ei*, vel Iehovæ, vel populo: nam relativum est anceps. ET ERIT TEMPUS EORUM IN SAECULA. Quidam istud de hostibus accipiunt; id est, tempus calamitatis, supplicii, pœnarum istorum erit perpetuum: in æternum peribunt. Alii de Israelitis; id est, ævum populi mei perpetuo floruisset: vel *populus autem meus felicia vidisset tempora perpetuo*. Quidam exponunt: *& futurum fuisset tempus istorum in sæculum*; id est, ista populi felicitas, & hostium depressio futura esset perpetua.

V. 17. ET CIBAVIT EOS EX ADIPE FRUMENTI. Plerique hypothetice reddunt: *Et cibasset eum* Deus (enallage personæ) *adipe frumenti: & de petra melle saturassem te*. II. *Et cibaret eum medulla, simila, tritici: & vel e petra melle saturarem te*. Quidam: *Et te in rupe munitissima secure ac tuto constitutum, melle ad saturitatem usque pavissem*. III. *Denique cibaturum fuisset eum adipe tritici*, supple tempus, cuius meminit proxime præcedentibus verbis; id est, ipsum tempus, seu singuli anni opimum, crassumque triticum ei subministrassent: similem metaphoram vide Deuteron. xxxii. vers. 14. *etiam ex rupe*

rupe melle fuissem satiaturus te. Vide Deuteron. XXXII. 13. *Ex adipe frumenti*, vel *tritici*, id est tritico, seu pane lectissimo, & delicatissimo. Adeps significat opimum & optimum cuiusque rei. ET DE PETRA MELLE SATURAVIT EOS. Fortasse est hyperbole, ut illud Maronis egloga IV.

Et durae quercus sudabunt roscida mella: vel alludit ad mel, quod e rupibus, & cavis arborum distillat, ibi mellificantibus apibus, prae abundantia. Virgilius IV. Georgicorum:

Saepe etiam effossis (si vera est fama) latebris,
Sub terra fodere larem, penitusque repertae
Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO TORCULARIBUS. Vide dicta ad titul. Psal. XLIX. *Quinta sabbati*. Die Iovis canendus Psalmus: haec enim dies est quinta post sabbatum.

V. 2. EXULTATE: acclamate, cum exultatione laudate Deum. IUBILATE: laeti canite.

V. 3. SUMITE PSALMUM: vocem canendo tollite. DATE TYMPANUM: &c. Aliis etiam date musica instrumenta, qualia sunt tympana, psalteria suaviter resonantia, & citharae.

V. 4. BUCCINATE: tubis & buccinis clangite. IN NEOMENIA. Graeca vox νουμηνία novam lunam significat, cum scilicet menses auspicabantur Hebraei, & festum celebrabant. IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS. Videtur restringere nomen Neomeniae ad unam neomeniam insignem, & solemnem, in qua potissimum erat usus tubarum, quae sine dubio erat neomenia septembris, quae dicitur Numer. XXIX. 1. *Dies clangoris, & tubarum*.

V. 5. QUIA PRAECEPTUM IN ISRAEL EST: quia Deus ita fieri praecepit. Num. X. IUDICIUM: quia Deus Iacob ita faciendum iudicavit, & constituit.

V. 6. TESTIMONIUM IN IOSEPH POSUIT ILLUD. Hoc praeceptum in testimonium, & memoriam beneficiorum suorum constituit Deus, & ab Israelitis custodiri voluit. Cur nomine Ioseph totus Israel significetur, dixi Psal. LXXIX. 2. LINGUAM, QUAM NON NOVERAT AUDIVIT. Cum populus Dei legislatoris vocem prius inauditam, audivit e monte Sinai. Vel sensus est: Cum exirent de terra AEgypti, ubi linguam quam non intelligebant, audire coacti sunt, iuxta illud Psal. CXIII. 1. *In exitu Israel de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro*, id est barbara lingua, & Hebraeis ignota loquente.

V. 7. DIVERTIT AB ONERIBUS, &c. Commemorat beneficia propter quae Deus extollendus est, voceque, & organis celebrandus. *Divertit ab oneribus*: liberavit, subduxit a ferendis oneribus, ad quae baiulanda adigebantur ab AEgyptiis. MANUS EIUS IN COPHINO SERVIERUNT, portando lutum in corbibus ad explenda opera quae illis imperabantur.

V. 8. IN TRIBULATIONE INVOCASTI ME. Inducit Propheta loquentem Dominum. IN ABSCONDITO TEMPESTATIS, quando te abscondebas propter tempestatem, hoc est propter vexationem qua vexabaris ab AEgyptiis. PROBAVI TE APUD AQUAM CONTRADICTIONIS: tentavi te per aquae penuriam, ut explorarem fidem, & patientiam tuam. Vide historiam Exod. XVII. & Num. XX. *Aquam contradictionis*. Sic appellata est aqua, quia propter illam coepit populus Moysi contradicere, & eius imperium detrectare.

V. 9. AUDI POPULUS, &c. Refert Propheta ex persona Dei quam aequas conditiones Deus populo suo proposuerit, & quanta promiserit si legem servarent. CONTESTABOR TE: palam, & publice commonefaciam. SI AUDIERIS ME: si mihi parueris.

V. 10. DEUS RECENS. Falsa enim Gentium numina dii sunt recentes, hoc est homines errore vulgi paulatim coli coepti, ac si divinitatem haberent. DEUM ALIENUM, aliarum gentium externarum.

V. 11. DILATA OS TUUM: oris tui precem, & postulationem late aperi, & pande mihi. ET EGO IMPLEBO: quidquid petieris effectum dabo.

V. 12. NON AUDIVIT, non obedivit. NON INTENDIT, non mihi credidit, non acquievit.

V. 13. DIMISI EOS, &c. Poena rebellionis

nis maxima, de qua ad Rom. I. 24. permisi ruere, & ferri præcipites quo luberet, ut sequerentur desideria sua. IN ADINVENTIONIBUS SUIS, studiis, consiliis, cupiditatibus suis obsequentes.

V. 15. PRO NIHILO, nullo labore, tempore, facillime, celerrime. FORSITAN. Modus loquendi ad ostendendam loquentis, vel facientis libertatem, aut modestiam. MANUM MEAM ultricem.

V. 16. INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EI. Hebræi fidem non servaverunt, quam Domino promiserant, cum dixerunt, Exodi XXIV. *Omnia verba quæ locutus est Dominus faciemus*. ET ERIT TEMPUS EORUM IN SAECULA; id est, & tempus defectionis, & rebellionis eorum erit in sæcula, quia vix in fine mundi reliquiæ Iudæorum convertentur. Vel, ut interpretatur S. August. tempus supplicii eius erit in sæcula.

V. 17. CIBAVIT EOS EX ADIPE FRUMENTI, tritico optimo, & lectissimo, quod Iudæorum ingratitudinem magis arguit, qui tam bene habiti, tamen a Domino defecerunt. Per *adipem frumenti* commode manna intelligi potest: erat enim cibus suavissimus, & Angelorum ministerio paratus. DE PETRA MELLE SATURAVIT vos. Forte intelligit aquam e rupe scaturientem tactu virgæ Mosis, quæ præ siti visa est Hebræis suavissima & melle dulcior. Vel intelligit dulces, & mellitos fructus Palæstinæ, quæ fere montosa est. Vel certe ipsum mel, quod apes in petris, & tophi cavernulis conficiunt.

TIRINI.

Vers. I. PRO TORCULARIBUS. Vide Psalmo VIII. Unde in posterum non fatigabo lectorem repetitione.

V. 4. IN NEOMENIA, id est in festo novilunii. IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS VESTRAE, id est festo Tubarum, quod incidebat in primum diem seu novilunium mensis Tisri. De quibus festis vide Exodi XXIII. & Numer. XXVIII. & Levit. XXIII.

V. 5. & 6. IUDICIUM DEO; id est, iudicatum a Deo, & decretum ut festum hoc perpetuo celebraretur, in TESTIMONIUM, seu commemorationem educti Ioseph (id est populi Israelitici, Psal. LXXIX. 2.) ex AEgypto, ubi cogebatur audire LINGUAM AEgyptiacam, QUAM NON NOVERAT, eo quod barbara esset ac difficilis, & non permitterentur passim Israelitæ conversari cum AEgyptiis. Quæ nova erat molestia, & afflictio.

V. 7. IN COPHINO, id est canistris, & sportis, quibus cogebantur Israelitæ ferre lateres, & paleas, Exod. I. & V.

V. 8. IN ABSCONDITO TEMPESTATIS, id est quando te abscondebas propter tempestatem, id est persecutionem excitatam in te ab AEgyptiis. Ita Genebrardus. PROBAVI TE, id est exploravi tuam in me fidem, APUD AQUAS CONTRADICTIONIS: de quibus Exodi XVII. Notat sanctus Augustinus, omnes qui se subtrahunt servituti Pharaonis, id est diaboli, mundi, carnis, probari multiplici contradictione, irrisione, persecutione.

V. 10. CONTESTABOR TE. Chaldæus: *Testificabor in te*; id est, palam tibi edisseram, quid a te velim.

V. 11. DILATA OS TUUM; id est, lata, & larga prece postula a me quidquid volueris, & dabo tibi: nempe si mihi obediens & fidelis permanseris. Hieronymus, & Theodoretus.

V. 13. SECUNDUM DESIDERIA. Hieronymus, & Aquila, *in pravitate*; Symmachus, *in fastu cordis*, id est secundum pravas concupiscentias suas. IBUNT, id est ut eant, & agant secundum *adinventiones suas*, id est consilia, nutus, & vota sua, non vero secundum leges meas. Maxima hæc rebellium pœna est, cum Deus illos permittit facere quod lubet: perinde enim ac si navim sine clavo, equum sine freno sinas ruere in præceps. Rom. I. v. 24.

V. 15. PRO NIHILO, id est nullo negotio; Hieron. *quasi nihilum*, Chald. *brevi*.

V. 16. INIMICI DOMINI, nempe Israelitæ rebelles Deo, MENTITI SUNT EI; id est, violarunt datam ei fidem. ET ERIT TEMPUS EORUM; id est, tempus quo variis calamitatibus punientur, *æternum* durabit, inquit Chaldæus, & Theodoretus.

V. 17. ET CIBAVIT EOS; quasi dicat: Cum tamen Deus ingratos cibasset ADIPE, id est medulla, FRUMENTI, ET DE PETRA MELLE, id est aqua dulci instar mellis. Quod contigit primo in deserto Exodi XVII. & Numer. XX. Deinde etiam

in

in ipsa terra sancta, quæ tam fertilis erat, ut passim etiam in petris apes mellificarent: I. Reg. xiv. Ita Theodoretus, Iansenius, & Genebrardus.

Allegorice S. Eucharistia.

GORDONI.

Titulus: In finem, pro torcularibus, &c. Vide titulum Psalmi viii. Argumentum est adhortatio ad dies festos colendos: immo & *præceptum*, inquit, *est in Israel*. De variis festis dixi Levit. cap. xxiii. Accedit beneficiorum Dei commemoratio (ad quæ recolendæ instituuntur dies festi) & reprehensio negligentiæ in hac parte. Nec tamen negandum quin hoc speciatim fieret in vindemiis, ut titulus designat, & plenius dixi citato Psalmo viii.

Vers. 1. EXULTATE, &c. In hac exultatione, diebus festis, & recordatione beneficiorum Dei, introducitur Deus renovans memoriam beneficiorum quibus liberavit Israelem ex AEgypto. Hinc mentio de Ioseph, & similibus; quæ omnia quilibet facili negotio transferet cum Augustinus ad Christum, & ad torcularia spiritualia. Liberavit enim Deus populum hunc Israeliticum ex AEgypto: sed Christus omnes omnino asseruit in libertatem.

V. 6. & 7. Linguam quam non noverat. Verba hæc Augustinus, & Hieronymus transferunt ad legem, & vocem Dei, iam primum auditam in monte Sina, & quam ante non noverant Israelitæ: immo etiam spiritualiter ad legem Evangelii: populus etiam veniens in AEgyptum non noverat linguam. Illud autem vers. 7. In cophino, Septuag. *ἐν τῷ κοφίνῳ ἐδούλευσαν* est in Hebræo, *A cophino recesserunt*; sed Septuag. legerunt תעבודנה *tab bavodena*, nempe ab עבד *bhavad*, quod est *servire*, non autem ab עבר *bhavar*, quod est transire.

V. 15. Pro nihilo forsitan. Septuag. *ἐν τῷ μηδενὶ ἐταπείνωσα*, nempe facile humiliassem, ac si nihili essent. At vero *τὸ forsitan* non est in Hebræo; ponitur tamen a Latino Interprete, ut sic explicaret Græcam vocem *ἂν* quæ etiam explicari poterat per *utique*, aut *profecto*. Et demus admitti; indicabit Deum libere agere. Nihil porro probat contra certidunem scientiæ conditionatæ (quam aliqui parum considerate volunt tantum esse coniecturalem) nam ex canone sanctorum Patrum, si Deus dicatur aliquando ambigere, est ad indicandam hominis liberam voluntatem, ut recte ex Patribus quos citat, observat Lorinus.

V. 16. & 17. Inimici Domini, hoc loco sunt Iudæi, qui negaverunt Christum mentientes; & ideo erit tempus punitionis, & reprobationis eorum in saecula; adeo ut in fine mundi vix sint convertendi, aut saltem ægre: & tamen (vers. 17.) adipe frumenti cibavit eos: notat eorum ingratitudinem.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 2. E*Xultate*, &c. Hortatur, ut præfatus sum, ad laudes Dei celebrandas. Modum etiam dat vers. 3. & tempus, præsertim in festis vers. 4. Initio mensis propter neomenias, quando scilicet insignis dies solemnitatis est; quamvis aliqui per insignem diem solemnitatis, intelligant festos principales, & Pascha, & Pentecosten, & non solas neomenias.

V. 5. & 6. *Quia præceptum*, &c. Ratio cur sic colendus sit Deus in festis, datur; quia *præceptum est*, seu *iudicium*, quod idem est, & *testimonium*, idque in *Iacob*, & *Ioseph*, seu populo Dei, quem illi duo repræsentabant: Iacob ut genitor, & Ioseph ut nutritor, & reparator. Extat hoc præceptum in Decalogo. De tubis, & clangore, Levit. xxiii. *Linguam* AEgyptiacam populus quando eo venit *non noverat*.

V. 7. *Divertit ab oneribus* AEgyptiacis populum, de quibus Exod. 1. & 11. hic incipit enumerare beneficia, quæ Deus fecit populo; & e diverso populi ingratitudinem. De qua re prolixe actum est Psal. lxxvii. Hanc antithesim beneficiorum, & ingratitudinis in neglecto cultu Dei protrahit usque ad finem capitis, deterrens ab idolis, seu diis recentibus, & alienis: sane nec æternis, nec veris Deis.

BOS-

PSALMUS LXXXI. MORALIS.

Ad iudices Ierosolymis constitutos; de quibus Psal. CXXI. *vers.* 5. *Vide Psal.* XCIII.

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus Asaph.

DEus stetit in cœtu Dei: in medio deos diiudicat.

Usquequo iudicatis iniquitatem, & facies impiorum suscipitis. Semper.

Iudicate pauperi & pupillo, egeno & inopi iuste facite.

Salvate inopem & pauperem: de manu impiorum liberate.

Non cognoscunt nec intelligunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes vos.

Ergo quasi Adam moriemini: & quasi unus de principibus cadetis.

Surge Domine, iudica terram: quoniam tu hereditabis omnes gentes.

(*a*) Prov. XXIV. 11. (*b*) Ioan. X. 34.

VERSIO VULGATA.

Psalmus Asaph.

1. DEus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.

2. Usquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?

3. Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iustificate.

4. Eripite (*a*) pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.

5. Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

6. Ego (*b*) dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut homines moriemini: & sicut unus de principibus cadetis.

8. Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus Gentibus.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. SYNAGOGA DEORUM. Hebr. *Dei*, pro *deorum*, id est iudicum. In medio autem iudicum iudicat, id est, docet eos quomodo iudicare debeant: vel, ipsos iudices observat, num bene, an male iudicent.

V. 5. MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRAE; id est, etiam si universa fundamenta terræ moveantur. Vel, Omnia perturbantur illis male iudicantibus.

V. 7. VOS AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI. Id est, feceram vos quodam modo deos immortales; sed quia male gessistis vos, sicut ceteri homines moriemini.

V. 8. HEREDITABIS IN OMNIBUS GENTIBUS. Hebr. *Hereditate cepisti omnes gentes.*

SA.

De Iudicibus.

Verſ. 1. SYNAGOGA. Hieron. *cœtu*. Chald. *congregatione*. DEORUM, id eſt iudicum. DEOS. Chald. *iudicum*. DIIUDICAT, id eſt examinat. Chald. *iudicat*, ſcilicet eorum iudicia, ſeu damnat, modo ſequenti.

V. 2. INIQUITATEM, id eſt inique. FACIES, &c. quaſi dicat: Perſonas accipitis, & in gratiam hominum male iudicatis.

V. 3. IUDICATE, id eſt ius dicite. EGENO. Chald. *miſerabili*. HUMILEM, id eſt afflictum. Chald. *miſerum*. IUSTIFICATE, id eſt innocentes declarate.

V. 5. NESCIERUNT. Chald. *Neſcierunt bonum operari*. INTELLEXERUNT. Chald. *intellexerunt legem*. MOVEBUNTUR, &c. quaſi dicat: Cum ipſi ſint qui ceteros ſtabilire deberent, ſunt inſtabiles. Vel quaſi dicat: Prius terra movebitur, quam ipſi mutentur. Chald. *propterea moventur*, &c. quaſi dicat: Adeo Deus concutit flagellis orbem.

V. 6. DII. Chald. *velut Angeli*. FILII EXCELSI, id eſt Dei. Chald. *Angeli excelſi*.

V. 7. HOMINES, ſcilicet abiecti & viles. Hebr. *Adam*, quod ſolet ſignificare *hominem vilem*; ut contra, *Iſc*, *nobilem*, ſeu *ſtrenuum virum*. PRINCIPIBUS, id eſt tyrannis, vel dæmonibus. CADETIS, ſcilicet ex veſtro ſtatu, Deo puniente: vel in infernum deiiciemini.

V. 8. SURGE; quaſi dicat: Exere potentiam tuam. HEREDITABIS, pro hereditas, id eſt poſſides, ut quis hereditatem propriam. IN OMNIBUS GENTIBUS, pro omnes gentes.

ESTII.

Verſ. 3. IUDICATE EGENO, ET PUPILLO: HUMILEM, ET PAUPEREM IUSTIFICATE. In Exodi cap. XXIII. dicitur: *Pauperis non miſereberis in iudicio*: & rurſum: *Non declinabis in iudicium pauperis*. Quomodo ergo hic dicitur: *Iudicate egeno, & pupillo?* Reſpondendum eſt, hoc loco nihil aliud præcipi, quam iuſtitiam fieri. Senſus enim eſt: Vos, o dii, o iudices divinitus conſtituti, USQUEQUO IUDICATIS INIQUITATEM? id eſt inique. Hic ergo iuſtitia præcipitur. In Exodo vero prohibetur ea miſericordia quæ faciat iudicem declinare nimium, ex commiſeratione in cauſas pauperum. Quare nec præceptum illud Eccli. IV. 10. *In iudicando eſto pupillis miſericors ut pater*, repugnat eidem præcepto Moyſi Exodi XXIII. Debent enim iudices miſereri pupillorum & pauperum hactenus, ut non ſinant eos opprimi iniuſte. Et hoc vult Eccleſiaſticus, & hic Pſalmiſta. Prohibemur autem eorum miſereri, ſenſu iam explicato.

V. 6. EGO DIXI: DII ESTIS, ET FILII EXCELSI OMNES. Ter in hoc Pſalmo habemus nomen Deorum. Initio bis, hic ſemel. Quamquam quod præcedit, IN SYNAGOGA DEORUM, Hebr. eſt, *in ſynagoga Dei*; ſenſus tamen fere convenit, quia eadem eſt ſynagoga Dei, & ſynagoga deorum, id eſt iudicum, vel principum, & tamen Dei ſynagoga, quia a Deo inſtituta, ſicut eadem eſt Eccleſia Chriſti, & fidelium. Citat Chriſtus hoc teſtimonium Ioan. X. ut oſtendat ſe recte ſemetipſum appellaſſe Filium Dei, & Deum. Ubi non eſt putandum, ſicut Ariani voluerunt, quod Chriſtus tantum participative ſe dixerit Deum. Sed argumento a proportione ſumpto, oſtendit ſe verum Deum, & naturalem Dei Filium; quaſi dicat: Scriptura vocat Deos participatione, eos ad quos ſermo Dei, Græce λόγος, id eſt *verbum*, factus eſt: ergo ipſum Verbum iam miſſum in mundum, non tantum participatione, ſed ſane natura eſt Deus, ac Dei Filius.

MARIANAE.

Verſ. 1. PSALMUS ASAPH. Iniquis iudicibus exitium minatur. IN SYNAGOGA DEORUM, id eſt in conventu iudicum. Hebr. *in cœtu Dei*, pro *deorum*. Stat Deus quaſi primus iudex. DEOS DIIUDICAT; id eſt, iudices arguit verbis, quæ mox addit.

V. 2. ET FACIES PECCATORUM SUMITIS? id eſt, accipitis perſonas.

V. 3. EGENO, ET PUPILLO: ſcilicet hos ſublevate quantum æquitas patitur. IUSTIFICATE, abſolvite humilem.

V. 5.

V. 5. NESCIERUNT, ſcilicet iudices pravi. MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRAE, pro moventur; id eſt, omnia miſcentur, & perturbantur propter iniqua iudicia.

V. 5. EGO DIXI: DII ESTIS. Eo vos nomine vocavi, quoniam Dei locum tenetis. ET FILII EXCELSI, id eſt quaſi filii Excelſi, Angelis ſimiles.

V. 7. VOS AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI; id eſt, mors vos cum aliis e plebe exæquabit. Hebr. *Vere ſicut Adam moriemini*, qui in honore quem acceperat, non permanſit. ET SICUT UNUS DE PRINCIPIBUS, id eſt de filiis Dei, qui ceciderunt in Geneſi. Quidam per *principes* tyrannos intelligunt, qui vitæ ſolent pares aliis exitus habere.

Verſ. 8. SURGE DEUS, IUDICA TERRAM. Apoſtrophe ad Deum. Quando iudices ſunt iniqui, tu exurge, iudex eſto. QUONIAM TU HEREDITABIS, pro hereditas; id eſt, omnes gentes tua hereditas ſunt: ad te pertinent res eorum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PSALMUS ASAPH. Heb. *Ode* vel *Cantus ipſi Aſapho*. Vide in Pſal. XLIX. verſ. 1. DEUS STETIT IN SYNAGOGA DEORUM. Hebr. *Elohim adſtat in cœtu El*, id eſt Dei fortis. Varie exponunt. I. *Deus præſidet in cœtu Dei*, vel *deorum*, id eſt in magnifica, & frequenti congregatione iudicum, quos hic deos appellat. II. *in congregatione potentiæ*, vel *fortitudinis*, id eſt in ſenatu graviſſimo, qui potentia & auctoritate vacet. III. *Deus conſtitit in cœtu potentium*. IV. *Deus adſtitit cœtui illorum qui præ ceteris in alios poteſtatem nacti ſunt*. Poſſis reddere: *Deus ſtat in conventu Dei*, id eſt maximo & ampliſſimo, ut Pſal. LXXIX. verſ. 11. *cedri Dei*. V. *Deus*, id eſt Dominus Ieſus Chriſtus Dei Filius, *adſtat in cœtu Dei fortis*, id eſt Dei Patris, qui naturæ & creationis lege inſtituit omnem conſeſſum iudicum, ut ipſorum iudicium Dominus, & iudiciorum auctor, Deut. 1. 17. & II. Par. XIX. 6. IN MEDIO AUTEM DEOS DIIUDICAT. Hebr. *In medio deorum*, vel *deos*, *iudicabit*. Varie alii. I. *In medio deorum iudicem agit*, id eſt in medio iudicum. Iudices, ELOHIM, ſeu *dii* dicuntur, quod recte iudicando, & ius ſuum unicuique reddendo vices Dei obtineat, & exequantur. II. *Et in medio iudicum, ut iudicio contendat*. III. *In medio ipſorum iudicum, quæ officii illorum ſunt, admonuit illos*. IV. *Inter deos iudicat*, id eſt inter vicarios Dei in adminiſtrando iure, Exod. XXII. 28. hoc eſt, *inter magiſtratus iudicat*: cuius vice illi iudicant. Mirus locus de præſentia Dei in omni conſeſſu iudicum, unde ſui officii illi ſerio admoneantur.

V. 2. ET FACIES PECCATORUM SUMITIS? Alii. I. *Et facies impiorum ſuſcipietis?* II. *Et perſonam impiorum ſuſcipietis?* id eſt, eis deferetis, & in gratiam eorum pervertetis iudicium? quod vitium vocant acceptionem perſonarum. Vide Deuteron. 1. 17. Aliene quidam exponunt: Faciem, ſeu perſonam improborum aſſumetis, ſeu induetis? id eſt, agetis improbos, perperam famæ veſtræ conſuletis. Apponitur hic *ſelah*; id eſt, 1. *Perpetuo*; 2. *Ita plane facitis*; 2. *Summe*; 4. O quam grave malum, quam frequens acceptatio perſonarum in iudicio.

V. 3. IUDICATE EGENO, ET PUPILLO. Alii. I. *Ius reddite tenui, & pupillo*. II. *Quin potius pauperem & pupillum, qui ſine auxilio veſtro impar eſt adverſario, a calumnia defendite*. III. *Iudicate ſecundum tenuem, & pupillum*, id eſt qui præ tenuitate, neque facultatem nocendi habet, neque defendendi ſui, ſed improbitate aliena opprimitur, verſu ſequente.

V. 5. NON COGNOVERUNT. Deſcribit hoc verſu tria mala iudicum, unde oritur ruina reipublicæ. Primum ignorantia in iure; id eſt, neſcierunt ius ipſum. NEQUE INTELLEXERUNT. Secundum malum in curia, & oſcitantia in agnoſcendis cauſis; id eſt, non animadverterunt vim & ſtatum cuiuſque cauſæ. IN TENEBRIS AMBULANT. Tertium malum, quod generale eſt, ſtudioſus tenebrarum amor cæco iudicio, nulla prælucente aut verbi Dei, aut rationis ad pietatem, & humanitatem face; id eſt, cæci aut affectu, aut avaritia, conſtuprant. MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRAE. Ruina reipublicæ; quaſi dicat: Peſſundantur & ruunt omnia a culmine & fundamentis: univerſus orbis nutat, vacillat, & perit, ubi prava iudicia exercentur: omnis hu-

manæ vitæ ratio & ordo confunditur ac perturbatur.

V. 6. EGO DIXI: DII ESTIS, ET FILII EXCELSI OMNES. Quidam: *Ego dico: Dii quidem estis, & filii Excelsi vos omnes*. Notant hoc versu, & sequenti describi communem improborum iudicum mortem, & singularem ac præcipitem eorumdem casum in ruinam æternam: quam tamen præmollit Psaltes humili præfatione, & concessione honorifica gradus in quem a Deo evecti sunt. *Ego dixi: Dii* quidem *estis*; id est, Dei sermo ad vos factus est, ut exerceatis iudicia ipsius, & sitis quasi Dii quidam, *ac vicarii Dei* in administratione iuris: II. Paralip. XIX. vers. 6. Sic interpretatur Christus Ioann. X. 34. & 35. *Et filii Excelsi vos omnes*; id est, quasi heredes, succedentes in partem aliquam iudiciariæ auctoritatis ipsius; quam vobis attribuit, ut parentes principes suis liberis. Quidam exponunt: Ego, inquit Deus, vos appellatione mea dignatus sum ob excellentiam officii, quo fungimini: vosque Filios meos nomino. Alii: Ego vos habui pro diis, & similes iudicavi omnes vos Angelis, qui tam sunt cari Deo, ut videri possint filii altissimi.

V. 7. VOS AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI. Exponunt: *Verumtamen communi hominum more moriemini*. Hebr. *Sicut adam moriemini*, id est sicut quisque ex reliquis hominibus. Aliqui: *Moriemini ut plebeius homo, sicut abiectissimus quisque e plebe, æque ut homo quivis infimæ sortis*: non eritis meliori conditione in morte, quam quisque vilis e plebe. ET SICUT UNUS DE PRINCIPIBUS CADETIS, id est de tyrannis, violentis oppressoribus. Quidam exponunt: *Et sicut unus*, id est privatus quisque, vos *o principes*, *cadetis*. Quidam sensum huius versus ita concipiunt, quasi dicat: Non tantum cadetis communi morte, sed etiam celeri ac singulari aliqua, ut magni tyranni; prout Isaiæ XIV. 10.

V. 8. SURGE DEUS, IUDICA TERRAM. Conclusio petitoria, ut Deus Dominus Iesus Christus ius dicat in terra, quæ alioquin præ iudiciorum constupratione tota videtur collapsura, supra vers. 5. quasi dicat: Cum nulli sint qui iudicent, cum iustitia terras reliquisse videatur, surge o Christe, iuste iudex, ac iudica terram. QUONIAM TU HEREDITABIS IN OMNIBUS GENTIBUS. Varie interpretantur. I. *Nam tibi omnes gentes hereditario iure debentur*. II. *Nam in omni gente quasi iure hereditario possides*, subaudi electos pauperes, & oppressos, quos e manu opprimentium liberas; quasi dicat: Nulla est gens, in qua non sint aliqui electi qui sunt possessio & hereditas tua, populus tuus, quos ab iniuriis aliorum vindices, & asseras. III. *Quia tu hereditatem accipies in omnibus gentibus*, id est, possessor es omnium gentium, eas habes in tuo dominio. IV. *Tu enim veluti hereditario iure, & tamquam patrimonium possidebis omnes gentes*. V. *Tu enim possessionem habes iudiciorum in omnibus gentibus*; prout dicitur Genes. XVIII. vers. 25.

MENOCHII.

Vers. 1. PSALMUS ASAPH. Vide dicta ad tit. Psal. XLIX. DEUS. In Hebr. est vox אלהים *elohim*, quæ Deum iudicem & ultorem significat. STETIT, Hebr. *collocavit se*, ut scilicet eorum actiones contempletur, & de eorum iudiciis & sententiis censuram ferat. IN SYNAGOGA DEORUM, in iudicum vicem Dei in terris gerentium congregatione, & consessu. IN MEDIO, scilicet ipsorum iudicum. DEOS DIIUDICAT: quid iudices dicant, aut faciant examinat, & attendit.

V. 2. USQUEQUO IUDICATIS INIQUITATEM? verba sunt Domini iudices increpantis. Quousque inique, & iniuste pronuntiabitis in iudiciis? ET FACIEM PECCATORUM SUMITIS? & vultus impiorum in iudicio honoratis, in gratiam eorum iustum iudicium depravantes?

V. 3. IUDICATE EGENO, &c. pro egeno, & pupillo pronuntiate, cuius causa æquior est. IUSTIFICATE: absolvite, defendite innocentem, & potius ius habentem pronuntiate.

V. 4. DE MANU PECCATORIS, de manu potentis iniusti.

V. 5. NESCIERUNT Deum, & iustitiam. IN TENEBRIS AMBULANT, tenebris malitiæ, & ignorationis iuris, & æquitatis. MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRAE; id est, totus orbis terrarum turbabitur: si enim iudices pravis moribus sint, & earum rerum ignari

ri, quæ ad munus, suum spectant, perturbari necesse est universam Rempublicam.

V. 6. Ego dixi, &c. Ostendit quam indigna sint hæc vitia, quæ commemoravit, argumento ducto ex sublimi gradu honoris, in quo iudices a Deo collocati sunt: sensus est: Ego vos dignatus sum mea appellatione præ hominibus ceteris, & in tam celso dignitatis gradu constitui, ut Diis, quam hominibus propiores videamini. Excelsi, Dei, qui in sublimi loco sedet supremus omnium iudex.

V. 7. Sicut homines moriemini: meo quidem munere Dii propemodum estis, sed vestro vitio vos demittitis, & parem cum vulgaribus hominibus exitum habebitis. Et sicut unus de principibus cadetis: male peribitis, ut multis plerisque tyrannis accidit: vel similes eritis Angelis principibus qui de sede sua propter peccatum suum lapsi sunt.

V. 8. Surge Deus, &c. quasi dicat: Quia frustra a iudicibus hisce pravis iustum iudicium expectamus, tu Deus mundum iudica. Vel certe est votum, & oratio Prophetæ Messiam postulantis. Hereditabis in omnibus gentibus: hereditatem consequeris omnium gentium: omnia ubique possidebis, omnes habebis in hereditatem.

TIRINI.

Vers. 1. Deorum, id est *iudicum*, ut vertit Chaldæus, quia participant de eminentia potestatis & iudicii divini: unde & vulgo suspiciuntur quasi dii quidam terrestres. Sic Exod. vii. *Constitui te Deum Pharaonis*; & Exod. xxii. *Diis non detrahes*. Ita Theodoretus.

Allegorice, S. Augustinus, & Euthymius, Christus stetit in medio scribarum & Pontificum, arguens eos, & diiudicans, utpote summus omnium Iudex.

V. 2. Facies sumitis; id est, personas accipitis, & in gratiam amicorum, vel divitum male & inique iudicatis.

V. 3. Iudicate; id est, ius dicite. Iustificate; id est, innocentem declarate.

V. 5. Nescierunt impii & avari iudices, neque intellexerunt *legem Dei*, inquit Chaldæus; sed sponte, ambulant in tenebris ignorantiæ, & iniustitiæ. Movebuntur omnia fundamenta terrae; id est, inde fiet, ut evertantur urbes, regna, adeoque mundus universus. Nam deficiente iustitia, confunditur universa ratio humanæ vitæ, & convictus, inquit sanctus Hieronymus, & Euthymius.

V. 7. Sicut homines. Hebr. & apud Hieron. *sicut* אדם *Adam*, quod vilem, & abiectum hominem significat, sicut אש *isch*, *fortem & strenuum*; quasi dicat: Mors vobis non magis parcet quam aliis vilissimis humuncionibus. Et sicut unus de principibus, id est tyrannis, cadetis e vestro statu, & e vita violente exturbamini, ut fere tyrannis accidit, iuxta illud:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

S. Hieronymus, & Augustinus. Exemplo sunt tot Imperatores Romani, tot Siculi, aliique tyranni.

V. 8. Iudica tu terram tuo arbitratu. Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus; id est, tu gentes omnes hereditatio iure possides, & reipsa plene possidebis in die iudicii. Theodoretus, & Euthymius.

GORDONI.

Titulus: Psalmus Asaph. De hoc dixi ad Psal. lxxiii. & lxxvii. Communior sententia est Asaph non videri ullorum auctorem Psalmorum. Argumentum Psalmi est adhortatio ad Iudices, quos Deus hic initio reprehendit.

Vers. 1. Deos diiudicat. Septuag. θεοὺς διακρίνει. In Hebr. אלהים *elohim*, nomen plurale; usus tamen obtinuit, ut admittat significationem utriusque numeri. Cetera nota sunt ex Paraphrasi.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 1 usq. ad 5. Deus stetit, &c. In hac ad iudices exhortatione (quos etiam reprehendit) monentur pri-

primum, illis Deum semper astare, videre quam bene, vel male iudicent (*in synagoga Deorum*, hoc est in conventu iudicum) & Deum iudicare ipsos iudices. Reprehensio est versu 2. de iniquo iudicio, & acceptione personarum. Suggerit in sequenti versu quid agendum sit.

V. 5. *Nescierunt*, &c. Post reprehensam hactenus in iudicibus acceptionem personarum, & iniustitiam; nunc reprehendit ignorantiam. Et ex hoc malo, atque inscitia iuris fit, ut commoveantur fundamenta terræ: sequuntur enim hinc bella, seditiones, & rerum omnium perturbatio.

V. 6. 7. & 8. *Ego dixi*, &c. Posui (inquit Deus) vos iudices, tamquam deos in terra, & filios excelsos; sed propter hæc vestra peccata *moriemini sicut homines*, & *cadetis* velut unus de angelis apostatis. Tandem vel rogatur Deus, ut ipse, qui iustissimus est, arripiat iudicium: vel est apostrophe ad venturum Christum, quem Deus constituit Iudicem universorum.

BOSSUET.

Vers. 1. IN SYNAGOGA DEORUM, in consessu iudicum, qui & dii vocantur Exod. XXI. 6. & sæpe alias. DEOS DIIUDICAT: quippe qui exercebant iudicium non hominis, sed Dei. II. Paral. XIX. 6.

V. 2. FACIES PECCATORUM SUMITIS? in iudicio personas accipitis: favetis violentis, & oppressoribus.

V. 5. MOVEBUNTUR, &c. Concussis legibus, quibus publica concordia nititur, regnum nutabit.

V. 7. SICUT UNUS DE PRINCIPIBUS: sicut alii principes, morti omnes obnoxii ita CADETIS. Alii ex Hebr. *sicut unus, o principes, cadetis*. *Sicut unus*, e plebe scilicet.

V. 8. TU HEREDITABIS IN OMNIBUS GENTIBUS: omnes gentes tua hereditas, tua possessio.

PSALMUS LXXXII. DECREPATORIUS.

Oratio ad Deum ut Davidem tueatur insurgentibus Philisthæis, Syris, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, aliisque Arabibus: II. Reg. VIII. X. XI. I. Par. XVIII. XX. potest & prophetice Psalmus sub nomine Maccabæorum dictus intelligi: quorum tempore has gentes in Iudæos arma consociasse constat.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum Psalmus Asaph.

DEus ne taceas: ne sileas, & non quiescas Deus.

Quia ecce inimici tui tumultuati sunt, & qui oderunt te, elevaverunt caput.

Contra populum tuum nequiter tractaverunt, & inierunt consilium adversus arcanum tuum.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum Psalmi Asaph.

2. DEus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus:

3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

4. Super populum tuum malignaverunt consilium: & cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Di-

Dixerunt: Venite, & conteramus eos de gente, & non sit memoria nominis Israel ultra.

Quoniam tractaverunt corde pariter; contra te fœdus pepigerunt.

Tabernacula Idumææ & Israelitarum: Moab & Agareni.

Gebal & Ammon & Amalec: Palestina cum habitatoribus Tyri.

Sed & Assur venit cum eis: facti sunt brachium filiorum Lot. Semper.

Fac illis sicut Madian, & Sisarai, sicut Iabin in torrente Cison.

Contriti sunt in Endor: fuerunt quasi sterquilinium terræ.

Pone duces eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana omnes principes eorum.

Qui dixerunt, possideamus nobis pulchritudinem Dei.

Deus meus pone eos ut rotam: quasi stipulam ante faciem venti.

Quomodo ignis comburit silvam, & sicut flamma devorat montes.

Sic persequere eos in tempestate tua, & in turbine tuo conturba eos.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

Confundantur & conturbentur usque in sæculum: erubescant & pereant.

Et sciant quia nomen tuum est Dominus solus tu: Excelsus super omnem terram.

5. Dixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israel ultra.

6. Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversum te testamentum disposuerunt, 7. tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ:

Moab, & Agareni, 8. Gebal, & Amon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

9. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Lot.

10. Fac illis sicut (a) Madian, & (b) Sisaræ: sicut (c) Iabin in torrente Cisson.

11. Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.

12. Pone (d) principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & (e) Zebee, & Salmana;

Omnes principes eorum, 13. qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei.

14. Deus meus pone illos ut rotam: & sicut stipulam ante faciem venti.

15. Sicut ignis, qui comburit silvam: & sicut flamma comburens montes.

16. Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.

17. Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum, Domine.

18. Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur, & pereant.

19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.

(a) Judic. vii. 22. (b) Judic. iv. 15. (c) Judic. iv. 24. (d) Judic. vii. 25. (e) Judic. viii. 21.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. DEUS QUIS SIMILIS ERIT TIBI? Heb. *Deus ne taceas tibi* (apud te) *ne sileas, & ne quiescas Deus*. Septuag. legerunt אל דמה לך, *nemo similis tibi*; quod interrogatione exprimere malverunt *τίς ὁμοιωθήσεταί σοι*.

V. 3. QUONIAM ECCE INIMICI TUI SONUERUNT. Heb. *Tumultuati sunt*.

V. 4.

V. 4. Cogitaverunt adversus sanctos tuos. Heb. *absconditos tuos*, id est intimos amicos tuos.

V. 6. Quoniam cogitaverunt unanimiter. Heb. *Quoniam consiliati sunt corde* (passive) *simul*; id est, unanimi consensu conspiraverunt, & contra te fœdus inierunt.

V. 8. Alienigenae cum habitantibus Tyrum. Heb. [illegible], *Palæstini*.

V. 9. Etenim Assur venit cum illis, &c. Heb. *Etiam Assur coniunctus est illis. Facti sunt adiutores filiis Lot*, id est Moabitis, & Ammonitis.

V. 10. Fac illis sicut Madian et Sisarae. Historia scripta est Iudic. vii.

V. 13. Sanctuarium Dei. Hebr. *habitacula Dei*.

V. 17. Imple facies eorum ignominia: ut Psal. iii. 8. Hebr. *Quoniam tu percuties omnes adversantes mihi in maxilla*.

S A.

Oratio contra hostes:

Vers. 1. Canticum Psalmi, id est canticum excellentissimum: nam duo substantiva coniuncta faciunt superlativum Hebræis.

V. 2. Taceas, id est dissimules. Chald. *cesses*, scilicet iuvare. Compescaris, id est cuncteris. Hieron. & Chald. *quiescas*.

V. 3. Sonuerunt. Hieron. *tumultuati sunt*. Chald. *fremunt*. Extulerunt, scilicet superbe contra tuos.

V. 4. Super. Hieron. *contra*. Malignaverunt, id est malum inierunt. Sanctos tuos. Hebr. *absconditos tuos*, id est a te protectos.

V. 5. De gente. Chald. *ne sint populus*.

V. 6. Testamentum. Hieron. & Chald. *fœdus*.

V. 8. Gebal. Chald. *Gabalitæ*: sunt vero hi populi Idumææ. Vide Genes. xxxvi. Alienigenae. Chald. *Palestini*. Hieron. *Palæstina*.

V. 9. Assur. Chald. *Sennacherib Rex Assyriæ*. Filiis Lot, scilicet Ammonitis, & Moabitis.

V. 11. Disperierunt; pro, qui disperierunt. In Endor. Villa est non longe a Thabor. Chald. *ad fontem Dor*. Vide Iudic. iv. & v. Stercus. Hieron. *sterquilinium*; quasi dicat: Computruerunt more sterquilinii.

V. 13. Hereditate, pro velut hereditatem. Sanctuarium, id est terram sanctam:

V. 14. Ut rotam, scilicet loco declivi motam.

V. 16. Montes, scilicet silvas montium. Repetitio.

V. 16. Persequeris, &c. Futura pro imperativis. Tua, id est a te excitata contra eos.

V. 17. Et quaerent; id est, ut cogantur quærere, scilicet tibi reconciliari.

V. 19. Et, pro ut. Nomen tibi Dominus; id est te solum esse verum Dominum.

E S T I I.

Vers. 7. Tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae: & mox subditur Moab, et Agareni. Quæritur, quomodo Ismaelitæ distinguantur ab Agarenis? Lyranus post auctorem Traditionum in Paralipomen. apud Hieron. putat Agarenos dici eos qui post mortem Saræ ex Agar sunt geniti, de quibus Genesis v. putant enim, eam quæ ibi Cethura dicitur, esse ipsam Agar. Sed quam probabiliter, vide Annotat. Genesis xxv. Fieri potest, ut certa quædam progenies Ismaelitarum postea nomen illud assumpserint, ut Agareni dicerentur; sicut omnes progeniti ex Chanaan filio Cham generali nomine sunt Chananæi, & tamen certa quædam progenies illius generis id nomen proprium sibi vendicat, quotiescumque legimus in Scriptura, Chananæos, Gergezæos, Pheresæos, &c. De quo vide quoque Gen. 10.

V. 14. Deus meus pone illos ut rotam; id est, perpetuo circumagantur ut rota; nullam habeant quietem; nusquam inveniant locum stabilem: quæ est veteris Testamenti maledictio; quomodo e contra dicitur de viro iusto: *Qui facit hæc non movebitur in æternum*. Potest etiam per rotam turbo intelligi, de quo diximus Psal. lxxvi.

MA.

MARIANAE.

Verſ. 1. **C**ANTICUM PSALMI ASAPH. Hebr. ſic etiam verti poſſunt, *Canticum Pſalmus Aſaphi.* Exitium populi Iſraelitici hoſtibus imprecatur.

V. 2. DEUS, QUIS SIMILIS ERIT TIBI? id eſt tu es ſupra omnes, tibi nullus reſiſtet. Heb. *Deus , non ſilentium tibi* : ſic Hieron. id eſt ne ſileas. NE TACEAS. Repetitio. Hebr. *ne obmuteſcas*. Mutus nec loquitur, nec audit: ſic tu videris. NEQUE COMPESCARIS DEUS. Hebr. *neque quieſcas Deus*: ſic Hieron.

V. 3. QUONIAM ECCE INIMICI TUI SONUERUNT. Hebr. *tumultuantur*.

V. 4. SUPER POPULUM TUUM, contra populum. MALIGNAVERUNT. Hebr. *callide inierunt ſecretum*. ET COGITAVERUNT. Hebr. *conſultarunt*. ADVERSUS SANCTOS TUOS Hebr. *abſconditos tuos*, id eſt populum, qui ſub alis tuis latet. Quid conſultant?

V. 5. ET DISPERDAMUS EOS DE GENTE; id eſt, ne ſit amplius ea gens, deleatur penitus.

V. 6. QUONIAM COGITAVERUNT UNANIMITER. Hebr. *quoniam* (pro certe) *conſultarunt* (ex) *corde ſimul.* TESTAMENTUM DISPOSUERUNT. Hebr. *fœdus percuſſerunt*.

V. 7. TABERNACULA IDUMAEORUM. Numerat gentes quæ conſpirarunt contra Iſraelem.

V. 8. GEBAL, populus Arabiæ. *Gebal* & *Amalec* nepotes Eſau: Genet. XXXVI. ALIENIGENAS Hebr. *Paleſtinos*. Septuag. eos vocant *ἀλλοφύλους*, id eſt *alienigenas*.

V. 9. ETENIM ASSUR. Hebr. *etiam Aſſur adhæſit illis*. FACTI SUNT IN ADIUTORIUM. Hebr. *fuere brachium*, id eſt adiuverunt ſuis viribus. FILIIS LOT, Moabitis, & Ammonitis.

V. 10. FAC ILLIS; id eſt, dele penitus eos, ut eos quos commemorat, ut Madian, Iudic. VII. Siſaram, & Iabin, Iudic. IV.

V. 11. DISPERIERUNT, id eſt perierunt. IN ENDOR, in tribu Manaſſe prope fluvium Ciſon, ubi Iabin, & Siſara perierunt: Iudic. IV. & V.

V. 12. SICUT OREB, ET ZEB. Hi duces Madianitarum, quos Gedeon vicit Iudic. VII. & VIII.

V. 13. SANCTUARIUM DEI. Hebr. *habitacula Dei*; id eſt, totam Dei terram & regionem ſubdamus nobis. Id dixerunt.

V. 14. PONE ILLOS UT ROTAM. Per *rotam* intelligit procellam, quæ rotatur in modum vorticis. ANTE FACIEM VENTI, id eſt coram vento: ſic eos exagita.

V. 16. ET IN IRA TUA TURBABIS EOS. Hebr. *in turbine tuo conſterna*, terre *eos*. Per tempeſtatem, & turbinem, vindictam, & ſupplicia intellige.

V. 17. ET QUAERENT; pro, aut quærant. Tibi ſe ſubdant malis adacti.

V. 18. ERUBESCANT; quaſi dicat: Si alio modo te cognoſcere & quærere non debent, age, illos affige omnibus malis, ut te quærant.

V. 19. ET COGNOSCANT, ut cognoſcent. QUIA NOMEN TIBI DOMINUS. Hebr. *quod tu nomen tuum*; id eſt, efficis & præſtas quod nomen tuum ſignificat, Dominus tu ſolus. (Eſtque nomen quadrilitterum magnæ virtutis.) ALTISSIMUS IN OMNI TERRA; quaſi dicat: Tuæ ditioni terra univerſa ſubdita eſt. Dii alii, quibus id nomen non convenit, inanes ſunt, & ſine viribus. Porro יהוה ab *exiſtendo* deducitur, quod ſolus ſua virtute exiſtat, & alia faciat exiſtere.

MALVENDAE.

Verſ. 1. **C**ANTICUM PSALMI. Hebr. *Canticum modulationis*, vel *modulatio*. Vide in Pſal. XLVII. verſ. I. ASAPH. Heb. in dativo, *ipſi Aſapho*. Vide Pſal. XLIX. verſ. I. Exiſtimant aliqui, hunc Pſalmum aut a Rege Ezechia, aut ab aliquo Prophera, ut Iſaia, vel alio, temporibus ipſius conſcriptum fuiſſe, cum Sancherib tam propria ambitione, quam finitimarum gentium, quæ ipſi parebant, ſollicitatione adductus, cum maximis copiis repente Iehudæam invaſiſſe ſcribitur II. Reg. XVIII. & XIX. Alii ad alia tempora referunt, de quibus affatim Explanatores.

V. 2. DEUS QUIS SIMILIS ERIT TIBI? &c. Diverſimode alii totum verſum ex Heb. refundunt. I. *Deus ne tace tibi, neobſurdeſce, & ne quieſce Deus* II. *Deus ne ſit ſilentium tibi, ne obſurdeſcas*, vel *obmuteſcas, neve tranquillus maneas Deus.* III. *Deus ne taceas, ne ceſſes, & ne cuncteris Deus.*

IV. *Deus ne taceas, quæso, diutius, neque fileas, neque feras amplius omnipotens Deus*. V. *Ne te filentio contineas, o Deus, ne dissimules, neve cesses, o Deus*. VI. *O Deus, ne agas silentium, ne surdum agas, neque quiescas, o Deus fortis*. Humanitus dictum.

V. 3. EXTULERUNT CAPUT; id est, omni metu posito, & audentibus animis erigunt se ad scelera sua perpetranda, attollunt cristas & cornua.

V. 4. SUPER POPULUM TUUM MALIGNAVERUNT CONSILIUM. Heb. *Contra populum tuum callide fecerunt consilium*. Alii. I. *Super populum tuum callebunt secretum*; id est, rimabuntur, callide explorabunt secreta populi tui. II. *Adversus populum tuum conspiraverunt secreto*. III. *Adversus populum tuum occultas futellas struunt*. IV. *Contra populum tuum callide ineunt consilium*, vel *callidum faciunt*, *callide capiunt*, vel *suscipiunt consilium*. ADVERSUS SANCTOS TUOS. Heb. *super absconditos*, seu *abditos tuos*. Diverse alii: 1. *adversus eos quos regis & protegis*: 2. *adversus eos qui occultæ protectioni tuæ concrediti sunt*: 3. *& coniurant adversus arcana tua*: 4. *contra abditos tuos*, id est quos recondis penes te velut pretiosum peculium tuum, Exod. XIX. vers. 5. ac proinde tutos ab omni iniuria, & inviolatos servas sub umbra alarum tuarum, Psal. XVI. 8 & Psal. XXVI. 5. Quidam notant, *Absconditos* dici quos quidem Deus tutissima custodia tegit ac munit; sed hoc tutelæ genus tam remotum esse ab oculis humanæ rationis, ut aliquando pii maxime a Deo negligi & derelinqui videantur; vel quia quam secura quamque beata sit piorum condicio vel ipsos humanæ mentis intuitus latet: quo putant allusisse Paulum Colossens. III. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in gloria*.

V. 5. VENITE, ET DISPERDAMUS EOS DE GENTE. Quidam reddunt: *Adeste, exstirpemus eos e gentium numero*. Alii: *Agite, exscindamus istos, ne sint gens*, id est istos Iehudæos, in quibus adhuc Israelis nomen conservatur: ne amplius efficiant populum unum, sicut decem tribubus fuerat factum, & prædixerat Iesaias VII. 8.

V. 7. TABERNACULA, seu *tentoria*, IDUMAEORUM. Exponunt, id est Arabes Scenitæ in tentoriis commorantes; aut potius milites degentes in tentoriis: hypallage. ET ISMAELITAE, vel *Ismaelitarum*, qui in potestatem Israelitarum non venerant, sed animo infesto in eos ferebantur: de quibus vide in Genes. XXXVII. 25. ET HAGARENI, qui partim Saulis, partim Iarobhami secundi temporibus venerant in possessionem Israelitarum. Vide in I. Paralip. V. 10. & 19. & seqq. & Genes. XXXVII. 25.

V. 8. GEBAL, vel *Gebalitæ*. Plerique putant esse *Gibleos* vicinos Tzidoniis, de quibus I. Reg. V. 18. vide ibi Notas: sed potius existimo esse Gabalenos Arabes, Gabalenæ, Idumææ regionis iuxta Petram Arabiæ. Vide Notas in Genes. XIV 6. & in Genes. XXXVI. 9. 34. 35. 36. 37. 42. Huius regionis frequens mentio apud Eusebium, & S. Hieronymum in locis Hebraicis.

V. 9. ETENIM ASSUR VENIT CUM ILLIS. Quidam: *Etiam Assyrius adiunxit se istis*; id est, recens suscepit easdem inimicitias, quas finitimi omnes superioribus temporibus continenter gesserant. Possit reddi: *Etiam Assur mutavit se illis*, id est mutuam operam præstitit. FACTI SUNT IN ADIUTORIUM FILIIS LOT. Heb. *Fuerunt brachium filiis Lot*. Quidam: *Sunt brachium posteris Loti*; id est, Hammonitas, & Moabitas confirmant, qui prius fuerant imbecilliores, quam ut nobis damnum afferre possent, ut docet Historia Asæ, & Iehosaphati, II. Paralipom. XIV. & XX. Aliqui reddunt: *Perpetuus commilito filiorum Loti*. Additur *selah*; id est, 1. *Ita res habet*; 2. *Maxime*; 3. O quam ingens numerus hostium Dei: & quam imbecilles vires eorum, si Deus suis adsit!

V. 10. SICUT MADIAN. Vide historiam Iudic. VII. ET SISARAE, SICUT IABIN IN TORRENTE CISSON. Vide in Iudic. IV. & V.

V. 11. IN ENDOR. Vide de hoc loco Iosue XVII. 11. id est prope Thahanacum, & aquas Megiddduntis, Iudic. V. 19.

V. 12. SICUT OREB, ET ZEB. Vide Iudic. VII. 25. ET ZEBEE, ET SALMANA. Vide Iudic. VIII. 3. & seqq. OMNES PRINCIPES EORUM. נסיכים *nesichim*, proprie *fusos*, *unctos*, *inunctos*, *ordinatos*, *inauguratos*, *præordinatos*, *duces*, *præfectos*, *toparchas*, *eorum*.

V. 13. SANCTUARIUM DEI. Varie alii ex

ex Heb. 1. *habitacula Dei*; 2. *pascua Dei*. 3. *elegantia illa tabernacula Dei*; 4. *caulas Dei*. Vide de voce נאות *neoth* in Psal. LXIV. 13. Quidam hic reddunt, *Pulchritudines*, *venustates*, *amœnitates Dei*, id est amœna, & decora rura, seu pascua Dei. Sic vocant terram Iehudæam.

V. 14. PONE ILLOS UT ROTAM. Exponunt: Id est, instabiles eos redde in loco declivi. Nonnulli Hebræorum putant inversum ordinem ita restituendum: *Pone eos ut stipulam*, *quæ velut rota circumvolvitur a vento*, & in orbem deiicitur. Alii: *Pones eos ut turbinem*, vel *ut typhonem*. Vide in Psal. LXXVI. 19. Nonnulli hic גלגל *galgbal*, cum Græcis *trochum* vertunt, quem etiam *turbinem*, seu *turben* appellant, quem Virgilius VII. AEneidos pulchre describit:

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena,
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ.

Sic Deus impios circumvolvit. Aliqui: *Pone eos velut rotam*; id est, fac, ut ipsi tamquam rotati in præceps ferantur, & sua ipsorum volubilitate ac instabilitate decidant a consiliis suis.

V. 17. ET QUAERENT NOMEN TUUM. Heb. *ut quærant*: impersonaliter sumunt, ut alibi sæpe, *ut requiratur* ab omnibus *nomen tuum*. Summus finis punitionis impiorum, gloria Dei. Sic infra vers. 19.

V.18. ET CONTURBENTUR IN SAECULUM SAECULI. Heb. *Et terreantur usque usque*. Quidam, *usque in sempiternum*. Alii; *assidue*, *magis ac magis*.

V. 19. ET COGNOSCANT, &c. Hunc versum nos verbatim ex Heb. reddidimus (*Et cognoverunt quia tu nomen tuum Ihuh ad solum te* GHELION *super omnem terram*.) Diversimode alii. I. *Et cognoscant*, *quod tu*, *cuius nomen est Iehova*, *solus tu altissimus super omnem terram*: vel, *Et cognoscant*, vel *ut experiantur*, *quod tu*, *o Iehova*, *solus es*, *& nomen tuum solum est*: *& quod solus sis altissimus supra omnem terram*; seu *quod tu*, *cuius solius nomen est Iehova*, *sis altissimus*, *&c*. Aut, *quod tu solus es nomen tuum Iehova*: *& quod sis altissimus*, &c. id est, solus es id, quod diceris, solus verus Iehova, qui præes universæ terræ. II. *Ut sciant te esse illum*, *cui soli nomen est rei respondens*, nempe Iehova: *Altissimo Domino in omnia potestatem habenti*, *per universam terram*. III. *Ut cognoscatur*, ab omnibus, ut supra vers. 17. *te*, *cui soli nomen est Iehova*, *excelsum esse supra universam terram*.

MENOCHII.

Vers. 2. DEUS QUIS SIMILIS ERIT TIBI? &c. quasi dicat: Cum nullus tibi sit similis, nec tibi in potentia conferendus, cur taces? cur te ipsum cohibes? &c. NE COMPESCARIS: ne compesce iram tuam.

V. 3. SONUERUNT, tumultuantes, & frementes contra nos, superbe, & minaciter vocem attollentes. EXTULERUNT CAPUT, superbientes contra nos.

V. 4. MALIGNAVERUNT CONSILIUM: malitiose consultaverunt, ut nos, si possint, perdant. COGITAVERUNT: callidum consilium excogitarunt. SANCTOS TUOS, populum tuum, quem tamquam rem sanctam a nullo violari permittis. In Hebr. est *absconditos tuos*, populum scilicet quem tueris, defendis, absconditus enim est, & latet sub tua tutela.

V. 5. DE GENTE: ne amplius sit gens; ne amplius quisquam audeat se profiteri ex hac gente. Vel, ut explicat D. August. Disperdamus eos de gente, id est de gentibus, ut inter gentes, sive homines amplius locum non habeant. ET NON MEMORETUR, &c. id est, ne nomen quidem Dei Israel supersit.

V. 6. COGITAVERUNT, consultaverunt, conspirarunt. UNANIMITER SIMUL (in Hebr. est *corde pariter*) summo consensu, quasi unum cor habentes. DISPOSUERUNT TESTAMENTUM: pactum, & fœdus inierunt contra te.

V. 7. TABERNACULA IDUMAEORUM, ET ISMAELITAE, Idumæi, & Ismaelitæ in tabernaculis habitantes. Idumæi populi sunt qui ab Esau trahunt originem; nam Esau etiam Edom dictus est, unde dicti Idumæi. Ismaelitæ vero populi sunt progeniti ab Ismaele filio Abrahæ ex Agar an-

ancilla. MOAB, Moabitæ, ex Moab filio Lot: Gen. XXXIX. AGARENI. Populi qui descendunt ex eadem Agar ancilla Abrahæ, sed ex alio marito, cui nupsit postquam dimissa est ab Abrahamo.

V. 8. GEBAL. Populus qui descendit a Gebal: utrum autem sit nomen viri, aut regionis, incertum est, cum hoc nomen non inveniatur in Scripturis nisi hoc loco. AMMON, Ammonitæ, ex Ammon filio Lot: Gen. XXXIX. AMALEC, Amalechitæ, populus prognatus ab Amalech, qui fuit nepos Esau, Gen. XXXVI. ALIENIGENAE, *Philistheei*, ut est in Hebræo, quos Septuag. ἀλλοφύλους, hoc est *alienigenas*, appellare solent. TYRUM, civitatem Phœniciæ.

V. 9. ETENIM, etiam: sic Psal. LXVII. 9. *Terra mota est, etenim cæli distillaverunt*: & eod. Psal. num. XIX. *Etenim non credentes*. Videtur autem habere emphasim quod dicitur, *Etenim Assur*, &c. quasi dicat, Etiam Assyrii remoti populi, qui nihil habebant commercii cum Israelitis, & a quibus nihil timendum videbatur. ASSUR, Assyrii, sic dicti ab Assur filio Sem, ut vult Iosephus l. Lib. Antiq. cap. XIV. FILIIS LOT, Ammonitis, & Moabitis.

V. 10. SICUT MADIAN. Prædicit per modum imprecationis exterminium gentium, sicut Madianitis, contra quos pugnavit Gedeon. Historia habetur Iudic. VI. & VII. ET SISARAE, qui erat princeps exercitus Iabin Regis Chananæorum quo tempore Barach, & Debbora populum Israelis iudicabant. Historiam habes Iudic. IV. & V. IN TORRENTE CISSON; de quo vide dicta Iudic. IV. 17.

V. 11. DISPERIERUNT, male perierunt. IN ENDOR; de qua civitate vide dicta I. Reg. XXVIII. 7. Locus, in quo Sisara, & Iabin perierunt. UT STERCUS TERRAE: manserunt insepulti, & putrefacti, & ita abiecti, ut calcari ab omnibus possent ut stercus.

V. 12. PRINCIPES EORUM, principes gentium Hebræis infestarum. SICUT OREB, &c. Hos quatuor Madianitarum principes cum innumerabili eorum exercitu memorabilibus præliis confecit Gedeon Iudic. VII. & VIII. OMNES PRINCIPES EORUM; id est, pone, & fac sicut Madianitarum duces omnes principes populorum qui dixerunt:

V. 13. HEREDITATE POSSIDEAMUS: tamquam hereditatem, & propriam possessionem vindicemus nobis. SANCTUARIUM DEI, civitatem Ierusalem, quæ erat Deo sanctificata ut proprium eius habitaculum.

V. 14. PONE ILLOS UT ROTAM. Hebraicum גלגל *galgal* significat quidquid rotundum est, aut orbiculare: sic cælum (ut aliqui interpretantur) appellatur rota Psal. LXXVI. 19. cum dicitur: *Vox tonitrui tui in rota*. Videtur ergo intelligere pappos, sive lanuginem illam quæ in modum orbis deposita nascitur in summo cauliculo cichoriæ, quæ cum pulchra videatur ad aspectum, facile tamen difflatur, & in nihilum abit. Ita Rabbi Salomon, quem citat Lyranus. Nec multum ab hac interpretatione distant qui גלגל *galgal*, *stipulam* interpretantur cum Rabbi David. SICUT STIPULAM, &c. Repetitio eiusdem sententiæ. Sic Psal. I. 4. de impiis dicitur: *Tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ*. Vide ibi notata.

V. 15. SICUT IGNIS, QUI COMBURIT SILVAM, &c. qui magna velocitate, & impetu silvam pervadit, & absumit. FLAMMA COMBURENS MONTES, silvosos: videtur enim esse repetitio eiusdem sententiæ. Genebrard. interpretatur de montibus sulphureis, ut sunt AEthna, & Vesuvius.

V. 16. ITA PERSEQUERIS, &c. ita illos persequetur ultio tua, quasi tempestas a te immissa. IN IRA TUA, Hebr. *in turbine tuo*. TURBABIS EOS: ita conturbabis, ut consistere non possint, nec sciant quo se recipiant.

V. 17. IMPLE FACIES EORUM IGNOMINIA: ut ignominiam & confusionem suam intelligentes verecundati resipiscant, & te quærere incipiant.

V. 18. ERUBESCANT, &c. quasi dicat: Illi vero qui flagellis non molliuntur, pudefiant, & in æternum pereant.

V. 19. QUIA NOMEN TIBI DOMINUS. Suo malo docti intelligant tibi soli nomen Domini proprie convenire. TU SOLUS ALTISSIMUS, omnes potestate superans.

TIRINI.

Verſ. 2. NE TACEAS. Chald. *ne quieſcas*, *ne ceſſes*; ſupple, iuvare nos, & adverſari hoſtibus noſtris.

V. 4. SANCTOS. De Sanctis vide Pſal. LXXVIII. verſ. 2.

V. 6. TESTAMENTUM DISPOSUERUNT, id eſt *fœdus pepigerunt*, ut vertit Hieron. & Chald.

V. 7. AGARENI populi quidam in Arabia, ab Agar matre Iſmaelis originem trahentes, Geneſ. XXI. qui poſtmodum, ut glorioſius ſibi nomen facerent, *Saracenos* ſe a Sara uxore primaria Abrahæ nominari voluerunt.

V. 8. GEBAL populus eſt Idumææ ex poſteris Eſau, Geneſ. XXXVI. 23. Ita Ianſenius. Genebrardus vult eſſe Giblios iuxta Tyrum in Syria, de quibus III. Reg. V. 18. ALIENIGENAE, id eſt *Philiſthæi*, ut Hieron. & Chald.

V. 9. ASSUR, id eſt Rex Aſſyriorum, *Sennacherib*, inquit Chaldæus. FILIIS LOT. Sunt Moabitæ, & Ammonitæ. Geneſ. XIX. 37.

V. 10. MADIAN, nempe Oreb, & Zeb, &c. quos profligavit Gedeon Iudic. VII. *Siſaran & Iabin* cecidit Barac & Debbora Iudic. IV. Quorum cadavera inſepulta computruerunt, & calcata ſunt ut ſtercora, inquit Theodoretus & Euthymius.

V. 14. PONE ILLOS UT ROTAM; id eſt, fac inſtabiles ſint, inquit ſanctus Hieronymus; & volubiles ruant ut rota in loco declivi, inquit S. Auguſtinus. Septuag. vertunt τροχόν; quaſi dicat: Torque illos continuis flagellis, ut ſolent pueri trochum torquere. Ita Genebrardus.

V. 16. IN TEMPESTATE TUA, id eſt a te excitanda contra eos.

GORDONI.

Titulus: CANTICUM PSALMI ASAPH. De hoc vide Pſal. LXXIII. & 77. nec amplius Pſalmi inſcribuntur Aſaph. Argumentum Pſalmi ad litteram eſt, ex probabili ſententia, de his quæ contigerunt tempore Machabæorum: quod ſatis colligi poteſt, ſi componas, & conferas hunc Pſalmum cum Machab. Lib. I. cap. V. Auguſtinus refert ad bella ſub Antichriſto. Ceterum ſenſu myſtico, & intentione Spiritus ſancti refertur hic Pſalmus ad Chriſtum, & Eccleſiam. Atque hæc de hoſtibus, quorum hic mentio fit, & contra quos inſtituitur hic formula precationis.

Verſ. 1. ROgat Propheta Deum in perſona populi, ne diſſimulet ſumere vindictam de hoſtibus, cum nemo ſit illi ſimilis in potentia. Hebr. אלהים אל דמי לך *Elohim al domi lach*: *Deus non ſimilitudo vel ſimilis tibi*: דמה radix, inter alia eſt aſſimilavit. Alii vertunt *ſilentium*. Pronomen lach maſculinum eſt, licet propter pauſam habeat puncta denotantia genus femininum. Certe דמי cum ſit nomen formæ ſignificat vi ſuæ radicis *ſimilem*; nec ſignificat *ſilentium*, niſi ſit a radice דום *dum*.

V. 2. & 4. SONUERUNT. Septuag. ἤχησαν. Hieron. *tumultuati ſunt*. Vox Hebr. המה deſignat ſonum inconditum, qualis eſt in tumultu. Quod eſt in verſ. 4. MALIGNAVERUNT. Septuag. habent, κατεπανουργεύσαντο dolum malignum deſignat. Conſilium hic eſt in Hebr. סוד *ſod*, quod ſignificat ſecretum, ac inde conſilium, ut conſilia ſolent eſſe ſecreta.

V. 7. TABERNACULA IDUMAEORUM, &c. Non hæreo in deſcriptione harum gentium, conſule Geographicos: item Adrichomium. Satis de ſingulis dixi ad priores libros veteris Teſtamenti. Deſcenderunt quidem ab his quos hic ſubiicio: Edom ſeu Eſau, ab Iſmaele, a Moab filio Lot, ab Agar ancilla Abrahæ (nam dimiſſa ab Abraham alium, ut obſervat Bellar. accepit maritum) a Gebal (putatur ab aliquibus nomen loci, non longe ab Idumæis) ab Ammon filio Lot. His adduntur alienigenæ (apud Septuag. ἀλλόφυλοι, ſeu Philiſthæium) Tyrii, & Aſſyrii: & tot horum gentium fuere capita.

V. 10. FAC ILLIS, &c. Rogat Propheta, ut Deus has inimicas Dei populo gentes diſperdat: quo olim modo Madianitas ſub Gedeone diſſipavit, Iudic. cap. VI. & VII. & ſicut antea Siſara Iudic. IV. quando ſub Baruch Iudice periit Siſara princeps militiæ Iabin Regis; & demum ſicut deletus eſt ipſe Iabin Rex Cha-

Chanaam in torrente, qui vocatur Cisson, citato cap. IV. & V.

V. 12. PONE PRINCIPES, &c. Regreditur ad historiam Gedeonis, qui Iudic. cap. VII. & VIII. occidit Madianitarum principes, Oreb, & Zeb, & præterea duos Reges, Zebec, & Salmana.

V. 13. POSSIDEAMUS SANCTUARIUM DEI. Septuag. *τὸ ἁγιαστήριον*. Aliqui codices *θυσιαστήριον*, *altare*. Hebr. est נאות *neoth*, quod verti potest *pulchra habitacula*, *pulchritudo Dei*. Sane habitacula Dei sunt Sanctuaria: vide rad. נוה *navah*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 1. usq. ad *6.* DEus, *quis similis erit tibi?* Nemo sane in potentia. Ergo *ne taceas*. Inimici attollunt caput contra populum tuum, ut deleant eum.

V. 6. usq. ad 10. *Quoniam cogitaverunt*, &c. Hi consilium inierunt contra populum tuum: Idumæi (ab Esau quamvis progeniti) Ismaelitæ, Moab, Agareni, Ammon, Amalech, alienigenæ, seu ἀλλόφυλοι, Philisthiim, Tyrii, & Assur Assyrii: denique Gebal, cuius in Scripturis hic tantum fit mentio. Hæ decem nationes conspirarunt contra Israel. At cum non legamus Assyrios venisse contra Machabæos, aliqui per hos Assyrios intelligunt cum Theodoreto, Samaritanos: hi enim venerunt ex Assyria, quando facta est translatio decem tribuum.

V. 10. & seq. *Fac illis sicut Madian*, &c. hoc est, facias istis decem nationibus (inquit Propheta) ut olim Madianitis. Nota est historia Iudic. VI. & VII. De Sisara Iudic. IV. Perierunt illi; sic pereant hostes populi (vel alio sensu, hostes Christi) ut olim Oreb, & Zeb, Iudic. VII. & VIII. Sic demum usque ad finem Propheta vaticinando prædicit interitum hostium, tum Machabæorum, tum alio sensu, hostium Christi, & præsertim sub Antichristo.

BOSSUET.

Vers. 2. QUIS SIMILIS... TIBI deest Heb. *Deus ne taceas: ne sileas, ne quiescas Deus*: Hier. quod est summo in discrimine laborantis, & ingeminatis vocibus festinum auxilium implorantis.

V. 3. SONUERUNT: *tumultuati sunt*; Hier.

V. 4. SUPER POPUPUM TUUM MALIGNAVERUNT CONSILIUM. *Contra populum tuum nequiter tractaverunt*: Hier. exitiosa plebi tuæ fœdera inierunt. SANCTOS TUOS, *absconditos tuos*, Heb. servos, quos protegis, quos in sinu habes.

V. 5. DISPERDAMUS EOS DE GENTE: *ut gens non sit*: Heb. Sic I. Macc. V. 2. quærebant tollere genus Iacob.

V. 6. TESTAMENTUM DISPOSUERUNT: *fœdus pepigerunt*; Hier.

V. 7. TABERNACULA IDUMAEORUM ET ISMAELITAE: MOAB ET AGARENI. Gentes Arabicæ quæ sibi mutuo ferebant opem: vulgo in tentoriis habitantes.

V. 8. GEBAL Gabala, regio Arabica secundum Stephanum: vel Idumæa, dicta Gebalena eidem Stephano, Hieronymo, & Targum Ierosolymitano, quasi montana, a voce *Gebal*, *mons*. ALIENIGENAE, Philistæi: ita passim.

V. 9. ETENIM ASSUR. *Sed & Assur venit cum illis*: Hier. Syri, II. Reg. X. 8. 9. qui & Assur dicebantur: unde Isa. LII. 4. Cum descenderet populus in AEgyptum, Assur sine causa calumniatus est eum: Syri, ut videtur, cum quibus sæpe haberent acerba dissidia & odia. FILIIS LOT, Ammonitis.

V. 10. 11. 12. FAC ILLIS SICUT MADIAN ET SISARAE, &c. Quemadmodum hi omnes populi internecione deleti sunt: Iudic. IV. VII. VIII. ita fiat hostibus David. Sic Isa. X: 26. *Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, iuxta plagam Madian in petra Oreb*; hoc est, penitus delebuntur.

V. 13. SANCTUARIUM, *pulchritudinem*, Hier. terram sanctam.

V. 14. UT ROTAM, da illos præcipites: volve ac revolve ut consistere nequeant. Sicut Abigail ad Davidem: *Anima inimicorum tuorum rotabitur quasi in impetu & circulo fundæ*: I. Reg. XXV. 29.

V. 15. COMBURENS MONTES, silvas in montibus.

V. 16. PERSEQUERIS, *persequere*, Hier.

V. 17. 18. 19. IMPLE FACIES... QUAERENT NOMEN TUUM. Perterriti ac pudefacti inimici tui quærent quis sis, & inve-

venient te esse altissimum illum Deum. Morali sensu: Peccator arguitur, corripitur, ostenditur sibi; confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem. Aug. hom. XXXIV. *Ad hoc conturbantur ut quærant nomen Domini, per quod non conturbentur*. Hic.

PSALMUS LXXXIII. CONSOLATORIUS.

Vota populi Ierosolymas ad festa solemnia ex omnibus terræ sanctæ finibus summa lætitia properantis. Ad ea tempora pertinet quibus altaria, tabernaculum, arca ipsa uno in loco collocata erant: vers. 1. 4. 5. 8. *quod ante Salomonem non contigit, cum ipse Salomon initio regni sacrificaturus ad Gabaon perrexerit, ubi altare æneum & tabernaculum fœderis, II. Paral.* 1. 3. 5. *arca pridem in Sion a Davide translata, ibid.* IV. *Hic autem omnia visebantur simul ac domus Dei una cum ministeriis Levitarum omnibus numeris absoluta vers.* 2. 5. 11. *quæ sane per Davidem designata, per Salomonem impleta sunt. II. Paral.* VIII. 14. *hæc igitur concupiscebant, ac sub horum specie Ecclesiam, eiusque mysteria: cælum denique ipsum & verum Sanctuarium non manufactum, quorum ista sacramenta sunt. Hic Psalmus conferendus cum* XLI. *Coritis æque ad canendum dato.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori pro torcularibus, filiorum Core Psalmus.

Quam dilecta tabernacula tua Domine exercituum!
Desiderat & deficit anima mea in atria Domini: cor meum & caro mea laudabunt Deum viventem.

Siquidem passer invenit sibi domum, & avis nidum sibi, ut ponat pullos suos: altaria tua Domine exercituum, Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua. Adhuc laudabunt te. Semper.

VERSIO VULGATA.

In finem,
1. Pro torcularibus filiis Core, Psalmus.

2. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! 3. concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.
Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

4. Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

5. Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.
Bea-

Beatus homo cuius fortitudo in te est: semitæ In corde eius.

Transeuntes in valle fletus, fontem ponent eam: benedictione quoque amicietur doctor.

Ibunt de fortitudine in fortitudinem: parebunt apud Deum in Sion.

Domine Deus exercituum exaudi orationem meam: ausculta Deus Iacob. Semper.

Clypeus noster vide Deus, & attende faciem Christi tui.

Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia: elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impietatis.

Quia sol & scutum Dominus Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus: nec prohibebit bonum ab iis qui ambulant in perfectione.

Domine exercituum: beatus homo qui confidit in te

6. Beatus vir, cuius est auxilium
abs te? ascensiones in corde suo di-
sposuit, 7. in valle lacrymarum in lo-
co, quem posuit.
8 Etenim benedictionem dabit legis-
lator, ibunt de virtute in virtutem:
videbitur Deus deorum in Sion.
9. Domine Deus virtutum exaudi o-
rationem meam: auribus percipe Deus
Iacob.
10. Protector noster aspice Deus: &
respice in faciem Christi tui:
11. Quia melior est dies una in atriis
tuis super millia.
Elegi abiectus esse in domo Dei mei:
magis quam habitare in tabernaculis
peccatorum.
12. Quia misericordiam, & verita-
tem diligit Deus: gratiam, & gloriam
dabit Dominus.
13. Non privabit bonis eos, qui am-
dulant in innocentia: Domine virtu-
tum, beatus homo, qui sperat in te.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. PRO TORCULARIBUS. Hebr. על הגתית, ut Psalmo VIII.

V. 4. ET TURTUR SIBI NIDUM, UBI PONAT PULLOS SUOS. Appositio; quasi dicat: Passeribus licet habitare in templo tuo, mihi autem non licet. Hunc enim Psalmum David composuit, dum propter Saulem fugitivus esset, aut de illo filii Corach Aut est aposiopesis, quasi dicat: Altaria tua non licet mihi attingere.

V. 6. BEATUS VIR CUIUS EST AUXILIUM ABS TE. Heb. *cuius est fortitudo in te*, id est qui in te solo confidit: *&* (beati) *in quorum corde* (sunt) *semitæ* (tuæ) aut quæ ducunt ad templum tuum; id est, qui semper cogitant de itione ad templum tuum; vel qui nihil aliud magis faciunt quam ire ad templum tuum, & redire.

V. 7. IN VALLE LACRYMARUM, &c. Hebr. *Transeuntes per vallem mori, fontem facient eam, etiam cisternas opplebit pluvia*; id est, beati sunt qui tanta multitudine, tamquam longis itineribus, eunt ad templum Dei, ut transeuntes per vallem aridam, ubi non sunt nisi mori. fodiunt in ea fontes & cisternas, ut transeuntes bibant. *Ibunt de exercitu in exercitum*, id est turmatim, agminatim, *ut videatur* (ab eis) *Deus Deorum in Sion*.

V. 11. ELEGI ABIECTUS ESSE. Hebr. *diversari in limine domus Dei*, ut ait R. David.

V. 12. QUIA MISERICORDIAM ET VERITATEM DILIGIT DEUS. Heb. *Sol & scutum*, id est Deus. Septuag. *ὅτι ἔλεος καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος*.

SA.

SA.

De desiderio Dei.

Vers. 1. PRO TORCULARIBUS, id est iis qui tribulatione premuntur. Chald. *in citbara allata de Gath*, scilicet cantandus. FILIIS CORE, scilicet datus ad cantandum.

V. 2. DILECTA, id est amabilia, seu suavia. TABERNACULA: cælestia, vel pro tabernaculum, a quod David aberat: VIRTUTUM. Hieron. *exercituum*.

V. 3. DEFICIT, scilicet præ desiderio. COR MEUM, ET CARO, id est anima & corpus. EXULTAVERUNT, id est exultando optant. Hieron. *laudabunt*.

V. 4. ETENIM PASSER, &c. quasi dicat: Habent passeres quod ego tantopere opto. NIDUM, scilicet prope altare. TURTUR. Hieron. *avis*. ALTARIA; pro nempe altare.

V. 6. ASCENSIONES, scilicet per virtutes ad te; quasi dicat: Id cogitat sedulo, quo modo ad te possit pervenire.

V. 7. QUEM POSUIT, scilicet illi Deus; vel ipse sibi constituit in quo degeret; vel quasi dicat, in quo positus est.

V. 8. BENEDICTIONEM, id est dona. DABIT, scilicet legem servantibus. DE VIRTUTE, &c. Hieron. *fortitudine in fortitudinem*; quasi dicat: Fient in dies fortiores. SION, scilicet cælesti.

V. 10. RESPICE, &c. quasi dicat: Fave mihi, quem in Regem unxisti: vel potius, Nostri per Christum filium tuum miserere. MILLIA, scilicet alibi.

V. 12. QUIA, pro certe. VERITATEM, scilicet qua reddit promissa: August. GRATIAM, scilicet hic. GLORIAM, scilicet in futuro.

V. 13. BONIS. Chald. *beatitudine*. INNOCENTIA. Hieron. & Chald. *perfectione*. VIRTUTUM, id est exercituum. SPERAT. Hieron. & Chald. *confidit*.

ESTII.

Vers. 4. ETENIM PASSER INVENIT SIBI DOMUM, ET TURTUR NIDUM SIBI, UBI PONAT PULLOS SUOS. Ad litteram videtur hic esse sensus: Passer, & turtur, sive hirundo, ut alii vertunt; id est, aves, quæ libere huc atque illuc vagantur, tamen postquam volaverint, habent domos suas, id est nidulos, in quibus requiescant, & reponant pullos suos: Quanto magis ergo anima mea, & caro mea debent sibi locum requirere, & præparare, ubi requiescant. Is autem locus in quo anima mea requiescere possit, non est alius, quam templum tuum, & tabernacula tua, id est cœtus sanctorum, & Ecclesia Dei.

Mystice in passere commendatur solitudo contemplationis, iuxta illud Psal. CI. *Sicut passer solitarius in tecto*. In turture, castitas conversationis. Significatur ergo, quod potissimum per hæc duo, videlicet rerum divinarum contemplationem, & vitæ puritatem homo huc consequatur, ut aliquando ingrediatur in æterna tabernacula, de qua habitatione subiungitur, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

V. 8. ETENIM BENEDICTIONEM DABIT LEGISLATOR, IBUNT DE VIRTUTE IN VIRTUTEM, VIDEBITUR DEUS DEORUM IN SION. Duo nobis legislatores commendantur in Scriptura sacra, sicut duæ leges. Est enim lex vetus, & lex nova. Veteris legislator est Moyses, novæ autem legislator Christus. Sed hoc discrimine, quod Moyses bonam quidem legem tulit, utpote divino ore allatam, sed benedictionem dare non potuit, qua fieret, ut lex illa impleretur. Christus simul cum lege gratiam & benedictionem attulit, qua lex eius impleretur. Immo Septuaginta habent εὐλογίας, id est *benedictiones*, quasi multiplices. Unde sequitur: *Ibunt de virtute in virtutem*, ubi pro *virtus*, Græce est δύναμις, id est *potentia*, & Hebr. *fortitudo*, vel turma. Unde hic ad litteram non intelligitur virtus moralis. Sed sensus est: Ibunt de fortitudine in fortitudinem, vel, ibunt turmatim, quod etiam ad fortitudinem pertinet. Tamen quia fortitudo fidelium consistit in animo, non in corpore, hinc recte ex consequenti quoque intelliguntur virtutes morales. Fideles enim accepta benedictione legislatoris, paulatim proficientes de virtute in virtutem, tamquam in fortitudine ambulantes, tandem perveniunt ad domum Dei, & æterna tabernacula; in quibus videbitur Deus deorum in Sion, non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem.

V. 11. ELEGI ABIECTUS ESSE IN DOMO DEI MEI, MAGIS QUAM HABITARE IN TABERNACULIS PECCATORUM. Ad litteram abiectus esse aliquis poterat in domo Dei, id est in tabernaculo, vel templo veteri, velut ostiarii, aut scoparii, aut ligna & aquam portantes, ut Gabaonitæ; at in domo Dei æterna & cælesti, de qua propriissime verum est illud huius Psal. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*; nemo abiectus, nemo contemptibilis est; sed sunt omnes magni pisces, omnes Reges, & Sacerdotes. Itaque hic versiculus de regno cælesti sic erit accipiendus. Si fieri posset ut in domo illa cælesti sit quisquam contemptibilis, talis ibi malim esse, quam primas tenere, & amplo esse loco inter peccatores.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FINEM, PRO TORCULARIBUS FILIIS CORE, PSALMUS. Psal. LXXX. est similis titulus. Solum addam, pro *filiis Core*, verti ex Hebr. posse *filiorum Core*: nam fuisse eos auctores Psalmi huius quidam volunt. Ab exilio ad templum, sive cælestes sedes aspirat.

V. 2. DOMINE VIRTUTUM. Hebr. *exercituum*. ET DEFICIT ANIMA MEA: præ desiderio scilicet tabescit.

V. 3. IN ATRIA. Sic templum vocat, in quo varia atria erant. COR MEUM, ET CARO MEA, anima, & corpus, EXULTAVERUNT, iubilant, in has voces prorumpunt, Deum videndi cupiditate, & spe.

V. 4. ETENIM PASSER. Hebr. *Etiam passer*. INVENIT SIBI DOMUM, id est nidum, in templo scilicet. ET TURTUR. Hebr. *hirundo*: & sane turtur intra domos non ædificat nidum. ALTARIA TUA: scilicet inveniunt ubi nidos faciant. *Altaria*, pro templo.

V. 5. BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA DOMINE, in templo tuo. IN SÆCULA SAECULORUM. Heb. *adhuc laudabunt te*; sed vox *adhuc*, pro longo tempore: sic Kimhi. Nimirum dum vivunt, laudabunt te.

V. 6. BEATUS VIR, CUIUS EST AUXILIUM ABS TE. Hebr. *robur ei abs te*; id est, cui per te, & te concedente licet. ASCENSIONES IN CORDE SUO DISPOSUIT; id est, vult ad templum ascendere. Erat Ierusalem in loco edito: eo euntes *ascendere* dicebantur. Hebr. *semitæ altæ* (iter) *in corde ipsorum*, pro ipsius: scilicet constituit ad templum ire.

V. 7. IN VALLE LACRYMARUM. Nomen erat vallis, qua ibatur eo, dictæ בכא *Bacha*, sive *a fletu*, sive *a moro*, utrumque vox significat: quod moris consita esset, aut quia via aspera erat, dicitur *vallis fletus*, seu *lacrymarum*. IN LOCO, QUEM POSUIT, id est per quem ire disposuit: aut *in loco* εἰς τὸν τόπον, quem posuit Deus (pro in locum) scilicet ire vult. Hebr. *fontem posuit illum*. Erat vallis arida; ille tamen homo, de quo loquitur, ac si tota esset fons, avide iter arripuit. Septuag. haud dubium pro מעין *mahian*, legere מקון *makon*, aut מעון *mahon*, id est pro *fonte*, *locum*.

V. 8. ETENIM BENEDICTIONEM DABIT LEGISLATOR. Hieron. *Doctor*; id est, qui id præcepit, aut inspiravit, is favebit in eo itinere. Hebræi aliter multo: *Piscinas operiet pluvia*; id est, ita se geret viator ille, ac si ea tota vallis esset fons, & cisternæ plenæ aqua essent. Voces Hebraicæ utramque versionem admittunt, propter ambiguam eorum significationem.

V. 10. PROTECTOR NOSTER ASPICE DEUS. Hebr. *Clypee noster*. IN FACIEM CHRISTI TUI. Hebr. *Faciem Messiæ tui*. Christi dignitatem & merita intuere, per quem concede quæ petimus. Aut si David Psalmum composuit, loquitur de se: *Respice faciem uncti tui*; id est, illi concede, annue postulatis, eius lacrymis flexus.

V. 11. SUPER MILLIA; id est, una dies in templo tuo bona est plusquam mille dies, id est multæ alibi transactæ. ELEGI ABIECTUS ESSE. Hebr. *ad limen morari*, scilicet malo, *templi*, quam habitare in domibus peccatorum.

V. 12. QUIA MISERICORDIAM, ET VERITATEM. Septuag. relictis verbis sententiam posuere. Hebr. *Quia sol, & clypeus Dominus*; id est, lux vitæ est, & suorum propugnator. GRATIAM, ET GLORIAM DABIT DOMINUS. Gratiam in hac vita, in futura gloriam.

V. 13. NON PRIVABIT BONIS; id est, non negabit, sed potius bona innocentibus omnia concedet.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRO TORCULARIBUS. Heb. *ſuper* גתית *ghittith*. Vide in Pſal. VIII. verſ. 1. Putant veriſimile eſſe, hunc Pſalmum eſſe Davidis arcam ducentis Ieruſalaima. Vide Notas in Pſal. VIII. verſ. 1.

V. 2. QUAM DILECTA TABERNACULA TUA! Alii: *Quam amabilia ſunt tabernacula tua!* Laus Eccleſiæ viſibilis & aſpectabilis, id eſt cœtus fidelium.

V. 3. CONCUPISCIT, ET DEFICIT ANIMA MEA, &c. Totum verſum nos verbo tenus ex Hebr. convertimus (*Deſiderio affecta fuit & etiam conſummata fuit anima mea atriis* IHUH: *cor meum, & caro mea: gratulatorie acclamabunt ad El viventem.*) Alii dilucidius. I. *Concupiſcit, & deperit anima mea atria Domini: cor meum, & caro mea geſtiunt ad Deum vivum.* II. *Sic amore capiebatur, ut vix eſſet apud ſe anima mea, quoties mentio fiebat atriorum Domini: cor meum, & caro mea præ gaudio exſiliebant ad nomen Dei vivi.* III. *Ardet, & etiam deperit anima mea ad atria Iehovæ: cor meum, & caro mea clamant ad Deum vivum.* IV. *Deſiderio-afficitur, etiamque deficit anima mea veniendi ad atria Iehovæ: cor meum, & caro mea exclamant deſiderio veniendi ad Deum fortem viventem.* Coacervatio verborum, & hyperbole exponit ſingularem affectum, & ſenſum quem habebat in animo ſuo.

V. 4. ET TURTUR. דרור *deror*, Hebræi, & noſtri aiunt eſſe *hirundinem*, ſic dictam a libertate, quod libertatem habet nidificandi in hominum ædibus: & quia libere & confidenter in domo ſicut in agro habitat: vel quod ſine corte, ſine diſciplina, vaga volandi libertate gaudet: nec enim ut aliæ aves cortibus, aut caveis includitur. LXX. forſan conſimilem ſpeciem poſuerunt, aut legerunt תור *tor*. Notant eſſe hoc verſu argumentum a comparatione minoris. Paſſeribus, inquit, hirundinibuſque niduli in domibus humanis conceduntur, etſi nihil ad homines attinent; me autem, qui ſervus ſum tuus, & membrum Eccleſiæ tuæ, quanto indignius eſt a domo tua abeſſe procul? ALTARIA TUA DOMINE. Quidam exponunt, *nempe, videlicet, altaria tua*; quaſi dicat: Collocant hæ aviculæ nidos ſuos iuxta altaria tua, Domine: nam nidificare ſolent in domibus. Quidam iſtud de altaribus, quæ paſſim ante exſtructum templum ædificabantur, intelligunt, quæ vocabantur *Excelſa*: nam in tabernaculo Moſis, inquiunt, nidulari non potuiſſent; ſed & in tabernaculis domeſticæ hæ aviculæ interdum nidificant. Alii volunt eſſe exclamationem patheticam, & apoſiopeticam ex abrupto; quaſi dicat: Altaria tua Domine quando inviſum? vel quam ardet anima mea! aut quid ſimile.

V. 5. BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA, &c. Notant, hic proponi exemplum commune piorum, quorum felicitas in domo, extra domum in itinere, etiam cum res adverſæ obveniunt, prædicatur. *Habitant in Domo tua.* Exponunt, id eſt ut ſacerdotes, & levitæ ſacrorum adminiſtri. IN SAECULA SAECULORUM LAUDABUNT TE. Quidam reddunt, *qui adhuc laudant te.* Alii, *perpetuo laudabunt te.* Adiicitur hic *ſelah*; id eſt, 1. *In æternum*; 2. *Ita res habet.* 3. *Summe*; 4. O quam dulce & ſalutare eſt laudare Deum!

V. 6. BEATUS VIR CUIUS EST AUXILIUM ABS TE, ASCENSIONES IN CORDE SUO DISPOSUIT. Noſtra Translatio verba ipſa Hebraica ordine reddidit: *Beatitudines hominis obfirmatio ei in te: ſtratæ viæ in corde eorum.*) Alii plurifariam. I. *Beatitudines hominis, cui fortitudo ipſi in te eſt: elevationes erunt in corde eorum*; id eſt, habent homines pii corda elevata in Deum, non depreſſa ad terrena. II. *Beatus homo cuius fortitudo in te eſt, laudationes in corde eorum*: alii *ſemitæ, viæ, ſtratæ, actus*. III. *Felices illi homines quorum robur in te ſitum eſt*; quaſi dicat: Beati, qui ſtatuunt ſe ituros ad templum tuum, nulla habita ratione ſuarum virium; id eſt, quantumvis ſint corpore morbido, vires a te expectantes, & a te pendentes: *in quorum cordibus ſemitæ tuæ ſunt*; id eſt, quibus cordi eſt ire ter in anno ad tabernacula tua. IV. *O beatos, quorum robur tu es, in quorum cordibus exaltationes tuæ,* ſeu *laudes tuæ ſunt.* V. *Felix ille homo, qui tuo beneficio fortis eſt: ſemitæ enim ſunt eleganter ſtratæ in corde illius, per quas eunt ad ipſum uſque animum divinitus inſpiratæ vires.* VI. *Beatus homo, cui facultas eſt in te, ſemitas tuas inſiſtendi ex ani-*

mi sui sententia; id est, o felices eos quibus aditus in Ecclesiam, ut mihi, non interclusus est, sed per te patet libere. Hebræi hunc versum allegorice capiunt: Beati illi qui te nituntur, in quorum animis sunt viæ seu rationes ad te perveniendi.

V. 7. & 8. IN VALLE LACRYMARUM, &c. Multifariam ex Hebræo vertunt. I. *Transeuntes in valle fletus, fontem ponent illam: etiam benedictionibus amicietur doctor*; id est, qui se animadverterint transgressos fœdus cum Deo, abunde flebunt, adeo ut fontem lacrymarum profundant: quin & Doctores Ecclesiæ magnis benedictionibus ornabuntur a Deo. II. *Transeuntes vallem fletus, fontem ponent eam: etiam cisternas pluvia replebit*; quasi dicat: Hi quidem iter facientes ad tabernacula tua per loca arida & sitientia, qualis est Vallis fletus, in his puteos fodiunt, & cisternas ad colligendam aquam pluviam, ut commoditate itineris homines magis incitentur ad frequentandam ædem Dei. III. *Transeuntes vallem Mori arboris*, id est loca alioquin arida & siticulosa, *fontibus abundantem reddent eam: etiam piscinas replebit pluvia*; quasi dicat, adituros tabernaculum Domini, non laboraturos in itinere penuria aquarum: nam etiam in locis aridis habituros aquas aut e fontibus, aut e cisternis. IV. *Qui transeuntes per vallem mori, fontem constituunt eum: quos etiam benedictionum operit pluvia*; id est, felices illos qui etsi difficiliore itinere utuntur, tamen ad Ecclesiam Dei pervenire contendunt: nam si coguntur siticulosa loca (ut erat vallis Mori II. Samuel. v. 23. & 24) peragrare; nihilominus recreantur consideratione fontis divini, ad quem contendunt: & similiter quamvis pluvioso cælo, lætantur tamen, quia libere possunt Deum accedere; quasi dicat: Mihi non esset grave etiam Lybicas solitudines peragrare, aut subire imbres vehementissimos, modo Deum adire possem. Illud vero, *Quos etiam benedictionum operit pluvia*, id est quæ immittitur ad communicandam cum terra benedictionem Dei, & fecundat eam. V. *Cum enim in lacrymarum valle proficiscuntur, vice fontis eis utuntur: & dux ipse gratulationibus ornatur*. VI. *Obambulant qui tales sunt assidue, velut in valle limpidissimis plena fontibus, e quibus quantum libebit, bibent: ipse vero qui divinam hanc philosophiam aliis impartit, Doctor omni ex parte divinis muneribus exornabitur*. Buchananus.

> .... *per aridas*
> *Valles fontes amœni*
> *De rivis liquidis bibent:*
> *Nec deerit pluviæ, quæ repleat cavas*
> *Fossas, agmen aquæ*.

Bochius:

> *Quos licet in sicca sitibundos carpere valle*
> *Cum lacrymis contingat iter, salientibus undis,*
> *Ad votum irrigui præbebunt pocula fontes:*
> *Effusoque cavæ stillabunt imbre lacunæ*.

IN VALLE LACRYMARUM. Heb. *in valle Bacha*. Plerique, *in valle Mori*: putantque eum esse ipsum locum, cuius fit mentio II. Samuel. v. 23. & 24. quod vallis esset moris abundans, & forte arida ac siticulosa: quod sane nobis aptissimum videtur; ut sit nomen proprium ex appellativo factum. Alii, *in valle fletus*, ut sit in בכא *bacha*, Aleph pro He, ut hæ litteræ passim inter se permutantur. Quidam nomen proprium loci existimant, eum ipsum de quo Iudic. II. 1. & 5. Aliqui metonymice *vallem fletus* interpretantur, quod transeuntibus ob ariditatem, fletum excitet: vel *vallem decursus*, seu *fluxus aquæ currentis*: ut ea vox sumitur Iob XXVIII. 11. IN LOCO, QUEM POSUIT. LXX. videntur legisse מעון *magbon*, cum Var, *locum*, *habitaculum*; modo legitur cum Iod, מעין *magbian*: *fontem ponent eum*. ETENIM BENEDICTIONEM ברכות *beracboth*, *benedictiones*: plerique sumunt pro ברכות *berecboth*, posito *Cametz*, pro *Tzeri*, *Piscinas*, *Cisternas*, *Fossas*, *natatorias*. DABIT. יעטה *iagbteb*, intransitive, *obtegetur*, *operietur*, *obvelabitur*, *amicietur*, *vestietur*; vel transitive, *obteget*, *operiet*, *obvelabit*, &c. LEGISLATOR. מורה *moreb*, notum est *pluviam*, & *doctorem* significare, a ירה *iarah*, *iacere*, metaphorice: quod ut pluvia distillat in terram, eamque recreat & fecundat; sic doctrina & institutio instillatur in animum, eumque instituit & format, ut sub eodem nomine *pluvia*, & *doctor* significetur, quod alia lingua non potest assequi. Hinc natæ variæ interpretationes: 1. *Etiam benedictionibus operietur*, *amicietur*, *doctor*: 2. *Etiam piscinas operiet pluvia*: 3. *Etiam benedictionibus ornabit doctorem*:

ctorem: 4. *Etiam benedictionibus operiet doctor*, vel *pluvia*, quæ benedictionem infert terræ. Qui garriunt contra leges, Grammaticas, veterumque auctoritatem hic *moreh* verti *pluviam*, refelluntur doctissimorum Hebræorum iudicio, & Vulgati Interpretis auctoritate, qui Ioelis II. vers. 31. *Imbrem* exposuit. Nos reddidimus: *Etiam benedictionibus involvet, involabit, obteget, operiet, pluvia*, scilicet transeuntes in loco sicco refrigerans, & recreans, seu ipsam terram fecundans. IBUNT DE VIRTUTE IN VIRTUTEM. Numero interpretationes. I. *Ibunt de fortitudine ad fortitidinem*. II. *Eunt de turma ad turmam*, vel *de caterva ad catervam*, seu *de cumulo ad cumulum*; id est, ibunt turmatim. III. *Ibunt de exercitu in exercitum*. IV. *Ibunt de robore in robur*; id est, neque vero longitudine viæ fatigantur; sed ob singularem animi alacritatem inter eundum magis ac magis vigent. V. *Pergent de strenuitate ad strenuitatem*, id est de victoria ad victoriam. VI. *Qui pergunt ab acie in aciem*; id est, a cœtu uno sacro ad alterum quotidie abeunt ad exercendum publicum cultum Dei: metaphora a re militari. VII. *Transeunt de opulentia in opulentiam*, seu *de copiis, facultatibus, opibus, in copias, facultates, opes*; hoc est, opulentissimi fiunt. VIII. *Ibunt de doctrina, in doctrinam*, vel *de academia in academiam*; id est, crescet eorum doctrina. IX. *Incrementa virtutum quicumque sunt tales assidue magis ac magis accipiunt*. X. *Ibunt de successu in successum*; id est, prosperos successus habebunt. Buchananus:

.... dum properat prement
Turmam, turma.

Montanus:

Ex turma in turmam venient.

Bochius:

Tum magis atque magis turmatim viribus aucti
Incedent.

Varietas interpretationum non confusionem, aut obscuritatem parit, ut scioli volunt; sed lucem & fecunditatem divinorum verborum ostendit. VIDEBITUR DEUS DEORUM IN SION. Hebr. *Videbitur ad Deum in Tziione*. Varie alii. I. *Apparebit ad Deum in Sione*; id est, quisque eorum, vel quælibet turma apparebit in loco templi cultum exhibendo, gratias agendo, &c. II. *Donec conspiciatur quisque eorum ante Deum in Sione*; id est; donec adeat Deum in templum, ubi est præsentia Dei. III. *Pergunt ab acie ad aciem compariturum apud Deum in Tziione*, ex lege Exodi XXIII. 17. & Deuteron. XVI. 16. *in Tziione*, ubi tum cultus Dei fuerat institutus, cum Psalmum hunc exararet David & præcedentis suæ calamitatis documentum traderet Ecclesiæ Dei.

V. 9. DOMINE DEUS VIRTUTUM. Tria nomina Dei *Iehveh*, *Elohim*, *Tzebaoth*, proculdubio innuunt mysterium sacræ Triadis: ut Psal. LXXIX. 5. AURIBUS PERCIPE DEUS IACOB. Additur *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita fiat*; 3. *Maxime*; 4. O quantum interest Deus suas nobis aures advertere!

V. 10. ET RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI. Hebr. *Et intuere faciem Christi tui*. Exponunt; id est, cum meam faciem, misertus mei, quem unxisti Regem, I. Samuel. XVI. tum Filii tui æterni Iesu Christi, quem unxisti Prophetam, Sacerdotem, & Regem piorum omnium, & in quo existit huius regni typici veritas. Alii: *Et clementer respice faciem supplicantis Christi tui*. Aspice vultu placido servum tuum supplicem, quem tu unxisti in Regem populi tui.

V. 11. QUIA MELIOR EST DIES UNA IN ATRIIS TUIS SUPER MILLIA. Hebr. *Quia bonus dies in atriis tuis præ mille*. Quidam: *Quia melior est dies unus in atriis tuis, quam alibi mille*. Alii, *quam mille*; supple, in tentoriis improbitatis; quod ἀπὸ κοινοῦ repetendum est ex fine versus. *In atriis tuis*, id est in tabernaculo, in templo, in Ecclesia, in cœtu piorum. ELEGI ABIECTUS ESSE IN DOMO DEI MEI. Hebr. *Elegi liminare me facere in domo Dei mei*. Verbum factum est a limine; quasi dicas *liminare*, sedere, desidere, manere ad limen, custos esse liminis, excubare ad limen, ostiatius esse, in Domo Dei. Ostiarii munus olim vilium personarum erat, ac præcipue servorum. Vide Satiricon Petronii pag. 73. & 74. & in eum Animadversiones Ioannis a Wou Weten. Quasi dicat: Malo vilissimum quodque ministerium vel in catena in domo Dei obire. Aliqui reddunt: *Elegi postrema occupare in domo Dei mei*. Nonnulli: *Eligo frequentare limen in domo Dei mei*,

mei, id est versari in Ecclesia, synecdochice, & ite de cœtu in cœtum, supra vers. 8. QUAM HABITARE. מדור *middor, quam habitare, peregrinari, perdurare, ordinatam ætatem agere, versari*. IN TABERNACULIS PECCATORUM. Hebr. *in tentoriis improbitatis*, vel *impietatis*. Exponunt quasi dicat: Malim esse postremus in Ecclesia tua, quam primus in Ecclesiis impiorum! Alii, *in tentoriis improbitatis*, id est extra Ecclesiam, ubi nulla est sanctimonia & bonitas. Possis reddere, *in tentoriis perturbationis, seditionis, inquietudinis*, ut sunt omnia impiorum.

V. 12. QUIA MISERICORDIAM, ET VERITATEM DILIGIT DOMINUS. Heb. *Quia sol, & scutum est Iehveh*. Quidam exponunt, id est auctor illustrium bonorum, & gloriæ, ac omnis mali propulsator, ut sequentia verba explicant. Alii: Nam lux humanæ vitæ, ac propugnator securissimus est nobis Iehova. NON PRIVABIT BONIS EOS QUI AMBULANT IN INNOCENTIA. Varie alii ex Heb. I. *Non prohibebit bonum ambulantibus in perfectionibus*. II. *Non prohibebit bonum ambulantibus perfecti*. III. *Nec avertit bonum ab his qui ambulant per perfectam viam*. IV. *Nec retrahit bonum ab his, qui ambulant in sinceritate, vel perfectione*. V. *Nullo bono destituit eos qui in integritate ambulant*, seu integre vivunt. VI. *Non poterit non facere benignitatis suæ participes eos qui ambulant simpliciter*. VII. *Non cohibet bonum*, sed arcet, propulsat, atque defendit a malo, tamquam scutum: *ab ambulantibus in integritate*, id est qui non tantum corpore versantur in cœtu Ecclesiæ, sed re ipsa, corde, veritate ex Ecclesia sunt. Buchananus:

Nec puro scelerum umquam claudit munificam manum.

V. 13. DOMINE VIRTUTUM, BEATUS HOMO QUI SPERAT IN TE. Quidam convertunt: *O Iehova exercituum, beatus homo qui fiduciam habet in te*. Conclusio epiphonematica, qua statuit, utcumque mi- sere eiectus sit, aut in posterum per Dei voluntatem agitandus; se tamen, etsi absentem corpore, animo tamen, & fide præsentem, cum Deo, & Ecclesia communicaturum: ut supra Psal. XLI. & XLII.

MENOCHII.

Vers. 1. PRO TORCULARIBUS. Vide dicta ad tit. Psal. VIII. FILIIS CORE. Vide dicta ad tit. Psal. XLI.

V. 2. DILECTA, amabilia, desiderabilia, &c. TABERNACULA TUA, tabernacula cælestia, vel tabernaculum in quo requiescebat arca, & a qua aberat David. VIRTUTUM, exercituum.

V. 3. DEFICIT, præ desiderii vehementia: expetit summo desiderio usque ad animi defectionem. ATRIA DOMINI, sacraria, in quibus oratur Deus. COR MEUM, ET CARO; quasi dicat, Anima, & corpus. EXULTAVERUNT: exultando optant, iubilant, vociferantur cum gaudio ad Deum. VIVUM. Epithetum Dei veri, propter idola, quæ mortua sunt, id est carentia spiritu, & potestate.

V. 4. ETENIM PASSER, &c. quasi dicat: Deteriore sum conditione quam aviculæ: illis enim patet aditus ad altaria tua, adeo ut in vicinis etiam tectis nidulentur, cum mihi propter exilium ad ea accedere non liceat. Explicando autem de cælestis patriæ desiderio, sensus erit, quasi dicat: Interim dum differtur possessio cælestium tabernaculorum, consolor me quod nidulum in terris invenerim, hoc est altare tuum, quo mihi cælestia repræsento, in quo quasi tibi assistens acquiesco.

V. 5. QUI HABITANT IN DOMO TUA, in cælis, vel iuxta tabernaculum; nam utrobique iugis Dei laudatio exercetur.

V. 6. CUIUS EST AUXILIUM ABS TE: qui in te locat spem suam. ASCENSIONES in templum in monte positum, vel in cælum, qui statuit semper progredi, & ascendere in via virtutis, quæ ducit ad cælum. IN CORDE SUO DISPOSUIT, meditans ex animo in domum Dei ascendere.

V. 7. IN VALLE LACRYMARUM, quamdiu est in hoc mundo flebili, & luctuoso. IN LOCO, QUEM POSUIT: quem locum lacrymabilem sibi posuit, homo scilicet, qui sua culpa e paradiso excidit. Vel usque ad locum quem illi paravit Deus, id est cælum.

V. 8. BENEDICTIONEM DABIT LEGISLATOR. Deus, qui legem dedit, & illam servari voluit, etiam gratiam dabit, cuius auxilio eam adimpleamus. Vel eum qui de-

desiderio ad templum ascendendi tenetur, suis benedictionibus, & beneficiis augebit Dominus. IBUNT DE VIRTUTE IN VIRTUTEM, de robore in robur: in dies fient potentiores, & valentiores. VIDEBITUR DEUS DEORUM IN SION: sistet se in Sion terrestri, aut potius cælesti; & ibi non iam tabernaculum, aut arcam, sed ipsum Deum videbit.

V. 10. RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI. Christi Domini faciem respice, quæ te nobis placare potest: exaudi nos pro ipsius Christi reverentia: per Christum tuum nos aspice.

V. 11. SUPER MILLIA: plusquam mille dies etiam felicissimi extra tabernacula tua. ABIECTUS ESSE IN DOMO DEI. Malo vile aliquod ministerium exercere in tabernaculo tuo, quam splendide habitare, & tractari in peccatorum palatiis. In Hebr. est: *Elegi esse in limine in domo Dei mei*; quasi dicat: Satis mihi est, si modo pedem inserre possim in tabernacula Domini, & in ipso limine consistere. QUIA MISERICORDIAM, ET VERITATEM DILIGIT DEUS. Hebræus habet: *Quia sol, & scutum est Dominus Deus.* Vulgatæ sensus est: Volo Deo famulari, quia bonus est Dominus, benignus & misericors, fidelis etiam in iis quæ promittit: nam & gratiam nobis in hac vita largitur, & postea etiam cæli gloriam: non ut homines, quorum plerique immites sunt, & moribus innumanis, qui multa sibi famulantibus pollicentur, sed pauca præstant. NON PRIVABIT, fraudabit. QUI AMBULANT IN INNOCENTIA, corde sincero, & probatis moribus. VIRTUTUM, exercituum.

TIRINI.

Vers. 3. COR, anima, ET CARO, corpus; id est, totus ego exultans gestio ad Deum pervenire, eiusque præsentia frui.

V. 4. PASSER ... ET TURTUR. Hebr. *birundo*; Hieron. *avis*, in genere; quasi dicat: Ego deteriore conditione sum quam aviculæ: his enim patet aditus ad templum & altaria tua, quia iuxta illa nidulantur.

Tropologice *passer* sunt contemplatores; *turtur* casti. Ita S. Hieronymus. ALTARIA TUA; supple, & ego suspiro, ac pro domo, & nidulo meo requiro.

V. 6. & 7. ASCENSIONES, id est vias vel semitas ad ascendendum. Alludit ad ascensum in templum, quod situm erat in monte; quasi dicat: BEATUS qui IN CORDE SUO, semitas variarum virtutum, compunctionis, humiliatis, fiduciæ, caritatis, *disponit*, quibus paulatim ascendat ad cælestem domum Dei, dum adhuc degit IN HAC VALLE LACRYMARUM, nempe LOCO, QUEM Deus ad id POSUIT, seu destinavit. Ita S. Augustinus. E contra infelix, qui per varia scelera disponit descensiones ad infernum, inquit S. Hieronymus.

V. 8. IBUNT DE VIRTUTE IN VIRTUTEM. Hebr. מחיל *mechail* אל חיל *el chail*, Græce, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, id est *de fortitudine in fortitudinem*, ut vertit S. Hieron. id est, fient quotidie spiritu & gratia Dei fortiores ac robustiores, ut commodius ascendant IN cælestem SION. ubi DEUS VIDEBITUR facie ad faciem,

V. 10. RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI; id est, fave Davidi uncto a te in Regem.

Allegorice, Fave nobis propter Messiam Filium tuum.

V. 11. SUPER MILLIA, scilicet dierum extra atria templi tui; allegorice Ecclesiæ; anagogice cæli. ELEGI potius ABIECTUS ESSE. Hebr. *ad limen*, vel ad fores, *domus Dei*: desidero tamquam portarius, vel mendicus, & sicut Alexius, in angulo, quam splendide vivere in amplis palatiis impiorum, etiam Regum. Et ratio est,

V. 12. QUIA in domo Domini MISERICORDIAM, ET VERITATEM DILIGIT DEUS; id est, gaudet exhibitione misericordiæ & veracitatis suæ, liberalissime profundendo omnis generis beneficia, sicut promisit se facturum piis & sanctis. Hieronymus vertit: *Sol, & scutum Dominus Deus*. Chaldæus: *Sicut murus excelsus, & clypeus fortis*.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, PRO TORCULARIBUS, &c. De hoc titulo vide Psal. XLI. & utriusque Psalmi idem videtur esse argumentum; præsertim si quod aliqui

qui valde probabiliter dicunt, ſenſus ad litteram eſt expreſſio vehementis & pii deſiderii hominis ſuſpirantis ad cæleſtem Ieruſalem; ubi nimirum ſunt illa ſupra aurum dilecta tabernacula. Sunt etiam qui externum litteræ ſenſum referunt ad populum in captivitate Babylonica poſitum, vel ad ipſum Davidem diutius propter bella abſentem a tabernaculo Sion. Latini Patres, Lyranus, & Bellarminus primum ſenſum ſequuntur; quem Gloſſa etiam vult eſſe litteralem,

Verſ. 4. ETENIM PASSER, &c. Poſt expreſſum deſiderium cæleſtis Ieruſalem, & varium amoris affectum, ubi animus nunc deficit, nunc exultat. Iam hoc ipſum clarius elucidat exemplo aviculàrum: ſicut enim illæ magno inſtinctu nidos perquirunt; ita, Domine, altaria tua mihi ſunt nidi. Nomina avium non ſunt eadem in omni verſione. Aliqui צפר *tſippor*, *paſſerem*, putant poni pro quavis avicula. Ceterum ut idem maneat ſenſus, nihil refert quæ avium ſpecies exprimatur, dummodo cum cura, & conatu diligenti niduletur.

V. 6. BEATUS VIR, &c. En duplicem beatitudinem: unam, quam expectamus in cælo, de qua dixit verſ. 5. Alteram, qualem in hac vita habere poſſumus, ſeu in valle lacrymarum, per gratiam, & aſcenſiones in corde, ubi nec retrocedere, nec ſtare oportet, ſed progredi per aſcenſiones has, eundo de virtute in virtutem. ASCENSIONES, apud Septuaginta ἀναβάσεις, Hebr. מסלות *meſilloth*, *ſemitæ*, ſeu *viæ altæ*, & eminentes: rad. סלל *ſalal*, *exaltare*.

V. 11. MELIOR EST DIES UNA. Septuag. κρείσσων ἡμέρα μία: melior dies unus ibi, quam mille dies alibi tamen Auguſt. Lib. *III.* de Lib. arb. cap. vlt. putat hic comparari æternitatem (dies una eſt) cum tota duratione temporis. Hinc quod eſt ibi velut abiectum, & parvum, præfertur totis habitaculis peccatorum. Septuag. παραριπτεῖσθαι, Hebr. habet הסתופף *biſtopheph*, *ſedere*, vel *hoſpitari ad ianuam*: in Hithpahel: nomen סף *ſaph* limen ſignificat: vide rad. ספף.

V. 12. QUIA MISERICORDIAM, ET VERITATEM DILIGIT. Septuag. ὅτι ἔλεος καὶ ἀλήθειαν. In Hebræo eſt, *Sol & ſcutum* (ſolum Sept. expreſſerunt ſenſum metaphoræ) מגן *magen*, *ſcutum*: radix גנן *ganan*, *protegere*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. uſq. ad 9. QUam *dilecta*, &c. Deficit, inquit, & quaſi liqueſcit præ deſiderio animus, dum contemplor abſens cæleſtia illa tabernacula, repleta exercitibus Angelorum, virtutum cæleſtium, incolentium atria tua, Domine, æterna. Paſſeres, & volatilia inveniunt ubi requieſcant. Mihi, Domine, pro certa, ſummaque quiete ſunt altaria tua cæleſtia; ut in illis offeram ſacrificium laudis. O quam *beati qui* ibi *habitant*; & beatus etiam qui in hac valle, & mundo inferiore habens a te auxilium gratiæ, parat quotidie *in corde ſuo aſcenſones* ad ſuprema illa bona, quæ viciſſim paraſti diligentibus te. Modus vero parandi has aſcenſiones, explicatur v. 7. & 8. Earum initium eſt benedictio legiſlatoris, iuſtificatio.

V. 9. 10. & 11. *Domine Deus virtutum*, &c. Iam petit exaudiri, ut paratus per gratiam, & per merita Chriſti, aſcenſionibus illis, eo perveniat ubi videatur Deus deorum: quia melior eſt in atriis illis, & plenior gaudio dies una (quæ ſane eſt una, & æterna,) quam mille anni tranſeuntes. Et vero quorſum mille anni in hac vita, inter tabernacula peccatorum, ſi poſtea oporteret in æternum damnari. Hæc perpendens ſapiens & vir pius eligit potius abiectus eſſe in Eccleſia militante, ubi parantur aſcenſiones in cælum; quam in primis ſedibus peccatorum.

V. 12. & 13. *Quia miſericordiam*, &c. Ratio datur illius primi deſiderii & electionis; quia Deus miſeretur in remiſſione peccati; promiſit gratiam & gloriam, ac demum in promiſſis eſt fidelis, diligit veritatem: fovet etiam ſperantes in ſe, & innocentes.

ROS-

BOSSUET.

Verſ. 3. CONCUPISCIT ET DEFICIT ANIMA MEA : ante concupiſcens & totam ſe effundens in concupiſcentiam, longo fine ſuſpenſa, defectione diſſolvitur. Quomodo deficiat anima in ſalutare Dei, Ieremias docet. Et factum eſt, inquit, in corde meo ut ignis ardens, flammans in oſſibus meis & diſſolutus ſum undique & ferre non poſſum (Ier. xx. 9.) Amb. in illud Pſal. CXVIII. *Defecit in ſalutare tuum anima mea* : quem locum vide. *Cor meum & caro mea* : gaudio ſpiritus etiam in corpus redundante, ut Pſal. LXIII. 2.

V. 4. PASSER INVENIT, &c. ſicut paſſer invenit nidum ſuum, ita ego altaria tua. In his ergo acquieſcit, vagus antea & inquietus.

V. 6. ASCENSIONES IN CORDE SUO: *ſemitæ in corde eius* : Hier. atque hic verſus clauditur: ſemitæ autem, id eſt præcepta legis: melius; in eius animo verſantur ſemitæ ferentes ad templum quo properat. Morali ſenſu: Quicumque ſanctus eſt quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviſcitur : cum Paulo (Phil. III. 13.) comm. Hier.

V. 7. DISPOSUIT IN VALLE LACRYMARUM : *traſeuntes in valle fletus, fontem ponent eam* : Hier. Tranſibunt loca flebilia & ſiticuloſa, tam iucunde ac ſi fontibus ſcaterent.

V. 8. BENEDICTIONEM DABIT LEGISLATOR : *benedictione quoque amicietur doctor* : Hier. doctor populum iter agentem legis expoſitione conſolabitur. Sic enim procedebant ab omnibus finibus una cum Levitis. IBUNT DE VIRTUTE, *de turma in turmam* : Heb. variis catervis tandem in Sion pervenient. Videbitur, &c. *parebunt apud Deum in Sion* : Hier. ibi enim in civitate David templum : ibi arca, Dei præſentis ope nobilis.

V. 9. DOMINE DEUS. Hæc eſt illorum oratio poſtquam ad templum pervenerunt.

V. 10. CHRISTI TUI; Regis; qui Chriſti figura.

V. 11. ABIECTUS ESSE : *ad limen adſtare* : Heb. *Hiſtophepb*; quod convenit Coritis ianitoribus templi, quibus etiam Pſalmus inſcribitur.

V. 12. MISERICORDIAM, ET VERITATEM, *ſol & ſcutum, Dominus Deus* : Hier. lux, & protectio.

PSALMUS LXXXIV. EUCHARISTICUS.

Soluta captivitate Babylonica; Fidelibus per Christum a peccato liberatis.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori filiorum Core Psalmus.

PLacatus es Domine terræ tuæ: reduxisti captivitatem Iacob.

Dimisisti inquitatem populo tuo: operuisti omnes iniquitates eorum. Semper.

Continuisti omnem indignationem tuam: conversus es ab ira furoris tui.

Converte nos Deus Iesus noster, & solve iram tuam adversum nos.

Noli in æternum irasci nobis: extendens iram tuam in generationem & generationem.

Nonne tu revertens vivificabis nos, & populus tuus lætabitur in te?

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur Dominus Deus: loquetur enim pacem ad populum suum, & ad sanctos suos, ut non convertantur ad stultitiam.

Verumtamen prope est his qui timent eum salutare eius, ut habitet gloria in terra nostra.

Misericordia & veritas occurrerunt: iustitia & pax deosculatæ sunt.

Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.

Sed & Dominus dabit bonum, & terra nostra dabit germen suum.

Iustitia ante eum ibit, & ponet in via gressus suos.

VERSIO VULGATA.

1. In finem: filiis Core, Psalmus.

2. BEnedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Iacob.

3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

4. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

5. Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam a nobis.

6. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

7. Deus tu conversus vificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

8. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.

10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

11. Misericordia & veritas obviaverunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.

12. Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.

13. Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

14. Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. **B**ENEDIXISTI DOMINE TERRAM TUAM, &c. Heb. *Dilexiſti Domine terram tuam, reduxiſti captivitatem Iacob.*

V. 4. MITIGASTI OMNEM IRAM TUAM, &c. Hebr. *Retraxiſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira faciem tuum.*

V. 7. DEUS TU CONVERSUS VIVIFICABIS NOS. Heb. *Nonne tu converſus vivificabis nos?*

V. 9. AUDIAM QUID LOQUATUR IN ME DOMINUS DEUS, &c. Hebr. *Audiam quid loquatur Dominus Deus* (Septuag. *ἐν ἐμοὶ*) *quoniam loquetur pacem ad populum ſuum, & ad ſanctos ſuos, ne convertantur ad ſtultitiam.*

V. 10. UT INHABITET GLORIA IN TERRA NOSTRA, id eſt Chriſtus qui eſt ſplendor gloriæ. Hebr. 1. 3.

V. 11. MISERICORDIA ET VERITAS OBVIAVERUNT SIBI. Hebraiſmus eſt *obviaverunt*; id eſt, pares ſunt: vel ſimul declaratæ ſunt, ut Proverb. XXII. 2. *Dives & pauper obviaverunt ſibi*, id eſt æquales ſunt: *utriuſque operator eſt Dominus*. Et Proverb. XXIX. 13. *Pauper & creditor obviaverunt ſibi, utriuſque illuminator eſt Dominus.*

V. 12. & 13. VERITAS DE TERRA ORTA EST, &c. *Veritatem* vocat finem prophetiarum, & legis, quæ de terra orta eſt, cum Chriſtus natus eſt ex B. Virgine. Gratiam autem dicit *iuſtitiam*, qua nos gratis iuſtificat, quæ de cælo proſpexiſſe dicitur, quia Chriſtus e cælo attulit divinitatem. Hoc eſt quod ſequitur, DOMINUS DABIT BENIGNITATEM, ET TERRA NOSTRA DABIT FRUCTUM SUUM, id eſt Chriſtum. Lucæ 1. 42. *Benedictus fructus ventris tui.*

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM AMBULABIT, id eſt ante Deum, ante Chriſtum; quaſi dicat: Nihil faciet niſi ut nos iuſtificet; erit enim plenus gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accipiemus.

SA.

De redemptione per Criſtum.

Verſ. 1. **F**ILIIS CORE, ſcilicet datur ad cantandum.

V. 2. BENEDIXISTI, id eſt benefeciſti, vel benefacies; ut ſint præterita pro futuris. Chald. *Benevolentia proſecutus es.* Hieron. *placatus es.* AVERTISTI. Hieron. *reduxiſti.* Chald. *convertiſti.* CAPTIVITATEM: vel AEgyptiacam, vel Babylonicam, vel peccati.

V. 4. AVERTISTI, ſcilicet te. Hieron. & Chald. *converſus es.*

V. 5. CONVERTE NOS. Chald. *Convertere ad nos.*

V. 7. CONVERSUS. Hieron. *revertens*, ſcilicet qui videbaris averſus; vel quaſi dicat, rurſum. VIVIFICABIS NOS. Chald. *vitam præſtabis nobis.*

V. 8. MISERICORDIAM. Chald. *bonitatem.* SALUTARE, id eſt ſalutem, vel Salvatorem Chriſtum.

V. 9. IN ME, id eſt mihi. PACEM, id eſt proſperitatem, ſeu felicitatem; vel pacem cum Deo, id eſt reconciliationem. CONVERTUNTUR AD COR. Græc. *convertunt cor ad eum.*

V. 10. VERUMTAMEN, id eſt ſane. UT; pro, ita ut. GLORIA; quaſi dicat, ut poſſimus in Deo gloriari, vel eius gloriæ eſſe participes. Vel Chriſti gloriam intelligit, de qua Ioan. 1.

V. 11. VERITAS, ſcilicet Dei in promiſſis: vel hominum probitas, ſeu integritas. OBVIAVERUNT SIBI, id eſt ſimul repertæ ſunt, ſeu ſe ſunt complexæ. IUSTITIA, ſcilicet qua Deus iuſtificat, vel miſericordia. PAX, ſcilicet Dei cum hominibus. OSCULATAE. Chald. *coniunctæ.*

V. 12. VERITAS, ſcilicet Chriſtus; vel quaſi dicat: apparuit Dei veritas, exhibito in terra quod promiſerat. IUSTITIA, id eſt miſericordia.

V. 13. BENIGNITATEM. Hieron. *bonum.* FRUCTUM, ſcilicet Chriſtum, vel opera bona.

V. 14. EUM, ſcilicet Deum; quaſi dicat: Studebunt homines iuſtitiæ coram Deo.

Deo. PONET, ſcilicet Chriſtus, vel homo iuſtus. IN VIA. Chald. *in via bona*.

ESTII.

Verſ. 5. CONVERTE NOS DEUS SALUTARIS NOSTER. Vide ſupra Pſal. LVIII. ad illud: *Miſericordia eius præveniet me*; & loca ibi citata, ſcilicet Pſal. *Miſericordia tua ſubſequetur me*, & Eſther. XV. *Convertit Deus ſpiritum Regis*.

V. 7. DEUS TU CONVERSUS VIVIFICABIS NOS. Alia vetus verſio habet *convertens*; quod etiam in officio divino legitur Dominicæ 2. Adventus in Reſponſ. Matutini. Grece eſt ἐπιστρέψας, id eſt *convertens*, ſeu potius, poſtquam converteris. Hebr. ſonat *converſus*, ſeu reverſus. Quod ergo olim legebatur *convertens*; ſupplendum, ſcilicet te; id eſt, poſtquam te ad nos converteris, id eſt benigno vultu nos reſpexeris, ſic *vivificabis nos*, id eſt benefacies nobis, e periculis nos erues.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM, FILIIS CORE, PSALMUS, aut *filiorum Core*. Liberationem e captivitate AEgyptiaca, aut Babylonica prædicat.

V. 2. BENEDIXISTI. Hebr. *Complacuiſti Domine*. TERRAM TUAM, id eſt habitatores terræ tuæ. AVERTISTI; pro, ſuſtuliſti captivitatem. IACOB, id eſt populi Iudæorum.

V. 4. AVERTISTI AB IRA INDIGNATIONIS TUAE. Heb. *Reduxiſti a furore naſum tuum*; id eſt, placatus es.

V. 5. CONVERTE NOS, ſcilicet ad te, ut tibi ſerviamus. DEUS SALUTARIS NOSTER, Heb. *Deus ſalutis noſtræ*.

V. 6. A GENERATIONE IN GENERATIONEM? id eſt per omnes generationes. Eritne ira tua perpetua? quod dixerat.

V. 7. DEUS TU CONVERSUS, ſcilicet ab ira, mitior factus. Hebr. *An non tu converteris?*

V. 9. AUDIAM QUID LOQUATUR; quaſi dicat: Certe ad has preces reſpondebit Deus. QUONIAM LOQUETUR PACEM; id eſt, omnia felicia reſpondebit. ET SUPER SANCTOS SUOS: ſcilicet loquetur pacem. ET IN EOS QUI CONVERTUNTUR AD COR, id eſt reſipiſcunt. Græce, *ad eos qui convertunt cor ad ipſum*. Sic fere Pſalterium Roman. ſic Auguſtinus, ſic Ambroſius Pſal. CXVIII. ſerm. VI. Hebr. (& ad eos qui) *non convertuntur ad ſtultitiam*, id eſt non repetunt peccata: ſcilicet ſuper hos etiam loquetur pacem. Nimirum Septuag. pro אל *al*, id eſt *non*, legerunt אל *al*, id eſt *ad*: tum pro לכסלה *lecbislah*, *ad ſtultitiam*, legerunt לבסלה *lebſelah*, una dictione diviſa in duas, & כ *Caph* mutato in ב *beth*, quæ ſunt ſimillimæ litteræ.

V. 10. VERUMTAMEN, pro vere. PROPE TIMENTES EUM SALUTARE IPSIUS. Heb. *vicina timentibus eum ſalus eius*. UT INHABITET GLORIA, id eſt Chriſtus: aut *gloria*, id eſt triumphus de inimicis noſtris. Id enim ex ſalute data conſequetur.

V. 11. MISERICORDIA ET VERITAS OBVIAVERUNT SIBI, ſive obviabunt. Sequetur etiam ex dictis, ut *miſericordia* & *veritas* iungantur inter homines. Per *veritatem*, iuſtitiam intelligit. Concilium Toletanum VIII. colligit ex his verbis, in commercio & iuramento a miſericordia & pace veritatem non debere ſeiungi. IUSTITIA ET PAX: ſcilicet ea iuſtitia ſociabitur cum pace a Deo data, id eſt bonorum omnium cumulo. Aut *iuſtitia* pro miſericordia ſumatur, & ſit ſenſus: Si miſericordia & veritas inter homines fuerint, miſericordia a Deo, & pax oſculabuntur eas, id eſt ſequentur adhærebunt illis. Sic Hebræus.

V. 12. VERITAS DE TERRA ORTA EST; id eſt, ſi veritas in terra fuerit, Deus de cælo homines iuſtificabit: aut *iuſtitia*, id eſt miſericordia, e cælo ſuper homines veniet. Proſopopœia.

V. 13. ETENIM DOMINUS DABIT. Heb. *etiam*; id eſt, ad hæc Dominus dabit. BENIGNITATEM, id eſt bonitatem, pluviam, tempora opportuna. ET TERRA NOSTRA DABIT FRUCTUM SUUM; id eſt, ad dona divina accedent beneficia terrena.

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM (ſcilicet Deum) AMBULABIT; id eſt, omnia plena erunt iuſtitia. ET PONET IN VIA GRESSUS SUOS; id eſt, ſuum curſum tenebit, quæ prius exulabat. Aut Deus æquitatem & rectitudinem ſectabitur, quæ eſt vera iuſtitiæ via.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 1. **F**ILIIS CORE. Vide in Pſal. XLI. verſ. 1. PSALMUS. מזמור *mizmor, cantio, cantus, ode, modulatio, inciſio muſica*. Plerique hunc Pſalmum liberationem per Chriſtum canere volunt. Alii ad tempora Antiochi Epiphanis referunt, quibus Eccleſia primum liberationem ſuam poſtulat, exemplo aliarum liberationum, ac præſertim Babylonicæ, uſque ad verſ. 9. inde vero prophetat de inſtauratione glorioſa per Chriſtum: in cuius adventum Eccleſia, & calamitoſa, & graviſſima tyrannide Antiochi preſſa, videtur ſe totam reieciſſe, ex prophetia Danielis de regno Chriſti.

V. 2. BENEDIXISTI DOMINE TERRAM TUAM. Varie ex Hebr. elucidant. I. *Voluiſti Iehova terram tuam*. II *Voluntas tua, Deus, ad terram tuam*. III. *Acceptas Iehova terram tuam*, id eſt benevolentia & favore proſequeris. IV. *Complacuiſti Iehova terræ tuæ*. V. *Rediſti in gratiam Iehova cum terra tua*. VI. *Benignus factus es Iehova terræ tuæ*. VII. *Gratam habuiſti Iehova terram tuam*. VIII. *Faviſti Iehova terræ tuæ*. IX. *Propitius fuiſti Iehova terra tuæ*. X. *Reconciliatus es, Domine, terræ tuæ*. XI. *Placatus es Iehova terræ tuæ*. XII. *Complacuit tibi Iehova terra tua*. XIII. *Dilexiſti Iehova terram tuam*. Præteritum iſtud, ut alia omnia horum trium verſuum, plerique pro futuris accipiunt, propter venturæ rei certitudinem, ad tempora Chriſti referentes; quaſi dicat: Terram ipſam innumeris & divinis beneficiis ornabis Deus in adventu filii tui; Epheſior. 1. verſ. 3. Alii per pluſquam perfectum: *Benevolus fueras, o Iehova, terræ tuæ*. Precationis argumentum ab exemplo anteactæ adminiſtrationis Dei, ut flectatur ad miſericordiam, his tribus verſibus: eſt autem hoc exemplum liberationis Iudæorum a captivitate Babylonica, hoc verſ. 2. cuius cauſa conſtituitur in Deo ſolo condonante peccata, verſ. 3. & iram dimittente verſ. 4. prout Hezra, & Nechemia ſuis orationibus in Eccleſia profeſſi ſunt: unde præterita trium horum verſuum per pluſquam perfecta convertunt. AVERTISTI CAPTIVITATEM IACOB. Quidam, *Avertes captivitatem Iahakobi*, id eſt, populum tuum a ſervitute diaboli, peccati, & mortis eripies per filium tuum: vide Canticum Zachariæ Lucæ 1. Alii: *Reduxiſti, reſtituiſti, captivitatem Iahakobi*. Nonnulli: *Quieſcere feciſti captivitatem Iakobi*, nimirum ab afflictionibus captivitatis. Alii: *Reduxeras captivam turbam Iahakobi*, ab exſilio Babylonico.

V. 3. REMISISTI INIQUITATEM PLEBIS TUAE. Heb. *Levaviſti, abſtuliſti, condonaſti, pravitatem, ſcelus populi tui*, per Chriſtum, Matthæi 1. verſ. 21. Alii: *Condonaveras iniquitatem populi tui*, cum reduxeras eum e Babylone. OPERUISTI OMNIA PECCATA EORUM. ne uſquam apparerent, aut exſtarent. Adiicitur *ſelah*; id eſt, 1. *In perpetuum*. 2. *Ita plane factum eſt*. 3. *Summe*. 4. O magnum & perpetuo celebrandum beneficium remiſſionis peccatorum per Chriſtum.

V. 4. MITIGASTI OMNEM IRAM TUAM. Heb. *Collegiſti, abſtuliſti, retraxiſti, recepiſti, omnem indignationem, excandeſcentiam tuam*, quæ ſparſa fuerat in nos. AVERTISTI AB IRA INDIGNATIONIS TUAE. Heb. *reverti feciſti de ardore naſi tui*. Alii: 1. *revocaſti ab excandeſcendo furorem tuum*: 2. *redi a furore iræ tuæ*: 3. *continuiſti, ne in furorem erumperet, iram tuam*: 4. *furorem iræ tuæ ſedabis*: 5. *averteras, quo minus æſtuaret, iram tuam*.

V. 5. CONVERTE NOS DEUS SALUTARIS NOSTER. Alii. I. *Convertere ad nos*, vel *redi ad nos*. II. *Recipe in gratiam nos Deus auctor ſalutis noſtræ*. III. *Quieſcere fac nos Deus* a malis. IV. *Reduc, reſtitue nos, o Deus; ſalutis noſtræ*. Precatio qua implorat Eccleſia præſentiam, miſericordiam, gratiam, benignitatem; & ſalutem Dei. Quidam volunt Heb. proprie eſſe, *Revertere ad nos*: nam verbum שוב *ſchub* in Kal, ſolet eſſe intranſitivum; ſed commode a LXX, Chaldæo, Noſtro redditum: *Converte, reſtitue nos*: ut accipienda hæc eſſe oſtendit verſ. 7. nam hoc genus ellipſeos eſt frequentiſſimum.

V. 6. AUT EXTENDES IRAM TUAM A GENERATIONE IN GENERATIONEM. Heb. *Trahes naſum tuum generationi & generationi?* Alii: *Protrahes, protelabis, proferes, iram tuam in quamque generationem?* vel *in omnem ætatem?*

V. 7. DEUS TU CONVERSUS VIVIFICABIS NOS

nos. Heb. *An non tu reverteris, vivificabis nos?* Passim exponunt: Non ne tu, mutata sententia, conversus ab ira tua ad nos, reconciliatus nobis, melior nobis factus, vitam nobis, salutemque donabis, vel restitues nos vitæ, vivificabis in Christo? Ephesior. II. vers. 5. Alii volunt esse notissimum Hebraismum: Non ne tu iterum, rursus, denuo vivificabis nos? Vide in Genes. XXVI. 18. Vide & Forsteri Lexicon. ET PLEBS TUA LAETABITUR IN TE. Heb. *ut populus tuus lætentur in te*; id est, ut tuis sit bonum, & tibi gloria: qui duo fines coniuncti sunt.

V. 8. OSTENDE NOBIS, &c. id est, *re ipsa præsta*: ut sequens membrum declarat. Quidam: *Fac sentiamus, experiamur, misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis*, vel liberationem a malis, vel gratiam & salutem in Christo.

V. 9. AUDIAM QUID LOQUATUR IN ME DOMINUS DEUS, vel *fortis Deus Ieh. veh*. Observant, esse alteram partem Psalmi didascalicam, in qua Propheta primum se ipsum ac populum Dei ad officium revocat omissis quærimoniis, hoc versu: deinde promissiones Dei elegantissimis verbis & figuris explicat, reliquis versibus. Est autem officium duplex: unum ut a sensu carnis expostulantis de miseria sua, avocentur pii ad audiendas promissiones & consolationes Dei, alterum, ne immorigera sua vita ipsi intercludant sibi consequendarum promissionum viam. Est itaque hoc principium correctio quædam; quasi dicat: Quid conqueror? aut quid loquor? quin potius mihi auscultandum est quid loquatur Deus. QUONIAM LOQUETUR PACEM IN PLEBEM SUAM. Quidam: *Nam eloquitur pacem erga populum suum*, id est, cuncta prospera & felicia pollicetur, omne bonum & prosperitatem præstabit terminatis calamitatibus: ut pollicitus erat Deus, Daniel. VIII. 14. & cap. IX. ET SUPER SANCTOS SUOS. Heb. *& ad benignos suos*, ut supra Psal. LXXVIII. 2. ET IN EOS, QUI CONVERTUNTUR AD COR. Heb. *& non convertentur ad inconstantiam*, seu *stultitiam*, *insipientiam*, *stoliditatem*, id est, idololatriam, & alia scelera, in quæ solicitabat Antiochus. Quidam reddunt: *quo minus ad stultitiam convertantur*. Alii: *nec sinet eos relabi in amentem illam impietatem, propter quam abducti fuerunt captivi*.

V. 10. VERUMTAMEN PROPE TIMENTES EUM SALUTARE IPSIUS; id est Præsto est Dominus auxilio suo iis qui verentur, & colunt sanctissimum numen ipsius. Quidam: *Utique propinqua est timentibus eum salus eius*. Explicatio prosperitatis, quam per Prophetas denuntiatam fideles audiebant. *Propinqua est*; quasi dicat: Mox futurum est ut ab horrenda ista tyrannide liberemur extincto Antiocho, Daniel. VIII. 14. quæ liberatio tessera quædam & particula futura est æternæ illius ac gloriosæ liberationis & salutis, quam conferet Christus: quamobrem ad eam transitur sequentibus verbis, *timentibus eum*, id est *qui non convertuntur ad stultitiam*, superiore versu. UT INHABITET GLORIA IN TERRA NOSTRA. Exponunt: *Habitatura est gloria in terra nostra*; id est, futurum est ut Deus præsentia sua glorificet Ecclesiam, quam terra olim figurabat, ubi Ecclesia erat: hæc autem gloria, cuiusmodi sit, exponunt sequentia. Plerique alii: id est, Christus, qui est gloria Patris, habitaturus est inter homines: ut sit illud Ioann. I. vers. 14. ubi Evangelista eodem verbo *scenitandi*, seu *tabernaculandi* Græce utitur, quo hic Psaltes Hebraice.

V. 11. MISERICORDIA ET VERITAS OBVIAVERUNT SIBI. Heb. *benignitas & fides occurrerunt inter se*. Explicant: Id est, hæ virtutes simul coniunctæ obvenient piis beneficio Christi, per quem misericordiam consecuti sumus a Deo, & cognitionem veritatis. Quidam volunt esse superioris gloriæ explicationem, primum quidem spiritalis, hoc & sequente versu: deinde temporalis, vers. 13. sunt autem in hac spiritali gloria duæ relationes; una, benignitatis Dei ad fidem hominum, benignitatem & gratiam eius obviis ulnis excipientium: altera, iustitiæ Dei, ad pacem hominum sive tranquillitatem conscientiæ per fidem vivam, Roman. V. vers. 1. quæ vera sunt effecta unici mediatoris Christi. Itaque exponunt: *Benignitas* Dei, *& fides* hominum *occurrent inter se*: quia fides excipiet promissiones: *iustitia* Dei, *& pax* conscientiæ hominum osculabuntur se; quia ex iustificatione Dei nascitur pax conscientiæ. IUSTITIA ET PAX OSCULATAE SUNT. Aliqui exponunt, id

id est, Deus nos ex iniustis reddidit iustos, & sibi reconciliavit, atque ita iustitia & pax inter se osculatæ sunt, & coierunt.

V. 12. VERITAS DE TERRA ORTA EST: ET IUSTITIA DE CAELO PROSPEXIT. Explicant, id est, mortales e terra amplexabuntur veram religionem, fidem, Evangelium: & Deus e cælo eos vera iustitia, sanctificatione, & gratia sua donabit: Alii: *Fides e terra germinabit, & iustitia e cælis prospectabit*; quod ita accipiunt, *fides*, cum pace per fidem in Christum, superiore versu: synecdoche: *e terra*, id est ex animis piorum: metonymia: *germinabit*, id est sese exeret, & fructum pacis afferet, & iustitia, proficiscens ex benignitate Dei: synecdoche, ut paulo ante. Quidam tamen hoc versu & præcedente putant hyperbolice & Poetice describi summam abundantiam virtutum omnium, temporibus Messiæ; misericordiæ, fidei, veritatis, iustitiæ, pacis, &c. ut eas & terra profundere, & cælum effundere videantur. *De cælo prospexit*. Heb. *e cælis prospectavit*, vel *prospecta fuit*, *visa fuit*, *emicuit*, *se visendam exhibuit*. Buchananus:

....cælo terras Astræa relicto,
Sancta colet....

V. 13. ETENIM DOMINUS DABIT, &c. Hunc versum quidam ita reddunt: *Etiam Iehova dabit quod bonum est, ut terra nostra edat proventum suum*. Plerique hunc versum etiam ad spirituales promissiones spectare volunt, quas hic allegorice describat Psaltes, quasi dicat etiam Iehova impartietur gratiam suam hominibus, ut edant fructum iustitiæ, sequente versu. Alii ad temporales promissiones referunt: ut sit summa promissionum: Iehova, inquit, temporales omnes ac spirituales promissiones exhibebit, I. Timoth. IV. vers. 8. *Quod bonum est*, id est, quantum ex usu erit Ecclesiæ. Alii: *Omnem felicitatem*.

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM AMBULABIT, &c. Diversimode hunc versum ex Heb. explanant. I. *Iustitia ante ambulabit coram eo, ut viam muniat ingressui eius*. II. *Iustitia præcedet illum, qui Domino carus est, & figet gressus viri illius in via, per quam graditur*. III. Quia verbum ambulandi est ex *Pihel* reddunt: *Iustitiam ante se ambulare faciet*, vel Deus, vel quisque illorum, qui fuerint in regno Christi: *& ponet in via gressus suos*; id est, recte & iuste incedet; quasi dicat: Unusquisque eorum, qui erunt de regno Christi, præ oculis iustitiam habebit, & eam colet. IV. *Faciet* Deus *ut iustitia præeat sibi*: id est, non temporales illas benedictiones tantum communicabit, sed etiam spirituales, dum procedet regnum Christi, & erit thronus iustitiæ (ut appellat David Psal. XLVI. vers. 7. & 8.) in hoc mundo, *dum conferet ad iter pedes suos*; id est, dum veniet ad instituendum regnum Christi; & nos fide, aliisque virtutibus incedemus in regno Christi habitantis & inambulantis in nobis, usque ad consummationem sæculi. Humanitus dictum. *Ante eum*. Ambiguum est, vel ante Deum, vel ante unumquemque fidelium. Illud prius est rectius: aliqui exponunt, colent homines iustitiam ante Deum, id est, veram non hypocriticam. Buchananus:

Et quacunque feret Dominus vestigia, gressus
Ante ferent ius fasque suos: lis, usque dolusque
Deseret afflictas per tot iam sæcula terras.

MENOCHII.

Vers. I. FILIIS CORE. Vide dicta ad titulum Psalmi XLI.

V. 2. BENEDIXISTI, benefecisti, vel benefacies: sunt enim præterita pro futuris; quæ enim futura sunt in Dei præscientia & decreto, iam facta sunt. TERRAM, terræ tuæ Israeliticæ incolas. AVERTISTI, reduxisti, revocasti. CAPTIVITATEM IACOB. Aliqui intelligunt de captivitate Babylonica, alii de Ægyptiaca, alii de captivitate humani generis sub principe tenebrarum.

V. 3. OPERUISTI. texisti, velasti, ne ea videas; induxisti, delesti. Vide dicta Psal. XXXI. num. I.

V. 4. AVERTISTI AB IRA: avertisti te ab ira, qua nos in servitutem tradideras.

V. 5. CONVERTE NOS, scilicet ad te. Chald. habet: *Convertere ad nos*. CONVERSUS, reconciliatus. VIVIFICABIS NOS: vitæ quodammodo restitues.

V. 8.

V. 8. SALUTARE TUUM, salutem tuam, quam a te expectamus Christum Salvatorem.

V. 9. AUDIAM QUID LOQUATUR, &c. Ut certos nos reddat Propheta eorum, quæ dicturus est, monet se non loqui a seipso, sed ex divina revelatione, & ea solum canere, quæ prius a Domino audivit; quasi dicat: Ego quod audio a Deo, hoc loquor: sentio autem Deo in me loquente, ipsum pacem populo suo polliceri. LOQUETUR PACEM, reconciliationem cum hominibus Christo exhibito, prospera etiam omnia: hoc enim vox *Pacis* significat apud Hebræos. SUPER SANCTOS SUOS, populo sancto suo, quem sibi sepsuit, & religione, & fide vera sanctificavit. QUI CONVERTUNTUR AD COR: qui redeunt ad sese; qui serio, & ex animo resipiscunt.

V. 10. VERUMTAMEN. In Hebr. est אך *ach* particula asseverandi, non adversandi: & idem valet ac, *sane*. PROPE TIMENTES EUM SALUTARE IPSIUS: qui timent, & colunt Deum, saluti proximi sunt. UT INHABITET GLORIA IN TERRA NOSTRA. Consentit cum D. Joannis verbis cap. 1. *Habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti*, &c. Vel gloria significat præsentiam divinæ maiestatis, & gratiæ.

V. 11. MISERICORDIA, ET VERITAS OBVIAVERUNT SIBI. Misericordia, & iustitia, quæ sibi quodammodo videbantur adversari, cum altera ignoscat, altera in crimina animadvertat, iungentur, & in unum conspirabunt veniente Christo. IUSTITIA ET PAX. Videtur esse repetitio prioris hemistichii, ita ut iustitia eadem sit quam vocavit veritatem. Pax ea quam vocavit misericordiam, quæ parcendo placatum, & pacatum nobis Deum reddit. OSCULATAE SUNT. conciliatæ sunt; nam prius pugnare videbantur inter se. In redemptione enim generis humani Christus exhibuit nobis misericordiam suam, & iustitiæ etiam plene satis fecit.

V. 12. VERITAS DE TERRA ORTA EST; id est, Christus, qui veritas est, natus est de Beata Virgine. Alii explicant de felici statu populi fidelis sub Messia. cum vera religio, & conscientiæ integritas florebit in terra. ET IUSTITIA DE CAELO PROSPEXIT; & iustitia, quæ terras deseruisse videbatur, & in cælum volasse, iam quasi ad nos reditura erecto capite terras prospicere videtur, & sic ad nos probitas, divina gratia, & omnia dona cælestia designantur. Potest etiam optime iustitiæ nomine Christus intelligi.

V. 13. ETENIM, sane. BENIGNITATEM. In Hebr. est, *bonum*. Deus nobis benefaciet dando Christum Dominum. FRUCTUM SUUM. Christum.

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM AMBULABIT; id est, Christus quasi sol quidam, & vere lux mundi radios iustitiæ, & sapientiæ suæ præmittet, sic Psalmo LXXXVIII. habemus: *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam*, & Isaiæ LVIII. *Anteibit faciem tuam iustitia tua*. PONET IN VIA GRESSUS SUOS, & sic Christus aggredietur iter peregrinationis suæ. Vel sensus est, Iustitia, & virtutum chorus honorifice Christum deducent, & ante eum ambulabunt, ut solent aulici ante principem suum, & sic iustitia & Christus, & omnis cœtus qui illum comitatur, iter instituent.

TIRINI.

Vers. 3. OPERUISTI OMNIA PECCATA. Vide Psalmo XXXI. versu 1.

V. 5. CONVERTE NOS, a reliquis adhuc malis; quasi dicat: A multis & magnis ærumnis liberasti nos, favore Cyri Monarchæ nos educens e Babylone: iam rogamus, ut a ceteris quoque malis quæ nos adhuc premunt (nempe ab infestatione vicinorum hostium I. Esdræ IV. &c.) convertas & liberes nos, DEUS SALUTARIS (Hieron. *Iesus*, id est salvator) NOSTER.

V. 8. ET SALUTARE TUUM (Chald. *salutem*; Hebr. *salvatorem*, puta Regem Persarum: vel potius *Christum*, da nobis faventem.

V. 9. CONVERTUNTUR AD COR, nempe *ne illud convertatur ad stultitiam*, ut vertit Hieron. & Chald. sed *ad Deum*, ut habent Septuag. & Reg. Latina, & sanctus Augustinus.

V. 10. VERUMTAMEN, id est sane; Chald. *siquidem*. UT, pro usque adeo ut, GLORIA, id est gloriosa maiestas Dei, nimirum Christus, INHABITET corpora-

poraliter IN TERRA NOSTRA. Ioan. I. 14. Mariana id etiam intelligit de gloria ex subactis hostibus parta.

V. 11. 12. & 13. MISERICORDIA Dei erga homines, ET eiusdem VERITAS, seu veracitas, in præstandis promissis suis, OBVIAVERUNT SIBI, id est simul convenerunt & conspirarunt, nempe ut hominibus benefaciant, & promissum Redemptorem ac salutem ipsis mittant. Idem mutuo pacis osculo concluserunt IUSTITIA divina ET PAX, id est benevolentia seu amor divinus. Unde factum, ut mox VERITAS, seu veracitas Dei, ORTA sit; Hebr. Græc Chald. *progerminarit fructum suum*; DE TERRA, scilicet promissam Messiam., & cum eo copiam omnium bonorum. ET IUSTITIA Dei, quæ diu irata latuerat, iam placato vultu DE CAELO PROSPEXIT in terram, dans illi BENIGNITATEM, id est fecundans illam rore cælestis benedictionis. Inde fiet ut TERRA NOSTRA, quæ prius cælo irato, & clauso sterilis fuit, iam datura sit FRUCTUM SUUM, tot sæculis ex ea desideratum, puta Salvatorem & salutem mundi. Simile Isaiæ XLV. *Rorate cæli*, &c. Ita fere sanctus Augustinus, qui per terram allegorice B. Virginem intelligit; tropologice cor peccatoris; e quo veritas nascitur, cum contritio & confessio peccatorum in- ue promittit: tum iustificatio de cælo delabitur, &c.

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM AMBULABIT; id est, Christus iustitiam (id est promissam mundo salutem, & consequenter debitam illi ex iustitia) semper ante oculos habebit, nempe ut eam mundo procuret: ET ideo GRESSUS SUOS PONET IN VIA; id est, accinget se itineri, & hoc unum aget, ut quam primum expleat promissum suum. De Tropologia vide sanctum Augustinum, & Hieronymum.

GORDONI.

Titulus: IN FINEM, FILIIS CORE, &c. De hoc titulo supra Psal. XLI. Argumentum duo continet: nam in priore parte est commemoratio liberationis ab una captivitate (quæcumque ea sit) & parte altera petitur liberatio ab alia captivitate. Aliis placet agi toto Psalmo de liberatione a captivitate generis humani sub diabolo, per Christum, ut habet Paraphrasis.

Vers. 3. & 7. REMISISTI INIQUITATEM, &c. Septuag. ἀφῆκας: & hæc remissio declarat quid sit hic operire, seu tegere. Psalmo XXX. dixi in Calvinum. Quod initio versus 7. est, DEUS, in Hebræo est הלא *halo*, *nonne*? sed Septuag. legerunt אלה *eloha*. Septuag. ὁ θεὸς.

V. 11. MISERICORDIA, ET VERITAS, &c. Varie verba hæc exponuntur: est hic unum ex mysteriis in nostra redemptione: quamvis enim misericordia, quæ parcit, & iustitia, quæ punit, videantur esse contraria; tamen in hoc mysterio uniuntur optime, dum Christus ex misericordia liberat; & patiendo, iustitiæ satisfacit abunde. Idem repetit concordans iustitiam punientem cum pace, quæ est misericordia. Vide Bernard. serm. I. de Annunciatione. Alii aliter.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 2. 3. & 4. BENEDIXISTI, &c. Iuxta sensum insinuatum quo licet accipere totum Psalmum de libertate per Christum, erit in hac priore parte Psalmi commemoratio summi illius beneficii divini, quo Deus æterno decreto, antequam initio temporis quidquam faceret, voluit ut per Christum liberaretur genus humanum a captivitate diaboli. Et sic postea in tempore mandans executioni hoc decretum, benedixit toti terræ avertens captivitatem Iacob, seu omnium hominum. Dum autem hæc aguntur, remisisti, inquit, iniquitatem, ita opertis peccatis, ut ne quidem a te videantur, quia post remissionem omnino non sunt,

V. 5. *Converte*, &c. Altera pars Psalmi est, in qua Propheta referens personam hominum, orat pro executione divini illius decreti de liberandis hominibus per Christum, & hanc promovet orationem usque ad versum 9.

V. 9. & 10. *Audiam*, &c. Adhuc loquitur Propheta, & ut certam nobis faciat hanc redemptionem, narrat se hæc accepisse per revelationem a Deo loquente pacem populo, & hominibus bonæ vo-

voluntatis; seu erga eos qui volunt converti ad cor, quibus dabit salutare suum, seu Christum salvatorem.

V. 11. *Misericordia*, &c. Ex Augustino, & Hieronymo hic sensus est: Per Christum exhibita *misericordia* in remissione, *&* *veritas* promissione de Christo impleta, *obviaverunt sibi* in Christo. Item *iustitia*, qua satisfecit pro culpa Adami, *&* *pax*, in reconciliatione humani generis *osculatæ sunt*. Idem repetit subinde, & explicat.

BOSSUET.

Vers. 2. BENEDIXISTI, placatus es. AVERTISTI, *reduxisti*, &c. Hier.

V. 4. AVERTISTI, *conversus es*: Idem.

V. 7. DEUS TU CONVERSUS, &c. *Nonne tu revertens?* &c. Hier.

V. 9. QUI CONVERTUNTUR AD COR: qui serio resipiscunt. At Hier. *ne convertantur ad stultitiam*: ut malo admoniti post captivitatem ab idololatria, & reliquis insaniis abstineant.

V. 11. 12. MISERICORDIA, ET VERITAS .... VERITAS DE TERRA ORTA EST, &c. Soluta captivitate felicem populi statum designat, omni bonorum copia, & virtutibus florentis: quæ maxime impleta sunt postquam Christus ipsa veritas idemque pax nostra e terra ortus est.

V. 13. TERRA NOSTRA DABIT FRUCTUM SUUM, frugum omnium copiam: prophetice, ipsum Christum.

V. 14. IUSTITIA ANTE EUM: Deus iustitiam ante se præmittet: quo duce populus e captivitate rediens secure iter aget.

PSALMUS LXXXV. DEPRECATORIUS, PROPHETICUS.

Davide e summis sub Saule periculis erutus. Christus ab inferis revocatus, & gentes vocans.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
Oratio David.	Oratio ipsi David.
INclina Domine aurem tuam, exaudi me: quia egenus & pauper sum ego.	1. INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.
Custodi animam meam, quia sanctus sum: salva servum tuum tu Deus meus, qui confidit in te.	2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.
Miserere mei Domine: quoniam ad te clamabo tota die.	3. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die:
Lætifica animam servi tui: quia ad te Domine animam meam levo.	4. lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.
Tu enim es Domine bonus: & propitiabilis, & multus misericordia omnibus qui invocant te.	5. Quoniam (*a*) tu Domine suavis, & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Exau-

Exaudi Domine orationem meam, & ausculta vocem deprecationum mearum.

In die tribulationis meæ vocabo te, quia exaudies me.

Non est similis tui in diis Domine, & non est iuxta opera tua.

Omnes gentes quæ fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu Deus solus.

Doce me Domine viam tuam, ut ambulem in veritate tua: unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in sempiternum.

Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam de inferno extremo.

Deus superbi surrexerunt adversum me, & cœtus robustorum quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.

Tu autem Domine Deus misericors & clemens: patiens, & multæ misericordiæ & verus.

Respice ad me & miserere mei: da fortitudinem tuam servo tuo, & salva filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonitate, & videant qui oderunt me, & confundantur: quia tu Domine auxiliatus es mihi, & consolatus es me.

6. Auribus percipe Domine orationem meam: intende voci deprecationis meæ.

7. In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

8. Non est similis tui in diis Domine: & non est secundum opera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

10. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia tu es Deus solus.

11. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

12. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

13. Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

15. Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

16. Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuvisti me, & consolatus es me.

(a) Ioel. II. 13.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 11. DEDUC ME DOMINE IN VIA TUA, &c. Heb. *Doce me Domine viam tuam, ut ambulem in veritate tua: uni cor meum*; id est, coniunge tecum, ut timeat nomen tuum. Septuag. εὐφρανθήτω, deducentes יחד a חדה; melius fortasse, ut Psal. CXVIII. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

V. 16. DA IMPERIUM TUUM. Heb. *fortitudinem tuam*; id est, corrobora, adiuva servum tuum.

SA.

Oratio in tribulatione.

Verf. 1. IPsi, pro ipfius.
Verf. 2. Sanctus, id eft fanctitatis ftudiofus, feu tuo fervitio dicatus. Chald. *mifericors*.

V. 3. Tota die, id eft omni tempore, vel omnibus diebus.

V. 4. Levavi. Hieron. *levo*. Chald. *levabo*.

V. 5. Suavis. Hieron. & Chald. *bonus*. Mitis, id eft benignus, feu facile ignofcens.

V. 6. Auribus percipe. Hieron. & Chald. *exaudi*. Intende, id eft attende.

V. 7. Clamavi. Hieron. & Chald. *clamabo*. Exaudisti, id eft foles exaudire. Hieron. & Chald. *exaudies*.

V. 8. Diis, fcilicet gentium. Chald. *Angelis cæleftibus*. Non est, fcilicet opus, vel operans.

V. 9. Omnes gentes, non omnes homines: Auguft. Venient, fcilicet ad fidem.

V. 11. Et ingrediar. Hieron. *ambulem*. Veritate tua, id eft lege tua quæ veritatem docet. Laetetur. Chald. *Uni*; quafi dicat, collige. Ut, pro ita ut; vel quafi dicat: Sic lætetur, ut tamen timeat.

V. 12. Glorificabo. Chald. *honorabo*.

V. 13. Inferiori; quafi dicat, æterna morte. Hieron. *extremo*. Poteft limbus intelligi, fi de Chrifto loquitur.

V. 14. Super, id eft contra. Synagoga. Hieron. *cœtus*. Non proposuerunt te. Hieron. & Chald. *pofuerunt*; quafi dicat: Te non timuerunt.

V. 16. In me, pro ad me, fcilicet ut adiuves. Imperium, fcilicet in hoftes robur. Hieron. & Chald. *fortitudinem*. Puero. Hieron. & Chald. *fervo*. Ancillae, fcilicet Ecclefiæ, vel Mariæ.

V. 17. Fac mecum, &c. quafi dicat: Declara aliquo figno te mihi effe propitium. In bonum. Hieron. *in bonitate*. Videant. Chald. *videant quod ignoveris mibi*.

ESTII

nulla in hunc Pfalmum annotatio.

MARIANAE.

Verf. 1. ORatio ipsi David. Heb. *Precatio Davidis*. Formula Deum precandi a Davide compofita, in qua multas caufas adducit, quare exaudiri debeat.

V. 2. Animam meam, vitam meam, cuftodi, quia sanctus sum, id eft fanctitati ftudeo. Hebr. *mifericors fum*. Verum mifericordia eft inftar univerfæ fanctitatis.

V. 4. Animam meam levavi, in meditatione fcilicet, & precatione.

V. 5. Suavis, et mitis. Heb. *bonus & propitius es*.

V. 7. Clamavi ad te: quia exaudisti me, id eft exaudire me foles. Heb. in futuro, *clamabo, & exaudies*.

V. 8. Et non est secundum opera tua. Nullus ex aliis diis opera fimilia tuis facit.

V. 9. Venient. Non pedibus, fed credendo venient ad te omnes gentes. Hoc ad Evangelii amplitudinem fpectat.

V. 11. Deduc me Domine. Heb. *Doce me Domine viam tuam*, id eft legem tuam. Et ingrediar in veritate tua; id eft, id iter arripiam, confifus de veritate eorum quæ promififti. Laetetur cor meum. Lætitia inter homines audaces facit, erga Deum timidos. Ergo lætetur, ut timeat. Hebr. *Uni cor meum*; id eft, fac ut te unum amem, & timeam. Vocem יחד *iabed* Septuag. a *badab*, deduxere, quod eft *lætari*; alii a *iabad*, quod eft *unire*, id Hieronymus & Chald. fequuntur.

V. 12. Confitebor tibi, laudabo. in toto corde meo. Cor non loquitur; fed *in toto corde*, eft omni conatu.

V. 13. Magna est super me; id eft, maior meis meritis eft tua mifericordia. Aut *fuper me*, id eft in me, iis quæ contulifti mihi. Et eruisti animam meam ex inferno inferiori, id eft a morte æterna, aut a magnis periculis, quæ inftar inferni, id eft fepulcri infimi, id eft profundiffimi erant: aut fic, Liberafti

rasti vitam meam a sepulcro, id est a morte. *Inferiori* additur ad exaggerationem mali, aut est proprium sepulcri epithetum. Sic Hebr. Scholiastes. INIQUI. Heb. *superbi*. SUPER ME, id est contra me, insurrexerunt. ET SYNAGOGA POTENTIUM, congregatio violentorum. QUAESIERUNT ANIMAM MEAM, id est me occidere voluerunt.

V. 15. PATIENS. Hebr. *longus ad iram*, id est tardus es tu. ET VERAX, scilicet in promissis.

V. 16. RESPICE IN ME. Hebr. *ad me*. DA IMPERIUM TUUM. Heb. *robur tuum*, id est victoriam. PUERO TUO. Heb. *servo tuo*. ET SALVUM FAC FILIUM ANCILLAE TUAE; id est, non solum ego sum servus, sed & servæ filius: sic maiori iure sum tuus, & tibi maiori curæ debet esse salus mea. Aut de Christo filio Virginis intelligatur, qui salutem suam Patri commendat.

V. 17. FAC MECUM SIGNUM IN BONUM; id est, aliquo argumento ostende te mihi velle benefacere, & annuere meis precibus. Ede signum aliquod bonitatis tuæ erga me.

MALVENDAE.

Vers. 1. ORATIO IPSI DAVID, vel *ipsius Davidis*. Notant, hunc Psalmum esse orationis formam, quam David præscripsit piis, ut in gravibus rerum difficultatibus uterentur. Quamobrem nullam adhibuit circumscriptionem temporum, personarum, aut locorum, ut alibi fecit; sed his tantum argumentis utitur, quæ fidelibus omnibus convenire possunt.

V. 2. QUONIAM SANCTUS SUM. Hebr. *Quia benignus sum*, in alios, & tua benignitate dignus. Quidam: *Quia candido sum erga te pectore*.

V. 4. QUONIAM AD TE DOMINE ANIMAM MEAM LEVAVI. Alii. I. *Quoniam ad te Domine animam meam attollo*. II. *Ad te enim Domine mentem meam tollo*. III. *Ad te enim usque Domine animo meo, quantumvis in sublimi habites, pertingere conabor*. IV. *Ad te, o Iehova, levo animam meam*; id est, ad te aspiro, anhelo, te concupisco, & desidero. Vide de hac locutione Forsterum, & Mercerum.

V. 8. NON EST SIMILIS TUI IN DIIS, DOMINE, &c. Alii hunc versum reddunt. I. *Non est tibi, o Adonai, inter deos quisquam conferendus; nec est qui faciat opera, qualia tu facis*. II. *Nullus est inter Deos tibi similis, Domine; nullus tibi rebus gerendis par est*. III. *Nullus est conferendus tecum eorum quos impii homines pro diis habent, Domine; neque potest imitari quisquam opera tua*. IV. *Non est par tibi inter ullos deos, o Domine; neque sunt paria operibus tuis opera*.

V. 9. OMNES GENTES, QUASCUMQUE FECISTI, VENIENT, ET ADORABUNT CORAM TE, &c. Exponunt: Id est, adeo supra homines omnes te evehis magnifice, ut ipsæ gentes cogantur profiteri, & gloriam tibi cedere; prout etiam infideles infestæ gentes, & inimicæ Deo fecisse leguntur, Genes. XX. Exod. XVIII. & seqq. I. Samuel. VI. & aliis locis. *Quacumque fecisti*. Quidam: *Quas tu tuis operibus afficis*.

V. 11. DEDUC ME DOMINE IN VIA TUA. Heb. *Iaculare, Iace me, Iehveh, in viam tuam*. Alii: *Dirige me, Domine, in viam tuam*. Nonnulli: *Doce me, Iehova viam tuam*; id est, doctrina, ductu, & virtute tua ita me regito, ut glorificem te. ET INGREDIAR IN VERITATE TUA. Hebr. *ambulabo, ibo, pergam, in fide tua*. Alii. I. *tunc ambulabo in veritate tua*, id est in mandatis tuis, quæ abhorrent ab omni falsitate & mendacio: vel *assuefaciam animum meum, ut fidat promissis tuis*: aut *incedam in vera fide, religione, doctrina tua*. II. *ut ambulem confidenter per eam, nihil dubitans quin bona fide mihi comes itineris futurus sis*. LAETAETUR COR MEUM, UT TIMEAT NOMEN TUUM. Hebr. *Uni cor meum ad timendum nomen tuum*. Alii. I. *Coge pectus meum, ut unice timeat nomen tuum*. II. *Excita cor meum, ut unice revereatur maiestatem nominis tui*. III. *Aduna animum meum ad timendum nomen tuum*; id est, effice ut cor meum ab omnibus aliis timoribus & curis liberatum unum sit; id est, totum solidumque permaneat in timore tuo, ac non suspensum hæreat, ut Hoseæ XI. vers. 1. IV. *Uni cor meum, ut timeat nomen tuum*: ut scilicet abiecta omni alia cogitatione & studio, te unum amem, & colam, & in omnibus rebus nihil nisi te unum respiciam. Buchananus:

...pe-

... pectoris
Compone fluctus turbidos,
Tranquilla mens, ut te colat.

V. *Uni cor meum timori*, vel *cum timore nominis tui*; id est, ut unice timeat nomen tuum. VI. *Uni cor meum ad timendum nomen tuum*; hoc est, hoc unum tribue cordi meo, ut timeat nomen tuum. יחד *iached*, ut nunc scribitur, est imperativus Pihel, *uni, aduna*. LXX. videntur legisse יחד יחדה *iichadde*, vel *iachad*, futurum חדה *chadah*, *Exhilarabitur, lætabitur*, ex notione Chaldaica, ut Exod. xviii. 9. Vide Mercerum.

V. 13 Et eruisti animam meam, id est vitam meam, vel me. Ex inferno inferiori. Quidam, *de fovea subteriore*, vel *de sepulcro imo*, id est de summis periculis, & morte certa: metaphora.

V. 14. Iniqui. Hebr. *Superbi, contumaces, temerarii, insolentes*, ex malitia peccantes, non lacessiti. Et synagoga potentium. Alii: 1. *& cœtus violentorum*; 2. *& ingens robustorum turba*; 3. *& congregatio fortium*, id est qui propriis viribus fidunt; seu *terribilium*, vel *nebulonum*, aut *tyrannorum*. Quaesierunt animam meam; id est, conati sunt vitam mihi adimere. Et non proposuerunt te in conspectu suo. Alii: 1. *neque habent te præ oculis suis*; 2. *non habita ulla ratione tui*; 3. *qui non proponunt te sibi*; quasi dicat, securi tuæ iustitiæ ac vindictæ.

V. 15. Miserator. רחום *rachum*: unum ex Dei epithetis, Exod. xxxiv. 6. Vide ibi. Misericors. חנון *channun*, aliud ex attributis Dei. Vide in Exod. xxxiv. 6. Patiens. Heb. *longus narium*, seu irarum Vide ibidem. Accepit hunc versum Psaltes ex Exod. xxxiv. 6.

V. 16. Imperium tuum. Hebr. *Obfirmationem, robur, fortitudinem tuam*: sed ea vox sumitur plerumque pro regno opibus, & potentia firmato. Vide in Psal. viii. 3. & Genes. xlix. 3. Filium ancillae tuae. Exponunt, id est mulieris quæ te pure colit. Ita dixit, quod filii matrum ingenia & mores fere imitantur ob educationem primam: & quod mulieres religiosiores esse soleant. Significat, inquiunt, se ex piis & religiosis parentibus ortum esse. Vel potius exaggerat servitutem, nam *filius ancillæ*, verna est; quasi dicat: Serva vernaculum tuum, id est eum qui etiam natura est tibi servus: serva vernam tuum, in fœdere tuo a parentibus genitum, atque educatum, domesticum Ecclesiæ tuæ: sic Psal. cxv. 7.

V. 17. Fac mecum signum in bonum; id est, signo aliquo edito declara te mihi favere. Quidam: *Ede signum aliquod favoris erga me tui*, vel *bonitatis tuæ erga me*. II. *Insigniter benefac mihi*. III. *Effice erga me signum, quod bono sit*; id est, facto & opere significa, ac demonstra tibi curæ esse bonum meum, his modis qui exponuntur in fine versus. Alii: *Ede illustre aliquod signum tuæ erga me benevolentiæ*, ut vel inimici mei fateri cogantur, me tibi carissimum esse.

MENOCHII.

Vers. 1. Oratio ipsi David, scilicet divinitus inspirata.

V. 2. Animam meam, vitam meam. Sanctus, innocens, & tibi per fidei professionem.

V. 4. Laetifica animam servi tui; quæ mæret malis pressa. Animam meam levavi: te ex animo precatus sum.

V. 5. Suavis. Hebr. *Bonus*, vel *beneficus* erga omnes invocantes te. Mitis, facilis ad ignoscendum. Multae misericordiae, tam ad peccatorum remissionem, quam ad exhibitionem beneficiorum.

V. 7. Quia exaudisti me: quia exaudire me soles. In Hebr. *exaudies me*; quasi dicat, ut soles.

V. 8. In diis. Deos falsos intelligit, vel etiam Angelos, quorum nullus perfecte Deo similis est, nec illius potentiam, & reliquas perfectiones æquat. Non est secundum opera tua. Tuis factis, & operibus nulla illorum facta, aut opera comparanda sunt.

V. 9. Venient non de regionibus suis migrando, sed in locis suis credendo, & te tibi, & veræ religioni adiungendo.

V. 11. Deduc me in via tua; id est, doce me viam tuam, hoc est legem tuam. Ingrediar. Vel est optantis: Utinam ingrediar tuo beneficio in veritate tua. Vel est pronuntiantis: Ingrediar,

ince-

incedam in tua veritate. IN VERITATE TUA, iuxta veritatem fidei, & legis tuæ. LAETETUR COR MEUM, &c. Fac ut unicum, vel præcipuum gaudium meum sit, ut revertatur, & colat nomen tuum.

V. 12. CONFITEBOR, laudabo.

V. 13. EX INFERNO INFERIORI: ex summis periculis, in quibus versabar, quasi ab inferis revocans me. Convenit descensui Christi ad inferos, apud quos animam eius detineri Deus non permisit.

V. 14. SYNAGOGA POTENTIUM. Hebr. habet, *congregatio terribilium*, vel *violentorum*, & *crudelium*. QUAESIERUNT ANIMAM MEAM: vitam mihi eripere voluerunt. NON PROPOSUERUNT TE IN CONSPECTU SUO: nec tui memores fuerunt, te reveriti non sunt, obliti omnia fieri te vidente, & sentiente.

V. 15. MISERATOR ET MISERICORS. &c. Hæc epthiteta Dei videntur sumpta ex cap. XXXIV. Exod. num. 6. ubi etiam alia Deo tribuuntur. MISERATOR, commiseratione, amore, affectu res a se creatas prosequens. MISERICORS. In Hebr. est חנון *channun*, id est *gratificator*, gratiæ largitor, &, ut aliqui vertunt, *gratiosus*. PATIENS, ad iram tardus, *latis naribus*, ut est in Hebr. Vide dicta Exodi XXXIV. versu 6. in Græco est μακρόθυμος, *longanimis*. MULTAE MISERICORDIAE. Hebr. *multus beneficentia*, nam חסד *chesed* misericordiam & beneficium gratuitum significat. VERAX: fidelis in promissis.

V. 16. DA IMPERIUM TUUM SERVO TUO. Hebr. *Da fortitudinem tuam servo tuo*: non enim petit regnum, aut imperium, ut sonat vox Latina, sed auxilium, quo possit hostibus fortiter resistere, & eos vincere, & sibi subiicere. PUERO TUO, servo tuo.

V. 17. FAC MECUM SIGNUM IN BONUM: ede signum aliquod, quo in bonorum successuum spem erigar. CONFUNDANTUR, pudefiant, erubescant.

TIRINI.

Verſ. 2. SANCTUS SUM, id est, studiosus sanctitatis, & membrum sanctæ Ecclesiæ tuæ, tuoque servitio & cultui dicatus per circumcisionem, & cæremonias sanctas. Allegorice per baptismum, & alia sacramenta.

V. 11. IN VERITATE TUA, id est in lege tua, quæ veritatem practicam, id est iustitiam & sanctitatem docet. Vide Idiotismos Hebr. num. 14. UT TIMEAT; pro, *in eo quod timeat*, quasi dicat: Hæc unica sit lætitia cordi meo, quod timeat *nomen tuum*; id est, quod revereatur, amet & colat te: ita fere Euthymius.

V. 13. EX INFERNO INFERIORI. Hebraice, תחתיה *tachtiiah*, id est *infimo*, id est qui est in imo terræ, & iuxta centrum mundi, scilicet ex limbo patrum, qui est pars inferni: & eo descendit tam Christus, quam David. Moraliter designat extremas miserias & calamitates.

V. 16. DA PUERO, seu servo tuo, IMPERIUM Israelis, quod mihi hostes violente præripere tentant. Hieron. & Chald. *da fortitudinem*, nempe qua imperium mihi stabiliam.

V. 17. FAC MECUM sit SIGNUM IN BONUM, id est signum bonitatis & favoris tui erga me; quasi dicat: Declara aliquo externo signo (verbi gratia, insigni victoria, vel clade hostili) quod mihi sis favorabilis. S. Hieronymus id tropologice exponit de signo crucis, quod horret satanas.

GORDONI.

Titulus, ORATIO IPSI DAVIDI; clarus est, & ostendit argumentum Psalmi esse orationem Davidis, qua docet mortales in tentationibus & rebus adversis constitutos, debere ad Deum confugere, ut ipse nunc facit. De hoc titulo, & simili argumento, vide Psalmum XVI. Quin & Christo convenire potest sub typo Davidis: nam Christus sicut oratur a nobis ut Deus; ita etiam orat pro nobis, ut sacerdos; immo & in nobis, ut caput nostrum.

Verſ. 2. CUSTODI ANIMAM, &c. Non est superbia, si quis nuper baptizatus se sanctum nominet: aut si quis confidens in gratia Christi se esse iustificatum, si ex fiducia hac se sanctum dicat. Est etiam quædam sanctitas admittenda ex professione sanctæ religionis, & veræ fidei: sic suspicantur aliqui de Essenis apud Hebræos, quasi ὅσιος.

V. 11. LAETETUR COR MEUM. Septuag.

εὐφρα-

εὐφρανθήτω. Heron. *Unicum fac cor meum*; forte ne multiplex sit, admittens aliud contra Dei cultum. Dilatari cor solet ex lætitia; sed dividi non debet: lethale est. Ubi nos habemus, *lætetur*, in Hebræo est יחד *iacbed*, a radice יחד *iachad*, *unire*. At Septuag. legerunt יחד *iecbad*, *lætabitur*, a radice חדה, quod est *lætari*. quamvis in sensu non sit apparens diversitas: nam cor liberali timore unitum, potest lætari; & qui lætatur in Domino, est Deo unitus, ac, ut dixit Aquila, μοναχῶς se habet.

V. 13. Inferno inferiore, &c. Mirum satis est, quam hoc varie exponatur: nec convenit, an intelligatur grave periculum mortis, vel sepulcrum, vel locus iustorum purgandorum: nam locus damnatorum non admittit liberationem. Sane si de Christo placet hunc locum interpretari, erit, ut Psal. xv. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*, hoc est in limbo, aut receptaculo iustarum animarum, quotquot liberæ erant a debito ulterioris purgationis; si vero de Davide, aut alius hoc accipiatur, vere per misericordiam redemptionis, & gratiam liberati sunt a peccato, & inferno inferiore damnatorum.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 1. usq. ad 9. Inclina, &c. Incipit ab invocatione Dei, & confessione imbecillitatis suæ. Duobus titulis petit se audiri; quia sperat in Deo; & quia sanctus est. In quo nulla, ut dicam, est nota superbiæ. Consolationem petit versu 3. quia constanter petit, & rebus creatis non adhæret, sed Deo, qui mitis est, & multæ misericordiæ invocantibus.

V. 9. & 19. *Omnes gentes*, &c. Dixit se non rebus creatis, sed Deo velle adhærere, quia non est similis illi, & cuius maiestatem omnes adorabunt: quod sub Christo inchoatum est: & in die iudicii omnes omnino scient eum esse verum Deum, & cultum verum adorationis soli Deo debitum fuisse, quando omne genu illi flectetur. Alia addit similia, sed clara.

BOSSUET.

Vers. 9. Omnes gentes. Manifesta vocatio gentium.

V. 11. Laetetur, &c. *unicum fac cor meum*: Hier. ne scindatur variis affectibus, teque unum spiret.

V. 13. Ex inferno inferiori, e sepulcris infimis.

V. 16. Imperium, *fortitudinem*, Hier. Filium ancillae, vernam tuum herili imperio assuetum. Sic Psal. cxv. 16. *Ego servus tuus: & filius ancillæ tuæ*.

V. 17. Signum bonum, insigne favoris tui.

PSAL.

PSALMUS LXXXVI. MORALIS.

Sion, & Ecclesia viris egregiis præ omnibus populis abundat. AEgypti porro, & Babylonis mentio ultima Regum tempora demonstrat.

VERSIO S. HIERONYMI.

Filiorum Core Psalmus Cantici.

FUndamenta eius in montibus sanctuarii.

Diligit Dominus portas Sion: super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt in te civitas Dei. Semper.

Commemorabor superbiæ & Babylonis scientium me, ecce Palæstina & Tyrus cum AEthiopia iste natus est ibi.

Ad Sion autem dicetur: Vir, & vir natus est in ea, & ipse fundavit eam Excelsus.

Dominus numeravit scribens populos: ipse natus est in ea. Semper.

Et cantabunt quasi in choris: omnes fortes mei in te.

VERSIO VULGATA.

Filiis Core, Psalmus Cantici.

1. FUndamenta eius in montibus sanctis: 2. diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

4. Memor ero Rahab, & † Babylonis scientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus AEthiopum, hi fuerunt illic.

5. Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus?

6. † Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum, horum, qui fuerunt in ea.

7. † Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

V. 4. *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me*. In aliis libris est dativus *scientibus*, conformiter Græco.

V. 6. *Dominus narrabit in scripturis populorum*. In antiquis libris extat *scriptura*, numero singulari, Hebræo, & Græco similiter.

V. 7. *Sicut lætantium omnium habitantium est in te*. A bonis libris omittitur verbum substantivum *est*, consentanee Græco.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. FUNDAMENTA EIUS. *Eius*, scilicet Psalmi, ut Hebræi exponunt: putant enim hæc verba ad titulum pertinere; quasi diceret, Psalmus, cuius fundamentum, id est argumentum, est de montibus sanctis Moria, ubi templum

plum ædificatum erat, & Sion, ubi erat regia Davidis.

V. 4. MEMOR ERO RAHAB, &c. Hebr. *Rahab*, intelligit AEgyptum; quasi diceret: Veniet tempus, quo tempore eas gentes, quæ longissime aberant a vera religione, ut Rahab, & Babylonem, donem civitate Sionis, id est adducam ad Ecclesiam meam cognoscentes me. *Ecce Phælisthæa, & Tyrus cum AEthiopia: hic natus est ibi*; id est, quisque eorum ita habitus est civis Sionis, hoc est Ecclesiæ, quemadmodum si in ea natus esset. Septuag. עם כוש *cum AEthiopia*, legerunt עם כוש, λαὸς τῶν Αἰθιόπων.

V. 5. NUMQUID SION DICET? &c. Heb. *Ad Sion*, aut *de Sion dicetur*: *Homo, & homo*; id est, omnis homo natus est in ea: quia omnes venient ad Ecclesiam. Isai. LII, 10. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei*.

V. 6. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM. Hebr. *Dominus numerabit, cum scribet populos: Hic natus est ibi*; id est, ponet eas gentes in numero suorum. Septuag. coniunxerunt quod sequitur, שרים.

V. 7. SICUT LAETANTIUM OMNIUM. Hebr. *Cantores sicut tybicines* (erunt ibi) id est magna copia: aut *cantores pariter ac tibicines*. HABITATIO EST IN TE. Hebr. *omnes fontes mei in te*: omnis ingenii mei vena celebrabit te.

S A.

De Ecclesia.

Vers. 1. EIus, scilicet Dei ædificantis, vel templi: est enim Græc. αὐτοῦ. MONTIBUS, scilicet Moria, & Sion, qui coniuncti. SANCTIS. Hieron. *sanctuarii*.

V. 2. PORTAS, id est urbem. Chald. *portas sanctuarii structas in Sion*. SUPER, id est plusquam.

V. 3. GLORIOSA. Chald. *honorifica*. DICTA SUNT, scilicet per Prophetas.

V. 4. RAHAB, id est AEgypti, a *Rahab*, id est *superbo*, scilicet Rege. Hieron. *superbiæ*. Chald. *AEgypti*. SCIENTIUM, id est agnoscentium. Prædicitur conversio Gentium. ALIENIGENAE. Hieron. *Palæstinæ*. Chald. *Palæstini*. FUERUNT, scilicet cives. ILLIC, scilicet in Ecclesia significata per Ierusalem.

V. 5. NUMQUID, pro nonne. SION, id est de Sion, seu Sioni. HOMO, ET HOMO, id est quisque, seu plures, scilicet dicent; vel quasi dicat: Plurimi in ea nascentur, scilicet per baptismum, ut coniungatur cum *natus est*. NATUS EST, &c. quasi dicat, Deus in ea natus est, scilicet in Iudæa, seu cordibus credentium. Vel, *Homo, & homo natus*, id est multi nati, scilicet spiritualiter, ut supra dixi.

V. 6. POPULORUM, id est ubi populi docentur, vel recensentur; quasi dicat: Ibi narrabitur quod dicimus. PRINCIPUM, scilicet Apostolorum, quorum libri pleni Ecclesiæ encomiis.

E S T I I.

Vers. 1. & 2. FUNDAMENTA EIUS IN MONTIBUS SANCTIS: DILIGIT DOMINUS PORTAS SION SUPER OMNIA TABERNACULA IACOB. Exordium abruptum est. Cum enim nullius civitatis antea meminisset, utitur tamen relativo *eius*. Causam abrupti exordii adfert Augustinus, quia Propheta repletus Spiritu sancto, & multa de amore, ac desiderio huius civitatis volvens animo, tandem in hæc verba erumpit: *Fundamenta eius*, &c. *Eius*, videlicet cuius iam in Propheta præcesserat intenta meditatio. Potest etiam hoc ipsum referri in phrasim linguæ Hebraicæ, qua sicut interdum antecedens ponitur pro relativo, uti, *Dominus pluit a Domino*; ita subinde relativum ponitur, ubi antecedens non præcessit, sed sequitur, ut in hoc loco: *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion*: ubi *Sion* est antecedens. Et tota oratio hoc ordine construi potest: Dominus diligit portas Sion, cuius Sionis fundamenta sunt in montibus sanctis. Vel, ut vertit Hieronymus, *sanctuarii*. Et sensus est: Dominus elegit in locum cultus sui, civitatem Sion vel Ierusalem fundatam in montibus sanctis, id est præ ceteris civitatibus terræ sanctæ.

Mystice significatur, Ecclesiam Christi tamquam cælestem Ierusalem a Deo di-

dilectam esse, & electam super tabernacula Iacob, id est super transitorium illum & terrenum statum veteris populi, & legis.

V. 5. NUMQUID SION DICET: HOMO, ET HOMO NATUS EST IN EA? Apud Septuag. duplex est lectio. Quædam exemplaria habent: *Numquid Sion dicet?* Alia: *Mater Sion dicet?* Priori modo legit Commentarius Hieronymo adscriptus, addens occasionem erroris, cur alii legant *mater*, ex similitudine vocum *μήτι*, & *μήτηρ*. Augustinus tamen, & Cassiodorus legunt *mater*: & sic habent hodierna exemplaria Græca. Vera tamen videtur esse, *Numquid?* Idque satis concordat cum Hebr. ubi sic legitur: *Sioni dicetur*. Unde & id quod nos habemus similiter intelligendum, *Numquid Sion?* id est, Sioni dicet aliquis; id est, vere aliquis dicere poterit Sioni: *Homo, & homo natus est in ea*. Hebr. sic: *Vir, & vir natus est in ea*; id est, quamplurimi viri robore, & sapientia præstantes in ea nati sunt. Prophetia autem est de spirituali civitate Dei, id est Ecclesia, in qua omnium nationum homines, & inter eos, viri quoque sæculari sapientia præstantes per fidem aliquando regenerandi essent.

MARIANAE.

Vers. 1. FILIIS CORE, PSALMUS CANTICI: aut ex Hebr. *Filiorum Core Psalmus Canticum*: de qua re plura ante sunt dicta. Laudat Sion, Ierusalemque, & in ea Christi Ecclesiam. FUNDAMENTA EIUS. Hebræi hoc cum titulo iungunt, hoc sensu: Fundamentum eius, scilicet Cantici, in montibus sanctis; id est, montes sancti sunt argumentum Psalmi. Nos iungimus cum sequentibus, & relativum *eius* intelligimus de *Sion*. Sæpe in ea lingua relativum ponitur sine antecedente, aut illud præcedit.

V. 2. DILIGIT DOMINUS; id est, pluris facit eam arcem, & templum, quam reliquam regionem. IACOB, id est Iudæorum.

V. 3. GLORIOSA DICTA SUNT, scilicet a Prophetis multa de Sion dicta, tum ob suam dignitatem, tum quia nostræ Ecclesiæ & typus, & origo fuit.

V. 4. MEMOR ERO RAHAB. *Rahab* Heb. per ה, at *Rahab* meretrix per ח. Ergo sic vocatur AEgyptus, a fortitudine, & a superbia. Utrumque vox *Rahab* significat. Hebr. *Narrabo* (in) *Rahab*, & *Babylone*. Quid? scilicet dotes tuas Sion. SCIENTIUM ME, pro *scientibus me*: sic Hebr. sic Græce, *τοῖς γινώσκουσίμε*; quasi dicat: Non omnibus narrabo, sed iis qui ibi me colunt. ECCE ALIENIGENAE. Heb. *Philisthæi*, quos semper Septuag. vocant *Allophylos*. ET POPULUS AETHIOPUM. Hebr. *cum AEthiopia*, id est AEthiopibus. HI FUERUNT ILLIC; id est, in Sion fuere variæ nationes. Itaque frequens incolis est. Hebr. *Hic natus est in ea*; id est, ex his gentibus aliquos designare possumus, qui nati sunt Ierosolymis.

V. 5. NUMQUID SION DICET? Græce, *μήτηρ Σιων*, *mater Sion*: sic Psalt. Rom. sic Tertullianus, & Apollinaris; quasi dicat: Sic eam homines vocabunt. Hebr. *Et ad Sion dicetur*. HOMO, ET HOMO NATUS EST IN EA; id est, multi homines ex indigenis sunt. Multo plures cives quam advenæ. Quod ad prudentiam civilem spectat, ne externi numero ceteros vicant. ET IPSE FUNDAVIT EAM ALTISSIMUS? id est stabilivit, eam ea prudentia roboravit, ut plus suarum virium habeat quam externorum.

V. 6. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM. Heb. sic verterem: *Dominus numerat in scriptura populos*; id est, de scripto habet numerum singulorum. ET PRINCIPUM HORUM; pro, multo magis Principes numeratos, & cognitos habet. Hebr. *Hic natus est ibi*, iunge cum illo, *Dominus numerat de scripto populos*. *Hic natus est ibi*, id est singulos, qui ibi nascuntur: ne scilicet putes externos plures civibus fore.

V. 7. SICUT LAETANTIUM OMNIUM; id est, præter frequentiam, quod supremum est, omnes læti ibi degunt. Hebr. *Cantores sicut tibicines*; id est, non minori ibi numero sunt cantores (qui laudent Deum) quam alibi tibicines, quod ad lætam vitam facit, ubique chori, ubique cantus personant. HABITATIO EST IN TE. Hebr. *omnes fontes mei in te*, scilicet bonorum & iucunditatum scaturigines. Sic Septuag. sententiam expressere vitatis verbis, quia obscura videbantur. Hieronym.

nym. *Cantores quasi in choris omnes fontes mei in te*. Ut videas Hieronymum legisse Hebraica ut nunc sunt. Hebræus Scholiastes: *Cantores sicut tibicines*, pro cantores, & tibicines (laudabunt, scilicet Deum, dicentque singuli) *omne studium meum in te*. Ita *machianai*, pro qua voce alii *fontes* ponunt, hic sumit pro cura & studio.

MALVENDAE.

Vers. 1. FILIIS CORE. Vide in Psal. XLI. vers. 1. PSALMUS CANTICI, vel *Psalmus Canticum*, seu *Modulatio*, & *Cantio*. Vide in Psal. XLVII. vers. 1. FUNDAMENTA EIUS IN MONTIBUS SANCTIS. Hebræi, quia relativum *eius* est masculeum, non ad urbem aut Tziionem, aut Ierusalaim referunt, quæ sunt feminea, sed ad Psalmum, seu Canticum; id est, *fundamentum*, seu argumentum *huius* Psalmi iactum est *in montibus sanctis*; hoc est, est de Ierusalem, quæ fundata est in montibus sanctis Tziione, Moria; quasi dicat: Psalmus iste conscriptus est de dignitate & excellentia Ierusalem. Sed nomen urbis Hæbreis interdum est masculeum: unde passim ad urbem Ierusalaim accommodant: *Fundamentum eius* urbis *in montibus sanctis*. Quidam addunt: *Fundamenta huius urbis iacta sunt in montibus sanctimonia maximis*. Nonnulli relativum *eius* ad Deum referunt, & pro reciproco capiunt: *Fundationem suam inter montes sanctitatis, diligit Iehova*, &c. nam sequentibus iungunt. Per fundationem autem Dei intelligit, inquiunt, Psaltes Ecclesiam, quam Deus secundum æternum decretum suum, & beneplacitum voluntatis suæ fundavit in Christo. IN MONTIBUS SANCTIS, seu *inter montes sanctitatis*. Exponunt: Id est, quam fundavit in Chanahanæa, montosa regione, sanctificata ad habitationem suam, & populi sui, Exod. XV. 3. & 17.

V. 2. DILIGIT DOMINUS PORTAS SION. Istud ita accipiunt: Id est, singulari quodam modo suæ dilectionis erga Ecclesiam in hoc loco significationem exhibet: ut cum sacrificandus esset Iitzchak, Genes. XXII. cum extensurus esset Angelus manum suam contra Ierusalaima, II. Samuel. XXIV. 16. denique cum præsentia, verbo, & opere ostendit se locum illum elegisse ad habitationem suam: donec advenit tempus, quo nec in monte, neque Ierusalaimis adorandus esset Deus, Ioann. IV. 21. SUPER OMNIA TABERNACULA IACOB. Quidam, *supra quam ulla tabernacula Iahakobi*; id est, magis quam ulla alia loca Chanahanææ, ubi habitabat gens Iahakobæa, ut ipse Deus explicat Deuteronom. XII. 5. & seqq.

V. 3. GLORIOSA DICTA SUNT DE TE, CIVITAS DEI. Hebr. *Gloriosa*, *honorifica dictum in te*: discordia numeri; id est, quodcumque gloriosum dictum est in te, o civitas Dei. Quidam: *Honoratæ res (dictum est) in te* sunt *civitas Dei*; id est, dictum est, o civitas Dei, quod res honore dignæ in te sunt. Alii sprета enallage numeri, reddunt: *Magnifica, gloriosa, præclara, splendida dicta sunt de te, o civitas Dei*. Aliqui: *Honorificentissima sunt quæcumque prædicantur de te, o civitas Dei*; id est, nihil honorificum non prædicatur de te, & nihil prædicatur de te, quin sit honorificentissimum. Hic additur *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Summe honorifica*; 4. O præclaram honorificentiam urbis Dei!

V. 4. MEMOR ERO RAHAB. Hæc vox proprie *tumorem*, *elationem*, *altitudinem*, *superbiam* significat: inde transfertur metonymice ad significandum AEgyptum; propter superbiam ipsius, quam Prophetæ reprehendunt: pro AEgypto fere omnes accipiunt hic, & infra Psal. LXXXVIII. vers. 11. Isaiæ XXX. vers. 7. & cap. LI. vers. 9. Iam versum multifariam ex Heb. explanant. I. *Recordabor superbam*, AEgyptum, & *Babelem scientibus me: ecce Palestina, & Tyrus cum AEthiopia; iste natus est ibi*; id est, cum mandata dedero meis Apostolis scientibus nomen meum, recordabor ut Evangelium in AEgypto etiam, & in Babylone prædicent, regionibus mihi, & populo meo aliquando inimicissimis, ut in quibus aliis. Synecdoche: & sane Palesthina, & Tyrus, & AEthiopia, ac ceteræ nationes audient Evangelium, & in eis quisque fidelis renascetur per baptismum. II. *Commemorabo Rahab, & Babylonem iis qui sciunt me: ecce Palesthina, & Tyrus cum AEthiopia; iste natus est ibi*. III. *Memorabo AEgyptum, & Babylonem cum his qui me agnoscunt*,

ſcunt, ſive *inter ſcientes me*; id eſt, reputabo eos inter domeſticos, notos, ac familiares meos: *ecce Paleſthina, & Tyrus cum AEthiopia; iſte natus eſt ibi*, ſingulare pro plurali, *iſti nati ſunt ibi*; quaſi dicat: De illis etiam urbibus valde aliquando infenſis populo Dei, multi in conſortium illorum, & Eccleſiam Dei accenſebuntur, & concives eorum efficientur. IV. *Faciam meminiſſe Rahab, & Babylonis, hos qui me noverunt: en Paleſthina & Tzor cum AEthiopibus, ille natus eſt in ea*. V. Putant ordinem inverſum, quem ita reſtituunt, ut ſenſus cadat in ſequentem verſum: *Ecce ſi memorem de AEgypto, & Babylone apud cognitores meos, de Tyro, & Paleſthina cum AEthiopia: tunc dicetur; iſte natus eſt ibi*; id eſt, ſi verba facerem de AEgypto, & Babylone ad eos qui eas norunt perinde ut ego novi, vel apud eos qui ſeſe horum peritos iactant; item de Palæſthina, Tyro, & AEthiopia; dicerent, quod in illis regionibus unus aut alter vir excellens & clarus natus ſit: *contra de Tziione dicetur: Vir & vir natus eſt in ea*, &c. quaſi dicat: In Tyro, Babylone, &c. vix unus aut alter invenitur, vir clarus, aut qui Deum colat; at in Ieruſalaim quam plurimos veri Dei cultores invenies. VI. *Memorabo AEgypto, & Babyloni, notis mihi urbibus Paleſtinæ, denique Tyro & AEthiopiæ: Ecce ille natus eſt iſthic*. VII. *Memorero AEgyptiorum, & Babyloniorum agnoſcentium me: ecce rem novam, Philiſthæa, & Tyrus una cum AEthiopia accurrent, propterea quod inſignis ille natus ſit ibi*, nempe æternus Filius Dei. VIII. *Memoro AEgyptium, & Babylonium apud noſcentes me; ecce Palæſtinum, & Tyrium cum AEthiope, hunc genitum eſſe ibidem*. Notant, Vatem hic poſtquam deſcripſit laudes Eccleſiæ a perſona Dei, Eccleſiam præſentia ſua, & beneficiis honeſtantis, tribus verſibus ſuperioribus, hinc iam incipere laudare eamdem Eccleſiam a perſona eorum qui in Eccleſia converſaturi ſunt: quia Iudæi accenſuri ſunt gentes Eccleſiæ ſuæ, & Deus cooptaturus, ut fiat unum ovile ſub paſtore uno, ab hoc verſu 4. ad finem Pſalmi; quaſi dicat: Maximum quidem eſt, Deum huic Eccleſiæ adeſſe, eam fundaſſe, eam diligere, in ea coli, eamque omni honore proſequi; ſed amplius adhuc afficior, quoties cogito ac memoro Deum pro decreto ſuo immutabili effecturum, ut hæc tua bona & honores, qui nunc anguſtis Iudææ finibus continentur, ac terminantur, ad omnes gentes perveniant, ut generentur in Chriſto, hoc verſu; Eccleſiæ accenſeantur, verſu ſequente; ac proinde eorum nomina in cælis, ut in terra conſcripta habeantur, verſ. 6. *Apud noſcentes me*, id eſt familiares meos, & cives eiuſdem Eccleſiæ: *hunc genitum eſſe ibi*, nempe hunc AEgyptium, & Babylonium, Palæſtinum, Tyrium, & AEthiopem, quos prædixerat, id eſt iam prædeſtinatum, & præfinitum eſſe, ut fiat Dei, & Eccleſiæ filius regeneratione ex aqua, & Spiritu ſancto per fidem Chriſti; quod ſequentis verſus exegeſis oſtendit.

V. 5. Numquid Sion dicet: Homo et homo? &c. Diverſimode hunc verſum ex Hebr. elucidant. I. *Et Tzioni*, vel *de Tzione dicetur: Vir, & vir natus eſt in ea: & ipſe fundabit eam Excelſus*; id eſt, Eccleſiæ Iudaicæ dicetur, quod & vir Iudæus, & vir gentilis nullo diſcrimine naſcentur per aquam, & Spiritum in ea, & quod ex Iudæis & Gentibus conflabitur una Eccleſia, quam ipſe Deus quotidie magis ac magis fundabit, & augebit. II. *Ad Tziionem autem dicetur: Vir, & vir natus eſt in ea, & ipſe præparavit eam Excelſus*. III. *Et de Tziione dicetur: Vir, & vir natus eſt in ea, & ipſe confirmabit eam Altiſſimus*. IV. *At de Tziione dicetur: Vir, & vir natus eſt in ea*; id eſt, quamplurimi viri veri Dei cultores in ea nati ſunt: non unus aut alter, ut in aliis ethnicis nationibus: *& ipſe Excelſus confirmat eam*; id eſt, & dicetur, inquam, quod ipſe Altiſſimus ſtabilit, & conſervat eam. V. *De Sion quidem dicetur, quod plurimi nati ſint in ea: ſed inſignis ille* qui natus eſt in ea Dei Filius, *confirmabit eam, cum ſit Altiſſimus*. VI. *Ideo de Tziione fore ut dicatur: Hic, & ille vir genitus eſt in ea: ipſumque ſtabiliturum eam Excelſum*, id eſt, fore ut gentiles in Eccleſia Chriſti agnoſcantur, & Deus adoptatis gentibus per Chriſtum, Eccleſiam ſervet, quæ alioqui per Iudæorum incredulitatem, & urbis ac templi excidium intercidiſſe videretur: *ſtabiliturum eam*, id eſt, in ſtatu conſervaturum & confirmaturum, ut

por-

portæ inferorum non prævaleant ei. *Excelsum*, id est Christum, in cuius manum omnia dedit Pater, qui idem est Iehova, sequente versu.

V. 6. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM ... HORUM, QUI FUERUNT IN EA. Heb. *Iehveh enumerabit in scribendo*, vel *cum scribet*, *populos*: *Iste natus est ibi*. Alii. I. *Iehovam annumeraturum conscribendo populos*, *hic genitus est ibidem*; subaudi e præcedente versu, *fore ut de Tziione dicatur*: *Iehovam annumeraturum*, &c. id est, Christum verum Deum accensurum, connumeraturum, & adscripturum Ecclesiæ suæ gentes & populos, & unumquemque regeneraturum per aquam, & Spiritum, ac fidem in ipsum. Quidam volunt esse metaphoram Regis conscribentis exercitum. Alii, quod Christus suos fideles quasi in libro conscriptos habeat, summamque eorum curam & rationem gerat. II. *Quin & Dominus ipse in annales populorum referet*, *quod ille natus sit in ea*, scilicet, ille Dei Filius. III. *Dominus commemorabit in descriptione populorum*, *quod insignis ille natus sit ibi*. Nam hoc unum Evangelia memorant. Additur hic *selah*; id est, 1. *In perpetuum*; 2. *Ita res habet*; 3. *Excellentissime*.

V. 7. ET PRINCIPUM .... SICUT LAETANTIUM OMNIUM HABITATIO EST IN TE. Varie alii ex Hebr. I. *Et principes erunt sicut parturientes*: *omnes fontes mei in te*; id est, Apostoli parturient, & generabunt filios Ecclesiæ, Galat. IV. vers. 19. omnes fontes mei gratiarum & bonorum spiritualium erunt in te, o Ecclesia mea. Sunt verba Christi. II. *Et cantores sicut choream ducentes*: *omnes aspectus mei in te*. III. *Et cantores sicut choraules*: *omnes contemplationes*, vel *meditationes*, *cogitationes*, *meæ in te*. IV. *Et cantores ut tibicines*; subaudi, laudes dicent tibi; quasi dicat: Et voce, & musicis instrumentis laudes tuas modulabuntur: *omnes fontes mei in te*, vel scaturigines, hoc est modulationes, quæ e pectore, & gutture quasi e fonte scaturiunt & ebulliunt. Alii: *Omnes oculi mei*, *aspectus mei in te*; quasi dicat: Semper oculos meos & aspectus in te coniectos habebo. V. *Hinc cantorum*, *& saltantium omnium habitatio in te est*. VI. *Interim principes laudent instrumentis musicis præ gaudio*: *& mea omnia studia occupata erunt in laudando te*, *propter hæc tam mira quæ fient in te*. VII. *Et cantores sunt sicut fistulatores*; id est, tot cantores sunt, quot fistulatores, id est canentes tibiis, vel fistulis: *omnes scaturigines meæ in te*; id est, in Ecclesia omnes gratiarum, & scientiarum, sive doctrinarum fontes scaturiunt; sive fontes baptismi, cantica, & laudes. VIII. *Quapropter canunt æque, ac choreas ducunt*, vel *tripudiant*, *omnes fontes mei*, sive *exsultant omnes fontes vitæ meæ*, *de te*. Conclusio prædicans allegorice laudes Ecclesiæ, superiorum bonorum nomine; quasi dicat: Quidquid in me vitæ est, conspirat quodammodo, ut concentum quemdam, & quasi harmoniam symphonicam edat tuarum laudum, & gloria illa ac exultatione gestiat. *Et principum*. Legerunt שרים *sarim*, cum puncto sinistro in Scin, *principes*: exemplaria nunc cum Scin dextro habent *cantores*. *Lætantium*. חוללים *cholelim*, a *chalal*, *tibicinantes*, *fistulantes*, *chorizantes*, *choreas ducentes*, *fistulas canentes*; quasi profani, communes, publici, qui publicis & communibus lætitiis inserviunt. Alii a חול *chul*, *enitentes*, *parturientes*. *Omnium habitatio*. Videntur legisse cum Vau immutatis punctis, מעני *magboni*, *habitatio mea*, vel *habitatio*, ut *Iod* sit paragogicum. Nunc legitur cum *Iod*, מעיני *maghianai*, *omnes fontes mei*, seu *scaturigines meæ*, *in te*. Quidam ita accipiunt: Quidquid carminis vena ingenii mei profuderit, id ego omne tibi consecro, dedico: ut illud Poetæ:

Sed tamen exiguo quodcumque ex pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ

MENOCHII.

Vers. 1. FILIIS CORE. Vide dicta ad titul. Psal. XLI. PSALMUS CANTICI. Vide dicta ad titul. Psal. XXIX. FUNDAMENTA EIUS IN MONTIBUS SANCTIS. Hebræi putant hæc verba ad titulum pertinere, & sensum esse: Fundamentum, sive argumentum, & materia Psalmi huius, in montibus sanctis versatur: celebrat enim montem Sion, & montem Moria Deo dicatos, & consecratos. Nostri malunt esse relativum sine

ne antecedente, vel relativum præpositum antecedenti. Fundamenta, & principia, scilicet Ecclesiæ sunt in montibus sanctis. *Montibus sanctis*. Videntur montium allegoria significari Apostoli: nam, ut ait D. Paulus ad Eph. XI. *cives sanctorum, & domestici Dei superædificati sunt supra fundamentum Apostolorum*, &c.

V. 2. DILIGIT DOMINUS PORTAS SION: diligit Dominus eximie portas Sion, quia fortissimæ sunt, & munitissimæ. SUPER OMNIA TABERNACULA IACOB, plusquam urbes, & oppida reliqua populi Israelitici.

V. 3. DICTA SUNT DE TE a Prophetis. CIVITAS DEI, Sion, Ecclesia.

V. 4. MEMOR ERO RAHAB. Vox *Rahab* non significat Rahab meretricem, cuius mentio est in Libro Iosue cap. 11. nam nomen meretricis scribitur per Chet רחב *Rachab*, & Græce, ῥαχάβ. At vero vox *Rahab*, quæ hoc versiculo habetur, scribitur per He רהב, & Græce ἀαβ: & passim docent Psalmorum interpretes AEgyptum significare, sive Regem AEgypti, cui a superbia cognomentum factum est, nam רהב superbum significat. Sensus ergo est: Ego Deus conditor Sionis, in advocandis, & conscribendis electis civibus illius, non solum memor ero Iudæorum, sed etiam AEgyptiorum, & Babyloniorum. SCIENTIUM ME: qui scilicet per fidem, & religiosum cultum cognoscent me. In Græco est γινώσκουσί με, *cognoscentibus me*. ALIENIGENAE, Philisthæi. Vide dicta Psal. LXXXII. 8. HI FUERUNT ILLIC: in Sione, in Ecclesia erunt. Vide explicationem sequentium.

V. 5. NUMQUID SION DICET? &c. Symmachus habet περὶ δὲ Σιὼν λεχθήσεται: *De Sion autem dicetur*. Hi duo versiculi quartus, & quintus in Hebr. sic se habent ad verbum, ut vertit Pagnin. *Memorare faciam Rabab, & Babel scientibus me: ecce Palæstina, & Tyrus cum AEthiopia, iste natus est ibi: & ipsi Sion dicetur: Vir, & vir natus est in ea, & ipse firmabit eam Altissimus*: & sententia esse videtur: Si quando cum scientibus me, hoc est, amicis, & familiaribus meis memoriam veterum revocavero, & viros insignes commemoravero, qui in externis regionibus nati sunt, & dixero, AEgyptus, aut Babylon, aut Palæstina, &c. hunc, aut illum virum fama inclytum protulit. Numquid poterit etiam Sioni dici: Vir, hoc est (ut vulgo dicimus) talis, aut talis, in ea natus est? Poterit ne heroas virtute pares proferre Sion, quibus glorietur? Poterit utique: nam multos cives suos gloria nominis insignes numerat, & præterea ex hoc etiam capite gloriari poterit, quod ipsam Altissimus Deus fundaverit.

V. 6. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM, &c. Hos viros insignes, Sionis cives, Dominus commemorabit in Scripturis sacris, & historiis Ecclesiasticis; quæ sunt historiæ populorum fidelium, & principum Ecclesiæ; sic Apostolorum mentio est in Evangelio, Actis Apostolorum, &c. HORUM QUI FUERUNT IN EA. Nomina virorum insignium, qui Sionem, hoc est Ecclesiam illustrarunt.

V. 7. SICUT LAETANTIUM OMNIUM, &c. quasi dicat: Vere gaudent qui in te habitant, nam peccatorum remissio, conscientiæ tranquillitas, regeneratio, & adoptio spiritualis in filios, & heredes Dei, & spes futuræ beatitudinis mirum quantum lætitiæ iis afferunt qui Sion, hoc est Ecclesiam, habitant; cumulata vero & omnibus numeris absoluta lætitia, in superna & cælesti Sion reperitur.

TIRINI.

Vers. 1. FUNDAMENTA EIUS, αὐτῶ, id est templi Sion, vel populi Ierosolymitani; quasi dicat: Fundatum est templum, & Ecclesia Dei, IN MONTIBUS SANCTIS, scilicet Moria, & Sion. Allegorice, super Apostolos. Ita Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Et patet ex Apocal. XXI. 19.

V. 2. PORTAS, id est urbem, SION SUPER OMNIA TABERNACULA IACOB, id est plusquam reliquas omnes civitates Israel.

Allegorice Ecclesiam Christi plus quam synagogam.

V. 3. DICTA SUNT, per Prophetas, de Ecclesia, maxime cælesti.

V. 4.

V. 4. MEMOR ERO RAHAB, id eſt *AEgypti*, ut vertit Chaldæus, quæ a ſuo Rege רחב *Rabab*, id eſt *ſuperbo*, ſic vocari videtur. Hieronymus vertit *ſuperbiæ*; quaſi dicat: In hac Eccleſia etiam ſuperbi AEgyptii, & Babylonii *ſcient*, agnoſcent, & colent ME: unde & ego viciſſim eos agnoſcam, & *memor ero* illorum. Porro meretrix רחב *Rahab* non poteſt dici hic nominari, ut vult Theodoretus, quia hæc ſcribitur per Ch. ALIENIGENAE, id eſt *Philiſthæi*, ut vertit Hieronymus & Chaldæus, *fuerunt illic* cives, & incolæ. Hebraice: *Nati ſunt ibi*, in Sione, & Eccleſia, per baptiſmum.

V. 5. SION DICET (Hieronymus, & Chaldæus, *Sioni dicetur*, congratulando illi) HOMO, ET HOMO; id eſt, plurimi homines nati ſunt in ea. Hebraice: *Viri*, איש *iſch*, nempe ſtrenui, excellentes robore, opibus, ſapientia, prodierunt ex Sion. Quos.

V. 6. DOMINUS NARRABIT, ſeu recenſebit, IN SCRIPTURIS, id eſt ex catalogo ſuo, ſeu libro divinæ ſcientiæ ſuæ, in quo ſingulos deſcriptos habet; quaſi dicat: Tantus eſt numerus, ut uni ſoli Deo conſtet, qui proinde etiam ſolus enarrare poteſt, quantus populus, & quot quantique principes Ieroſolyma prodierint, & olim prodibunt. Allegorice ex Eccleſia Chriſti.

V. 7. SICUT LAETANTIUM, &c. id eſt, quotquot in te habitant, veriſſime lætantur, tripudiant, triumphant. *Sicut* enim non eſt hic nota ſimilitudinis, ſed aſſeverationis. Hoc pleniſſime complebitur in cælis, inquit ſanctus Auguſtinus.

GORDONI.

Titulus: FILIIS CORE, PSALMUS CANTICI. Titulus vero apud Chaldæum eſt: Per manus filiorum Core dictus eſt Hymnus: & canticum, fundatum in ore Patrum antiquorum. Argumentum Pſalmi eſt laus civitatis Ieroſolymitanæ. Laudatur vero a fundamentis in montibus Moria, & Sione (ubi templum erat) a portis, & ab habitatoribus, hominumque frequentia. Verum tota hæc laus, & amplior etiam, convenit ſpirituali Ieruſalem, ſeu Eccleſiæ tum militanti, tum triumphanti, ut cum Auguſtino multi hunc Pſalmum interpretantur.

Verſ. 1. FUNDAMENTA EIUS, &c. Septuag. θεμέλιοι αὐτοῦ. Heb. ut nunc eſt, יסודתו *ieſudatho*, *fundamentum eius*. Alii plurali יסודתו *ieſudatho*, סוד, *firmamentum ſecretum*, radix eſt יסד in Piel, *fundavit*. Sed cum pronomen in Hebræo ſit maſculinum, quomodo refertur ad Sionem civitatem, generis feminini? Ait Genebrardus nomina urbium Hebræis ſæpe eſſe maſculina. Eſt etiam enallage generis aliquoties apud Hebræos in aliis rebus. Et ſunt qui τὸ *eius* referunt ad Deum, vel Chriſtum, vel populum, qui urbem conſtituit. Ex his opinionibus placet magis illa quæ probat enallagem.

V. 4. MEMOR ERO, &c. Poſt deſignatam gloriam Ieruſalem, ubi etiam ad deſignandam excellentiam additur illud ſolemne סלה (quod vertit Hieronymus, *ſemper*; alii *in æternum*) hic verſ. 4. introducitur Deus ipſe loquens, & prædicens fore ut in ea civitate agnoſcat etiam hoſtes antiquos Iſraelis, qui Deum agnoſcent. Laus eſt a multitudine gentilium convertendorum, ut dixi in argumento. De voce *Raab* certatur: nam aliqui nolunt intelligi meretricem Rahab, utpote cuius nomen eſt רחב *rachab*; ſed legunt רהב *Rahab* per He, vel Ῥαάβ, intelliguntque AEgyptum ſuperbam; tum quia Scriptura aliquoties per ſuperbum intelligit AEgyptum, ut Pſalmo LXXXVIII. 11. tum quia רהב *rahab* ſignificat ſuperbam. Sane quamvis res ambigua videri poſſit, cum ſæpe duæ illæ litteræ He & Cheth ſint permutabiles; tamen communior ſententia eſt intelligi de AEgypto, quam libenter recipio.

V. 5. NUMQUID SION? &c. Septuag. μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ. Præcipua eſt hæc laus civitatis ſanctæ, quod IN EA NATUS ſit, qui FUNDAVIT EAM ALTISSIMUS; hoc eſt, qui ut Deus fundavit illam, voluit ut homo eſſe incola illius. Itaque interrogatio eſt: *Numquid Sioni dicet, homo natus eſt?* &c. ſcilicet rem tam admirandam? Ita Patres hunc locum explicant. Sunt tres voces conſiderandæ: nam in Græco corrupte legitur, μήτηρ, pro μητὶ, *numquid*. Porro articulus Hebraicus docet Sion eſſe caſus dativi, ut loquuntur Gram-

ma-

matici. Quia vero in Græco eſt ἐρεῖ, *dicet*, oportet LXX. legiſſe יאמר *iomar*, non autem יאמר *icamar*, *dicitur*: facile mutata ſunt puncta. At quomodo Chriſtus natus in Ieruſalem, ἐγεννήθη; Senſus, ſi nudam litteram inſpicias, clarus eſt, per hominem natum intelligendum Salomonem, qui ibi & natus, & factus eſt, ἐγεννήθη καὶ ἐγενήθη. At loquendo iuxta ſenſum myſticum de Chriſto, & Eccleſia, clarum ſimiliter eſt Chriſtum natum eſſe in Eccleſia, quæ eſt myſtice Sion. Quid quod naſci in Sion ex Athanaſio ad Marcellinum, ſit φανεροῦσθαι, *manifeſtari*, ſcilicet miraculis, paſſione, & reſurrectione: alioqui ἐγεννήθη, & Verbum caro factum eſt, extra Sionem, Luc. 1. 26. 31. & 38.

V. 6. & 7. DOMINUS NARRABIT. Reſpondent ad quæſtionem ver. 5. *Numquid Sion? Dominus*, inquit, *narrabit*. In Heb. יספר *iiſpor*, *narrabit*, rad. ספר. Tandem verſ. 7. concludit lætam fore habitationem Sion. Hoc tamen in Heb. ſic habetur ex Hieronymo: *Et cantores quaſi in choris, omnes fontes mei in te*. Sed, ut ſæpe in ſimilibus, certum eſt Septuag. aliter legiſſe in Hebræo, & optima fide vertiſſe, ut Noſter habet: quamquam ſi ſenſum ſpectes, omnino in hoc conveniunt, ut declarent magnitudinem lætitiæ in eivitate Sion; OMNIUM (inquit textus) QUI FUERUNT IN EA, hoc eſt qui erunt in ea; præteritum pro futuro.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & 2. FUndamenta, &c. Laudatur Ieruſalem a fundamento ſecuro, a montibus, & portis a Deo dilectis, ſuper tabernacula Iacob, belle licet [ordinata, quando procedebat populus ad terram promiſſionis. Hæc omnia alio ſenſu præclare conveniunt tum Eccleſiæ militanti, tum cæleſti. In hoc ſenſu de Eccleſia, plerique per montes intelligunt Prophetas, & Apoſtolos; per portas vero ſacramenta.

V. 4. *Memor*, &c. In hac laude civitatis a multitudine, meminit, fore concurſum ex variis nationibus. Quod vel maxime apparet in Eccleſia per vocationem gentium ad Chriſtum, & ex miſericordia tunc inſigni, qui ſeſe extendet ad ſuperbos. Sub nomine Rahab, ut mox dicam, & Babylonis nomine, confuſe in peccatis viventes (ut nomen ſonat) intelligo.

V. 5. 6. & 7. *Numquid Sion?* &c. De hac præcipue laude civitatis, quod Chriſtus in ea habitaverit, docueritque, mox plura. Certe loquendo de Eccleſia, Chriſtus in ea natus eſt, eamque per Apoſtolos fundavit. Nec caret ſua etiam lætitia, præſertim triumphans.

BOSSUET.

Verſ. 1. FUNDAMENTA EIUS, templi, ac ſub eius figura Eccleſiæ; quæ eſt illa civitas ſupra montem poſita: Math. verſ. 14.

V. 2. DILIGIT DOMINUS PORTAS SION: Ieroſolymam omnibus in Iudæa urbibus anteponit.

V. 3. GLORIOSA DICTA SUNT DE TE, CIVITAS DEI, o Ieruſalem, o Eccleſia. Quæ autem illa ſint iam ediſſeret.

V. 4. RAHAB, *AEgypti*, Chald. Sic Pſal. LXXXVIII. 11. & Iſaiæ LI. 9. *Percuſſiſti ſuperbum*, Rahab, id eſt AEgyptium. Scientium, *ſcientibus me commemorabo AEgyptum, & Babylonem*. Ita Hebr. & LXX. HI FUERUNT ILLIC: hi geniti ſunt ibi: LXX. ἐγεννήθησαν. *Iſte natus eſt ibi*: Hier. id eſt, aliquis unus vir magnus uno quoque in loco: ſenſuſque eſt: Qui me norunt admonebuntur apud AEgyptum, Babylonem & reliquas gentes, aliquem in ſingulis natum eſſe virum pium & magnum; in Sion autem multos: ut docebunt ſequentia.

V. 5. NUMQUID SION? Mater Sion: LXX. *Sion urbium mater*, Metropolis. Sic etiam Auguſt. II. de Symb. ad Catechum. ex μήτηρ, *mater*, factum μήτι, *numquid*. Clarius Hier. *Ad Sion autem dicetur: Vir, & vir natus eſt in ea*. Senſus eſt: Ad Sion, vel de Sion dicetur: non unus aliquis ſed alter & alter; id eſt, multi magni homines in ea nati ſunt: an autem & hæc de Sione dicantur, an ipſa Sion mater urbium ſe dicat, parvi refert.

V. 6. DOMINUS NARRABIT, &c. *Dominus numeravit ſcribens populos: ipſe*, &c. Hier. *Principum* deeſt Hebr. idem quod ſupra verſ. 4. Deus reliquos populos in ta.

tabulis suis conscribens unum aliquem notat sibi placentem; at in Sion sanctorum immensa multitudo & velut chori lætantes: unde subdit:

V. 5. SICUT LAETANTIUM, *cantabunt quasi in choris*, &c. Hier. canent, & tripudiabunt Deo.

PSALMUS LXXXVII. DEPRECATORIUS.

Ex persona hominis in carcere constituti, & malis mersi: puta Ieremiæ cum in lacum missus est. Ierem. XXXVIII.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum carminis filiorum Core victori per chorum ad præcinendum, eruditionis Eman Ezraitæ.

DOmine Deus salutis meæ: per diem clamavi, & nocte coram te.

Ingrediatur ante te oratio mea: inclina aurem tuam ad laudationem meam.

Quia repleta est malis anima mea, & vita mea ad infernum descendit.

Reputatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum quasi homo invalidus.

Inter mortuos liber, sicut interfecti & dormientes in sepulcro, quorum non recordaris amplius: & quia a manu tua abscisi sunt.

Posuisti me in lacu novissimo: in tenebrosis & in profundis.

Super me confirmatus est furor tuus, & cunctis fluctibus tuis affiixisti me. Semper.

Longe fecisti notos meos a me, posuisti me abominationem eis: clausum, & non prodeuntem.

Oculus meus infirmatus est ab afflictione, invocavi te Domine tota die: expandi ad te palmas meas.

Numquid mortuis facies mirabilia:

VERSIO VULGATA.

Canticum Psalmi,

1. Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

2. DOmine Deus salutis meæ: in die clamavi, & nocte coram te.

3. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam:

4. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

5. AEstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, 6. inter mortuos liber,

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis.

8. Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.

9. Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: 10. oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

11. Numquid mortuis facies mirabi-

aut

aut gigantes resurgent, & confitebuntur tibi? Semper.

Numquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, & veritas tua in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra quæ oblivioni tradita est?

Ego autem ad te Domine clamavi, & mane oratio mea præveniet te.

Quare Domine abiicis animam meam: abscondis faciem tuam a me?

Pauper ego & ærumnosus ab adolescentia mea portavi furorem tuum, & conturbatus sum.

Super me transierunt iræ tuæ: terrores tui oppresserunt me.

Circumdederunt me quasi aquæ tota die: vallaverunt me pariter.

Longe fecisti a me amicum & sodalem: notos meos abstulisti.

lia: aut medici suscitabunt; & confitebuntur tibi?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra oblivionis?

14. Et ego ad te Domine clamavi: & mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?

16. Pauper sum ego, & in laboribus a iuventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.

17. In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

19. Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. CANTICUM PSALMI FILIIS CORE, &c. Hebr. *Canticum Psalmi filiis Corah, victori ad Mahalath ad canendum, intellectus Heman Ezraitæ.* *Mahalath* quid sit vide Psal. LII. Heman autem Ezraita significatur fuisse auctor huius Psalmi.

V. 3. AD PRECEM MEAM. Hebr. *ad clamorem* meum.

V. 5. SINE ADIUTORIO. Hebr. *cui non sunt vires.*

V. 6. INTER MORTUOS; id est, cum adhuc liber sim & vivus, factus sum, aut, reputatus sum, inter mortuos. Vivens mortuus sum, ut loquitur D. Paulus, I. Tim. v. VI. & II. Corinth. VI. 9. *Quasi mortui, & ecce vivimus*: iisdem verbis atque auctor huius Psalmi, ac simili sententia, in genere dissimili. Quod autem sequitur, SICUT VULNERATI, malim vertere, *sicut occisi*, &c. qui e manu tua excisi sunt, id est qui derelicti sunt a te.

V. 7. POSUERUNT ME, &c. Hebr. *Posuisti me in lacu*, immo in tenebrosis, & profundis. במצלות, Septuag. legerunt בצלמות, ἐν σκιᾷ θανάτου, transposito מ.

V. 8. ET OMNES FLUCTUS TUOS INDUXISTI. Hebr. *Omnibus fluctibus tuis afflixisti*, me.

V. 9. POSUISTI ME, &c. Hebr. *Posuisti me abominationem illis*. TRADITUS SUM: Hebr. *Clausus sum*, vel prohibitus sum. ET NON EGREDIEBAR; id est, non audeo egredi domo, quia omnibus sum execrabilis.

V. 10. OCULI MEI LANGUERUNT, &c. Hebr. Oculus meus doluit præ afflictione mea.

V. 11. AUT MEDICI SUSCITABUNT? &c. Hebr. *Num mortui surgent, & confitebuntur tibi?*

V. 12. NUMQUID NARRABIT ALIQUIS? &c. Hebr. *Narrabitur misericordia tua.*

V. 15. ORATIONEM MEAM. Hebr. *animam meam.*

V. 16. PAUPER SUM EGO, ET IN LABORIBUS, &c. Hebr. *Pauper sum ego, & languidus*, vel *moribundus, ab adolescentia portavi timores tuos, & attonitus eram.*

V. 19. ET NOTOS MEOS A MISERIA. Hebr. *Noti mei in tenebris* (sunt) id est, mortui sunt. Orbasti me omnibus amicis meis.

S A.

Oratio afflicti.

Vers. 1. FILIIS CORE, scilicet datus ad cantandum. PRO MAHELETH, id est infirmitate, seu afflictione. Hieron. *super chorum*. Chald. *pro oratione*. RESPONDENDUM, scilicet in cantu. Hieronym. *praecinendum*. INTELLECTUS. Hieron. *eruditio*. EZRAHITAE, id est filii Ezrah Vide III. Reg. IV.

V. 2. IN DIE, id est per diem.

V. 4. INFERNO, id est sepulcro; quasi dicat, morti.

V. 5. LACUM, id est foveam, seu sepulcrum. Chald. *domum vinctorum*, id est carcerem.

V. 6. MORTUOS, scilicet peccato. LIBER, scilicet peccator: August. vel quasi dicat, liber officiis vitæ, id est similis mortuis. VULNERATI Hieron. & Chald. *interfecti*. MEMOR, scilicet ut vitæ restituas. DE MANU TUA. Chald. *a facie Maiestatis tuæ*.

V. 7. POSUERUNT, scilicet afflictiones. Hieron. & Chald. *posuisti*. INFERIORI. Hieron. *novissimo*; quasi dicat, profunda miseria. Chald. *captivitate, quæ similis est foveæ*. TENEBROSIS, scilicet locis. Hieron. & Chald. *tenebris*. UMBRA, id est similitudine: quamquam umbra mortis significat magnas tenebras, ut sit repetitio.

V. 8. FLUCTUS, id est afflictiones.

V. 9. TRADITUS, id est coniectus in mala. EGREDIEBAR; id est, egredi, me que explicare inde possum.

V. 10. INOPIA. Hieron. *afflictione*. Chald. *calamitate*. TOTA DIE. Chald. *omnibus diebus*.

V. 11. MIRABILIA, scilicet suscitando. CONFITEBUNTUR, scilicet mortui suscitati.

V. 12. PERDITIONE, id est interitu; quasi dicat, iacens in sepulcro, vel inferno.

V. 13. TENEBRIS, id est sepulcro. Chald. *tenebris gehennæ*. OBLIVIONIS, id est oblivioni tradita, scilicet sepulcro. Repetitio est.

V. 14. CLAMAVI, pro clamabo. PRAEVENIET; quasi dicat, Maturabit.

V. 15. ORATIONEM. Hieron. & Chald. & Græc. *animam*. AVERTIS. Hieron. & Chald. *abscondis*.

V. 16. PAUPER, id est afflictus, seu miser. EXALTATUS, scilicet antea per te.

V. 17. IN ME. Hieron. *per me*. Chald. *super me*.

V. 18. SICUT AQUA, id est magna copia.

V. 19. A MISERIA, id est propter miseriam, scilicet meam: vel, ne miseriæ subvenirent.

ESTII

nulla in hunc Psalmum annotatio.

MARIANAE.

Vers. 1. CANTICUM PSALMI, FILIIS CORE, (aut *filiorum Core*) IN FINEM (Præfecto) PRO MAHELETH (cantilena vulgaris eo initio) AD RESPONDENDUM (id est elevandam vocem) INTELLECTUS (erudiens, scilicet Psalmus) EMAN EZRAHITAE, id est illi traditus ut caneret, aut ab eo compositus. Ab inimicis vexari, ab amicis deseri conqueritur in morte Christus.

V. 2. CORAM TE sum, neque per noctem desisto a clamore.

V. 3. AD PRECEM MEAM, Hebr. *ad clamorem meum*, inclina aurem.

V. 4. ET VITA MEA INFERNO, id est sepulcro, morti, APPROPINQUAVIT.

V. 5. AESTIMATUS SUM, scilicet ab amicis. CUM DESCENDENTIBUS IN LACUM, in sepulcrum: pro mortuo me habent. SINE ADIUTORIO. Hebr. *sicut vir sine robore*, quasi destitutus viribus.

V. 6. INTER MORTUOS LIBER, scilicet ero. Hoc est initium alterius versus Hebr. & lego per parenthesim; quasi dicat: Tot malis premor, ut nisi in morte quietem & libertatem non sperem. Mors omnes liberat.

V. 6. SICUT VULNERATI, occisi, qui in sepulcro iacent. Pars parenthesis. Ero similis, & liber, ut occisi qui in sepulcro sunt, quorum non est memoria. ET

IPSI

IPSI DE MANU TUA REPULSI SUNT. Hebr. *a manu tua sunt abscissi*, scilicet de vita. Hic concluditur parenthesis.

V. 7. POSUERUNT ME. Hebr. *Posuisti me*. IN LACU INFERIORI. *Lacus* pro sepulcro: & vides quod Psal. LXXXV. vers. 13. dictum est, *inferiori* esse epithetum *sepulcri*, quod sit sub terra. Quod si David insanas sepulcrorum moles vidisset quæ inter nos sunt, id commutasset epithetum. IN TENEBROSIS, ET IN UMBRA MORTIS. Hebr. *in tenebrosis*, *& in profunditatibus*. Periphrasis sepulcri; quasi dicat: Morti proximum me fecisti.

V. 8. SUPER ME, contra me. CONFIRMATUS EST FUROR TUUS. Hebr. *incubuit in ira tua*. ET OMNES FLUCTUS TUOS. Hebr. *omnibus fluctibus tuis afflixisti* (me.) sic Hieronymus. *Fluctus* autem vocat supplicia.

V. 9. POSUERUNT ME. Hebr. *Posuisti me abominationem eis*. TRADITUS SUM, scilicet in vincula. Hebr. *clausum* (scilicet posuisti me) *& non egrediar*, sublata liberationis spe, aut fugæ facultate.

V. 10. LANGUERUNT PRAE INOPIA. Hebr. *doluerunt præ afflictione oculi mei*.

V. 11. NUMQUID MORTUIS FACIES MIRABILIA, eos suscitando, ut te laudent, aut illos ab oppressione liberando? AUT MEDICI SUSCITABUNT? Hieron. *gigantes*, Hebr. רפאים *rephaim*, pro *mortuis* sumunt. Num mortui surgent, & laudabunt te? scilicet publice inter homines. ET CONFITEBUNTUR TIBI, scilicet a Medicis suscitati. Sic, si Vulgatæ sententiam sequamur.

V. 12. IN PERDITIONE, id est sepulcro. In sepulcro omnia amittimus, ideo *perditio* vocatur.

V. 13. IN TENEBRIS. id est in sepulcro. TERRA OBLIVIONIS? sepulcro, quoniam sepulti oblivioni traduntur. His omnibus verbis contendit benefaciendum vivis; nam post mortem non est opportunum.

V. 15. UT QUID DOMINE REPELLIS ORATIONEM MEAM. Hebr. *animam meam*; id est, animæ meæ clamores & preces cur repellis?

V. 16. ET IN LABORIBUS A IUVENTUTE MEA: & efflans animam a iuventute mea: scilicet præ angustia expirare videbatur. EXALTATUS AUTEM. Hebr. *& tuli terrores tuos*. HUMILIATUS SUM ET CONTURBATUS; id est, cum me exaltasti, tunc etiam molestia non carui. Hebr. *dubitavi*, id est anxius fui, inter varios metus vacillans. Ea est vis vocis Hebr. *aphuna*.

V. 17. CONTURBAVERUNT ME. Hebr. *Perdiderunt me terrores tui*. Eamdem sententiam aliis verbis.

V. 18. SIMUL, id est facto agmine, in me irruerunt, meque circuierunt terrores & iræ.

V. 19. A MISERIA, scilicet quam patiebar: propter illam me amici deseruerunt. Hebr. *a tenebris*. Sic vocat mala quæ patiebatur, & miserias graves. Propterea amici, & noti mei elongati sunt a me.

MALVENDAE.

Vers. 1. CANTICUM PSALMI. Vide in Psal. XLVII. vers. 1. FILIIS CORE. Vide in Psal. XLI. vers. 1. PRO MAHELETH. Hebr. *Super Machalath*. Vide in Psal. LII. 1. AD RESPONDENDUM. Alii: *Ad canendum*, propie: *Ad alternis canendum*, ut Exod. XV. vers. 21. Nonnulli, *ad* ענות *ghannoth*, id est ad modulos illius vulgaris cantionis, cuius initium erat *Ghannoth*, id est *respondere*, vel *canere*. Nec desunt qui: *Ad humiliandum*, seu *de afflictione*, & *oppressione*, & de qua totus est hic Psalmus. INTELLECTUS. *Mascil*. Vide in Psal. XXXI. vers. 1. EMAN EZRAHITAE. Hebr. in dativo, *ipsi Hemani Ezrahitæ*. Huius fit mentio I. Regum IV. vers. 31. & I. Paralipom. 2. vers. 6. ut etiam eius fratris, *Ethanis*: qui in titulo Psalmi sequentis inscriptus habetur. Tremellius, & Iunius inscriptionem huius Psalmi ita reddunt: *Canticum & Psalmus in posteris Korachi*, *magistro symphoniæ, ad pneumaticum instrumentum canendus: didascalicus Hemanis Ezrachitæ*. Notant, hunc Psalmum continere gravissimam expostulationem cum Deo de ingentibus calamitatibus ipsius Psaltis, in perpetuum Ecclesiæ documentum traditum. Videntur, inquiunt, autem hic Psalmus & sequens conscripti esse a duobus his fratribus Hemane, & Ethane, ut Ecclesia formulas haberet expostulationum, quibus

bus uteretur cum in privata aliqua & singulari difficultate, hoc Psalmo; tum in publicis afflictionibus, & eversione Reipublicæ, Psalmo sequente: nam hi sapientissimi viri instructi spiritu Dei præviderunt, & prævisi mali documenta litteris consignarunt, ad præmonendam, & armandam Ecclesiam. Alii hunc Hemanem eum esse volunt cantorem, nepotem Samuelis, cuius exstat mentio I. Paralipomen. VI. vers. 33. & cap. XXV. 1. 4. & 5. Sed unde hic dictus sit Ezrachita, non facile expedient: quare illud primum est rectius.

V. 6. INTER MORTUOS LIBER. Varie exponunt: 1. *Ego in mortuis liber*, de Christo, qui & si mortuus, liber tamen mortis nexibus & vinculis fuit, nam potuit non mori, si voluisset; & mortuus resurgere, cum voluit. 2. *Libere spatior, versor, invenior, inter mortuos*, quasi unus de eorum cœtu & republica. 3. Inter mortuos ago liber iam ab hominum reliquorum consortio, commercio, vitæ muneribus, & functionibus. 4. *Reputor inter mortuos immunis*, id est, nihil habens commune cum ceteris, vel *semotus*, nimirum ab omni hominum consortio, & communicatione, ac nihil commune cum aliis habens, ut qui laborant ex elephantiasi, primum extra castra ex lege Levit. XIV. deinde extra urbes in insulas & semotas domos relegantur, ut II. Regum XV. vers. 5. & II. Paralipom. XXVI. vers. 21. quod genus hominum hac ratione civiliter mortuum dici potest. RESPULSI SUNT: vel Psaltes imitatus est hoc versu auctorem libri II. Paralipom. XXVI. vers. 21. vel potius auctor Paralipomenon mutuatus est a Psalte: nam uterque eisdem verbis utitur. Quidam reddunt: *Qui manu tua excisi sunt*. Alii: *Qui potentia tua sunt abscissi*.

V. 7. IN LACU INFERIORI. Hebr. *In cisterna, fossa, sepulcro inferiorum*, seu *infirmorum locorum*, id est in sepulcro omnium infimo. Alii: *In puteum infernum*. Quidam: *In puteum*, aut *in carcerem obscurissimum, & profundissimum*. Buchananus hunc versum ita reddidit:

Carcere ceu clausum, & cæca sub nocte sepultum
Me prope letææ gurgite mergis aquæ.

Bochius:

.... detrusit ad imum
Me tua dextra lacum, Stygia caligine mersus
Obruor, involvitque meum caput atra vorago.

Allegoria extremarum calamitatum.

V. 8. SUPER ME CONFIRMATUS EST FUROR TUUS. Hebr. *Super me sustinuit ardor tuus*, id est incubuit, nisus est, vim fecit. Quidam: *Super me fixus est furor tuus*. Alii: *Omni ex parte premit me furor tuus*. Aliene Hebræi: *Super me appropinquavit*, vel *me circumdedit furor tuus*. ET OMNES FLUCTUS TUOS INDUXISTI SUPER ME. Heb. *Et omnibus fracturis tuis afflixisti me*. Quidam: *Et omnibus nimbis tuis deiecisti*. Alii: *Adeo omnibus irrumpentibus tuis fluctibus affligis*. Nonnulli: *Nullum superest mali genus, quo non afflixeris me*. Apponitur *Selah*, id est. 1. *In perpetuum, sine fine*. 2. *Ita res habet*. 3. *Vehementissime*. 4. O quam horrendum est incidere in manus Dei viventis! Heb. cap. X. vers. 31.

V. 9. TRADITUS SUM, ET NON EGREDIEBAR. Varie ex Heb. explicant. 1. *Conclusum, carceratum, & non exibo*. 2. *Ego autem ita teneor, ut exire nequeam*. 3. *Conclusus sum, nec video quo pacto explicem me*. 4. *Conclusus sum, ut egredi non possim*; quasi dicat: Sum similis aviculæ, quæ in cavea sua concluditur, neque illi est egredi liberum. 5. *Ita conclusus sum, ut non possim evadere*. Buchananus:

Affixusque toro iaceo ceu compede vinctus.

V. 11. AUT MEDICI SUSCITABUNT. רפאים *rephaim*, plerique reddunt: *Num mortui resurgent*. Alii: *Num exsangues resurgent*. Aliqui: *an manes resurgent*. Nonnulli: *Aut expertes vitæ exurgent*. Nec desunt qui: *Aut gigantes resurgent*. De vocis notione vide Notas in Genes. XVI. vers. 5. ET CONFITEBUNTUR TIBI? vel, *ut celebrent te*, aut *gratias agant tibi*, seu *ut laudes tuas canant*? Hic additur, *Selah*, id est. 1. *Semper perpetuo*. 2. *Ita ne fiet*. 3. *Potentissime*. 4. O quam longe absunt damnati manes a divinis laudibus! vel, O quantum refert dum vivimus, in Ecclesia laudes Dei celebrare, quod mortui in sepulcro non poterimus! vide in Psal. VI. vers. 6.

V. 15. AVERTIS FACIEM TUAM A ME; Heb.

Heb. *Abſcondes*, ſive *abſcondere facis faciem tuam a me*. Formula Hiphil magnam abſconſionem & averſionem ſignificat.

V. 16. Et in laboribus a iuventute mea. Heb. *Et exſpirans ab excuſſione*. Poſſis accipere, *A concuſſione*, ſeu *præ concuſſione*, hoc eſt, valide concuſſus & contuſus vi calamitatum tantum non animam ago. Vnde exponunt: *Et moribundus a concuſſione*. Quidam reddunt: *Anhelus & amens*, intellexerunt concuſſionem mentis. Alii: *Et ærumnoſus a pueritia, iuventute, adoleſcentia*. Neſcio cur nonnulli vertunt: *Et periens* ſeu *pene mortuus a ſtupefactionem*, id eſt mente concuſſus & ſtupefactus malorum turbine, ac tempeſtate. Sic hanc vocem pro tempeſtate accepit Noſter Iob xxxvi. 14. Exaltatus autem humiliatus sum. Hebr. *Portavi terrores tuos*. Poſſis reddere: *Suſtinui gigantes tuos*. אימים *emim*, id etiam ſignificat, vide in Geneſ. xiv. verſ. 5. ut ita allegorice & poetice immanes, & enormes calamitates ſuas appellet. Et conturbatus. אפונה *aphunah*, plerique futurum faciunt verbi פון *pun*, quod nullibi alibi in Scriptura invenitur, & effictum volunt a particula פן *phen*, *ne quando*, *ne forte*: varie exponunt. I. *Addubitabo*, *dubius animi hæreo*, *dubitabundus ſum*. II. *Conturbabor*. III. *Attonitus heſi*. IV. *Tremens ſum*. V. *Panico terrore percitus ſum*. VI. *Trepidavi*. VII. *Conſternata facie eram*, *neſciens quo me verterem*; ut conveniat cum פנה *phanah*. VIII. *Rotor*, *circumagor*, *animi pendeo*, anxius, & incertus de mea ſalute; ut conveniat cum אופן *aphan*, a quo אפן *ophen*, *rota*. IX. Continuo apud me reputant, *Ne forte* peream, aut hoc, aut illud eveniat mihi. Clariſſimus inter Hebræos Rabbi Ionah ex ſignificatione Arabica exponit: *Suſtinui timores tuos multo tempore*. Nobis nihil aptius viſus quam: *Averſa facie ero*; id eſt, omnia in me ſunt everſa & inverſa, longe diverſa eſt rerum mearum facies & ratio.

V. 17. Conturbaverunt me. Varie reddunt: *Succiderunt me*, *oppreſſerunt me*, *contriſtaverunt me*, *reſcindunt me*, *ita conſtrinxerunt & arctaverunt me*, ut reſpiraſe aut evadere non poſſim: in præterito צמתתוני *tzimmethuthuni*, geminatur ultima littera, cum dicendum eſſet צמתוני *tzimmethuni*, nimirum ad indicandum vehementiam conſtructionis; quaſi dicat: Arctiſſime ac vehementiſſime conſtrinxerunt me.

V. 19. Et notos meos a miseria, ſubaudi *mea*. Heb. multipliciter accipiuntur. I. *Notos meos* in mea *obſcuritate*; id eſt, cum eum in ignominia & tenebris calamitatum. II. *Et noti mei in tenebris* ſunt; id eſt, ſeſe abdiderunt, deliteſcunt, nec prodeunt in publicum, ut opem mihi ferant. III. *Noti mei ignoti ſunt*. IV. *Familariter mihi notos abſcondiſti*, *& veluti tenebris obductos ne videri poſſent a me*, *ſtatuiſti*. V. *Notis meis ſum tenebroſo loco*, id eſt ſum incognitus, adeo iam illis ſepultus eſſe videor in profundis malorum tenebris, ut ſupra verſ. 7. vocaverat. Hebræa maiore emphaſi: *Noti mei obſcuritas*: ad mihi ſunt ipſa obſcuritas, adeo nihil lucis, conſolationis, aut opis ab ipſis ſpero. Aliqui Hebræorum exponunt: obſcuritas ſum, & deſertus a notis, & familiaribus meis. Montanus:

.... latentes

In tenebis noti ac deſeruere mei.

Bochius:

Et noti in tenebris me deſeruere latentes.

Buchananus:

Nec noti ærumnis ingemuere meis.

MENOCHII.

Verſ. 1. Canticum Psalmi. Vide dicta ad titul. Pſal. xxix. Filiis Core. De hoc dictum ad titul. Pſal. xli. Pro Maheleth. Vide dicta ad tit. Pſal. lii. Ad respondendum, &c. Senſus totius tituli videtur eſſe, Canticum Pſalmi filiis Core datum ad canendum, & frequentandum uſque in finem, ſuper choros, vel ſuper inſtrumento muſico, *Maheleth* appellato, ad reſpondendum alternatim canendo, in quo explicatur eruditio, ſive intelligentia myſterio plena, Eman Ezrahitæ, ſive ipſe, ſive David in eius perſona Pſalmum compoſuerit. Eman Ezrahitae videtur eſſe ille qui cantor dicitur Lib. I. Paral. vi. ut ſentit Bellarminus. Alium tamen putat Genebrardus.

V. 2. Deus salutis meae, auctor ſalutis meæ.

V. 4.

V. 4. INFERNO APPROPINQUAVIT; prope abfuit a morte. Poffunt hæc referri ad verba illa Chrifti: *Triftis eft anima mea ufque ad mortem*.

V. 5. AESTIMATUS SUM CUM DESCENDENTIBUS IN LACUM: morientibus, aut morituris adnumeratus fum, qui in foveam fepulcri demittendi funt. FACTUS SUM SICUT HOMO SINE ADIUTORIO, ab omnibus deftitutus. Sic Chriftus clamavit in cruce: *Deus Deus meus quare dereliquifti me*?

V. 6. INTER MORTUOS LIBER. Chriftus fuit inter mortuos liber, quia vim habuit refurgendi a mortuis propria poteftate, cum divinitas corpori, & animæ eius mortui effet unita: vel certe qui mortui funt liberi dicuntur quia funt a curis, & negotiis huius vitæ foluti, & liberi. SICUT VULNERATI DORMIENTES IN SEPULCRIS. Exiftimabam me effe fimilem ceteris occifis, quorum cadavera vulneribus confoffa iacent in fepulcris. QUORUM NON ES MEMOR AMPLIUS, ut illos nunc ad vitam revoces, licet in extremo die fufcitandi fint. DE MANU TUA REPULSI SUNT: de tuo auxilio, & cura depulfi, quibus manum adiutricem non porrigis, ut eos vitæ reftituas.

V. 7. POSUERUNT ME IN LACU INFERIORI. Videtur fignificare Chrifti defcenfum ad inferos, qui locus tenebrofus eft, quippe fubterraneus. Si de Davide ipfo interpretemur, fenfus effe poterit: Tam multis me malis affecerunt adverfarii mei, ut mihi vifus fim in profundum puteum, aut foveam demiffus, aut in carcerem obfcuriffimum, ibique in extremis malis verfari, quæ mortem præfentiffimam femper intentent. UMBRA MORTIS. *Umbra mortis* funt obfcuriffimæ, & denfiffimæ tenebræ.

V. 8. CONFIRMATUS EST, &c. invaluit, ut me ab illo fubducere non poffim, fed veteribus malis durantibus nova fuperveniant. FLUCTUS, malorum, & afflictionum.

V. 9. LONGE FECISTI, &c. ab amicis, & fodalibus deftitutus fum. Chrifto convenit, quem Apoftoli tempore paffionis reliquerunt. POSUERUNT ME ABOMINATIONEM SIBI. Non mei meum confpectum abominantur, & horrent. Sic D. Petrus cum iuramento affirmabat fe Chriftum non noffe. TRADITUS, traditus quafi carceri. Hebr. *inclufus fum*. Senfus eft: Malis omni ex parte circumdatus fum, & vallatus ET NON EGREDIEBAR: ita ut non poffem egredi, & evadere. Chriftus evadere non poterat, quia decretum illi erat mori pro hominum falute.

V. 10. LANGUERUNT, dolore, & fletu debilitati. PRAE INOPIA, præ hac miferia, & calamitate. Vel præ inopia humoris arefacti funt. EXPANDI manus fupplices.

V. 10. MORTUIS FACIES MIRABILIA? Reddit rationem, cur vitam poftulet; quafi dicat: Mortuis qui nec vivunt, nec fentiunt, fruftra oftenderes mirabilia opera tua, quæ tamen mirabilia patrare tibi eft honorificum, & æquum, ut pro iis lauderis a viventibus & gratiæ ab iifdem agantur. MEDICI SUSCITABUNT? mortuos fcilicet, ut confiteantur tibi homines redivivi; hoc eft, ut laudent te.

V. 12. NUMQUID NARRABIT ALIQUIS? &c. quafi dicat: Mortui non prædicabunt mifericordiam tuam, fed viventes; ideoque a vivorum numero non eximas me, ut te laudare poffim. Huic plane gemina Ezechiæ argumentatio apud Ifaiam XXXVIII. *Quia*, inquit, *non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, vivens, vivens ipfe confitebitur tibi ficut & ego hodie*. Similia etiam habentur Pfal. CXIII. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui defcendunt in infernum, fed nos qui vivimus benedicimus Domino.* VERITATEM TUAM, verum tuum cultum, vel fidelitatem tuam in præftandis promiffis. IN PERDITIONE. *Perditio*, vitæ amiffionem fignificat.

V. 13. IN TENEBRIS fepulcri. IN TERRA OBLIVIONIS, in fepulcro: eft enim repetitio prioris hemiftichii. Porro fepulcra vocantur *terra oblivionis*, quia mortui a rebus humanis feiuncti funt, & quafi plane obliti: vel quia mortuorum memoria apud fuperftites brevi temporis fpatio obfolefcit.

V. 14. ET EGO, at ego, eft enim antithefis. Mortui te non laudant, & mirabilia opera tua non contemplantur; contra ego te colo, & preces ad te fundo, &c. ORATIO MEA PRAEVENIET TE: celeri-

leriter, & mature aderit pulſans fores miſericordiæ tuæ. Loquitur humano more, ducta ab iis ſimilitudine, qui valde mane iudicum, aut potentium virorum limina adeunt, ibique præſtolantur, ut eos alloqui poſſint.

V. 15. REPELLIS ORATIONEM MEAM; quaſi dicat: Cur me non exaudis, ut tranſeat a me calix iſte?

V. 16. PAUPER, afflictus, ærumnis preſſus. IN LABORIBUS A IUVENTUTE MEA. Hebraica maiorem habent emphaſim, *& expirans a pueritia mea*, id eſt moribundus, lente moriens, ſenſim tabeſcens. Sane Chriſtus Dominus perpetuis laboribus in vita exercitus eſt, & a pueritia; immo a conceptu ſuo ſemper præ oculis habuit futuræ paſſionis dolores, quorum anticipatione torquebatur quaſi lento quodam, ſed hominum oculis non aſpectabili martyrio. EXALTATUS AUTEM, elevatus, grandior, & provectior ætate factus. HUMILIATUS SUM, ET CONTURBATUS: deiectus ſum de ſpe meliorum, & difficultatum mole turbatus.

V. 17. IN ME TRANSIERUNT IRAE TUAE: ſuper me venerunt mala, & dolores a te irato profecti. CONTURBAVERUNT ME. Hebr. *exciderunt*, vel *perdiderunt me*.

V. 18. SICUT AQUA, magna copia, & perenniter, ſine intermiſſione. SIMUL, pariter, eodem tempore, agmine facto.

V. 19. ELONGASTI A ME, &c. deſtitui me paſſus es ab amicis, & ſodalibus meis. A MISERIA, præ miſeria, propter calamitatem meam, timentes ne illius ſint participes, ſi ſe amicos meos profiteantur.

TIRINI.

Verſ. 1. PRO MAHELETH, מחלת, id eſt *pro choro*, inquit Symmachus, Hieronymus, & Auguſtinus; vel *pro chorea*, ut Aquila vertit, ſed lugubri: nam erat inſtrumentum muſicum luctui ſerviens, ut olim in funeribus erat tibia, & tunc lira Ibernica: *Maheleth* enim idem eſt quod infirmitas, luctus, dolor. AD RESPONDENDUM. Hieronymus, *ad præcinendum*, ſeu ad ſuccinendum præcinenti, ut ait Auguſtinus. INTELLECTUS. Vide Pſal. XXXI. EMAN EZRAHITAS, id eſt filii EZRAH; III. Reg. IV. 31.

V. 5. IN LACUM, id eſt in foveam, ſeu ſepulcrum; Chald. *in domum vinctorum*, ſcilicet infernalem, id eſt in limbum, ſanctus Hieronymus. SICUT HOMO SINE ADIUTORIO. Chaldæus, *ſine viribus*; id eſt, reputatus ſum ab impiis quaſi homo prorſus invalidus, & ab omnibus derelictus. Nam

V. 6. INTER MORTUOS, & ſepultos iam computatus, atque ita LIBER ab omnibus officiis, & curis huius vitæ. Ita Theodoretus, & Emanuel Sa. Hebraice enim eſt, *inter mortuos abſconditus*. Et ſic cohæret cum ſequentibus. S. Hieronymus, Auguſtinus, Arnobius, Euthymius, Fuit, inquiunt, Chriſtus in morte, & in inferno liber a vinculis mortis, & inferni: quin potius ipſe illa diſrupit, & alios vinctos liberavit. SICUT VULNERATI, ſcilicet ad mortem; Chald. & Hieron. *ſicut interfecti* gladio. QUORUM NON ES MEMOR AMPLIUS, ſcilicet ut eos vitæ reſtituas: nam IPSI DE MANU TUA REPULSI SUNT; id eſt, omni tuo auxilio, & cura, quam vivis impendere ſoles, deſtituti ſunt.

V. 7. POSUERUNT (Hebr. *poſuiſti*) ME IN LACU INFERIORI. Hebr. *in profunditatibus*, id eſt in profundiſſima miſeria, cui quaſi altiſſimo lacui immerſus iaceo. De umbra mortis vide Iob III. 5.

V. 9. & 10. TRADITUS SUM in hanc miſeriarum abyſſum, ET NON EGREDIEBAR; id eſt, inde egredi, emergere, meque extricare non poſſum. Patet ex S. Hieronymo, & Chaldæo. Hinc OCULI MEI LANGUERUNT PRAE INOPIA, ſeu carentia auxilii, & ſolatii, Hieron. & Chald. *ob calamitatem*.

V. 11. NUMQUID MORTUIS FACIES MIRABILIA? Chald. *miracula*, nempe ſuſcitando eos. AUT MEDICI arte ſua medica poterunt illos in vitam reducere? Hebr. רפאים *rephaim*, id eſt *mortui*, *an reſurgent*? Quod quia etiam gigantes ſignificat, hinc S. Hieronymus vertit, *an gigantes reſurgent?* ET iterum CONFITEBUNTUR TIBI? id eſt apud & inter viventes laudabunt te, ut ante ſolebant?

V. 12. An ALIQUIS IN SEPULCRO (ſupple poſitus, id eſt iam ſepultus) ET IN PERDITIONE (Hebr. *in interitu*, id eſt

id eſt qui iam interiit; Chald. *in domo perditionis*) NARRABIT apud, & inter vivos, VERITATEM, ſeu fidelitatem, TUAM? Simile Pſal. VI. *6.*

V. 13. IN TENEBRIS, id eſt apud inferos, quæ eſt REGIO TENEBBARUM, & TERRA OBLIVIONIS. Septuag. & Hieron. *oblivioni tradita*, quia qui mortui ſunt, videntur excidiſſe omnium memoria. COGNOSCENTUR MIRABILIA TUA, quæ facis in hoc mundo.

V. 16. EXALTATUS, id eſt grandior iam factus ætate, altior robore, & dignitate; quaſi dicat: Creſcentibus annis, & donis tuis, pariter creverunt & calamitates. Ita Genebrardus.

V. 19. A MISERIA, id eſt præ, vel propter miſeriam, quæ me continuo circumdat.

GORDONI.

Titulus: FILIIS CORE, IN FINEM, &c. De *filiis Core*, vide Pſal. XLI. *Mabeleth* retentum eſt a Septuag. ſine interpretatione: incertum, an ſit inſtrumentum muſicum, an, ut ait Hieronymus, pro choro, qui etiam τῷ *ad reſpondendum* vertit, ad præcinendum alternatim: nec ſcitur, ut Eman, an David in eius perſona compoſuerit hunc Pſalmum. Argumentum ex Hieronymo, & Auguſtino eſt de Chriſti paſſione ſub typo, & velamine calamitatum in Iſrael.

Verſ. 11. NUMQUID MORTUIS? &c. Hactenus Propheta aperuit viam clamandi ad Deum in tribulatione; & loquendo de Chriſto aperuit magnitudinem paſſionis: nunc tribus his verſiculis datur ratio cur petierit Chriſtus amoveri mortem; ſive intelligas mortem æternam amovendam a membris Chriſti fidelibus, ſive mortem obſtinationis in peccato, ſive propriam Chriſti mortem ſic amoveri, ut cito perveniat reſurgendo ad victoriam contra mortem. Ceterum quod eſt hic, MEDICI SUSCITABUNT, apud Septuag. *ἰατροὶ ἀναστήσουσι*, in Hebr. eſt, *aut gigantes reſurgent*; ſed eſt mutatio ſignificationis: nam רצאים *raphaim* ſignificat *gigantes*, a radice רפה, & רפאים ſignificat *medicos*, a rad. רפא *rapha*, quod eſt *mederi*, unde eſt nomen Raphael. Eſt etiam יקומו *iacumu*, ambiguum, *ſuſcitabunt*, vel *reſurgent*. Recte Septuag.

V. 16. EXALTATUS.... HUMILIATUS. Recte Septuag. *ὑψωθεὶς ἐταπεινώθην*, Hebr. נשא inter alia eſt *exaltare*: hinc in niphal נשאתי *niſſethi*, *elevatus ſum*. Ita Septuag. Verum quod ſequitur, *ἐταπεινώθην*, *humiliatus*, verſio quidem probanda eſt. Magna eſt Septuaginta virorum auctoritas; tamen quid legerint in Hebræo, certant Interpretes, & diſſentiunt. Saltem non legerunt אימיך *emecha*, *terrores tuos*, ſed forte legerunt אמך *emmach*, *extenuatum*, *humiliatum*, futurum in Niphal, rad. מכך, *pauperare*. Aliter tamen alii.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. D*Omine Deus*, &c. Tota hæc oratio, ſive hominis in tribulatione vexati, ſive Chriſti in cruce, oſtendit ſatis tum verbis, tum ex repetita invocatione, quanta ſit hæc, de qua agitur, vexatio. Hic illa apte de Chriſto verba: *Anima appropinquavit inferno*, ſcilicet inſtante morte: tunc enim animæ defunctorum deſcendebant ad lacum infernum. Hinc etiam illa verſu 5. Factus ut deſcendentes in lacum; hoc eſt, quales ſunt qui morte non voluntaria coguntur ad infernum deſcendere. Ego, inquit, qui ſolus inter homines morientes liber ſum a mortis imperio, prælertim ex poteſtate reſumendi animam meam, quam volens depono ad triduum, ex præcepto Patris mei. Denique ex verſu *6.* factus ſum inſtar hominis in ſepulcro, cuius non eſt amplius memoria: & propter hoc Iudæorum ſcelus, non erit eorum memoria. Nam a manu mea repulſi & reprobati ſunt.

V. 7. uſq. ad 11. *Poſuerunt me*, &c. Auguſtinus per hæc verba intelligit ſummam miſeriam, ut etiam habemus Pſal. XXXIX. *Eduxiſti me de lacu miſeriæ*: quod etiam magis hic explicat verſu 8. per furorem, & fluctus. Alii ſepulcrum hic intelligunt; alii limbum. Acceſſit ad hanc miſeriam declarandam, quod dicitur verſu 9. de notis, de diſcipulis, de abominatione, & de traditione ibidem, velut

in

in carcerem, unde egredi non liceret.

V. 11. 12. *&* 13. *Numquid mortuis*, &c. Clamavit Christus, expansis manibus, ex versu 10. ut liberatus a morte, cito resurgeret ad utilitatem fidelium. Nunc his tribus insequentibus versiculis dat rationem petitionis huius.

V. 14. & seq. *Et ego ad te* DOMINE, iterum clamo pro resurrectione, ac salute membrorum Ecclesiæ. Nec repelles, inquit, orationem (quod per interrogationem dicit.) Et rationem reddit versu 16. cur non repellet Deus petitionem, & libertatem ab his quæ commemorat, & quæ passus est a Iudæis, quando exaltatus in cruce humiliatus est usque ad mortem, & conturbatus propter ruinam populi.

BOSSUET.

Vers. 1. AD RESPONDENDUM: alternis canendum. EMAN EZRAHITAE: non illius ergo qui tempore Davidis memoratus: is enim Levites, I. Paral. xv. 17. de filiis Caath, ibid. VI. 33. Ezra autem de filiis Iudæ, ibid. IV. 1. 17.

V. 3. PRECEM, *clamorem*, Hebr.

V. 4. REPLETA EST, saturata. INFERNO APPROPINQUAVIT: *ad sepulcrum descendit*: Hebr.

V. 15. HOMO SINE ADIUTORIO, *invalidus*, Hier.

V. 6. INTER MORTUOS LIBER: nec libertatem spero nisi per mortem. Patres Christo aptant qui unus inter mortuos liber, data potestate ponendi animam & iterum sumendi eam. Ioan. x. 18.

V. 7. POSUERUNT ME: *posuisti*, Hier. In umbra mortis, *in profundis*, idem.

V. 8. FLUCTUS TUOS, calamitates. Vide Psal. XLI. 8.

V. 9. POSUERUNT ME, &c. *Posuisti me abominationem eis*; *clausum & non prodeuntem*: Hier. carcere inclusum, nulla spe libertatis.

V. 10. INOPIA, angustia.

V. 11. MEDICI SUSCITABUNT? an forte mortuum Medici suscitabunt, ut rursus te laudem in cœtu piorum? at Hier. *gigantes resurgent*? antiquissimi homines ac pridem vita functi: uno verbo, mortui, manes.

V. 13. IN TERRA OBLIVIONIS: apud inferos, ubi oblivio: unde etiam Poetis ille fluvius Lethe.

V. 15. ORATIONEM, *animam*, Hier.

V. 16. PAUPER SUM. Sic Ieremias demersus in lacum, Thren. III. 1. & 2. *Ego vir videns paupertatem meam. Me minavit & adduxit in tenebras, & non in lucem.* ET IN LABORIBUS, &c. talis ille qui *portaverit iugum ab adolescentia*: ibid. 27. EXALTATUS AUTEM, HUMILIATUS SUM: de gloria deiectus ad miseriam.

V. 10. A MISERIA: propter miseriam meam.

PSALMUS LXXXVIII. LUCTUS, ET INVOCATIONIS

IN PUBLICA CALAMITATE.

Sedecia capto, domo David e solio deturbata, promissiones Dei irritas videri Propheta quæritur, nec dum adesse Christum Vide autem promissiones II. Reg. VII. 21. *&c. I. Par.* XXII. 10. *Item Psal.* LXXI.

VERSIO S. HIERONYMI.

Intellectus Ethan Ezraitæ.

Misericordias Domini in æternum cantabo: in generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quia dixisti, sempiterna misericordia ædificabitur: cælos fundabis, & veritas tua in eis.

Percussi fœdus cum electo meo: iuravi David servo meo.

Usque in æternum stabiliam semen tuum, & ædificabo in generatione & generatione thronum tuum. Semper.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

Quis enim in nubibus æquabitur Domino: assimilabitur Domino de filiis Dei?

Deus inclytus in arcano sanctorum nimio, & terribilis in cunctis qui circa eum sunt.

Domine Deus exercituum, quis similis tui fortissime Domine? & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris superbiæ maris, & elationes gurgitum eius tu comprimis.

VERSIO VULGATA.

1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.

2. Misericordias Domini in æternum cantabo.

* In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3. Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.

4. Disposui testamentum electis meis, (*a*) iuravi David servo meo: 5. usque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo * in generationem & generationem sedem tuam.

6. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: † similis erit Deo in filiis Dei?

8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

9. Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

10. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu

Tu confregisti quasi vulneratum, superbum: in brachio forti tuo dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem & plenitudinem eius tu fundasti.

Aquilonem & dextrum tu creasti: Thabor & Hermon nomen tuum laudabunt.

Tuum brachium cum fortitudine, roboretur manus tua, & exaltetur dextera tua.

Iustitia & iudicium firmamentum throni tui: misericordia & veritas præcedent faciem tuam.

Beatus populus qui novit iubilum: Domine in lumine vultus tui ambulabunt.

In nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

Quia gloria fortitudinis eorum tu es, & in voluntate tua elevabis cornu nostrum.

Quia a Domino est protectio nostra, & a sancto Israel Rege nostro.

Tunc locutus es per visionem sanctis tuis: & dixisti posui adiutorium uper robustum, & exaltavi electum de populo.

Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

Cum quo manus mea firma erit, & brachium meum roborabit eum.

Non decipiet inimicus eum, & filius iniquitatis non affliget eum.

Sed concidam ante faciem eius hostes illius: & qui eum oderunt, percutiam.

Veritas autem mea & misericordia mea erit cum eo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

Ipse invocabit me, Pater meus es tu: Deus meus, & fortitudo salutis meæ.

11. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

12. Tui (*b*) sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: 13. Aquilonem & mare tu creasti.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: 14. tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: 15. iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: 16. beatus populus, qui scit iubilationem.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, 17. & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabirut cornu nostrum.

19. Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri.

20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente: & exaltavi electum de plebe mea.

21. Inveni (*c*) David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

22. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

23. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

24. Et concidam a facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam convertam.

25. Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

26. Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

27. * Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ.

Ego

Ego autem primogenitum ponam eum, excelſum regibus terræ.

In æternum cuſtodiam ei miſericordiam meam, & pactum meum fidele erit ei.

Et ponam perpetuum ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.

Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulaverint.

Si cærimonias meas profanaverint, & præcepta mea non cuſtodierint.

Viſitabo in virga ſcelera eorum, & in plagis iniquitates eorum.

Miſericordiam autem meam non auferam ab eo: nec mentiar in veritate mea.

Non violabo pactum meum, & quod egreſſum eſt de labiis meis, non mutabo.

Semel iuravi in ſancto meo, ſi David mentiar.

Semen eius in ſempiternum erit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.

Sicut luna ſtabilietur in ſempiternum, & teſtis in cælo fidelis. Semper.

Tu autem repuliſti & proieciſti: iratus es adverſus Chriſtum tuum.

Attenuaſti pactum ſervi tui: profanaſti in terra diadema eius.

Diſſipaſti omnes macerias eius: poſuiſti munitiones eius pavorem.

Diripuerunt eum omnes qui tranſeunt per viam, factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

43. Elevaſti dexteram hoſtium eius: lætificaſti omnes inimicos illius.

Avertiſti robur gladii eius, & non ſublevaſti eum in prælio.

Quieſcere feciſti munditiam eius, & thronum illius in terra detraxiſti.

Abbreviaſti dies adoleſcentiæ eius:

28. Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.

29. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.

30. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.

31. Si autem dereliquerint filii eius legem meam: & in iudiciis meis non ambulaverint:

32. Si iuſtitias meas profanaverint: & mandata mea non cuſtodierint:

33. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

34. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo: * neque nocebo in veritate mea:

35. Neque profanabo teſtamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

36. Semel iuravi in ſancto meo, ſi David mentiar: 37. ſemen eius in æternum manebit.

38. Et (*d*) thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum: & teſtis in cælo fidelis.

39. Tu vero repuliſti & deſpexiſti: diſtuliſti Chriſtum tuum.

40. * Evertiſti teſtamentum ſervi tui: profanaſti in terra Sanctuarium eius.

41. Deſtruxiſti omnes ſepes eius: poſuiſti firmamentum eius formidinem.

42. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam: factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

42. * Exaltaſti dexteram deprimentium eum: lætificaſti omnes inimicos eius.

44. Avertiſti adiutorium gladii eius: & non es auxiliatus ei in bello.

45. * Deſtruxiſti eum ab emundatione: & ſedem eius in terram colliſiſti.

46. Minoraſti dies temporis eius:

ope-

operuisti eum ignominia. Semper.

Usquequo Domine absconderis in finem? succenditur quasi ignis indignatio tua?

Memento mei de profundo: alioquin quare frustra creasti filios hominum?

Quis est vir qui vivat, & non videat mortem: salvans animam suam de manu inferi? Semper.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, quas iurasti David in veritate tua?

Rocordare Domine opprobrii servorum tuorum, quia portavi in sinu meo omnes iniquitates populorum.

Quas exprobraverunt inimici tui Domine: quibus exprobraverunt vestigia Christi tui.

Benedictus Dominus in sempiternum: amen, amen.

perfudisti eum confusione.

47. Usquequo Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

48. Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum!

49. Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi!

50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, (e) sicut iurasti David in veritate tua?

51. Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

52. Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

53. Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

(a) II. Reg. vii. 12. (b) Gen. 3. 2. (c) Reg. xvi. & 1. 12. Actor. xiii. 22. (d) II. Reg. vii. 16. (e) II. Reg. vii. 11.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 2. & 5. *In generationem & generationem*. Servandus est duplex accusativus, non mutandus prior in ablativo.

V. 27. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu*. Non mutes futurum *invocabit* in præteritum *invocavit*, quod libri multi.

V. 34. *Neque nocebo in veritate tua*. Non scribas *decipiam* pro *nocebo*.

V. 40. *Evertisti testamentum servi tui*. Vulgare hactenus vitium notariorum fuit, ut prima vocali scriberent *avertisti*, quod sit, in aliam partem transtulisti, pro *evertisti*, secunda vocali, quod est subvertisti, abolevisti.

V. 43. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*. Non legas *inimicorum eius*, pro *deprimentium eum*.

V. 45. *Destruxisti eum ab emundatione, & sedem eius in terram collisisti*. Quidam pro *ab emundatione* legunt *a mundatione*, id est simplex pro composito: porro omnino accusativus *terram* præferendus est ablativo *terra*, quem multi habent.

Lectionum Varietas.

V. 7. *Similis erit Deo in filiis Dei*. Meliores libri e nostris pro *Deo* scribunt *Domino*, Hebræo, & Græco consentanee.

N O T A T I O.

Vers. 40. A*vertisti testamentum servi tui:* Multorum codicum lectio est; *Avertisti*: cui Cassiodorus auxiliatur: „Avertisti, inquit, testamentum, idest in „aliam partem transtulisti, ut quod Iu„dæis fuerat promissum, ad utilitatem „gentium utique perveniret“. Alii *evertisti* legunt: quinque Hentenii, 3. Parisiensium, 4. nostri; huic Augustinus, Beda, Haymo, Remigius, & Bruno volunt. „Ubi „est enim, inquit Augustinus, testamentum „vetus Iudæorum? ubi est terra illa pro„missionis, in qua habitantes peccaverunt, „qua deleta migraverunt? Regnum Iu„dæorum quæris? non est 1 altare Iudæo„rum quæris? nonest .... Evertisti testamen„tum servi tui.“ Græce est. *κατέστρεψας τὴν δια-*

διαθήκην τοῦ δούλου σου. *καταστρέφειν finem rei imponere*, & *vastare*, ac *subvertere* denotat: hinc Euthymius exponit locum: *Irritasti promissionem quam ei fecisti*. Theodoritus explicat: „ *Evertisti autem huius regnum*; nam „ testamentum regnum vocat. Sane captivi „ abducti fuerunt bini Davidis posteri Iechonias, & Sedechias: in his vero Davidis regnum desiit. "Hæc ille. Alia est vox paulo post, ubi legitur vers. 44. *Avertisti adiutorium gladii eius*. Hebraicam vocem נארתה (2. MS. נארת) Simmachus vertit *Execratus es*; S. Hieronymus, *Attenuasti*; Felix, *Devastasti*; quidam, *Abolevisti*; alius *Abiecisti*; sequitur ברית עבדך *pactum servi tui*. Chaldæus transtulit אשניתא *mutasti pactum quod* (habebas) *cum servo tuo*. In Onomastico docet ex Cambio Pagninus vocem נאר significare *a corde proiicere*; ubi & locum hunc interpretatur. *Proiecisti a corde pactum servi tui*; id autem priori lectioni servire possit: *Avertisti* ab oculis, a corde, *testamentum servi tui*. Sed D. Lindanus, & D. Iansenius emendandum iudicarunt: *Evertisti testamentum servi tui*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 3. QUONIAM DIXISTI: IN AETERNUM, &c. Hebr. *Dixi enim*, id est reputavi apud me: *In æternum misericordia ædificabitur*, id est stabit, non deficiet: *in cælis præparabis veritatem tuam*.

V. 4. ELECTIS MEIS. Hebr. *electo meo*, id est Davidi, de futuro Christo ex eius semine (Loquitur autem persona Dei.)

V. 7. IN NUBIBUS. Hebr. *in cælo*.

V. 8. DEUS QUI GLORIFICATUR IN CONSILIO SANCTORUM, &c. Hebr. *Terribilis in consilio sanctorum*, & *valde formidabilis omnibus qui in circuitu eius sunt*.

V. 9. ET VERITAS TUA IN CIRCUITU TUO; id est, numquam a veritate discedis.

*V.*10. TU DOMINARIS POTESTATI MARIS. &c. Hebr. *Tu dominaris elationi maris: cumque attollit fluctus suos, tu compescis eos*.

V. 11. TU HUMILIASTI SICUT VULNERATUM SUPERBUM. Hebr. *Tu contrivisti tamquam mortuum Rabab* (id est AEgypti) id est occisione occidisti.

V. 13. MARE. Hebr. *meridiem*.

V. 14. TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA, &c. Hebr. *Tibi brachium est cum fortitudine*, id est robustum cor: *roboretur manus tua*, & *excitetur dextera tua*, aut *corroborata est*, & *exaltata*.

V. 16. QUI SCIT IUBILATIONEM, id est, qui exercetur in divinis laudibus: ii enim *in lumine vultus tui ambulabunt*.

V. 18. QUONIAM GLORIA VIRTUTIS EORUM TU ES, id est auctor fortitudinis eorum, sine quo eorum fortitudo gloria caret, ut Psal. 111. 4. *Gloria mea*, & *exaltans caput meum*. ET IN BENEPLACITO TUO EXALTABIS CORNU NOSTRUM, id est cum tibi placuerit.

V. 19. QUIA DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA, &c. Hebr. *Quia apud Dominum est protectio nostra*, & *apud Sanctum Israelis Regem nostrum*.

V. 20. TUNC LOCUTUS ES IN VISIONE SANCTI TUI; id est, ex quo dixisti sanctis tuis, opem feram potenti, id est Davidi: exaltabo electum meum a populo meo.

V. 22. MANUS ENIM MEA AUXILIABITUR EI. Hebr. *firma erit cum eo*.

V. 23. NIHIL PROFICIET INIMICUS IN EO, &c. Hebr. *Non opprimet eum inimicus*, & *filius iniquitatis non affliget eum*.

V. 24. ET ODIENTES IN FUGAM CONVERTAM. Hebr. *percutiam*.

V. 26. ET PONAM IN MARI MANUM EIUS; id est, faciam eum dominari in mari, & in terra.

V. 26. ET SUSCEPTOR SALUTIS MEAE. Hebr. *robur salutis meæ*.

V. 35. NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA. Hebr. *Neque mentiar in veritate mea*; id est, non mentiar, cum sim verax: aut, *Non faciam mentiri veritatem meam*; id est, non fallam fidem meam.

V. 36. SEMEL IURAVI IN SANCTO MEO, SI DAVID MENTIAR; id est, non mentiar Davidi. Hanc enim vim habet particula

cula אם, cum sequitur verbum iurandi, ut Psal. XCIV. 11. *Iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

V. 38. ET TESTIS IN CAELO FIDELIS; id est, sol, & luna testis erit, qui non mentietur.

V. 39. DISTULISTI CHRISTUM TUUM. Indignatus es Christus.

V. 40. PROPHANASTI IN TERRA SANCTUARIUM EIUS, Hebr. diadema eius.

V. 41. FORMIDINEM, contractionem; id est, contregisti firmamentum eius.

V. 45. DESTRUXISTI EUM AB EMUNDATIONE. Hebr. *Cessare fecisti munditiem eius*, id est gloriam, & splendorem.

V. 46. MINORASTI DIES TEMPORIS EIUS, Hebr. *adolescentiæ eius*; id est, fecisti eum cito consenescere propter mala quæ passus est.

V. 47. AVERTIS IN FINEM. Hebr. *abscondéris in finem.*

V. 48. QUAE MEA SUBSTANTIA. Heb. *Quod sit tempus meum.*

V. 51. QUOD CONTINUI IN SINU MEO MULTARUM GENTIUM. Hebr. *Ego fero in sinu meo* (omnia opprobria) *multorum populorum.*

V. 51. QUOD EXPROBRAVERUNT COMMUTATIONEM CHRISTI TUI. Hebr. *Quibus exprobraverunt vestigiis Christi tui.*

S A.

De Christi Regno.

Vers. 1. ETHAN. Vide III. Reg. IV.
Vers. 2. IN GENERATIONEM, &c. quasi dicat, semper. Repetitio præcedentis. Nota, quod videtur iungendum cum *veritatem*, sicut *æternum* cum *misericordias*; quasi dicat, æternam misericordiam tuam, & veritatem. Chald. *generationi & generationi*. VERITATEM, scilicet in promissis.

V. 3. DIXISTI. Hieron. & Chald. *dixi.* AEDIFICABITUR, id est durabit, seu permanebit instar ædificii. Chald. *Mundus misericordia ædificatus est*. IN CAELIS, iunge cum sequentibus. PRAEPARABITUR, id est stabilietur. IN EIS abundat, more Hebræo.

V. 4. TESTAMENTUM. Heron. & Chald. *fœdus*. ELECTIS; pro, cum electis. Chald. *cum Abraham electo meo.*

V. 5. PRAEPARABO. Hieron. & Chald. *stabiliam*. SEDEM. Hieron. *thronum*. Chald. *sedem regni*, scilicet Ecclesiam.

V. 6. CONFITEBUNTUR, id est prædicabunt. CAELI, id est sancti. Chald. *Angeli cælorum*. ETENIM. Hieron. & Chald. *insuper*. ECCLESIA, id est cœtu.

V. 7. NUBIBUS, id est cælis. FILIIS DEI, id est Angelis. Chald. *inter choros Angelorum.*

V. 8. OMNES. Chald. *omnes Angelos*,

V. 9. VIRTUTUM, id est exercituum. IN CIRCUITU TUO. Chald. *circumdat te*; quasi dicat: Per omnia tuam potentiam & maiestatem ostendis.

V. 10. POTESTATI. Hieron. *superbiæ*: quasi dicat, tumori, seu elationi. MITIGAS. Hieron. *comprimis.*

V. 11. VULNERATUM. Chald. *interfectum gladio*. SUPERBUM. Chald. *superbum Pharaonem*. Hebr. *Rahab*, id est AEgyptum. BRACHIO VIRTUTIS, id est potenti brachio.

V. 12. PLENITUDINEM, id est quidquid continet.

V. 13. MARE, scilicet mortuum, seu oceanum, qui est Iudææ ad austrum; quasi dicat, meridiem. Chald. *habitatores austri*. THABOR, &c. Thabor ab occidente, & Hermon ab oriente; quasi dicat, oriens & occidens. IN NOMINE, &c. Hieron. *nomen tuum laudabunt.*

V. 14. TUUM, scilicet est. FIRMETUR Hieron. & Chald. *roboretur*; quasi dicat: Ostende tuam potentiam.

V. 15. IUSTITIA forte pro *misericordia* posita est, more Scripturæ. PRAEPARATIO. Hieron. *firmamentum*; quasi dicat: Thronus tuus stabilitur iustitia & æquitate. Chald. *habitatio*. PRAECEDENT FACIEM TUAM; quasi dicat: Ante sunt semper.

V. 16. IUBILATIONEM, id est lætari in Domino. Chald. *complacere creatori suo*. LUMINE, id est favore, seu gratia. AMBULABUNT, scilicet iusti.

V. 17. NOMINE TUO, id est te. IN IUSTITIA TUA, id est per iustitiam tuam, scilicet remunerantem.

V. 18. GLORIA, id est de quo gloriantur. BENEPLACITO, id est benevolentia. CORNU, id est robur. Chald. *honor*.

V. 19. DOMINI.... ET SANCTI. Hieron. *a Domino, & sancto*. ASSUMPTIO. Hieron. *protectio*.

V. 20. TUNC, id est olim. SANCTIS, scilicet Prophetis. IN POTENTE. Græc. *super potentem*. Hieron. *super robustum*, scilicet Davidem, vel Christum.

V. 22. CONFORTABIT, id roborabit.

V. 23. IN EO, contra eum. FILIUS INIQUITATIS, id est homo iniquus. APPONET, id est poterit.

V. 24. CONCIDAM. Chald. *conteram*. A FACIE IPSIUS, id est ante ipsum.

V. 25. IN NOMINE MEO, id est per me. CORNU. Chald. *gloria*.

V. 26. MARI. Chald. *regionibus maris*. MANUM. Chald. *imperium*. FLUMINIBUS. Chald. *habitantibus iuxta flumina*. DEXTERAM, id est imperium, seu ditionem. Repetitio est.

V. 17. PATER, scilicet quatenus Deus ego. DEUS, scilicet quatenus homo. SUSCEPTOR, id est protector.

V. 28. PRIMOGENITUM, id est primarium. Chald. *primogenitum Regum domus Iudæ*.

V. 26. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*. FIDELE, scilicet erit, id est stabile & certum.

V. 30. CAELI. Chald. *quibus steterint cæli*; quasi dicat, perpetuum.

V. 31. IUDICIIS, id est præceptis.

V. 32. IUSTITIAS. Hieron. *cærimonias*. Chald. *præcepta*.

V. 33. VIRGA, id est castigatione, ut statim explicatur.

V. 14. DISPERGAM Hieron. & Chald. *auferam*. NOCEBO. Hieron. & Chald. *mentiar*. VERITATE. Chald. *fide*; quasi dicat: Non fallam fidem datam.

V. 35. PROFANABO TESTAMENTUM Hieron. *violabo pactum*. FACIAM IRRITA, id est mutabo.

V. 36. SANCTO. Chald. *nomine sancto*; quasi dicat, per me. SI, id est nullo modo. Chald. *nequaquam*.

V. 37. SEMEN, id est Christus.

V. 38. SICUT SOL, scilicet stabilis. Chald. *lucidus sicut sol*. PERFECTA, id est plena. Chald. *firmata*. Hieron. *stabilietur*. TESTIS, scilicet huius rei ego, vel luna, & sol.

V. 39. DISTULISTI, id est elongasti a te. Heron. & Chald. *Iratus es contra*.

V. 40. EVERTISTI. Hieron. *attenuasti*. Chald. *irritum fecisti*. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*. SERVI TUI. Chald. *cum servo tuo*. PROFANASTI; id est, velut rem profanam abiecisti. IN TERRA. Chald. *ad terram*. SANCTUARIUM. Hieron. & Chald. *diadema*.

V. 41. SEPS, id est munitiones. Chald. *castra*. FIRMAMENTUM. Hieron. *munitiones*. Chald. *oppida*. FORMIDINEM; quasi dicat: Debilitasti, & timere fecisti.

V. 43. DEXTERAM, id est vires.

V. 44. AVERTISTI. Chald. *Vertisti retrorsum*. ADIUTORIUM. Hieron. *robur*.

V. 45. DESTRUXISTI, &c. Hier. *Quiescere fecisti munditiam eius*. Chald. *Abstulisti sacerdotes, qui purificabant populum*. SEDEM, scilicet regni. Hieron. *thronum*.

V. 46. MINORASTI. Hieron. & Chald. *Abbreviasti*. TEMPORE, scilicet regni; quasi dicat: Fecisti deficere regnum. Hieron. *adolescentiæ*. Chald. *iuventutis*. CONFUSIONE, id est pudore, Hieron. *ignominia*.

V. 47. AVERTIS, scilicet te. Hieron. *absconderis*. IN FINEM. Chald. *in æternum*.

V. 48. QUAE MEA SUBSTANTIA, id est vita, seu subsistentia; quasi dicat, quam sim infirmus. Chald. *quod creatur sum de pulvere*. VANE CONSTITUISTI. Hieron. *frustra creasti*.

V. 49. INFERI; quasi dicat: Cum sit tam brevis vita, & certa mors, cur sic permittis affligi homines? *Inferi* intelliguntur ad quos tunc omnes descendebant.

V. 50. SICUT. Hieron. & Chald. *quat*.

V. 51. CONTINUI. Hieron. *portavi*. Chald. *sustinui*. SINU, id est animo. GENTIUM, scilicet opprobrium.

V. 52. COMMUTATIONEM; quasi dicat, quod videaris de eo sententiam mutasse. Hieron. *vestigia*. Chald. *tarditatem vestigiorum*; quasi dicat, moram aduentus.

V. 53. FIAT, scilicet quod dixi de benedicendo Dominum. Hieron. Chald. *amen, & amen*.

ESTII.

Vers. 12. & 13. TUI SUNT CAELI, ET TUA EST TERRA, ORBEM TERRAE, ET PLENITUDINEM EIUS TU FUNDASTI: AQUILONEM ET MARE TU CREASTI, &c. His verbis Propheta commendat maiestatem & potentiam Dei, significans Deum totius mundi, & omnium partium eius esse auctorem. Et notandum, paucis verbis a Propheta comprehendi

sex

rex differentias positionum in mundo. Cum enim ait, *Tui sunt cæli, & tua est terra*, significat Deum condidisse supera, & infera. Cum addit, *Aquilonem & mare*, tribuit Deo auctori sinistrum, & dextrum totius mundi. Nam aquilo, id est regio septemtrionalis sinistra est, respectu Palæstinæ; mare autem ad austrum seu meridiem, atque ita dextera convertenti se ad orientem. Cum denique addit, THABOR, ET HERMON, IN NOMINE TUO EXULTABUNT, orientem nominat, & occidentem, tamquam partem mundi priorem, & posteriorem. Nam Thabor mons erat in occidente, Hermon in oriente; unde & figurate pro illis partibus mundi accipiuntur.

V. 39. & 40. TU VERO REPULISTI ET DESPEXISTI: DISTULISTI CHRISTUM TUUM. EVERTISTI TESTAMENTUM SERVI TUI. Recte correctum *evertisti*, per secundam vocalem, non *avertisti* per primam. Ita enim Græca, Hebræa, & fere omnia MS. Sensus est: Subvertisti fœdus, quod tam magnifice iniisti cum servo tuo. Non est autem putandum Davidem loqui de calamitate aliqua temporis sui, propter quam tam graviter conqueratur, Deum irritas facere suas promissiones: nam & ipse erat Christus Domini. Proinde locum non habebat pro eo tempore: *Distulisti Christum tuum:* & illud: *Prophanasti in terra sanctuarium tuum*. Sed hæc quærimonia Davidis docet nos, promissiones Davidi factas de stabilitate, & æternitate regni eius, & de misericordia numquam a semine eius auferenda, non omnino pertinere ad regnum terrenum & carnale, sed perfecte ad regnum spirituale Christi, & Ecclesiæ. Quod enim ad regnum terrenum attinet, reprobatum est una cum populo Iudaico, & eiusdem sacerdotio. Quod autem ad regnum spirituale, promissio hæc complementum & perfectionem accepit in Christo, & regno eius, quod est Ecclesia. De quo regno Angelus ad B. Virginem Luc. I. *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Vide & Annotat. I. Paralipomenon VII. & II. Reg. VII.

MARIANAE.

Vers. I. INTELLECTUS ETHAN EZRAHITAE. Hebr. *erudiens* (Psalmus) *Ethan Ezrahitæ*. Is est Psalmi auctor. De *Ethan*, III. Reg. IV. & I. Paralip. VI. habes. Sed an idem utrobique, an diversi, incertum. Ac nec constat, an qui hic ponitur, sit qui illis locis nominatur. Græce *Ethan Israelitæ* legitur, sed vitiose. Canit beneficia Dei, & promissiones Davidi factas. Dei misericordiam & veritatem, ac tandem cum Deo expostulat.

V. 3. QUONIAM DIXISTI. Hebr. *Quoniam dixi*. IN AETERNUM MISERICORDIA AEDIFICABITUR; id est, erit instar ædificii perpetui. IN CAELIS: PRAEPARABITUR. Hebr. *cælos præparabis*, aut *fundabis:* sic Hieron. VERITAS TUA IN EIS; id est, fides promissorum tuorum stabit quamdiu cæli.

V. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM, &c. scilicet dixisti enim. Loquitur Deus. Heb. *Percussi fœdus cum electo meo*. Is est David, de quo mox. *Testamentum* & *pactum* idem.

V. 5. PRAEPARABO, stabiliam. SEMEN TUUM, posteros: numquam deficient. AEDIFICABO. *Ædificare sedem*, ut *ædificare domum*, est dare filios, & posteros. IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM; id est, in perpetuum dabo posteros in sede tua. Hoc Davidi convenit, ut est typus Christi.

V. 6. CONFITEBUNTUR CAELI; id est, ostendent te, o Domine, esse mirabilem. *Cæli enarrant gloriam Dei*. ETENIM. Heb. *etiam veritatem tuam* (prædicabunt homines.) IN ECCLESIA SANCTORUM, in cœtu, ubi congregati fuerint pii.

V. 7. QUONIAM QUIS IN NUBIBUS. Hebr. *in æthere*. Reddit rationem eius: *Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine*. Etenim in cælo eminet omnibus. IN FILIIS DEI? Hebr. *deorum*. Chald. *in choro Angelorum:* scilicet super omnes Angelos est mirabilis in cælo.

V. 8. DEUS, QUI GLORIFICATUR. Heb. *Deus terribilis*. IN CONSILIO SANCTORUM. Hebr. *in secreto*, aut *concilio sanctorum multo*. Ibi etiam gloriam tuam ostendit in fide eorum di quæ promisit. TERRIBILIS

SUPER OMNES QUI IN CIRCUITU EIUS SUNT. Hebr. *timendus ab omnibus qui circa eum sunt*; id est, a sanctis etiam timetur: tanta est gloria maiestatis eius.

V. 9. DOMINE DEUS VIRTUTUM, exercituum. ET VERITAS TUA, id est fides promissorum, IN CIRCUITU TUO, id est coram te est, te semper comitatur.

V. 10. POTESTATI MARIS dominaris, Hebr. *superbiæ maris*; id est, tu componis eius impetus, & fluctus. Quod repetunt verba sequentia. MOTUM. Heb. *elationem tu mitigas*.

V. 11. TU HUMILIASTI. Heb. *contudisti*. SICUT VULNERATUM. Heb. *occisum*. SUPERBUM. Sic Hieron. Hebr. *Rahab*. Hebræi per vocem *Rahab* intelligunt *Ægyptum*, ut & Psal. LXXXVI. 4. diximus.

V. 13. AQUILONEM ET MARE TU CREASTI. Hebr. *Aquilonem & dexteram*: sic Hieronymus, id est regiones septemtrionales, & australes. Versis ad ortum meridies est ad dexteram. Romani lævam in ortu ponebant. Plinius Lib. II. cap. LIV. quia scilicet ad austrum orantes vertebantur. E contrario Homerus, Arist. Plato, Gal. dexteram in ortu ponebant, ob contrariam causam. Isidorus Lib. XV. Etymol. cap. IV. *Cuius* (templi) *partes erant, antica ad ortum, postica ad occasum, sinistra ad septemtrionem, dextera ad meridiem*. Et loquitur de templis Romanorum. Quæ ratio consentit cum iis quæ hic dicuntur. Sic *mare* in Vulgata hic pro rubro mari, aut oceano sumatur; cum aliis locis *mare* absolute positum significet occasum, qua parte mediterraneum mare est. THABOR ET HERMON exultabunt. Pro ortu & occasu sumi possunt: sic enim siti sunt. Thabor ad ortum. IN NOMINE TUO, id est de tuo favore propter opera mira quæ iis in locis facies.

V. 14. TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA id est, tuum brachium robustum est ad facienda mirabilia. FIRMETUR MANUS TUA, pro firmatur. Viribus pollet manus, id est sinistra. ET DEXTERA TUA exaltatur. Nihil tamen pro imperio, sed iuste omnia.

V. 15. IUSTITIA ET IUDICIUM PRAEPARATIO. *Locus*, seu *solium tuum situm est in iustitia*. PRAECEDENT, quasi anteambulones. Numquam a te recedunt misericordia & veritas.

V. 16. BEATUS POPULUS QUI SCIT IUBILATIONEM, id est Dei laudibus oblectatur. DOMINE IN LUMINE VULTUS TUI, id est freti favore tuo, perficient quæ volunt,

V. 18. ET IN BENEPLACITO TUO. Tua benevolentia nostrum robur exaltabis.

V. 19. ASSUMPTIO NOSTRA; id est, nostra defensio Domini est. Hebr. *Quia Domini est clypeus noster*; id est, ipse est clypeus noster.

V. 20. TUNC; pro olim, aliquando locutus es. Probat exemplo Deum esse clypeum, quando pro ea cura providit populi saluti. IN VISIONE prophetica. SANCTIS TUIS. Hebr. *sancto tuo*, misericordi tuo; quem Samuelem intelligunt quidam; alii Davidem. POSUI ADIUTORIUM. Hebr. *auxilium*. IN POTENTE. Hebr. *in forti*, id providi, ut fortis aliquis populo opitularetur. ELECTUM. Sic omnes. Sed & *babur*, *iuvenem* significat. Ergo *exaltavi iuvenem*. Is fuit David, de quo mox.

V. 21. INVENI DAVID. Is est fortis, & electus. OLEO SANCTO MEO UNXI in Regem.

V. 22. MANUS ENIM MEA AUXILIABITUR EI. Hebr. *Firma erit cum eo manus mea*. CONFORTABIT EUM, Hebr. *roborabit adversus*, scilicet hostes. Id unctionis cæremonia significat, factum esse athletam pro Deo.

V. 23. NIHIL PROFICIET. Hebr. *Non exiget*, scilicet tributum inimicus. IN EO; pro, ab eo.

V. 24. ET CONCIDAM A FACIE IPSIUS; id est, delebo coram eo. IN FUGAM CONVERTAM. Hebr. *precutiam inimicos*, scilicet eius.

V. 25. ET VERITAS MEA, ET MISERICORDIA MEA; id est, quæ promisi præstabo; & alia gratuito adiiciam. ET IN NOMINE MEO, mea ope, EXALTABITUR CORNU; id est, robur eius crescet.

V. 26. ET PONAM IN MARI; id est, imperio eius mare, & flumina subiiciam. Amplum erit imperium.

V. 27. IPSE INVOCABIT ME: colet me quasi patrem filius. ET SUSCEPTOR, id est adiutor. Hebr. *petra salutis meæ*. Id dicit David Deo.

V. 28. ET EGO PRIMOGENITUM. Multis prærogativis sublimabo eum, quales erant primogenitorum. EXCELSUM PRAE RE-

REGIBUS; id est, illi Reges subiiciam.

V. 29. ET TESTAMENTUM, pactum, quod promisi. FIDELE IPSI, stabile.

V. 30. SICUT DIES CAELI, id est quamdiu cæli stabunt.

V. 32. SI IUSTITIAS MEAS, Hebr. *statuta mea:* si leges meas profanaverint filii David.

V. 33. VISITABO, puniam. IN VIRGA: sic solent filii a parentibus.

V. 34. NON DISPERGAM. Hebr. *Non auferam misericordiam*. NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA; pro veritati meæ non faciam iniuriam. Hebr. *& non mentiar in veritate mea*. Sic Hieron. id est, non fallam contra veritatem meam.

V. 35. NEQUE PROFANABO, seu polluam, TESTAMENTUM MEUM, pactum quod promisi. NON FACIAM IRRITA. Heb. *non mutabo verba mea*.

V. 36. SEMEL IURAVI IN SANCTO MEO, id est per sanctitatem meam. SI DAVID MENTIAR, scilicet male mihi sit: aut *si* pro *non*. SEMEN EIUS, id est quod præterea iuravit.

V. 38. SICUT SOL IN CONSPECTU MEO, id est coram me, tamdiu stabit, quamdiu sol. ET SICUT LUNA PERFECTA, id est fixa, & stabilis, sic thronus eius. Hebr. *sicut luna stabilietur in æternum*. ET TESTIS IN CAELO FIDELIS: scilicet luna erit testis fidelis huius meæ promissionis.

V. 39. TU VERO REPULISTI. Apostrophe ad Deum. Hebr. *elongasti*. DESPEXISTI, seu removisti. DISTULISTI CHRISTUM TUUM. Heb. *Iratus es cum Christo tuo*. De Christo loquitur, seu de Davide. Estque expostulatio cum Deo, quasi promissa sint facta contraria.

V. 40. EVERTISTI: non *avertisti*. Sic Græce, κατέστρεψας. Heb. *Abiecisti, elongasti*. TESTAMENTUM pactum initum cum servo tuo. PROFANASTI IN TERRA SANCTUARIUM EIUS. Hieron. *diadema eius*, scilicet Christi tui, *ad terram abiecisti*.

V. 41. DESTRUXISTI OMNES SEPES EIUS; id est, præsidia diruisti. POSUISTI FIRMAMENTUM. Hebr. *arces, munitiones*. FORMIDINEM; id est, quæ antea securitati erant, destructæ metum afferebant, vel captæ ab hostibus. Alii *contritionem* vertunt; id est, contrivisti munitiones.

V. 42. DIRIPUERUNT EUM. Metaphora a vinea, quam eversa sepe transeuntes omnes vindemiant.

V. 43. EXALTASTI DEXTERAM DEPRIMENTIUM EUM, id est vires, ut prævalerent hostes.

V. 44. AVERTISTI, seu retudisti. ADIUTORIUM GLADII EIUS. Heb. *aciem gladii eius*. ET NON ES AUXILIATUS. Hebr. *non erexisti eum*, scilicet gladium: non sivisti ut erigeretur retusa acie: vel *eum* id est Christum, seu Regem non fecisti hostibus ut superior esset.

V. 45. DESTRUXISTI EUM AB EMUNDATIONE; pro, emundationem, id est dignitatem eius destruxisti. Hebr. *Cessare fecisti puritatem eius*, id est dignitatem. ET SEDEM EIUS. Repetitio, & explicatio priorum verborum.

V. 46. MINORASTI DIES TEMPORIS EIUS. Heb. *Abbreviasti dies adolescentiæ eius*; id est, præ angustia ante tempus consenuit, festinatis senectutis insignibus, canitie. PERFUDISTI EUM, obtexisti. CONFUSIONE, ignominia, id est canitie; quæ cum venit ante tempus, probro est.

V. 47. USQUEQUO AVERTIS. Heb. *Usquequo absconderis?* IN FINEM, in perpetuum, id est tamdiu.

V. 48. MEMORARE, QUAE MEA SUBSTANTIA, Græci, *hypostasis*, *subsistentia*, *stabilitas*, id est quam sum debilis. Heb. *recordare, quod meum tempus*, id est quam brevis sit mea vita, ne me malis perpetuis obruas. NUMQUID ENIM VANE CONSTITUISTI? Heb. *cur frustra*, aut *vane creasti omnes filios hominum?* Num ut sint semper ludibrio, & continuis opprimantur malis?

V. 49. QUIS.... NON VIDEBIT MORTEM? id est, quis est qui non morietur? DE MANU INFERI? id est, de potestate, & violentia sepulcri quis eruetur? Quod si omnes morimur, cur nos præterea aliis malis premis? Hoc iungitur cum illo, *Memorare quæ mea substantia*.

V. 50. UBI SUNT MISERICORDIAE TUAE....SICUT IURASTI, id est pro quibus iurasti, IN VERITATE TUA, id est per veritatem tuam?

V. 51. MEMOR ESTO DOMINE OPPROBRII.... QUOD CONTINUI IN SINU MEO, id est pertuli apud me. MULTARUM GENTIUM, construitur cum voce *opprobrii*: hysterologia. Sic ordina: Recordare opprobrii, quod a multis gentibus pertuli in sinu meo.

V. 52.

V. 52. COMMUTATIONEM CHRISTI TUI exprobrarunt. Heb. *vestigia Christi tui:* sic Hieronymus. Sed vox עקב *bekeb*, significat etiam *pretium*, seu *mercedem*, quoniam est in opere extremum, ut in corpore calcaneum. Eo Septuag. respexere, cum *commutationem* posuere, quæ vox *pretium*, seu *mercedem* significat. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. XVI. 26. Ergo pretium Christi exprobrant, dicentes, quanti æstimandus tum ipse, rum promissiones de eo factæ, quæ merces ex eo? Eam vim vox Græca ἀντάλλαγμα habet, *commutationem*, & *pretium* significat.

V. 53. FIAT, FIAT. Heb. *Amen, amen*. Estque finis Libri tertii.

MALVENDAE.

Vers. 1. INTELLECTUS. Heb. *Mascil.* Vide in Psalm. XXXI. 1. ETHAN EZRAHITAE. Hebr. in dativo, *ipsi Ethani Ezrachitæ*. Hunc Ethanem putant esse illum de quo I. Paralipom. VI. 44. quem ibidem annotavimus dictum fuisse alio nomine Iedúthunem. Sed undenam illum dictum Ezrachitam poterimus ostendere? Multo verisimilius est, hunc illum fuisse Ethanem Ezrachitam, de quo I. Reg. IV. 31. & I. Paralipom. II. 6. fratrem Hemanis auctoris præcedentis Psalmi: qui sane Ethan hunc Psalmum composuerit ea occasione quam diximus initio superioris Psalmi. Est autem, inquiunt, hæc Ode documentum insigne Ecclesiæ, cum ad celebrandam benignitatem Dei, tum ad implorandam illius misericordiam in rebus adversis. Agit potissimum de regno Davidis in Christo, & Ecclesia.

V. 2. ANNUNTIABO VERITATEM TUAM IN ORE MEO. Hebr. *Notam faciam fidem tuam ore meo*, id est veritatem, & constantiam in omnibus rebus tuis: sic vers. 3. 6. 9. 15. 25. & 50.

V. 3. QUONIAM DIXISTI: IN AETERNUM MISERICORDIA AEDIFICABITUR. Hebr. *Quia dixi*: *Æternum benignitas ædificabitur*. Quidam: *Nam statuo fore ut in sæculum benignitas ædificetur*; id est, semel in rerum creatione, & structura demonstrata, promoveatur & pergat, quantis perdurabunt sæcula. Alii: *Ædificabitur*, id est durabit, permanebit, stabit, instar fortissimi & inexpugnabilis ædificii; ve *propagabitur*: sic enim sumitur id verbum Genes. XVI. 2. & alibi. Quidam hic עולם *ghollam* pro *mundo* capiunt: Mundus gratia ædificabitur, vel quia gratia creatus, vel quia gratia per Christum instauratus. IN CAELIS PRAEPARABITUR VERITAS TUA IN EIS. Aliqui reddunt: *Cælos firmabis, veritas tua in eis*. Alii: *In cælis ipsis stabilias fidem tuam*. Quidam: *Veritas autem & fides tua cum cælis ipsis aderat, cum conderentur*. Nonnulli: *Et cæli prius ruant, quos artificio summo condidisti, & constanter conservas, quam te non stare promissis*. Alii: *In ipsis cælis fidem tuam confirmasti*; quasi dicat: Tamdiu duratura sunt promissa tua, quamdiu cæli ipsi. Proprie: *In cælis ipsis apparabis, stabilies, confirmabis, constitues, ratificabis, concinnabis fidem tuam*. Buchananus:

...citius quoque sidera credam
In chaos antiquum lapso se condere mundo,
Irrita quam sacri credam fore fœdera pacti.

V. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM ELECTIS MEIS. Heb. *Exscidi fœdus cum electo meo*. Verba sunt Dei. Unde subaudiunt: Qua fide, seu veritate, dixisti: *Pepigi fœdus*: vel quoties dixisti: *Incidi fœdus*, seu *percussi fœdus, inquit Dominus, cum eo quem elegi ipse mihi*, id est cum Davide, ut mox se exponit. Vide II. Samuel. VII. & seqq. IURAVI DAVID SERVO MEO, ad confirmationem fœderis, ut infra vers. 50. & Psal. CXXXI. 11. Davidi quidem filio Isai, sed Christo potissimum, cuius typus David fuit.

V. 5. USQUE IN AETERNUM, &c. Duæ hoc versu promissionis partes exponuntur, heredum, & hereditatis regiæ, ut factæ fuerant Abrahamo Genes. XV. & ipsi Davidi II. Reg. VII. *Selah* additur in fine versus; id est, 1. *In sempiternum*; 2. *Ita fiet*; 3. *Summe*; 4. O quam stabile, & æternum futurum est regnum Davidis in Christo, & Ecclesia! Lucæ 1. 32.

V. 6. CAELI, id est cælites, quos per synecdochem metonymicam intelligendos esse docent tres sequentes versus. Alii prosopopœtice accipiunt. MIRABILIA TUA. Hebr. singulariter, *mirabile tuum*, vel *miraculum tuum*. Quidam, *mirabile opus tuum*. Alii, *admiranda facinora tua*. Nonnulli,

nulli, *fortia facta tua*. ETENIM VERITATEM TUAM IN ECCLESIA SANCTORUM. Alii ex Heb. I. *Etiam veritas tua est in ecclesia sanctorum*. Veritas est ac versatur semper in Ecclesia Christi, quæ est columna ac firmamentum veritatis, I. Timoth. III. 15. II. *Etiam fidem tuam in congregatione sanctorum*, subaudi, ex initio versus, *celebrant*; id est, testificantur Ecclesiæ, & documento sunt; quasi dicat: Ipsi cælites annuntiant Ecclesiæ, & in ea celebrant fidem, & veritatem Dei. III. *Etiam testes sunt* cæli fidei, constantiæ, stabilitatis, *pepetuitatis tuæ quod omnes qui tuæ sanctitatis non penitus sunt expertes*. IV. *Etiam Ecclesia sanctorum fidem ac veritatem* celebrat. Buchananus totum versum ita expressit:

Te Pater ætherei cœtus, te iure piorum
Sæcla hominum celebrant patrantem ingentia mundo
Mirante; & stabilis ius inviolabile pacti
Servantem.

V. 7. IN NUBIBUS. Hebr. *in æthere, in superiore*, seu *levissima nube*, id est in cælo: sic infra vers. 38. AEQUABITUR DOMINO. Hebr. *æquiparabitur, par æstimabitur, comparabitur, conferetur, Iehovæ*. Et quia id verbum solet esse transitivum, possis reddere, *ordinabit*], *disponet, instruet, Iehveh*, scilicet agenda. IN FILIIS DEI? Hebr. *in filiis fortium*, vel *deorum*, seu *inter deos*. Quidam reddunt, *inter Angelos, quamtumvis sint potentes*. Alii, *inter filios fortium*, id est potentissimos terræ; ut supra Psal. XXVIII. I. & Ezechiel. XVII. 13. & XXII. 2t.

V. 8. SUPER OMNES QUI IN CIRCUITU EIUS SUNT. Hebr. *super omnes circuitus eius*. Quidam, *cunctis qui circa illum sunt*. Alii. *supra omnes qui circum eum sunt*. Nonnulli, *supra omnia quæ circumstant eum*.

V. 9. DOMINE DEUS VIRTUTUM. Heb. *Iehveh, Elohim, Tzebaoth*: tria nomina Dei divinam personarum Trinitatem indicant, ut Psal. LXXXIII. 9. POTENS. חסין *chasin*, plerique reddunt *potens, fortis, robustus*, ex significato Chaldaico: alii ex notione verbi, Isaiæ XXIII. 18. *protector, reconditor thesaurarius*: alibi non legitur: & recte monent Hebræi esse unum de Dei atributis, seu epithetis; quare illud ininterpretatum retinuimus. Vide Coloss. II. 3. ET VERITAS TUA IN CIRCUITU TUO. Hebr. *Et fides tua circuitus tui*, vel *in circuitibus tuis*. Alii. I. *Fide ac veritate latus tuum stipatur*. II. *Et stabilitatis tuæ circum te habeas testes plurimos*. III. *Nam fides tua circum vestit te*; id est, undique exornaris veritate & constantia operum tuorum. Buchananus:

Alma fides clara circum te luce refulget.

V. 11. TU HUMILIASTI SICUT VULNERATUM, SUPERBUM. Alii ex Heb. I. *Tu contrivisti tamquam confossum AEgyptium*: ut supra Psal. LXXXVI. 4. Vide Exod. XIV. 9. & 25. II. *Tu contudisti tamquam cadaver*, seu *interemptum, AEgyptum*; id est, non aliter ac si gladio essent interempti, fluctibus maris confecisti AEgyptios. III. *Tu percussisti potentissimum illum AEgypti Regem non maiore negotio quam si res tibi fuisset cum aliquo iam graviter saucio, & viribus suis omnibus destituto*.

V. 13. AQUILONEM ET MARE TU CREASTI. Heb. *Septemtrionem & dexteram tu fundasti eos*. *Dexteram*, id est austrum, meridiem, quod respicientibus orientem, plaga australis a dextris sit: unde Hebræis oriens, pars mundi anterior dicitur, occidens posterior, septemtrio sinistra, meridies dexrera. Exod. XXVI. 18. THABOR ET HERMON. Plerique secuti Chaldæum interpretem, synecdochice, occidentem, & orientem accipiunt, quod Thabor ad occidentem, Chermon vero ad orientem in terra sancta siti sint: de Thabor vide Notas in Iosue XIX. 12. & 22. de Chermon in Deuteronom. III. 8. Verum id non magnopere mihi probatur: nam nec Chermon proprie est ad orientem, sed potius ad septemtrionem, nam est pars Libani: vide Psal. XLI. vers. 7. & multa loca ipso Thabore occidentaliora sunt in Chenahanæa. Verosimilius existimo, nominatos hos montes, quod clariores essent in terra sancta, & nomine Chermonis ipsum Libanum capio, quia iugum eius erat, vel idem mons. Quidam versum hunc ita convertunt. I. *Aquilonem & meridiem tu creasti: Thabor & Hermon de nomine tuo gloriantur*. II. *Aquilonem & austrum tu produxisti: mons Thabor, & mons Hermon magnitudine sua testantur omnipotentiam tuam*. III. *Aquilo & auster*

quos

tu creasti; Thabor & Chermon de nomine tuo cantant. Nec dubitaverim, in Hermone allusisse Vatem ad historiam Deuteronom. III. 8. in Thabore vero ad victoriam Barachi, Iudic. IV. & ad transfigurationem dominicam.

V. 14. TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA: FIRMETUR MANUS TUA, ET EXALTETUR DEXTERA TUA. Dilucidius alii ex Hebr. I. *Brachium tuum ter robustissimum est: manus tua fortissima dextera tua*. II. *Tu brachium habes omnipotentia praeditum: robustissima est manus tua, & potentissima est dextera tua*. III. *Brachium tuum cum potentia invicta est manus tua, sublimis est dextera tua*. IV. *Tibi brachium est cum potentia: robusta est manus tua, elata est dextera tua*. Illud, *Manus tua*, plerique accipiunt, id est sinistra tua, ex antithesi sequentis membri: vide in Psalm. LXXIII. 2.

V. 15. IUSTITIA ET IUDICIUM PRAEPARATIO SEDIS TUAE. Alii ex Hebr. I. *Iustitia & iudicium basis solii tui*. II. *Iustitia & aequitate instructum est solium tuum*. III. *Iustitia & aequitate stabilitum est regale solium tuum*. IV. *Iustitia & iudicium habitaculo solii tui*, subaudi insunt, vel adstant; vel *habitaculum solii tui* sunt; id est, solium tuum in media iustitia & aequitate situm est. MISERICORDIA ET VERITAS PRAECEDENT FACIEM TUAM. Heb. I. *Gratia & veritas prevenient facies tuas*. II. *Bonitas & veritas anteambulones tui sunt*. III. *Clementia & aequitas prae omnibus curae sunt tibi*. IV. *Beneficentia & veritas satellites tui sunt*. V. *Benignitas & fides praeeunt facies tuae*. VI. *Bonitas & fides antecedunt faciem tuam*. Buchananus:

Ante oculos adstato bonitas, & nescia flecti
Promissi sincera fides.

V. 16. BEATUS POPULUS, QUI SCIT IUBILATIONEM. Diversimode ex Heb. elucidant. I. *O beatum populum tibi iubilandi peritum*. II. *Felix populus qui agnoscit haec, & sese oblectat his*. III. *Beatitudines erunt populi scientium clangorem*: vel, *O felicem populum, qui agnoscit clangorem*, id est festivum sonum divinarum festivitatum: solebant enim in solemnitatibus tuba clangere: vide Psal. LXXX 4. quasi dicat: Beatus populus, qui rite celebrat sacra festa. Buchananus:

...o terque quaterque
Felices, quos festarum clangore tubarum
Ad tua sacra vocat.

IV. apte Hebraei putant allusum hic ad locum Numer. XXIII. 21. *Iehveh Deus eius cum eo, & taratantara*, seu *clangor Regis in eo*. Unde reddunt: *Beatus populus, qui agnoscunt clangorem*, Regis, Dei, id est qui signa a te velut Imperatore proficiscentia, & verbum tuum audiunt. Vide Notas in eum Numerorum locum. DOMINE IN LUMINE VULTUS TUI AMBULABUNT. Heb. *Iehveh in luce facierum tuarum ambulabunt*. Alii, I. *Domine in luce vultus tui ambulant*; id est, semper illis per has tenebras & vias vitae difficiles ingredientibus splendor tui spiritus clarissimum lumen ostendit. II. *O Domine tales in lumine vultus tui incedent*; id est, freti favore tuo alacriter invadent hostes suos. III. *Qui in luce facies tuae pergunt*. *Iehova*; id est, te praeeuntem opere, sequuntur, & praelucentem verbo. IV. Domine, quicumque tales fuerint, semper comitabitur illos favor tuus, & veluti clarissima in luce vultus tui versabuntur.

V. 17. ET IN IUSTITIA TUA. Exponunt, id est beneficio iustificationis tuae. Alii, quia iustis benefacere soles.

V. 18. EXALTABITUR CORNU NOSTRUM. Vide I. Samuel. II. I. sic infra vers. 25.

V. 19. QUIA DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA, &c. Hunc versum Hebraea ita concipiunt: *Quia ipsi Iehveh est scutum nostrum & sancto Israelis Regi nostro*, vel *Rex noster*. Alii, I. *Quia tu Domine scutum nostrum es, & sancte Israelis Rex noster*. II. *Beneficio enim Domini magis quam ullo clypeo tuti sumus: & auxilio illius qui sanctimoniae auctor est Israeli, feliciter cedunt quaecumque aggreditur noster Rex*. III. *Quoniam Domini est clypeus noster, & sancti Israelis Rex noster*. IV. *Iehovae enim est scutum nostrum*, id est defensio & protectio nostra a malis: quod protegimur, quod tela hostium retundimus, Deo debemus: *& sancti Israelis Regis nostri*, id est Christi sanctificantis Ecclesiam suam, atque in ea regnantis virtute spiritus: vel, *& sancto Israelis Rex noster*; id est, Patri aeterno sanctificatori Israelis, vel quem omnis Israel sanctificat, curae & protectioni est Rex noster David: II. Samuel. VII. &

vii. & præcipue Christus. Aliter, *& a sancto Israelis Rex noster*; id est, Davidem, & Christum a Patre, seu Patris beneficio habemus.

V. 20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis. Explicatio singularis benignitatis Dei erga Regem. Exemplaria Hebræa variant. Quædam habent singulari numero, sine Iod: *Tunc allocutus es per visionem benignum tuum*, sive *cum quem benignitate prosequeris*, id est Samuelem prophetam, I. Samuel. xvi. Alia pluraliter cum Iod, *begnignos tuos*, nempe Samuelem, I. Samuel. xvi. & Nathanem, II. Samuel. vii. his enim sanctis Prophetis revelatum est a Deo de regno Davidis; eiusque perpetua stabilitate in Christo. Posui adiutorium super potentem. Exponunt ex Heb. I. *Posui auxilium in potente*; id est, constitui fortem quemdam, qui auxilio futurus est populo meo. II. *Dabo heroi robur*. III. *Robur addidi vero alioquin forti*; quasi dicat: Semper ero præsto, semper opem feram Davidi, qui potens est per gratiam meam. IV. *Auxilium suppeditabo heroi*. Potentem, vel heroem hic, Davidem intelligunt, & in eo Christum. V. *Disposui auxilium contra robustum*; id est, dedi Regem, qui vindicet populum a potentibus inimicis, ut postulaverat populus, I. Samuel. viii. sub finem. VI. *Æquavi auxilium super gigantem*; id est, dedi giganti auxilium æquale, & conducens sibi. Et exaltavi electum de plebe mea. Heb. *Extuli electum e populo*. Alii: *Eveham electum super populum*. Nonnulli: *Exaltavi iuvenem, adolescentem illum quem e populo elegeram*, scilicet, Davidem, ut sequens versus explicat.

V. 21. Inveni, id est providi, prospexi, ut I. Samuel. xvi. 1. Alii: *Comparavi*. Iam hinc ordiuntur promissiones sempiterni regni Davidis in Christo, de quibus late II. Samuel. vii.

V. 22. Manus enim mea auxiliabitur ei. Plurifariam ex Heb. transferunt. I. *Quod manus mea firma erit cum eo*. II. *Cum quo manus mea firma erit*; id est, semper eum protegam, numquam eum destituam axilio meo. III. *Fulciet eum manus mea*. IV. *Cui cum manus mea sit stabilis*.

V. 23. Nihil proficiet inimicus in eo. Varie ex Hebr. reddunt. I. *Non elevabitur inimicus in eo*; id est, non insurget, non prævalebit. II. *Non superabit ipsum hostis*. III. *Non opprimet eum ullus inimicus*. IV. *Non exiget*, vel *exigere faciet inimicus in eo*; id est, non erit sicut fenerator, & exactor, ut capiat eius substantiam: vel *non exiget ab eo tributum tanquam a subiecto & oppresso*. V. *Non aget exactorem inimicus contra eum*. VI. *Non felicitabitur inimicus in eo*. VII. *Hostis non imponet ei*, tributa, vel *non decipiet eum*. VIII. propie: *Non obruet*, *irruet*; *non aggravabit*, *non imponet onus*, *vectigal*, *tributum*, *fenus*; *non irrigabit gravamen*. נשיא *naschib*, cum extremo Iod, & Aleph, a נשר *naschab*, *obruet*, a נשא *nasa*, cum Scin sinistro, *elevabit*; anasa, cum scin dextro, *imponet*, *decipiet*. Et coniugatio Hiphil significatum auget. Et filius iniquitatis. Heb. *Filius iniuriæ*, id est homo iniurius, deditus iniquitati, pravus, sceleratus.

V. 26. Et ponam, vel *imponam*, ut promiserat Deus Exod. xxiii. 31. & completum legitur II. Samuel. viii. & x. In mari: exponunt, id est rubro, mediterraneo, mortuo, Chinereth; de regno vero Christi, toto, quam late patet, oceano, & mediterraneis maribus. Manum eius, id est potestatem, ditionem, imperium: vel metaphora prosopopœica, ut sinistra manu maria teneat, dextera vero flumina, ex antithesi posterioris membri: sic supra vers. 14. Et in fluminibus. De regno Davidis, Arone, Iaboko, Euphrate, Kisone, &c. de Christo, in fluminibus totius orbis terrarum. Ridicule quidam hunc versum referunt ad artem Ctesibicam, qua Deus veluti machinis quibusdam, perpetuo exsuctu flumina ex maribus haurit.

V. 27. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, &c. Alii reddunt: *Ipse inclamabit me*, *Tu Pater mi*, &c. vel, *Ipse appellabit me*, *O Pater mi*. Iam hic peculiarius agere incipit de veritate & constantia regni in Christo, a mutuis & respondentibus inter se officiis Christi erga Deum Patrem, hoc versu; & Patris erga Christum, tribus sequentibus: nam hæc universe & plene ad Christum pertinent; tenuiter vero, & tamquam ipsius typis, Davidi, Selomoni, & Regibus aliis accommodari possunt.

V. 28. PRIMOGENITUM PONAM ILLUM. Exponunt, primum, primarium, excellentissimum, præstantissimum, id est caput, & principem summum Ecclesiæ meæ, adeoque omnis creaturæ; ut sequentia verba exponunt: nempe eum qui alioquin natura Unigenitus est æterni Patris, Hebræor. I. 6. Constituam *primogenitum in multis fratribus*: Romanor. VIII. 29. *Primogenitum omnis creaturæ*: Colossens. I. 15. EXCELSUM PRAE REGIBUS TERRAE. עליון *ghelion*, pro communi, & appellativo capiunt, superiorem, sublimiorem, excelsiorem Regibus terræ; potentissimum omnium Regum terræ. Ego malim ut proprium attributum Dei accipere, quod Christus a Patre impositus sit Altissimus Deus Regibus terræ, quem omnes ut supremum Deum agnoscant.

V. 30. ET PONAM IN SAECULUM SAECULI SEMEN EIUS. Aliqui: *Disponamque in æternum semen eius*, spirituale, id est filios Dei genitos per sanctificationem spiritus, Hebræor. II. 10. & seqq. SICUT DIES CAELI, vel *cælorum*, id est in æternum: periphrasis; quasi dicat, tam diuturnum, quam erunt dies cælorum.

V. 31. SI AUTEM DERELIQUERINT FILII EIUS LEGEM MEAM, &c. Vide in II. Samuel. VII. 14. & seqq.

V. 34. NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA. Heb. *Et non fallam in fide mea*. Alii: *Neque fallam fidem meam*. II. *Neque mentiar contra fidem meam*. III. *Neque enim mentiri potero, aut contra datam a me fidem facere*.

V. 36. SI DAVID MENTIAR; id est, non mentiar, vel dispeream: male mihi sit, si Davidem fefellero.

V. 37. SEMEN EIUS IN AETERNUM MANEBIT, id est Ecclesia genita incorrupto semine verbi, ut vers. 30. ET THRONUS EIUS, id est regnum: synecdochice. SICUT SOL IN CONSPECTU MEO. Quidam: *Et solium regni illius fore tam stabile & diuturnum, quam est ipse sol in conspectu meo*; id est, in perpetuum durabit ut sol. Sol symbolum æternitatis, ut Psal. LXXI. 5. & 17. Ego secutus Chaldæum Interpretem, nedum ad æternitatem, sed etiam ad amplitudinem, & splendorem regni Christi retulerim hic similitudinem solis.

V. 38. SICUT LUNA PERFECTA IN AETERNUM: ET TESTIS IN CAELO FIDELIS. Nostra Translatio Hebræa verba fideliter expressit (*Sicut luna apparabitur æternum: & testis in æthere creditus*.) Alii. I. *Sicut luna stabilietur in sæculum: quæ testis est in æthere certus*, nempe durationis illius regni. II. *Sicut luna perpetuum erit regnum illius: quam & stabile promissionis meæ in cælo signum esse volo*. Luna hieroglyphicum æternitatis: ut Psal. LXXI. 5. & 7. quasi dicat: Volo lunam ipsam esse testem perpetuitatis imperii Christi: ut enim illa semper durabit, ita semper vigebit regnum Christi. III. *Firmum erit in sempiternum sicut luna: & sicut certus ille in nubibus testis*, id est iris, seu arcus cælestis, Genes. IX. 13. & seqq. IV. *Ut luna stabile fore in sæculum: & ut tester in superiore nube fideles*: ut sit enallage numeri; id est, æque duraturum esse, atque aspectabilia omnia in cælo documenta, de quibus infra Psal. XCVI. 6. Additur *selah*; id est, 1. *Semper*; 2. *Ita factum est*; 3. *Summe*; 4. O quam fidi testes æternitati regni Christi!

V. 39. TU VERO REPULISTI, &c. Alii ex Heb. I. *Et tu reliquisti, & abominatus es*: indignatus es cum Christo tuo. II. *Tu autem repulisti, & proiecisti: succensuisti in Messiam tuum*. III. *Tu vero repulisti, & sprevisti: iratus es contra Christum*. IV. *Nunc autem despicis, & abiicis: simultatem exerces cum Christo tuo*. V. *Interim tu tamquam bonum omnium oblitus, deseruisse & abominatus esse videris Christum tuum, & excanduisse in illum*. VI. *At tu repulisti, aversatus es, succensusque ira contra Christum tuum*. VII. *At tu abiecisti, & sprevisti: excanduisti contra unctum*, id est contra Regem e domo Davidis: nam hic Psalmus in monumentum datus est Ecclesiæ prophetico spiritu, ut suo tempore caneretur Deo: cuiusmodi fuit tempus deportationis Babylonicæ: quo, capto, & abducto Zedechia, regnum a posteritate Davidis ablatum esse videbatur. Nam illud plane fuit tempus turbulentissimum, & magna tentatio in Ecclesia, quando omnia cum promissionibus divinis de regno Davidis e diametro pugnare videbantur.

V. 40. EVERTISTI TESTAMENTUM SERVI TUI. Verbo נאר *naar* omnia ista subiiciunt: *Discerpsisti, dilacerasti, dissolvendo*

do abstulisti, abiecisti, destruxisti, dissipavisti, dissolvisti, recidisti, violasti, abolevisti, abrogavisti, abnegavisti, irritum fecisti, detestatus, exsecratus, aspernatus fuisti, perdidisti, attenuasti, annihilasti, cessare fecisti, vacare fecisti, fœdus servi tui. Sic Lamentation. II. 7.

V. 43. EXALTASTI DEXTERAM DEPRIMENTIUM. Quidam: *Extulisti dexteram hostium eius*, vel *eorum qui ei infesti sunt*; id est, superiores fecisti inimicos. Alii: *Extulisti in altum dexteram hostium illius, ut gravius feriant.*

V. 44. AVERTISTI ADIUTORIUM GLADII EIUS. Varie alii ex Hebr. I. *Retorsisti robur gladii eius.* II. *Retudisti aciem, acumen gladii eius.* III. *Avertisti, amovisti petram gladii eius*, id est cotem, ad quam acuere solebat gladium suum. Fortasse alludit ad gladios petrinos, quibus olim circumcisio fiebat. Vide in Exod. IV. 25. & Iosue V. 2. ut innuat synecdochice religionem, & sacramenta Iudæis ablata tempore ingentium persecutionum, ut sub Antiocho Epiphane I. Machabæor. I. 51.

V. 45. DESTRUXISTI EUM AB EMUNDATIONE. Hebr. *Cessare fecisti munditiem eius*, id est nitorem, elegantiam, dignitatem, & splendorem imperii; quasi dicat: Splendore eum privasti. Quidam: *Cessavisti ab ornando eo.*

V. 46. MINORASTI. Hebr. *præcidisti, rescidisti, messuisti, curtasti.* DIEI TEMPORIS EIUS. Heb. *dies adolescentiarum, iuventutum eius*, id est quibus florere, & quasi adolescere, & augeri debuerat, ex promissione tua. PERFUDISTI EUM CONFUSIONE. Heb. *Operuisti eum pudore.* Alii: *Omni ex parte ignominia cooperuisti illum.* Apponitur hic *selah*; id est, 1. *Perpetuo*; 2. *Ita factum est*; 3. *Quam maxime*; 4. O ad quam miserabilem statum redactum est regnum Davidis.

V. 48. MEMORARE QUAE MEA SUBSTANTIA. Varie ex Hebræo exponunt. I. *Memento ego quanti temporis*, sim. II. *Memento ego quid tempus*, vel *memento qaid ego sim, & quod tempus*, vitæ, id est quam fragilis ego sum, & qoam brevis vitæ in hoc mundo. III. *Memento quid sit tempus*, vitæ meæ, id est quam longum, aut quantulum futurum sit. IV. *Memento quanti ævi ego*, sim. V. *Recordare mei, cuius temporis sim*, sive *quam temporarius sim.* VI. *Memor sis quantuli ævi ego sim.* VII. *Memento ego quantum tempus*, id est, *quantum tempus meum.* VIII. *Recordare ego cuius temporis sim*, id est quantulum ævum meum sit. IX. *Reputa quantum sit tempus mihi constitutum.* X. *Recordare quam brevis & nihili sit vita mea.* Vide Psal. XXXVIII. 6. NUMQUID ENIM VANE CONSTITUISTI OMNES FILIOS HOMINUM? Heb. *Super quid temere creasti omnes filios Adæ?* Alii. I. *Super quam vanitatem* vitæ brevissimæ *creasti omnes filios Adam?* II. *Alioquin quare frustra creasti omnes filios hominum?* III. *Propter quid frustra creaveris omnes filios hominum?* IV. *Num frustra condideris universos homines?* V. *Quorsum in vanum creasses omnes filios hominis?* VI. *Num levem ob causam creaveris omnes filios hominum?* VII. *An non ex ipsa conditione mali satis habemus? qui vanitati per totam vitam obnoxii quotquot sumus posteri Adæ, abs te conditi sumus.* Sensum huius versus ita concipiunt, ut sit petitio misericordiæ, & instaurationis a persona supplicum, qui ita vanitatem suam agnoscunt, ur se tamen profiteantur esse creaturas Dei; quasi dicat: Tametsi brevissimi momenti simus, & vanirate ipsa inaniores; at sumus creaturæ ruæ omnes nos homines; ac proinde restitue, & instaura nos: alioquin quorsum in vanum creasses omnes homines, si non esses servaturus. Vanitatem hominum etiam sequente versu exaggerat. Hispanicus Interpres: *Acuerdate yo que tiempo*, vel *quanto sea mi tiempo: porque oriaste subiectos a vanidad a todos los hios del hombre*; id est, recordare quod brevi vivimus ævo eo quod vanirati subiectos creaveris omnes filios hominis.

V. 49. ERUET ANIMAM SUAM DE MANU INFERI? id est, de potestate, vi, sepulcri. Additur *selah*; id est, 1. *Umquam, perpetuo*; 2. *Ita plane res habet*; 3. *Excellentissime*; 4. O vis inexorabilis mortis!

V. 51. (QUOD CONTINUI IN SINU MEO) MULTARUM GENTIUM. Ex Hebr. varie alii I. *Quia portavi in sinu meo omne multorum populorum*, id est omne opprobrium. II. *Quod fero in sinu meo*, opprobrii, inquam, *omnium fortium populorum.* III. (*Multos enim populos in sinum meum ego omnes suscepi.*) IV. *Quod tuli in sinu meo*

 cun-

cuncta opprobria multorum populorum. V. *Ferre me in ſinu meo omnes multos populos*. VI. *Me geſtare in ſinu meo opprobrium omnium maximorum populorum*. *Quod continui in ſinu meo*; id eſt, patienter diſſimulare, & abſcondere, atque concoquere cogor. *Multarum gentium*. Hebr. *omnium multorum*, vel *magnorum populorum*. EXPROBRAVERUNT COMMUTATIONEM CHRISTI TUI. Heb. *calces*, *calcaneos*, *veſtigia*, *Chriſti tui*. Quidam, *extrema Chriſti tui*, id eſt tempus extremum & præfinitum a Deo adventus Chriſti: quem Iudæi impii pernegant. Alii: *Convincientur calcibus Chriſti tui*; id eſt, moræ, quam facit Chriſtus tuus, quaſi hoc eſſet commune convicium gentium, quod fruſtra Iudæi expectarent Chriſtum liberatorem, qui numquam veniret, quaſi eſſet tardi gradus, vel calces læſos aut fractos haberet. Chaldæus Interpres: *Exprobraverunt tarditatem veſtigiorum pedum Meſſiæ tui*. Nonnulli: *Veſtigia Chriſti tui*. id eſt ſigna omnia atque documenta Chriſti habitantis & inambulantis in nobis, ſive præterita, ad prophetiam, ſacerdotium, regnum, & cultum Dei pertinentia; ſive præſentia, quibus Chriſtus nos conſolatur verbo; ſive futura de promiſſionibus adventus eius. Aliqui reddunt: *Quo etiam veſtigia Chriſti tui execrantur*. Alii: *Rident enim aſſidue nos tamquam ſpei nobis nihil ſit reliquum in Chriſto tuo*. Quidam, ut Hebræa cum LXX. concilient, *mercedes Chriſti tui*; quaſi dicat: Exprobrant quod pravam mercedem reportarit David pietatis ſuæ erga Deum: quod ſimilis vox עקב *hekeb*, *emolumentum*, *præmium*, *mercedem* ſignificet, quaſi extremum, ſeu calcaneum operis. Nos ita ſimpliciter accipimus: *Exprobraverunt veſtigia Chriſti tui*; id eſt, nobis probro dant, quod inſiſtimus veſtigiis Chriſti tui, quod eum ſectamur, eum ſequimur Ducem, Regem, Liberatorem: ut ſit illud Pauli I. Corinth. I. verſ. 23. Nec deſunt qui *veſtigia Chriſti tui*, interpretentur: Reges poſteros Davidis, in locum eius ſucceſſerunt, quorum temporibus regnum labefactatum, ac prope modum extinctum fuit.

V. 53. BENEDICTUS DOMINUS IN AETERNUM: FIAT FIAT. Vide de hoc verſiculo in Pſal. XL. 14.

MENOCHII.

Verſ. 1. INTELLECTUS, &c. Quid ſibi velit titulus, intelligi poteſt ex dictis in explicatione tituli Pſal. præcedentis. ETHAN EZRAHITAE. De Ethan Ezrahite mentio fit Lib. III. Reg. IV. ubi inter viros ſapientes recenſetur. Eſt etiam Ethan unus ex principibus cantorum I. Paral. VI. Utrum hi ſint unus & idem, aut diverſi, & ſi diverſi, quis eorum in hoc titulo ponatur, incertum eſt.

V. 2. MISERICORDIAS DOMINI, quas omni ſæculo exhibuit. VERITATEM TUAM, promiſſorum tuorum fidem.

V. 3. QUONIAM DIXISTI, & mihi Prophetæ tuo revelaſti. MISERICORDIA AEDIFICABITUR IN CAELIS; id eſt, beneficia miſericorditer Davidi promiſſa, in æternum ædificium in cælis conſurgent, id eſt firma, & ſtabilia erunt, ut immobile ædificium, quod nulla temporis diuturnitate ſolvi poteſt. PRAEPARABITUR VERITAS TUA IN EIS. Nam ut eſt in cantico Annæ I. Reg. II. *Deo præparantur cogitationes*, id eſt quæ cogitat, & vult, fiunt. *Præparabitur* ergo *veritas tua*, idem eſt ac ſi diceretur, quæ fideliter tibi ſunt promiſſa, ea præſtabo, & effecta dabo.

V. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM ELECTIS MEIS: percuſſi fœdus cum electo meo David, & cum ſemine eius. Habetur hæc promiſſio iuramento firmata II. Reg. VII. 12.

V. 5. PRAEPARABO D. Hier. vertit *ſtabiliam*, ut etiam habet Chaldæus. AEDIFICABO, firmabo: ſic ſuperiore verſiculo dictum eſt: *Miſericordia ædificabitur in cælis*. SEDEM TUAM, ſolium tuum regale.

V. 6. CONFITEBUNTUR CAELI MIRABILIA TUA; quaſi dicat: Pro tanto beneficio pares ego grates non poſſum perſolvere, ſed laudabunt te pro hoc beneficio Angeli, qui in cælis ſunt. ETENIM VERITATEM TUAM, & fidelitatem promiſſorum tuorum. *Etenim* poſitum eſt pro *&*, vel *etiam*. Vide dicta Pſal. LXXXII. 9. IN ECCLESIA SANCTORUM: in cœtu ſancto, qui in cælis eſt, Angeli celebrabunt, & prædicabunt veritatem tuam.

V. 7. QUONIAM QUIS IN NUBIBUS AEQUABITUR DOMINO? quaſi dicat: Non re-

recusabunt Angeli munus laudandi Deum, cum sint Deo longe dignitate, & pobibate inferiores. *Nubibus*, cælis. Nam quia nubes in supernis locum habent, ponuntur pro cælis. IN FILIIS DEI, inter Angelos.

V. 8. IN CONSILIO SANCTORUM, in cælo, ubi frequentissimus est sanctorum cœtus, & Dominus maiestatis suæ gloriam ostendit. TERRIBILIS, verendus, admirandus apud omnes Angelos circumstantes.

V. 9. VIRTUTUM, exercituum. VERITAS TUA IN CIRCUITU TUO. Summe verax es, & quasi veritate cingeris, & amiciris.

V. 10. POTESTATI MARIS: tu maris sævitiam coerces. Alludit ad maris rubri transitum, ut patet ex sequentibus.

V. 11. HUMILIASTI, &c. Hoc est quod Isa. LI. dicitur: *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis ut transirent liberati?* VULNERATUM. Vox Hebraica חלל *chalal* vulneratum lethaliter designat. SUPERBUM. In Hebr. est רחב *Rahab*, quam vocem supra Psal. LXXXVI. num. 4. diximus AEgyptum, vel Pharaonem significare. IN BRACHIO VIRTUTIS TUAE. Potentia tua perdidisti AEgyptios inimicos tuos, & populi tui.

V. 12. PLENITUDINEM EIUS: quidquid illis continetur: ea omnia quibus cæli, & terra plena est.

V. 13. AQUILONEM, ET MARE, aquilonem, & austrum. Dicitur autem pars australis mare, vel quia ut volunt aliqui, ad Palæstinæ meridiem est mare mortuum; vel quia, ut alii sentiunt, mare oceanum maxima ex parte iacet ad austrum: Porro *maris* nomine significari meridiem, patet ex Psal. CVI. 3. ubi habemus: *A solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari*; ubi quatuor præcipuæ cæli positiones numerantur. THABOR, ET HERMON, oriens, & occidens. Mons enim Thabor est in parte occidentali, Hermon in orientali. IN NOMINE TUO EXULTABUNT: agnoscentes tuam bonitatem, & potentiam exultabunt, & gestient.

V. 14. TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA; est cum potentia; est potens, & validum. FIRMETUR MANUS TUA; quasi dicat: Opto quidem, & gaudeo quod manus tua firmetur, id est roboretur, sit potens, & robusta. EXALTETUR DEXTERA TUA; laudetur, & magnificetur ab omnibus. Vel est repetitio prioris partis versiculi: & *exaltetur*, nihil aliud significat quam sit excelsa, & potens.

V. 15. IUSTITIA, ET IUDICIUM, &c. Iustitia, & rectum iudicium ipsa instruunt, & stabiliunt regale solium tuum. PRAEPARATIO Hebr. *basis*, id est firmitas throni tui. VERITAS, veracitas, fides, fidelitas. PRAECEDENT FACIEM TUAM, erunt veluti quidam præcursores tui. Vide dicta Psal. LXXXIV. n. 14

V. 16. BEATUS POPULUS QUI SCIT IUBILATIONEM, scilicet laudum tuarum: qui scit iubilare, & canere laudes tuas. IN LUMINE VULTUS TUI AMBULABUNT: favorem, & bonitatem tuam sentient, & feliciter agent.

V. 17. IN NOMINE TUO EXULTABUNT: tua benignitate, & nominis tui memoria gaudebunt. ET IN IUSTITIA TUA EXALTABUNTUR. Non aliud laudabunt, aut celebrabunt quam iustitiam tuam; neque alia in re se gloriosos existimabunt, quam quod illam prædicare possint. Vel sensus est: Propter iustitiam tuam spem bonam concipient, & erigent se ad meliores successus expectandos, non nescii te pro ipsis vigilare, ac proinde nihil illis nocere posse. Vel, Ad maiorem vitæ sanctitatem proficient, iustitia, qua illos iustificas, incrementum capiente.

V. 18. GLORIA VIRTUTIS EORUM TU ES. Tu ille es, in quo se fortes esse gloriantur. IN BENEPLACITO, benevolentia, bona voluntate. CORNU NOSTRUM, nostrum robur, vel decus, & excellentia. Tua benevolentia, & favore nostrum imperium erit gloriosum.

V. 19. DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA, in Hebr. est *clypeus noster*. Dominus est qui nos defendendos assumpsit, & qui tamquam clypeo favoris, & benevolentiæ suæ nos tegit. SANCTI ISRAEL, Dei Israelis. REGIS NOSTRI. Deus enim peculiari cura populum Israeliticum gubernabat, & se illius Regem, & principem profitebatur; quare dicebat Dominus ad Samuelem I. Reg. VIII. 7. *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

V. 20.

V. 20. TUNC LOCUTUS ES IN VISIONE, &c. olim cum tibi placuit populum tuum assumere, ut illum tutareris, & beneficiis ornares. IN VISIONE, in prophetia, per propheticum afflatum, & lumen. SANCTIS TUIS, Prophetis. POSUI ADIUTORIUM IN POTENTE: constitui Davidem potentem, & fortem, ut auxilium ferat populo meo. EXALTAVI: de loco humili, & medio plebis meæ Davidem excitavi ut esset Rex.

V. 21. INVENI DAVID: ex omni populo, & ex multis fratribus selegi Davidem. OLEO SANCTO MEO UNXI EUM. Est enim David a Samuele inunctus in Regem I. Reg. XVI. 13.

V. 22. MANUS ENIM MEA AUXILIABITUR EI: auxilium dexteræ meæ illi aderit. CONFORTABIT, roborabit, ut prævaleat hostibus; muniet adversus hostes.

V. 23. NIHIL PROFICIET INIMICUS IN EO, non prævalebit adversus eum. ET FILIUS INIQUITATIS, &c. nec sceleratus ei poterit nocere.

V. 25. VERITAS MEA, fidelitas, & veracitas mea; id est, quæ promisi, fideliter ipsi præstabo. MISERICORDIA, benignitas, & beneficentia mea. IN NOMINE MEO, me illum iuvante. EXALTABITUR CORNU EIUS: eminebit decus, gloria, & potentia eius.

V. 26. PONAM IN MARI MANUM EIUS: extendam usque ad mare occidentale, sive mediterraneum ditionem eius. ET IN FLUMINIBUS DEXTERAM EIUS, & usque ad flumina Mesopotamiæ, Euphratem scilicet, & Tygrim porrigam regnum eius versus orientem. Quamvis hic versiculus ita explicari posse videatur; aptius tamen illum de Christo Rege, cuius David typus fuit, interpretabimur, cui subiecit Deus maria, flumina, & totum orbem terrarum. INVOCABIT ME: appellabit me Patrem, cum orationem ad me fundet. PATER MEUS ES TU, &c. Optime hoc Christo convenit, qui Deo dicit, *Pater meus es*, quo ad divinitatem, & *Deus meus*, quo ad humanitatem. SUSCEPTOR SALUTIS MEAE, defensor, propugnator.

V. 28. PRIMOGENITUM PONAM ILLUM. Christus qui secundum divinitatem unigenitus est, secundum humanitatem est primogenitus inter multos fratres. Dicitur autem inter fratres primogenitus, primo quia primus est prædestinatione, secundo quia primus est in resurrectione ad vitam immortalem, unde dicitur *primogenitus ex mortuis*, ad Coloss. 1. & *primogenitus mortuorum*, Apoc. 1. tertio quia ipse habuit iura primogenitorum, *quem constituit Pater heredem universorum*, ad Hebr. 1. Si de Davide interpretemur, dicemus vocari *primogenitum*, id est eximie dilectum, & aliis antepositum, ut primogeniti a parentibus, aliis fratribus solent anteferri. EXCELSUM PRAE REGIBUS TERRAE, eximium, & præstantissimum inter Reges terræ. Longe melius hæc Christo conveniunt, qui est Rex regum, & Dominus dominantium.

V. 29. IN AETERNUM SERVABO ILLI MISERICORDIAM MEAM; id est, misericordia, qua motus promisi Davidi filium, scilicet Christum Dominum, per quem regnum eius æternum esset, semper manebit. TESTAMENTUM MEUM FIDELE IPSI; id est, pactum, & promissio facta illi per Nathan II. Reg. VII. fidelissime servabitur.

V. 30. ET PONAM IN SAECULUM SAECULI, in æternum, SEMEN EIUS, dans Davidi filium Christum, qui manebit, & regnabit in æternum. SICUT DIES CAELI: quamdiu cæli durabunt.

V. 31. FILII EIUS, filii Davidis. IUDICIIS MEIS, præceptis, & lege mea: est enim repetitio præcedentis hemistichii.

V. 32. IUSTITIAS MEAS, mea iusta præcepta, & statuta.

V. 33. VISITABO IN VIRGA, &c. corrigam, corripiam castigatione paterna, ut ad bonam mentem revocem, non ut occidam. IN VERBERIBUS: plagis visitabo, ut bello, fame, peste, &c.

V. 34. MISERICORDIAM MEAM, promissiones ei misericorditer, & benigne factas. NON DISPERGAM, non auferam, Hebr. *non dissolvam*. NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA; Hebr. *non mentiar in veritate mea*: nihil faciam quod veritati, & fidelitati meæ advertetur; quasi dicat: Non nocebo veritati meæ.

V. 35. NEQUE PROFANABO, neque violabo, TESTAMENTUM MEUM, pactum quod cum illo inii. NON FACIAM IRRITA. Hebr. habet, *egressum labiorum meorum non mutabo*.

V. 36.

V. 36. Semel, irrevocabiliter. Italice dicimus, *Una volta per sempre*. In sancto meo, per sanctum nomen meum. Si David mentiar; quasi dicat: Si David mentiar, non recuso quin minus verax dicar.

V. 37. Semen eius, &c. Christus Dominus regnabit in æternum.

V. 38. Thronus eius, regnum eius. Sicut sol: regnum eius erit diuturnum, & clarum ut sol erit regnum æternum, & splendidissimum. In conspectu meo. Græce est, ἐναντίον μοῦ *contra me*. Videtur significare, se quasi testes iurisiurandi advocare solem, & lunam: nam testium est e regione stare, & quod agitur videre. Sicut luna perfecta. Thronus eius erit sicut luna perfecta, id est in plenilunio fulgens. Et testis in caelo fidelis, & sicut iris, id est arcus cælestis testis benevolentiæ Dei fidus, & certus. Ut enim iris semper usque ad sæculi finem durabit, ita semper vigebit thronus ipsius. Iris Gen. IX. posita est in signum, & testimonium reconciliationis.

V. 35. Tu vero repulisti, &c. quasi dicat: Hæc quidem olim promisisti, & tamen nunc tamquam omnium oblitus repulisti populum tuum, & despexisti. Videtur loqui David in persona populi in captivitate Babylonica constituti. Distulisti Christum tuum. Hebræus habet, ut vertit S. Hieronymus, & alii *Iratus es cum Christo tuo*. Idem significat Latina versio: sensus enim est: Elongasti a te Regem populi tui, Iechoniam videlicet, & Sedeciam, qui captivi ducti sunt in Babylonem.

V. 40. Evertisti testamentum, &c. promissum, & pactum cum servo tuo initum violasse videris. Profanasti in terra sanctuarium eius. In Hebr. est, *diadema eius*; id est, quasi rem profanam ignominiose in terram deiecisti sacrum diadema eius, regalemque dignitatem, qua a te fuerat consecratus, & ab aliis insigniter separatus.

V. 41. Destruxisti omnes sepes eius, id est omnia munimenta regni eius. Posuisti firmamentum eius formidinem. Fecisti ut arces, & munimenta essent in pavorem, & formidinem: nempe ut in illis formidaremus, & terreremur, nec illa satis munita existimaremus ad nos tuendos.

V. 42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Populum tuum vexaverunt, & regnum diripuerunt, ut diripi solent vineæ, quas sepes non ambit, maceria, aut murus. Factus est opprobrium, &c. iuvisti hostes, & eorum potentiam, & conatus promovisti.

V. 44. Avertisti adiutorium, &c. in fugam coniecisti eos qui arma Hebræorum iuvabant.

V. 45. Destruxisti eum ab emundatione. In Hebræo est, *Cessare fecisti munditiam eius*; id est, spoliasti eum mundo, eleganti, & pretioso ipsius cultu regali. Sedem eius, thronum regalem.

V. 46. Minorasti dies temporis eius: tempus regni eius, quod sempiternum fore dixeras, brevius, & contractius fecisti. Perfudisti eum confusione: ignominiam, & dedecus ei inussisti.

V. 47. Avertis in finem, avertis te, in Hebr. est *absconderis*: penitus te subtrahis, & omnino nobis adesse, & opem ferre recusas.

V. 48. Memorare quae mea substantia, id est quam brevis, quam fragilis, quam ærumnosa sit subsistentia, & commoratio mea in terris. Numquid enim vane? &c. quasi dicat: Si Messiam Christum Dominum non mittis, iam quodammodo frustra videris hominum genus constituisse, quod suo fine frustratur, nec felicitatis æternæ compos esse potest, ad quam creatus est, neque enim patebit ingressus in cælum, nisi ille prius advenerit.

V. 49. Quis est homo qui vivet? &c. id est. quod sit brevis, & ærumnosa hæc vita nostra, vel ex eo constat quod nemo potest mortem evadere. Nemo eruet animam suam de manu inferi: inferi enim sine ulla exceptione omnes mortales ad se trahunt.

V. 50. Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, &c. ubinam sunt promissiones ex misericordia tua magna olim Davidi factæ. Sicut iurasti David? quas iureiurando Davidi exhibito confirmasti? Italice diceremus, *conforme al giuramento fatto a David*. Quid iuraverit habemus supra num. XXXVII. *Semen eius in æternum manebit*, &c. In veritate tua, fidelitate tua.

V. 51. Opprobrii servorum tuorum,

RUM, quod scilicet sustinenr servi tui. QUOD CONTINUI IN SINU MEO: cuius opprobrii dolorem premo in mentis recessu. MULTARUM GENTIUM, opprobrium a multis gentibus profectum.

V. 52. QUOD EXPROBRAVERUNT, &c. Exprobrabanr fidelibus quod Davidi male a Deo relata esset gratia, a quo tamen tam pie, fideliter, & religiose esset cultus. COMMUTATIONEM. In Græco est *ἀντάλλαγμα*; quæ vox compensationem significat. Italice appellamus, *contra cambio*; sic Matth. XVI. habemus: *Quam commutationem dabit homo pro anima sua?* CHRISTI TUI, Davidis, quem ad regnum per tuum Prophetam inunxisti.

V. 53. BENEDICTUS DOMINUS, &c. Hæc Psalmi clausula satis aperte docet, Prophetam intellexisse promissionem Davidi factam ratam, & inconcussam fore, atque ideo gratias agit.

TIRINI.

Vers. 1. ETHAN EZRAHITAE viri sapientissimi, III. Reg. IV. 31.

V. 3. AEDIFICABITUR IN CAELIS; pro, instar cælorum, seu instar ædificii cælestis, id est firmissimi, & splendidissimi: sic MISERICORDIA, & beneficentia divina erga familiam Davidis fulgebit toto orbe, & durabit in æternum. Et simili modo PRAEPARABITUR VERITAS TUA, seu veracitas in promissis præstandis.

V. 4. & 6. DISPOSUI TESTAMENTUM, &c. Hieron. & Chald. *Fœdus pepigi cum electis meis*, Abraham, Isaac, Iacob, Moyse. DAVID, cui & IURAVI, quod PRAEPARABO, id est stabiliam, IN AETERNUM SEMEN TUUM, Salomonem, eiusque posteros, sed præcipue Christum: ET SEDEM TUAM, id est thronum regium, scilicet Ecclesiam Christi. Nam hæc magis de Christo, quam de Salomone intelligenda esse, patet ex versu 30. 37. 38. & docent sanctus Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, & alii Patres.

V. 7. IN FILIIS DEI. Chaldæus, *inter choros Angelorum*.

V. 9. IN CIRCUITU TUO. Chaldæus, *circumdat te*; quasi dicat: Undequaque ostendis veracitatem & fidelitatem in complendis promissis tuis.

V. 11. SUPERBUM. רהב *Rabab* designare videtur AEgyptum, ut dixi Psal. LXXXVI. 4. seu regem AEgypti, *superbum Pharaonem*, ut ait Chaldæus. Hunc HUMILIASTI SICUT VULNERATUM; id est, tam facile prostravisti, atque sterni solet vulneratus lethaliter.

V. 13. THABOR, mons ad occidentalem partem Iudææ, ET HERMON, ad orientalem, inquit Chaldæus, id est tota Iudæa: allegorice tota Ecclesia Catholica: immo totus orbis, inquit Vatablus, & Genebrardus. Vel *Thabor* in transfiguratione Christi; *Hermon* in multiplicatione quinque panum. Idem Genebrardus. Vel denique quia in *Thabor* profligatus est Sisara Iudic. IV. 6. in *Hermon* per vicinum Iordanem Israel sicco pede deductus, Iosue III. Inter accolas *Thabor* omne genus curationum fecit Christus. In Naim civitate *Hermon*, etiam mortuum suscitavit, inquit Euthymius, Lucæ VII. 11. EXULTABUNT (Hieron. & Chald. *laudabunt*) TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA, id est potentem virtutem, & robur tuum.

V. 15. PRAEPARATIO SEDIS, id est stabilitio throni. Hieron. *Firmamentum basis*, throni tui regii constat his columnis. Prima *iustitia*, qua suum cuique tribues, bonis præmia, malis supplicia. Secunda *iudicio*, quo maximo delectu secernes malum a bono. Sed & PRAECEDENT FACIEM TUAM; id est, semper tibi ob oculos versabuntur. Tertia *misericordia*; & quarta *veritas*, seu veracitas.

V. 16. & 17. QUI SCIT IUBILATIONEM, scilicet laudum tuarum; id est, qui ob multiplicia beneficia a te accepta concinit cum iubilo tum oris, tum cordis, laudes tuas; Chald. *qui novit complacere creatori suo cum iubilo*. IN LUMINE VULTUS TUI, id est favore & gratia tua: Psal. IV. 7. ET IN IUSTITIA TUA, scilicet remuneratrice bonorum.

V. 19. DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA; Hebraice *clypeus*; Hieron. & Chald. *protectio*; quasi dicat: In hoc gloriamur, quod te Domine regem supremum habeamus, qui nos tegit, & protegit. Ita Theodoretus.

V. 20. TUNC, cum inciperes nos assumere tibi in electum populum, nempe, olim, tempore Patriarcharum, LOCU-

CUIUS ES IN VISIONE; id est, revelasti Prophetis tuis, & promisisti quod PONERES ADIUTORIUM IN POTENTE, id est quod provideres ut fortis aliquis populo tuo opitularetur, ET exaltares ELECTUM tuum, scilicet Davidem, sed multo magis filium Davidis Christum.

V. 28. EGO ILLUM, licet natura ultimogenitum, tamen PONAM PRIMOGENITUM, id est faciam primum & principem inter omnes fratres suos, & filios, ac servos meos; Chald. *inter omnes Reges Iuda*.

V. 29. DIES CAELI, id est dies *quibus cæli durabunt*, inquit Chaldæus.

V. 33. IN VIRGA, id est castigatione non tyrannica, non manu carnificis, sed paterna; non ad destructionem, sed ad correctionem.

V. 34. NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA; id est, nihil detraham de fideli promisso semel facto. Hieron. & Chald. *Non mentiar* contra veritatem meam.

V. 36. & 37. IN SANCTO MEO (Chald. addit *nomine*, id est per memetipsum, meamque sanctitatem) IURAVI, quod SEMEN David, nempe Christus & Christiani, AETERNUM durabit.

V. 38. THRONUS EIUS SICUT SOL: æternum stabit, & *lucidus erit*, inquit Chald. ET LUNA PERFECTA, seu plena lumine. ET TESTIS IN CAELO, id est cælestis, stabilis, & FIDELIS harum mearum promissionum de regno Davidis, & Christi perpetuando, erit SOL ET LUNA: quemadmodum iris iam pridem testis est promissi mei de non inducendis iterum aquis diluvii in universam terram, Genes. IX. Ita Iansenius.

Nota R. David Kimhi, sicut luna subinde obscura, subinde ex parte lucida, subinde ex toto, semper tamen durat; sic & regnum Christi, nempe Ecclesia, *fluctuat*, *ast numquam mergitur illa ratis*.

V. 39. & 40. TU VERO REPULISTI; quasi dicat: Videris iam, o Deus, horum promissorum plane oblitus, & omnino *repulisse* a terra, seu *deseruisse*, ut habet Chaldæus, immo *despexisse*, & *distulisse*, seu procul a re elongasse CHRISTUM unctum TUUM. Hieron. & Chald. *Iratus esse Christo tuo*, dum sinis eum undique ab hostibus premi, calcari, & ad infamem mortem rapi. Posset etiam exponi, distulisse adventum Messiæ in nimis longum tempus, iuxta dicenda infra versu 52. adeo ut videaris iam *evertisse*, Chaldæus *irritum fecisse*, TESTAMENTUM, seu pactum, quod cum *servo tuo* Davide pepigeras. Nam PROPHANASTI, id est quasi rem profanam abiecisti, IN TERRA; Chald. *ad terram* usque, SANCTUARIUM, id est templum & religionem: vel, ut vertit Hieron. & Chald. *diadema* seu *coronam eius*, id est regiam eius dignitatem.

V. 41. SEPES, id est munitiones. FIRMAMENTUM EIUS, arces & oppida munita, POSUISTI FORMIDINEM nobis, non tutamen, aut refugium, quia nempe iam occupabant illa hostes nostri, unde formido nobis ob imminens exitium.

V. 44. AVERTISTI, Chald. *vertisti retrorsum*, seu in fugam, ADIUTORIUM GLADII EIUS, id est eos qui in bello Ecclesiam iuvare solebant.

V. 45. DESTRUXISTI EUM AB EMUNDATIONE. Hieron. *Cessare fecisti* omnem *eius munditiam*, nitorem, & splendorem; Chald. *Abstulisti sacerdotes*, & sacrificia, & sacramenta, *quibus emundabatur*.

V. 46. MINORASTI DIES TEMPORIS EIUS. Hieron. & Chald. *Abbreviasti dies adolescentiæ*, vel *iuventutis* regni *eius*; quasi dicat: Regnum, quod æternum fore promiseras, extinguis dum primum adolescit. Designantur his, & sequentibus varie persecutiones & afflictiones Ecclesiæ, sub typo regiæ familiæ Davidis, quæ nunc ab Assyriis, nunc a Babyloniis, nunc a Syris, nunc a Romanis, nunc ab aliis hostibus mire exagitabatur.

V. 48. MEMORARE QUAE MEA SUBSTANTIA, id est subsistentia, & firmitas vitæ meæ; quasi dicat: Memento Domine, quam tenuis, & brevis durationis sim, ut non sit opus tot calamitates ad me conterendum aggerere. NUMQUID VANE CONSTITUISTI OMNES FILIOS HOMINUM? Hieron. & Chald. *Frustra omnes creasti*: Si enim deseris quos carissimos habes, nempe filios Ecclesiæ tuæ, multo potiori iure etiam reliquos deseres tibi inimicos: atque ita frustra videberis creasse genus humanum, nempe ad nudas & meras miserias, ac tandem ad *inferos*, ut sequitur.

V. 51. CONTINUI, Hieron. *portavi*, Chald. *sustinui*, IN SINU, seu corde MEO; id est, ta-

tacitus devoravi, & iam non commemoro, sed prætereo.

V. 52. EXPROBRAVERUNT COMMUTATIONEM CHRISTI TUI; id est, te mutasse sententiam de Christo Messia, vel iam non mittendo nobis, vel non nisi tarde admodum mittendo: sanctus Hieron. *vestigia Christi*; Chald. tarditatem vestigiorum Christi; quasi dicat: Exprobrant nobis, Ubi manet promissus toties Christus vester? admodum tardigradus est, vel certe loripes, aut claudus: calces læsos, aut pedes fractos, aut plumbeos calceos habet. Ita Vatablus, & Genebrardus. Sed his blasphemiis hoc unum opponit Propheta:

V. 53. BENEDICTUS DOMINUS, cuius providentiæ omnia committo, & quem scio certissimo, non obstantibus his omnibus, conservaturum regnum Christi sui, ut promisit, IN AETERNUM.

GORDONI.

Titulus: INTELLECTUS, ETHAN EZRAELITAE. Vide Psal. XXXI. quid sit *intellectus*. *Ethan* I. Paral. cap. VI. est unus ex primis cantoribus. Argumentum habet desiderium populi Dei in captivitate positi, ut cito veniat Messias. Psalmus hic est Davidis, qui prævidens populum futurum captivum, ita hic vaticinatur in tribus Psalmi huius partibus, ut prius agat usque ad vers. 39. de promissionibus Dei circa perpetuitatem regni David. Deinde usque ad vers. 47. declarat eam promissionem non fuisse adimpletam in terreno regno Davidis. Postremo inde usque ad finem Psalmi est petitio, & oratio, ut veniat qui mittendus est Christus. Ita recte hunc Psalmum secat Hieronymus; sed aliter ipse init numerum versiculorum.

Vers. 2. MISERICORDIAS, &c. Est argumentum huius Psalmi, continentis tres illas partes iam recensitas: & probat David subinde has misericordias æternum duraturas, quia Deus ipse hoc dixit. Quod est hic vers. 3. DIXISTI, Hieronymus legit, *dixi*, sed facilis fuit mutatio, ut legeret אמרתי pro אמרת *amartha*, *dixisti*.

V. 8. DEUS QUI GLORIFICATUR IN CONSILIO. Septuag. ἐν βουλῇ, Hebr. סוד *sod*, *secretum*, ac proinde consilium, quod secretum esse solet: hinc *sod* usurpari solet pro cœtu secreti consilii.

V. 13. MARE TU CREASTI. Septuag. τὴν θάλασσαν, Heb. ימין, *dextram*: tamen Septuag. legerunt ימים *iamim*, *maria*.

V. 29. & 30. ET PONAM ... thronum eius sicut dies cæli, quos videmus semper durare: sicut durat cælum; sic IN AETERNUM stabit hoc regnum. Sane regnum non fuit æternum, sed defecit in Iechonia. Hæc ergo promisso accipienda est de Christo, quem David & Salomon per regnum suum præfigurabant.

V. 39. TU VERO REPULISTI, &c. Est secunda pars capitis, ut præfatus sum, ubi insistit Propheta, ut impleatur promissio de regno illo æterno: exponit præsentia mala, & captivitatem populi, ut permoveat ad videndum eum qui perpetuo regnaturus est. Ceterum, quod nos habemus. DISTULISTI CHRISTUM TUUM, Septuag. ἀνεβάλου, Hebr. התעברת *hith hhabartha* עם משיחך *hhim mesichecha*, Hieronymus vertit, *Iratus es cum Christo tuo*: sed idem auctor, Psal. LXXVII. vertit *distulit*, ubi habemus vers. 59. *Audivit Dominus*, & *distulit*. Denique semper idem est sensus: radix עבר.

V. 40. AVERTISTI TESTAMENTUM, &c. Hoc est retractare pactum initum cum Davide. Septuag. κατέστρεψας τὴν διαθήκην. Est quidem eversum regnum temporale, tamen de isto non fuit promissio, sed de spirituali in Christo per Davidem significato. At quid est *sanctuarium*? recte sane intelligitur diadema regium (Septuag. ἁγίασμα) quod sanctum sacrumque habebatur, & Psal. CXXXI. vocatur *sanctificatio*, versu ult. in Hebræo est נזרו *nizro*, Hieron. *diadema eius*. Vide II. Par. XXIII. 11. ubi etiam est נזר *nezer*, idem significans.

Vers. 46. MINORASTI, &c. Recensuit a vers. 40. calamitates regni; nunc ultimam ponit de abbreviato tempore regni. Si qua est hic lectionis varietas, non variat sensum, de duratione regni.

V. 47. USQUEQUO DOMINE. Postrema pars capitis est, complectens orationem pro adventu Messiæ. Hinc versiculo insequente instat pro hoc adventu, & re-

redemptione hominum, ne alioquin in vanum videatur constitutum genus humanum.

V. 52. Quod exprobraverunt, &c. Quasi diceret: Quam commutationem, aut compensationem dabis, Domine, pro tot promissis, si destruendum erit regnum servi tui, ut inimici tui, exprobrare nobis solent in hac captivitate constitutis? *Commutatio* apud Septuag est *ἀντάλλαγμα*, in Hebr. עקבות *bbikevoth*. Aliqui vertunt *vestigia*, scilicet Christi; quasi exprobrarent inimici, tarda esse vestigia venientis Christi: sed vox Hebræa significat etiam mercedem: sic Psal. xix. vers. 12. עקב רב *bbekeurau*, *merces multa*, ut videas recte Septuag. vertisse *ἀντάλλαγμα*, *compensationem*.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 2. Misericordias, &c. Primam hanc partem Psalmi (quæ est de promissionibus, ut præfatus sum) orditur, profitendo se misericordias Domini ab æterno decretas cantaturum, quæ in æternum durabunt, & similiter veritatem Dei, & fidelitatem, quæ in æternum quoque manebit. Alii vero explicant Davidem dicere se cantaturum in æternum, hic quidem cum iustis, postea cum Angelis. Quod est *τὸ in æternum*, refer, non ad decreta, sed ad Davidem.

V. 4. usque ad 14. *Disposui*, &c. Loquitur Deus reponens promissionem quam fecit Davidi: cui subiungitur, vers. 6. laus a Davide, pro tanta promissione, & ea quæ semper, inquit, habet comitem veritatem: nec fallit Deus in suis promissis quemquam. Pergit deinceps David prædicare Dei potentiam, & veritatem (hinc reddens seipsum securum de hac promissione. Hunc protrahit sermonem usque ad vers. 13. Inter alia quæ ad potentiam Dei spectant, potissimum est illud vers. 12. & 13. de creatione cæli, terræ & montium, exultantium in Deo creatore suo, quem laudant ut possunt.

V. 14. usque ad 20. *Firmetur*, &c. Hactenus de potentia, nunc de veritate. Sensus est, ac si diceret: Sit ita Domine: firmetur, ac laudetur potentia tua; sed simul etiam veritas, & iudicium laudetur. Et *beatus populus* ille *qui scit* hanc *iubilationem*; hoc est, qui vere & ex animo scit laudare Deum; quoniam talis populus ambulabit *in lumine vultus tui*, & lætabitur in iustitia tua. Applicat hoc (vers. 16.) populo Israelitico. Et merito, quia *Domini est assumptio* illius; hoc est, Dominus ex misericordia sua assumpsit eum sibi, & non ex meritis populi.

V. 20. usque ad 39. *Tunc locutus es*, &c. Post laudem potentiæ, & veritatis, venitur hic ad promissionem factam. Tunc, inquit, in die factæ promissionis locutus es Domine, & promisisti: sed quid, & cui? Prior quæstio hic solvitur. Exaltasti *electum de plebe* tua. En promissionem. Exaltavi, inquit Deus, in decreto meo. Sed (quæ secunda quæstio est) quis ille electus, & exaltatus in adiutorem, & Regem populi? an David? an Christus? Hanc esse gravem quæstionem profitentur Interpretes. Sed hæc accipienda sunt (ut ait Augustinus) tamquam dicta de Christo, quem David certe in regno suo præfigurabat. Aut saltem de Davide ad litteram dicta sunt, sed magna ex parte adimplenda per Christum: nam ex his quæ hac promissione continentur, & hic prolixe subiiciuntur, usque ad versum 39. sunt certe aliqua, quæ non sunt impleta in Davide, ut quæ dicuntur vers. 27. & 28.

V. 39. *Tu vero repulisti*, &c. In hac altera Psalmi parte, usque ad versum 47. declarat Propheta promissionem illam, de qua hactenus non esse plene adimpletam in regno David, nisi vel in parte, in figura designante regnum Christi. Hæc, inquit, omnia promisisti, sed adhuc distulisti Christum tuum & Messiam, ut recte Augustinus.

V. 47. & seq. *Usquequo Domine*, &c. Post expositam divisionem regni David, captivitem, & alia mala, unde ostendit Propheta nondum esse adimpletas promissiones; nunc tandem est oratio ad Deum pro acceleratione Messiæ. De quo mox plura.

BOSSUET.

Vers. 1. Ethan Ezrahitas, ut Eman in titulo Psalmi præcedentis. Alius autem Ethan, ut & alius Eman 1. Paralip. 11. 6. non tamen Ezrahitæ;

tæ; sed longe antiquiores, utpote Zaræ filii, & ipsius Iudæ nepotes. Memoratur & alius Ethan Ezrahites vir sapientissimus Salomonis tempore, III. Reg. IV. 31.

V. 3. IN AETERNUM: sempiterna misericordia ædificabitur. IN CAELIS, &c. tam firma sunt promissa mea atque ordo cælorum.

V. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM, &c. *Percussi fœdus cum electo meo*: Hier. id est Davide, & Christo.

V. 6. CONFITEBUNTUR CAELI ..... IN ECCLESIA SANCTORUM. Comparat cælis ecclesiam mirabilia Domini confitentem. Vide Psal. XVIII. 1.

V. 7. IN FILIIS DEI, Angelis.

V. 8. IN CONSILIO SANCTORUM, *arcano*, Hier. IN CIRCUITU EIUS, Angelis scilicet sanctis circumfusis throno eius.

V. 9. IN CIRCUITU TUO: tibi adhæret: a te separari nequit.

V. 10. POTESTATI MARIS, *superbiæ*, Hier. MOTUM.... FLUCTUUM, *elationes gurgitum*, Idem.

V. 11. TU HUMILIASTI, *confregisti*, SUPERBUM, Rahab, Hebr. AEgyptium, antiquum Israelis hostem, qui Rahab dicebatur; supple LXXXVI. 4. confregisti autem tempore Mosis, ac recens per Nabucodonosorem.

V. 13. MARE, *austrum*, Hebr. THABOR ET HERMON: *occidens & oriens*, horum montium situ designati: Chald.

V. 15. PRAEPARATIO, *firmamentum*, Hier. basis.

V. 16. QUI SCIT IUBILATIONEM, verum gaudium, quod est in Deo solo: sive etiam epinicium, atque hymnum triumphalem Deo servatori canendum, Psal. XLVI. 2. Hoc autem non omnes sciunt, sed qui a Deo accipiunt ut Deum ipsum quam suavis sit gustent.

V. 19. DOMINI EST ASSUMPTIO: *a Domino protectio nostra*, Hier. *clypeus*. Hebr.

V. 20. TUNC LOCUTUS ES ..... SANCTIS TUIS. Nathano, & Davidi, II. Reg. VII. POSUI ADIUTORIUM IN POTENTE, in Davide, qui meo auxilio potens.

V. 22. MANUS ENIM, &c. *Cum quo manus mea*, &c. Duo versus ex Hier.

V. 24. IN FUGAM CONVERTAM, *percutiam*, Idem.

V. 26. PONAM IN MARI, &c. Vide Psal. LXXI. 8.

V. 27. SUSCEPTOR, *petra*, Hebr.

V. 30. THRONUM EIUS SICUT DIES cæli. Vide Psal. LXXI. 5.

V. 32. IUSTITIAS, *cærimonias*, Hier.

V. 34. NEQUE NOCEBO: *non mentiar*, Idem: neque fallam fidem.

V. 36. IN SANCTO MEO, per sanctitatem meam. SI DAVID MENTIAR. Iurisiurandi formula apud Hebræos.

V. 38. TESTIS IN CAELO FIDELIS: stabilitate cursus, sui conditoris testatur potentiam, & constantiam.

V. 39. TU VERO, tanta pollicitus, REPULISTI ET DESPEXISTI, quem tot oraculis commendaveras. DISTULISTI CHRISTUM TUUM: adventum eius in longissima tempora distulisti. *Iratus es adversus Christum tuum*: Hier. adversus Sedeciam, Davidis filium, & heredem.

V. 40. SANCTUARIUM, *diadema*, Idem.

V. 41. SEPES, *macerias*, Idem. arces, urbium mœnia, comparatione ducta a vineis fossa, muroque tectis. Firmamentum, *munitiones*, Idem; quæ cum tutelæ essent, nunc sunt formidinis postquam excisæ sunt.

V. 44. ADIUTORIUM GLADII, *robur gladii eius*, Hier. ensis aciem retudisti.

V. 45. DESTRUXISTI, &c. *quiescere* (id est cessare) *fecisti munditiam eius*: Hier. qui olim splendidus ac nitidus, nunc fœdus & ignobilis.

V. 46. MINORASTI, *abbreviasti*, Idem: fecisti ut ante tempus Sedecias malorum tædio senesceret. Erat enim triginta tantum & duos annos natus, cum captivus abductus est I. Reg. XXIV. 18. Vide autem miseriarum gradus in rege: detracto diademate, eversis arcibus, retuso gladio, alliso ipso solio, omnibus quæ decori, tutelæque essent, translatis ad hostem: postremo nulla gloria, maiestate nulla.

V. 47. AVERTIS IN FINEM, *abscondetis*, Hier. aversa facie.

V. 48. QUAE MEA SUBSTANTIA, *quantuli ævi ego sim*, Hebr. ut tam brevem vitam tot calamitatibus obruas. Sic Psal. CI. 24.

V. 51. MEMOR ESTO.... OPPROBRII.... MULTARUM GENTIUM, a tot gentibus illati nobis servis tuis. QUOD (opprobrium) CONTINUI IN SINU MEO, cum ne queri quidem licerer.

V. 52. EXPROBRAVERUNT COMMUTATIO-

TIONEM CHRISTI TUI: commutata promissa de Christo venturo. At Hier. *Exprobraverunt vestigia Christi tui: tarditatem vestigiorum Christi tui*. Chald. Irridebant nos quod non adveniret expectatus ille liberator sive Cyrus, sive potius Christus de semine Davidis regno eius instaurando, & in æternum firmando.

PSALMUS LXXXIX. MORALIS

De miseriis & brevitate vitæ: quæ consideratio maxime congruebat populo sub Mose laboranti in deserto: cum in malis pars solatii sit intueri quam tota vita humana nihil nisi calamitas sit, neque quidquam spei superfit nisi in Deo.

VERSIO S. HIERONYMI.

Oratio Moysi viri Dei.

DOmine habitaculum tu factus es nobis, in generatione & generatione.

Antequam montes nascerentur, & parturiretur terra, & orbis: a sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

Convertens hominem usque ad contritionem, & dicens, revertimini filii Adam.

Quia mille anni in oculis tuis sicut dies hesterna quæ pertransiit, & vigilia nocturna.

Percutiente te eos ut somnium erunt: mane quasi herba pertransiens.

Mane floruit & abiit: ad vesperum conteretur atque siccabitur.

Consumti enim sumus in furore tuo, & in indignatione tua conturbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras coram te: negligentias nostras in luce vultus tui.

Omnes enim dies nostri transierunt in furore tuo: consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens.

VERSIO VULGATA.

1. Oratio Moysi hominis Dei.

† DOmine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

2. Priusquam montes fierent, † aut formaretur terra, & orbis: a sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

3. Ne avertas hominem in humilitatem; & dixisti: Convertimini filii hominum.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.

Et custodia in nocte, 5. quæ pro nihilo habentur: eorum anni erunt.

6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.

7. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

† Anni nostri sicut aranea medita-

Dies

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis: si autem multum, octoginta anni, & quod amplius labor & dolor: quoniam transibimus cito & avolavimus.

buntur: 10. dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.

Quis novit fortitudinem iræ tuæ? & secundum timorem tuum indignationem tuam?

11. Quis novit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam 12. dinumerare?

Ut numerentur dies nostri sic ostende, & veniemus corde sapienti.

Dexteram tuam sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

Revertere Domine: usquequo? & exorabilis esto super servos tuos.

13. Convertere Domine usquequo? & deprecabilis esto super servos tuos.

Imple nos matutina misericordia tua, & laudabimus & lætabimur in cunctis diebus nostris.

14 Repleti sumus mane misericordia tua: & exultavimus, * & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, & annis quibus vidimus mala.

15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.

Appareat apud servos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorum.

16. Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.

Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos: & opus manuum nostrarum confirma.

17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 1. *Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem*. Non est scribendum dupl ci ablativo, hoc modo, *in generatione & generatione*, quod Interpres clarius vertit eum duplici præpositione *a generatione in generationem*.

V. 14. *Et delectati sumus omnibus diebus nostris*. Non addas *in* præpositionem.

Lectionum Varietas.

V. 2. *Aut formaretur terra & orbis*. Complures libri legunt coniunctivam & loco disiunctivæ *aut*, cum Hebraicis, & Græcis.

V. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Pro futuro *meditabuntur* legunt præteritum imperfectum *meditabantur*, non Græci solum libri, sed & multi Latini.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Vers. 3. **NE** AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATE, &c. Hebr. *Convertis hominem in contritionem, & dicis: Redite filii hominum*; id est, redigis in pulverem dicens: Revertimini in pulverem. Genes. III. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Aut, quod mihi magis placet, *Deducis hominem usque ad pulverem, & solo verbo reducis*, ut I. Reg. II. 6. *Deducit ad inferos, & redu-*

reducit: & Psalm. CIII. 30. *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.*

V. 5. QUAE PRO NIHILO HABENTUR. Hebr. *Inundasti*, id est oppressisti, *eos*, *somnus* (erunt *& mane herba*, *quæ mutatur*. Septuag. ob similitudinem verborum זרמתם & שנה, verterunt, τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται.

V. 6. MANE FLOREAT ET TRANSEAT. Quæ (herba) mane floret, & mutabitur, id est maturescet: vesperi exciditur & siccatur.

V. 7. QUIA DEFECIMUS IN IRA TUA. Hebr. *consumimur in ira tua*, *& in furore tuo turbamur*; id est, ecce irasceris, perimus.

V. 8. SAECULUM NOSTRUM IN ILLUMINATIONE VULTUS TUI. Hebr. *Secreta nostra* (peccata) id est, nihil te latuit eorum quæ fecimus: *propterea iuste punis nos*: ut Psal. L. 8. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*.

V. 9. QUONIAM OMNES DIES NOSTRI DEFECERUNT, &c. Hebr. *Quoniam omnes dies nostri declinant in ira tua*, id est cum irasceris: *Et annos nostros quasi verba consumimus*.

V. 10. SI AUTEM IN POTENTATIBUS. Heb. *Si autem in viribus*; id est, si robusto sumus corpore; vel *si in magna vivimus potentia*, id est commodissime, *octoginta anni*, *& amplius eorum*; id est, quod superat. LXX. *labor*, *& molestia*. Vel *præcipua pars eorum*, vel *superbia eorum*; id est, quod optimum est in tota vita, labor est & molestia. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO. Hebr. *Quoniam cito discedit*, *& nos avolamus*.

V. 11. ET PRAE TIMORE TUO IRAM TUAM. Hebr. *Et sicut timor tuus* ira tua; id est, (ut quidam interpretantur) quo quisque magis timet te, eo magis illi irasceris. Malim sic exponere: Qui novit potestatem iræ tuæ, & sicut timorem tuum, indignationem tuam; hoc est, quis tam novit indignationem tuam, quam ipsa timenda est.

V. 12. DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC, &c. Hebr. *Sic ostende* (vim, id est durationem iræ tuæ) *ut numeremus dies nostros*, *& animum ad sapientiam applicemus*. Septuag. propter similitudinem ימינך legerunt ימינך, *dexteram eius*, id est tuam: Et נביא, נביא in regimine,

V. 13. USQUEQUO, &c. Hebr. *Usquequo?* ἀποσιώπησις, subaudi, *avertis faciem tuam*, ut Psal. XII. 2. vel *usquequo absconderis?* ut Psal. LXXXVIII. 47. vel, *usquequo irasceris?* ut Psal. LXXVIII. 5.

V. 14. REPLETI SUMUS MANE MISERICORDIA TUA. Hebr.

V. 14. REPLETI SUMUS, &c. Hebr. *Satia nos mane* (id est cito) *misericordia tua*; *exultabimus & gaudebimus omnibus diebus nostris*.

V. 15. LAETATI SUMUS, &c. Hebr. *Recrea nos iuxta dies quibus nos afflixisti*.

V. 16. RESPICE IN SERVOS TUOS, &c. *Apparet in servis tuis opus tuum* (gratia & misericordia tua) *& gloria tua in filiis eorum*. Septuag. legerunt. וראה, καὶ ἴδε, pro יראה; & הדרך, *dirige*, pro הדרך, *gloria tua*.

S A.

De vitæ miseriis.

Vers. 1. ORATIO MOYSI. Forte Moyses composuit. Hieron. quidem ait Psalmos decem, scilicet ab hoc usque ad 99. esse Moysis. Alii putant hunc Moysen fuisse cantorem tempore David. Chald. ait, orationem esse quam oravit Moyses quando peccavit populus in deserto. A GENERATIONE, IN GENERATIONEM. Græc. & Hieron. *in generatione & generatione*, id est semper. Chald. *in omni generatione*.

V. 2. FORMARETUR, Chald. *creata esset*. A SAECULO, id est ab æterno. IN SAECULUM, id est in æternum. Es, id est existis. DEUS; pro, o Deus.

V. 3. NE AVERTAS, &c. id est, cadere ne sinas in miseriam. Hieron. *Convertens hominem usque ad contritionem*. Chald. *Redigens hominem ad mortem propter peccatum*. ET DIXISTI; pro, nam dixisti; quasi dicat: Qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. CONVERTIMINI, scilicet ad me. Hieron. *revertimini*.

V. 4. CUSTODIA. Hieron. *vigilia*.

V. 5. QUAE; pro, velut quæ.

V. 6. TRANSEAT, pro transit, seu transibit, id est transire solet. Sic & verba sequentia intelligantur. DECIDAT, scilicet in mortem. INDURET, scilicet in ca-

da-

davere. ARESCAT, scilicet in pulvere. Sic August. Herba quidem cadens, durescit, & arescit.

V. 7. QUIA; quasi dicat, sic. DEFECIMUS. Hieron. & Chald. *consumpti sumus*. IN IRA, id est per iram.

V. 8. SAECULUM NOSTRUM, id est vitæ decursum, seu vitia. Hieron. *negligentias nostras*. Chald. *iniquitates iuventutis nostræ*. ILLUMINATIONE. Hieron. & Chal. *luce*.

V. 9. IN IRA, id est propter iram, scilicet te irato. ARANEA, id est tela araneæ. Chald. *vapor oris in hieme*. MEDITABUNTUR, id est reputabuntur; quasi dicat, fragiles, & qui rumpi facile possint.

V. 10. DIES ANNORUM, &c. pro, in ipsis diebus annorum, &c. vel *in ipsis* abundat, more Hebræo. Simili phrasi dictum, *Domini in cælo sedes eius*, ubi *eius* abundat. POTENTATIBUS, id est robustis; quasi dicat: Si quis robustiori complexione sit. AMPLIUS EORUM; id est, quod ipsos excedit; quasi dicat, quod amplius additur, vel maxima eorum pars. Hieron. *quod amplius est*. Chald. *multiplicatio eorum*. DOLOR, scilicet est. SUPERVENIT præteritum est. MANSUETUDO, scilicet tua; quasi dicat: Benigne nos soles corripere. Hieron. *transivimus cito, & advolavimus*.

V. 11. POTESTATEM, id est vim. Hieron. & Chald. *fortitudinem*. PRAE TIMORE TUO; id est, prout timendus es, seu quantum timenda est ira tua.

V. 12. DEXTERAM, id est potentiam. SIC, scilicet per flagella; vel pro itaque. ERUDITOS, scilicet fac; quasi dicat: Fac intelligamus potentiam tuam, & timeamus.

V. 13. USQUEQUO. Chald. *usquequo affliges nos?* DEPRECABILIS. Hieron. *exorabilis*.

V. 14. REPLETI SUMUS, pro repleamur. Hieron. *Imple nos*. Chald. *Satura nos*. MANE, id est cito. EXULTAVIMUS, &c. præterita pro futuris.

V. 15. HUMILIASTI. Hieron. & Chald. *afflixisti*.

V. 16. ET IN; pro, id est in. OPERA TUA; quasi dicat: Qui sumus a te creati, & instituti. FILIOS, id est posteros.

V. 17. SPLENDOR, id est favor, seu gratia. Hieron. *decor*. DIRIGE. Hieron. *confirma*. SUPER NOS, id est in nobis.

ESTII.

Vers. 10. ANNI NOSTRI SICUT ARANEA MEDITABUNTUR. Meditari significat assiduum alicuius rei studium, cum frequenti iteratione. Sensus igitur est: Quidquid moliuntur homines toto tempore vitæ suæ, tale est ac si aranea telam texat: nimirum rem mox perituram, multo & magno labore moliuntur. Significatur enim vanitas huius vitæ. Vel hoc modo: Totum tempus vitæ nostræ meditabitur, id est reputabitur (ut meditati passive accipiatur) velut tela araneæ, quæ multo labore & studio contexta, minimo negotio perrumpitur, & dissipatur. Sic supra Psal. LXXVII. passive accipiebatur: *Virgines eorum non sunt lamentatæ*, & II. Thessalon. II. *Mysterium operatur iniquitatis*. Vide ibid. nostrum Comment.

V. 17. ET OPERA MANUUM NOSTRARUM DIRIGE SUPER NOS: ET OPUS MANUUM NOSTRARUM DIRIGE. Scilicet opera nostra, quæ Deo auctore facimus, omnia unum opus quodammodo sunt, sicut omnia dominica præcepta unum præceptum sunt, ut ait Gregorius hom. XXVII. in Evangelia. Sunt enim multa per diversitatem operis, sed unum in radice charitatis. Et quidem Septuag. hoc modo transtulerunt variato numero. Verum in Hebræo fonte nulla est numeri mutatio, sed utrobique opus singulari numero legitur; quod tamen collective accipitur, pro universo scilicet operum corpore.

MARIANAE.

Vers. 1. ORATIO MOYSI HOMINIS DEI, id est piissimi, & clarissimi. A Moyse hunc Psalmum compositum plerique putant: neque hunc solum, sed & decem sequentes. Sic Hebræi, quia omnes Hebraice sunt sine titulo. Idem Hieronymus epistola ad Cyprianum. De vitæ brevitate agit, Deumque precatur, ut populum dirigat & tueatur. DOMINE, REFUGIUM FACTUS ES NOBIS. Hebr. *habitaculum*: ad habitaculum enim confugimus. A GENERATIONE IN GENERA-

RATIONEM, id est in omne tempus, semper.

V. 2. PRIUSQUAM MONTES; quasi dicat: Bene tueri nos semper potes, quando æternus tu es. A SAECULO ET USQUE IN SAECULUM; id est, ab initio sæculi usque ad finem sæculi tu es; ab una & priori æternitate ad alteram & posteriorem.

V. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM; id est, ne deiicias hominem in mala. Hieron. *convertens hominem usque ad contritionem*, sine negatione. ET DIXISTI; pro, qui dixisti. Hieron. *& dicens*. Verum epistola ad Cyprianum legit, *& dicet*. CONVERTIMINI; id est, quando ad pœnitentiam hominem invitas, cupidus scilicet eius. Vos homines resipiscite. Hebr. *Deducit hominem usque ad contritionem* (id est in pulverem.) *Et dixisti* (pro, qui dixisti) *Convertimini filii hominis*, aut *filii Adam*, scilicet in terram. Sensus est: Tu es æternus, at homo brevi in pulverem, ob latam a te mortis sententiam, solvetur.

V. 4. QUONIAM MILLE ANNI; quasi dicat: Nec opponas quosdam diu vivere, quoniam comparatione æternitatis anni mille instar diei unius sunt. ET CUSTODIA IN NOCTE: & sicut custodia in nocte. Nox in tres, aut quatuor vigilias dividebatur.

V. 5. QUAE PRO NIHILO HABENTUR, id est quæ parsim durant. EORUM ANNI ERUNT, scilicet instar diei, & custodiæ nocturnæ. Hebr. longe aliter, *Inundabis eos*, id est subito rapies, *somnium erunt*; id est, velut somnium est vita nostra, fumus nos.

V. 6. MANE SICUT HERBA TRANSEAT, pro transit, sive mutatur. VESPERE DECIDAT, pro decidit. Hebr. *vespere exciditur, & secatur*: sic est vita nostra. Iob VIII 16.

V. 7. IN IRA TUA. Propter originis peccatum morti obnoxii sumus. Aut etiam propter alia peccata, de vita brevi partem iratus decerpis.

V. 8. SAECULUM NOSTRUM IN ILLUMINATIONE VULTUS TUI posuisti, Hebr. *in luce vultus tui*: aperte cognoscis, nullum peccatum nostrum te latet.

V. 9. QUONIAM, pro itaque, aut certe. DEFECIMUS. Hebr. *finivimus in ira tua annos nostros*, id est propter iram tuam. ANNI NOSTRI SICUT ARANEA, id est tela araneæ, quæ est levissima. MEDITABUNTUR, passive, pro æstimabuntur assimilabuntur. Hebr. *annos nostros sicut loquelam*, scilicet finivimus, id est dicto citius.

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

V. 10. DIES ANNORUM NOSTRORUM IN IPSIS; pro, in ipsis diebus annorum nostrorum sunt septuaginta anni. SI AUTEM IN POTENTATIBUS. Hebr. *& si in fortitudinibus*; id est, si corpus sit valde forte, pervenit ad octoginta annos. ET AMPLIUS EORUM, invadunt agmine facto morborum omne genus. Hebr. *& robur*, aut *vigor eorum labor & dolor*; id est, maiori ex parte sunt pleni doloribus, neque cum vita cumputandi, sed cum morte. Servius IV. AEneid. *Tribus*, inquit, *continetur vita humana: natura, cui ultra centum viginti annos concessum non est; fato, cui nonaginta*, id est *tres Saturni cursus*; *fortuna, seu casu, quod fit omni ætate*. Hoc etiam Cicero tangit Libr. de Consolat. quem eius esse legitimum vel hoc argumento arbitror, quod hanc antiquorum sententiam dissimulanter tangat. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO; id est, ex benignitate tua fit, ut non amplius in iis doloribus vivamus, sed corripiamur per mortem. Beneficii loco ponitur mors suo tempore adveniens. Hebr. *quoniam secatur cito* (scilicet vita) *& evolamus*; id est, brevis est vita, neque ultra eos terminos producitur.

V. 11. POTESTATEM IRAE TUAE, Hebr. *robur*, id est vim iræ tuæ, quis novit? ET PRAE TIMORE TUO IRAM TUAM. id est propter timorem tuum, ut timeatis explicare quanta sit ira tua, ne scilicet peccantes, ex Dei ira nobis ipsis mortem acceleremus. Hebr. *& sicut timor tuus iram tuam*; id est, in eos qui te timent, amplius irasceris, & eos vexas. Sic Kimhi. Verbum numerandi Hebræi cum sequentibus iungunt, quod iam explicamus.

V. 12. DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC. Ut iram cognoscere cupio, sic dexteram, qua bona retribuis. Hebr. *Ad numerandum dies nostros sic sciemus*; id est, si noverimus iram tuam, sciemus numerare dies nostros; id est, usque ad se-

nectam procedemus. Variæ interpretationis occasio. Sept. legerunt ימינך *iammeca*, id est *dexteram tuam*, nunc legimus ימינו *iamian*, id est *dies nostros*: eam lectionem sequitur Hieron. ET ERUDITOS CORDE IN SAPIENTIA; id est, notum fac qui sunt veri Prophetæ, & sapientes, ut scilicet illos sequamur. Hebr. *& afferemus cor sapientiæ*, id est sapiens: si notos habuerimus dies nostros, si eos numerare poterimus, resipiscemus sapientes facti.

V. 13. CONVERTERE DOMINE USQUE QUO? scilicet differs nos exaudire. ET DEPRECABILIS ESTO. Hebr. *placare*, aut *consolare*: ne illis sis iratus.

V. 14. REPLETI SUMUS. Hebr. *Satia nos*. Hieron. *Imple nos misericordia tua*. MANE, cito, ne differas, aut a prima ætate. ET EXULTAVIMUS; pro, exultabimus, iubilabimus.

V. 15. LAETATI SUMUS. Hebr. *lætifica nos*. PRO DIEBUS. Hebr. *secundum dies*; id est, pro ratione temporis, quo nos afflixisti, tantumdem nos lætifica.

V. 16. RESPICE IN SERVOS TUOS, ET IN OPERA TUA, scilicet in nos, quos fecisti. Hieron. *Appareat apud servos tuos opus tuum*; id est, aliquo signo te nobis placatum significa. ET DIRIGE FILIOS EORUM. Hebr. *gloriaque tua super filios eorum*, scilicet appareat.

V. 17. ET SIT SPLENDOR, id est favor Domini, super nos. OPERA MANUUM NOSTRARUM DIRIGE, *confirma*: sic Hieron. SUPER NOS, id est in nobis. ET OPUS MANUUM NOSTRARUM DIRIGE: confirma opus nostrum: repetitio; id est, fac feliciter cadat quidquid moliemur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ORATIO MOYSI. Proculdubio illorum sententia probanda qui auctorem Psalmi huius Mosem ipsum imperatorem populi Dei affirmant: quod & doctissimus quoque Hieronymus existimavit: ratiunculas quas opponunt, ut futiles contemnimus. Observant aliqui, videri Mosem populo Dei hanc orationem conscripsisse, cum reversis exploratoribus, Numer. XIII. 14. populus obmurmurasset Deo, & Deus sententiam mortis dixisset maioribus viginti annis: ut hoc saltem haberent, ederentque documentum resipiscentiæ suæ, & saluti suæ abiectæ prospicerent. VIRI DEI. Vide in Deuteron. XXXIII. 1. DOMINE, REFUGIUM FACTUS ES NOBIS. Hebr. *Adonai*, *habitaculum*, *cavea*, *lustrum*, *ædes stata*, *receptaculum*, *asylum*, *tu fuisti nobis*; id est, facis ut secure habitemus freti protectione tua. Deuter. XXXIII. 27. A GENERATIONE IN GENERATIONE. Exponunt, in quaque generatione, ab omni ævo, per omnia sæcula, per omnem ætatem, sæculis superioribus; quasi dicat: Adonai mirificam administrationem, & gratiam exercuisti erga tuos iam inde ab orbe condito.

V. 2. PRIUSQUAM MONTES FIERENT, &c. Hunc versum ex Hebr. reddunt. I. *Prius quam montes nascerentur, aut tellus: priusquam conderetur orbis, ab æterno usque in æternum tu es Deus*. II. *Prius enim quam montes producti essent, & facta terra, & in plagas habitatas distincta: tu ab æterno fueras te ipso potentissimus Deus*. III. *Prius quam montes nascerentur, & terra formaretur, ac orbis: a sæculis usque ad sæcula tu es Deus*; id est, priusquam mundus esset, & postea quam desinet mundus esse, tu es Deus. IV. *Cum nondum montes editi essent, aut formasses terram, orbemque habitabilem: denique a sæculo, & usque in sæculum tu Deus fortis, es*, quasi dicat: AEterno tuo decreto, sive consilio, ex beneplacito voluntatis tuæ, ad laudem gratiæ gloriosissimæ tuæ, curam nostri suscepisti, & nobis semper Deum fortem exhibes.

V. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM. Diversimode ex Hebr. convertunt. I. *Facies reverti hominem usque ad contritionem*, id est; reducis hominem usque ad minutissimum pluerem; vel *tu redigis hominem in pulverem*; II. *Deduces hominem variis miseriis obnoxium, quo ad senio fractus fuerit*. III. *Tu reducis hominem donec conteratur*. IV. *Redigis mortalem eo usque ut sit contritus*: periphrasis, pro eo quod est, solo verbo tuo facis ut moriatur homo. Describit hoc versu, & tribus sequentibus, ut quidam observant, communem omnium hominum sortem mortalitatis. ET DIXISTI: CONVERTIMINI FILII HOMINUM. Alii. I. *Et contra dicis: Redite in integrum filii hominum*; quasi dicat: Tu redigis homines in pulverem, ut tu restituis, seu redintegras eos denuo de

de reſurrectione: nempe, licet hominem in morte reducas in pulverem, eum tamen poſtea es excitaturus. II. *Et dices eum: Redite poſteri Adæ in terram, unde prodiiſtis.* III. *Actum dicis: Revertimini, o mortales*; ſubaudi, in terram veſtram; quaſi dicat: Iuſſu tuo omnia revertuntur in pulverem. IV. *Dicens: Revertimini filii hominum*, corpore in terram, Geneſ. III. 19. animo ad Deum qui dedit illum, Eccle. XII. verſ. 7.

V. 4. QUONIAM MILLE, &c. Hebr. *Quia mille anni in oculis tuis, ſicut dies heſternus cum tranſibit*. Omnes fere hoc ſenſu accipiunt: Mille profecto anni apud te, & cum tua æternitate collati, ſunt tamquam dies heſternus, qui præteriit. Quaſi dicat: Etſi mille annos vivat homo, non magis id apud te habetur, quam unus dies præteritus: nam tandem eſt moriturus, Quidam volunt hic eſſe verborum emplocem, ſive, ut Grammatici vocant, ſynchyſim; quam ad evidentiam ita mutant, ac verba ordinant: *Num mille annos ſi prætereat homo* ſunt *in oculis tuis ut dies heſternus*? ut ſit amplificatio propoſitionis de mortalitate noſtra, ab hypotheſi cuiuſmodi eſt Eccle. VI. 6.

V. 5. & 6. QUAE PRO NIHILO HABENTUR, EORUM ANNI ERUNT. MANE SICUT HERBA TRANSEAT. Alii ex Hebr. I. *Inundaſti eos, ſomnus erunt: in mane quaſi herba mutabitur.* II. *Impetu irruiſti in eos, ſomnia erunt: mane quaſi herba pertranſiens.* III. *inundas eos, ut ſomnus ſunt: mane ſicut herba vires accipit.* IV. *Facis ceu impetu quodam ruere eos*, vel *facies inſtar nimbi illos diffluere*. Aut *quaſi immiſſa inundatione ſubito rapis eos de mundo: velut ſomnium traduntur oblivioni: mane ſicut herba roboratur*, vel *tranſit*, ſeu *præterit*, aut *exciditur*, ſubaudi homo. Mutat numerum, quod de unoquoque loquatur, aut quod maior pars hominum mori ſoleat in iuventute. V. *Abripuiſti eos, ſomnus erunt: mane, tamquam fenum, quod mutabitur.* VI. *Ceu nimbum dilabi eos impetu quodam facis; ſunt veluti ſomnium: mane velut herba immutantur.* VII. *Inundatione abripis eos, ſomnus ſunt: ipſo mane ſunt ut fenum tranſiens.* Explicatio fragilitatis humanæ a ſimilibus, quæ compotentem Dei manum, tum vanitatem noſtram explicant familiariſſime. VIII. *Te illos diſſipante ſomnus fiunt: ac ſubito ſicut fenum mutantur.* IX. Paraphraſtice: *Velociſſime properare annos hominum iubes, & prius quam ad ſe reverſus homo cogitet quid ſibi in vita acciderit, elapſos ſentiet illos veluti ſomnium quoddam: mane enim in initio vitæ tamquam herba quædam ſuccreſcet, & aliquid eſſe apparebit.* Noſtra Tranſlatio maiorem vim habet: *Inſtar cataractarum ruere facies eos*; id eſt, haud minori impetu quam Nili cataractæ, fluunt, aut potius ruunt anni humanæ vitæ. *Somnium erunt*: proverbium: id eſt res evanida, nihili. Terentius in Adelphis: *Tu quantus quantus es, nihil niſi ſapientia es: ille, futilis, ſomnium*, &c. Vide Chiliadis II. centuriæ I. adagium 62. *Mane ſicut fenum pertranſibit*, vel *præteriet*: nam fenum cito exareſcit, Pſal. CXXVIII. verſ. 6. Putant Paulum hunc reſpexiſſe I. Corinth. VII. 31. *Præterit enim ſchema huius mundi*. VESPERE DECIDAT, INDURET, ET ARESCAT. Futurum ex Pihel ימולל *iemolel*, paſſim intranſitive accipiunt, *excidetur*, *ſuccidetur*; ſed natura coniugationis magis expoſcit, tranſitive, *excidet*, *ſuccidet*, eum, ſubaudi ventus, aut æſtus Verſum varie reddunt. I. *In mane florebit & mutabitur: ad veſperum ſuccidetur & ſiccabitur.* II. *Mane floruit & abiit: ad veſperum conteretur, atque ſiccabitur.* III. *Mane floret, & vires accipit; veſpere exciditur & ſiccatur.* IV. *Fenum mane floret, & creſcit: veſpere inciſum areſcit.* V. *Mane, inquam, virebit, & aliquouſque ſuccreſcere videbitur: ad veſperam vero ſuccidetur, & areſcet.* VI. Quæ herba, vel qui homo *mane floret*, id eſt in iuventute, *ac vires accipit*; *veſperi areſacta reſecatur*; id eſt, in ſenio moritur. Brevitatem humanæ vitæ exaggerat, quæ velut uno die mane ſcilicet & veſpere tranſigitur. VII. *Ipſo mane quo effloruit, tranſiens; ipſo veſpere exciſus atque exareſcens.*

V. 7. QUIA IN IRA TUA DEFECIMUS, &c. Plerique putant continuari hic ſermonem de brevitate vitæ univerſe: alii volunt, eſſe tranſitionem ad ſingularem narrationem, qua expoſtulat Propheta cum Deo, de ſingulari illo iudicio, Numer. 14. quaſi dicat: Non ita tantum nobiſcum agitur ut cum ceteris hominibus, qui iure naturæ moriuntur: ſed multo gravius agitur ira tua, hoc verſu; & peccatis no-

ſtris verſu ſequente. Diverſimode hunc verſum ex Hebr. explanant. I. *Quoniam conſumpti ſumus in furore tuo, & in ira tua territi ſumus.* II. *Conſumpti enim ſumus furore tuo, & indignatione tua turbati ſumus.* III. *Sic te irato conſumimur, & in furore tuo deturbamur.* IV. *Etenim ira tua deficimus, & fervente indignatione tua terremur*; id eſt, te irato propter peccata morti ſumus obnoxii: docet mortem introductam propter peccatum. *Terremur*; ſubaudi, terrore illo mortis. V. *Quando conſumitur ira tua, & tuo æſtu conturbamur.* VI. Paraphraſtice: *Et tamquam non ſit in annis noſtris paucis mali ſatis, accedit ira tua, quæ non ſinit vel per ſomnium nos ſentire. qualecumque illud ſit, quod poſſit homini eſſe quoquo modo voluptati: in metu enim conſumpti ſunt anni noſtri: & quia vehementer nobis iraſci videbaris, conturbati ſumus, & inhorruimus.*

V. 8. Saeculum nostrum in illuminatione vultus tui. Varie hunc locum ex Hebr. elucidant. I. *Abſconſionem noſtram luci facierum tuarum.* Putant alluſum ad Adami abſconſionem Geneſ. iii. 10. II. *Errores, negligentias noſtras, in lumine vultus tui.* III. *Abſconditum, occultum noſtrum in lumen faciei tuæ*, id eſt peccata noſtra occulta. Quidam ſingulariter intelligunt peccatum originale, quod mundus non intelligit, & latet in poſteritate Adæ. IV. *Adoleſcentias, iuventutes, noſtras*, id eſt commiſſa, ſeu peccata adoleſcentiæ noſtræ, *ad luminare facierum tuarum.* V. *Et peccata, quæ pro occultis habuimus, & in adoleſcentia commiſimus, ipſa luce manifeſtiora ſunt in conſpectu tuo.* VI. *Occulta noſtra in luce vultus tui patent.* VII. *Occulta noſtra lumini faciei tuæ*, id eſt peccata vel nobis ipſis incognita, ut Pſal. xviii. 13. Senſum huius verſus ita concipiunt, quaſi dicat: Iacularis in nos tela indignationis tuæ propter peccata, quibus & intus & extra diffluimus.

V. 9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua. Varie alii ex Hebr. I. *Quoniam omnes dies noſtri verſi ſunt in ira tua*, de bono in malum. II. *Quoniam omnes dies noſtri tranſiverunt in ira tua*, ſeu *declinaverunt propter iram tuam.* III. *Te irato, univerſi dies noſtri collabuntur.* IV. *Quare dies noſtri elapſi ſunt univerſi te nobis irato.* V. *Nam omnes dies noſtri divertunt*: volunt eſſe ergaſiam expoſtulationis a decreto Dei, & executione illius, quæ tum cœperat ob oculos Iſraelitarum verſari, ſublatis auctoribus murmurationis, Numer. xiv. 36. *excandeſcentia tua*, de qua ſupra verſ. 7.

Defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Hebr. *Conſumpſimus annos noſtros ſicut* הגה *hegeh*: varie exponunt: *Sicut verbum, ſermonem, locutionem, loquelam, gemitum, murmur, meditationem, cogitationem*, ut ſermo, cogitatio facile labitur, & evaneſcit, & eſt irrevocabilis:

...nam volat,

inquit Poeta, *irrevocabile verbum*: ſic conſumpſimus annos noſtros. Aliqui: *Anni noſtri dicto citius finiunt.* Alii: *Finivimus annos noſtros dicto citius*, quo nihil citius evaneſcit. Nonnulli: *Conſumimus annos noſtros*, ſcilicet peccatis noſtris, de quibus ſupra verſ. 8. *ſimiles ſermoni ſunt*; id eſt, dicto celerius effluunt, manentque irrevocabiles. Buchananus:

....prope cogitatu
Ocyus vitæ ſpatium citatis
Aufugit alis.

Hiſpanice eleganter diceremus: *Buelan nueſtros años como el penſamiento.*

V. 10. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Dilucidius alii reddunt: *In diebus ipſis annorum noſtrorum ſunt ſeptuaginta anni*; id eſt, ordinarie non ultra vivitur. Alii: *Dies annorum quibus vivimus, anni ſunt ſeptuaginta.* Solon apud Herodotum Lib. I. numer. xxxii. cum Crœſo diſſerens: *Proponamus homini terminum vitæ ad ſeptuaginta annos: qui anni conſtant ex viginti quinque millibus ac ducentis diebus, menſe intercalari non poſito.* Laertius Lib. I. in Solone: *Solon autem humanæ vitæ terminum ſeptuaginta annos eſſe ait. Videtur autem id præclare ſtatuiſſe.* Vide eius de hac re verſus apud Philonem de Mundi opificio, & Clementem Alexandrinum Lib. VI. Stromat. cap. xiii. adito quoque Cenſorinum de Die Natali, cap. xiv. & Macrobium Libr. I. in Somnium Scipionis, cap. vi. Si autem in potentatibus, octoginta anni. Hebr. *& ſi in præpotentiis, octoginta anni.* Varie alii. I. *Et ſi in fortitudinibus*, ſit natura noſtra, id eſt ſi vegetior & robuſtior fuerit, *octoginta anni*;

anni; II. *Et si qui vividiores*, seu *vivaciores sunt*, *octoginta anni*. III. *Si autem admodum robusti sumus*, *octoginta anni*. IV. *Aut ad summum*, *octoginta anni*. V. *Aut* (*ut simus robustissimi*, *valentissimi*) *octogeni anni*. VI. *Et si in valentissimis*, *octoginta anni*. Exempla, sed extraordinaria, longioris vitæ habes apud Plinium Lib. VII. cap. XLVIII. & XLIX. & in Fragmentis Phlegontis de Mirabilibus, & Longævis, & apud Lucianum in Macrobiis. Vide hic Notas Bochii. ET AMPLIUS EORUM, LABOR ET DOLOR. רהבם *robab* alii infinitum, alii nomen infinitum: *Et excellere*, vel *prævalere*, *eorum*, seu *& superbia*, *tumor*, *elatio*, *altitudo eorum*. Quidam, *robur*, *vigor*, *felicitas*, *fastus eorum*, *labor & ærumna*; vel *dolor*, *molestia*, *& calamitas*. Varie reddunt. I. *Et superbia eorum*, *labor & dolor*, id est quod superat & excedit octoginta annos. II. *Et excellentia eorum*, *labor & dolor*. III. *Et fortitudo eorum*, *perversitas & iniquitas*. IV. *Quæ ipsorum* annorum *excellentia inter labores & dolores rectius numeraretur*. V. *Interim qui præcipui sunt inter hos octogenarios*, *& tamquam flos ipse huius tam raræ ætatis*, *& molestiis & laboribus pleni*, *abeunt velocissime*. VI. *Et præcipuum eorum*, *labor & dolor*; id est, iuventus, quæ est præcipuum annorum vitæ, & ipsa plena est molestiis ac perturbationibus animi. VII. *Iam præstantissimum horum*, *labor est & molestia*. VIII. *Etiam excellentissimum eorum*, *laboriosum est & molestum*: in omnibus quidem propter instabilitatem vitæ & conditionis ipsorum; Iudæis vero hoc tempore, propter pœnas, errores, vagationes, & probrosam mortem, in quas divinitus damnati fuerant. Numer. XIV. 28. & seqq. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO: ET CORRIPIEMUR. Diversimode ex Hebr. transferunt. I. *Quoniam volans est cito* vita nostra, *& volavimus*. II. *Quoniam recedit cito*, vel *quod secatur cito*: *ita avolamus*, sive *quia resecatur celeriter*, supple, superbia illa: *& avolamus*. III. *Sic subito recidimur*, *& avolamus*. IV. *Quoniam detondes festinanter*, *& avolamus est*. V. *Quoniam evulsa celeriter*, superbia, elatio: *& volamus*. VI. *Quo festine exciso*, *avolamus*, excellentissimo videlicet dierum, quod modo nominavit. גז *gaz* cum Cametz, quidam verbum faciunt transitivum: *Quia*, vel *cum*, *evulsit*, *extraxit*, *festinanter*: subaudi, Deus, vel natura: Alii, intransitivum: *Quia avulsus est*, tumor. Aliqui participium volunt: *Evellens*, *detondens*, *subito*. Nonnulli nomen: *Quia avulsio*, *detonsio*, *cita est*, *& avolamus*.

V. 11. QUIS NOVIT POTESTATEM IRAE TUAE? Quidam: *Quis agnoscit robur iræ tuæ*; quasi dicat: Utcumque tamen iudicia tua exerceas in nos, nemo tamen, expergiscitur, & se ad resipiscentiam comparat. Alii: *Quis vitare umquam novit potentem iram tuam?* ET PRAE TIMORE TUO IRAM TUAM? Heb. *Et sicut timor tuus*, *excandescentia tua*. Alii. I. *& sicut timor tuus*, *iram tuam*? id est, quis sciens iram tuam, sicut timor tuus exigit, scire? II. *Et ut timor tuus*, *ira tua*; id est, quantum enim quis te timet; tanta est indignatio tua; quasi dicat: Quis poterit habere perspectum modum, & vim iræ tuæ; cum quo quis est religiosior, & tui colentior, eo in eum ira tua videtur esse atrocior? III. *Maxime si a nobis exigat venerationem maiestati tuæ debitam*; *& ob eam non satis præstitam*, *quantum res ipsa requirat*, *irasci volueris*. IV. *aut excandescentiæ tuæ secundum timorem tuum*, id est cum tu doces nos, & iniicis metum minis, signis, atque operibus: nam his modis Deum iniecisse timorem sui, docetur Numer. XIV. & seqq.

V. 12. DINUMERARE, DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC, ET ERUDITOS CORDE IN SAPIENTIA. Heb. *Ad supputandum dies nostros sic notifica*: *& venire faciemus cor sapientiæ*. Alii. I. *Ad numerandum dies nostros*, *sic*; id est, secundum timorem tuum, ut eos exigamus pie & sancte, *fac scire*: *& faciemus venire cor sapientiæ*, id est imbuemus cor sapientia. II. *Numerum dierum nostrorum sic fac scire nos*, *ut producamus cor sapientiæ*. III. *Ut numeremus dies nostros*, *sic scire fac nos*, vel *sic fac scire nos*, *ut numeremus dies nostros*: *& adducemus in cor sapientiam*, vel *cor in sapientiam*; id est, sic fac intelligamus quam brevi temporis spatio simus victuri, ut ita reddamur sapientiores, cautiores, & circumspectiores. IV. *Instrue nos*, *ut dies nostros numeremus*, *& sapienti corde consideremus*. V. *Ut ergo dierum nostrorum numerum sciamus*, *tu nobis plane indica*: *ut sapientia animum intendamus*.

VI.

VI. Latiori paraphrasi: *Numerare nos doce ad hunc modum paucissimos dies nostros, & semper habere paucitatem illorum in memoria, ut nihil nobis de hac vita magni promittentes, divinæ sapientiæ studio animum intendamus.* VII. *Numerare dies nostros ita doce nos, ut inducamus animum sapientem*; id est, ita secundum timorem tuum, de quo versu præcedente, tu misertus populi tui informa eum notitia infirmitatis suæ, ne desipiamus, ut ante fecimus.

V. 13. CONVERTERE DOMINE USQUE QUO? Id est, Redi Domine ad solitam clementiam; vel redi nobiscum in gratiam: quousque tandem aberis, & nos in tantis calamitatibus derelinques? an non satis in miseros nos sævitum videtur? Quidam: *Convertere Iehova ad* nos, *aliquando*, vel *aliquantulum*. ET DEPRECABILIS ESTO SUPER SERVOS TUOS. Heb. *Et pœnitere super servos tuos*. Varie alii. I. *Et pœniteat te propter servos tuos*. Vide in Genes. VI. vers. 6. II. *Et placare super servos tuos*. III. *Et consolare, consolationem cape*, id est quiesce ab ira tua, quam exerere decreveras, *in servos tuos*. IV. *Et propitius esto servis tuis*. V. *Et condole, commiserere, super servos tuos*. VI. *Et misereat te tandem servorum tuorum*. Vide similem locutionem Deuteron. XXXII. 36.

V. 15. LAETATI SUMUS PRO DIEBUS, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebræo traduximus (*Lætifica nos secundum dies afflixisti nos, annos vidimus malum.*) Alii varie. I. *Exhilara nos secundum dies, quibus afflixisti nos, secundum annos, quibus vidimus malum*. II. *Affice nos gaudio pro magnitudine malorum, quæ diebus & annis superioribus pessima experti sumus*. III. *Lætifica nos, ut dies multos afflixisti nos*, in AEgypto, ut docetur Exod. a cap. I. usque ad XII. *annis multis vidimus*, id est experti sumus, sustinuimus, malum.

V. 16. RESPICE IN SERVOS TUOS, ET IN OPERA TUA. Heb. *Videbitur ad servos tuos opus tuum*. Alii. I. *Appareat, conspiciatur opus tuum in servis tuis*, vel *erga servos tuos*. II. *Impartire servis tuis egregia facta tua*. III. *Appareat servis tuis salutiferum illud redemptionis opus*. IV. *Effulgeat in servis tuis opus tuum*, id est miraculum tuum; id est, edito signo ostende te favere tuis, & eorum posteris: signo fac elucere misericordiam tuam super servos tuos. V. *Perspicuum sit erga servos tuos opus tuum*. Summus petitionis finis, gloria Dei. ET DIRIGE FILIOS EORUM. Hebr. *& decor, maiestas, amplitudo tua, gloria, ornatus, super filios eorum*; supple, appareat.

V. 17. ET SIT SPLENDOR, &c. Hunc versum clarius alii. I. *Denique adsit amœnitas Iehovæ Dei nostri nobis: & opus manuum tuarum institue in nobis: ipsum, inquam, opus manuum nostrarum institue*. Summa totius petitionis continens superiores fines, ut Deus gloriam suam procuret in suis; & suos vicissim ad gloriam ipsius promovendam comparet. II. *Sic fiat gratiosus & pulchre favens nobis Dominus Deus noster, ut quidquid facere tentaverimus, efficax fiat: efficax, inquam, fiat Domini beneficio, quidquid manibus nostris attrectaverimus*: sive, Feliciter cedat quidquid attentaverimus, seu instituerimus.

MENOCHII.

Vers. 1. ORATIO MOYSI, &c. Non dicitur *oratio Moysi*, quod Psalmi huius auctor fuerit Moyses, sed quia David Moysem loquentem introducit. REFUGIUM, asylum, habitaculum tutum. A GENERATIONE, &c. perpetuis, & sibi continue succedentibus sæculis.

V. 2. PRIUSQUAM MONTES FIERENT. Merito te Deum æternum colimus: nam dii, qui *novi recentesque venerunt*, plane dii non sunt. TERRA, ET ORBIS. *Terræ* nomine universam intelligit terram, sive habitatoribus culta sit, sive non. Nomine *Orbis* intelligit terram habitatoribus frequentatam, hoc enim significat vox Hebraica תבל *thebel*, & Græca οἰκουμένη.

V. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM: ne vertas, ne redigas hominem ad tenuitatem, calamitatem, abiectionem, miseriam. Vel ne permittas hominem se ad vilia hæc, & abiecta mundi bona convertere per affectum. ET DIXISTI: CONVERTIMINI FILII HOMINUM; quasi dicat: Cum iubeas hominem converti, & resipiscere, ne eum ad has miserias redigas, quibus obrutus, non est probabile eum mentem adiecturum ad resipiscentiam. Vel ne permittas adhære-

sce-

ſcere caducis bonis, quæ ſi adamaverit, bonam mentem induere, & ſerio ad te ſe convertere homo non poterit.

V. 4. QUONIAM MILLE ANNI, &c. Deſcribit afflictionem generis humani poſt peccatum primi hominis; quaſi dicat: Homo ſi non peccaſſet, ſine ullo fine in æternum vixiſſet; nunc vero ad maximam vilitatem, & vitæ brevitatem propter peccatum redactus eſt: ut enim mille annos vivat, quid hoc temporis eſt, ſi cum æternitate conferatur? ET CUSTODIA IN NOCTE, quæ trium horarum ſpatium continet. Dividebant enim antiqui noctem in quatuor vigilias, & cuique vigiliæ ſive cuſtodiæ, tres horas tribuebant, quibus excubitores in ſua ſtatione vigilare debebant, & caſtra, vel mœnia urbis cuſtodire.

V. 5. QUAE PRO NIHILO HABENTUR: cum ſit adeo breve temporis ſpatium.

V. 6. MANE SICUT HERBA TRANSEAT, &c. Homines herbis ſimiles ſunt, quas ſole exoriente florentes videmus, & incrementum capientes, mox vero ſolis ardore exuruntur, & areſcunt ante noctem. Quod dicitur, *Tranſeat*, & *floreat*, ſunt imperativa poſita pro futuris indicativi. INDURET, exhauſto vigore, & ſucco naturali.

V. 7. QUIA DEFECIMUS IN IRA TUA; quaſi dicat: Mortales effecti ſumus, quia per Adamum irritavimus iram tuam. ET IN FURORE TUO TURBATI SUMUS; id eſt, conturbati ſumus mortis horrore, & terrore, ob furorem tuum, qui ſecuri, & quieti ante vivebamus.

V. 8. POSUISTI INIQUITATES NOSTRAS IN CONSPECTU TUO. Dixerat, cauſam brevitatis vitæ noſtræ, fuiſſe iram Dei; nunc dicit, cauſam iræ Dei fuiſſe iniquitates noſtras, hoc eſt Adami peccatum, quod nobis commune fuit. Vel etiam reſpicit David peccata poſterorum, per quæ vitæ ſpatium adhuc brevius, & contractius factum eſt: nam cum uſque ad diluvium homines viverent uſque ad nongentos annos, deinde tempore Moſis centum viginti, tandem Davidis ævo, ut etiam hoc noſtro, fere octoginta non excedimus, aut etiam vix attingimus. SAECULUM NOSTRUM IN ILLUMINATIONE VULTUS TUI. Eſt repetitio eiuſdem ſententiæ; quaſi dicat: Poſuiſti vitia ſæculi noſtri coram lucidiſſimo vultu tuo.

V. 9. QUONIAM OMNES DIES NOSTRI DEFECERUNT; quaſi dicat: Quod Deus viderit, & damnaverit peccata noſtra, pœna ipſa mortis nobis inflicta ſatis oſtendit: nam dies nos deficiunt, qui alioquin perennes, & indeficientes fuiſſent. ET IN IRA TUA DEFECIMUS. Repetitio ſuperioris hemiſtichii: Defecimus nos, & anni noſtri propter peccata, quibus te ad iram provocavimus. ANNI NOSTRI SICUT ARANEA MEDITABUNTUR. Docet non ſolum brevem eſſe vitam noſtram, ſed etiam fragilem: poteſt enim conferri cum aranearum telis, quæ nullo negotio lacerantur. Nec tantum eſt fragilis, ſed etiam miſera: eſt enim ſimilis araneis, quæ ſe eviſcerant, & exhauriunt, ut telam texant, qua tenuem victum venentur. MEDITABUNTUR, exercebuntur.

V. 10. DIES ANNORUM NOSTRORUM IN IPSIS SEPTUAGINTA ANNI. Dies annorum noſtrorum adeo breves ſunt, ut in ipſis fere non plus ſint quam ſeptuaginta anni. SI AUTEM IN POTENTATIBUS, &c. ſi vero in potenti, & firma corporis conſtitutione, & valetudine fuerint, octoginta. ET AMPLIUS EORUM LABOR ET DOLOR: quidquid eſt amplius ultra octoginta, eſt labor & dolor. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO, &c. Particula *quoniam* non eſt cauſalis, ſed idem valet quod *verumtamen*, aut *certe*. Senſus eſt: Ingraveſcente ætate miteſcunt affectus, & humiles redduntur, & modeſti qui feroces fuerant. Vox *ſupervenit* eſt temporis præteriti: nam in Græco eſt ἐπῆλθε. ET CORRIPIEMUR: nam ex ſenectute diſcimus agnoſcere miſeriam, & fragilitatem noſtram, & Deo humiliter ſubiici. In Hebræo hic verſiculus ſic ſe habet: *Quoniam tonſio velox*, & *evolabimus*; quaſi dicat: Cum ſenes ſumus, inſtar mortis falx, quæ nos ut fœnum tondeat, & ad meliorem vitam evolare faciat.

V. 11. QUIS NOVIT POTESTATEM IRAE TUAE? Ex gravitate pœnæ propter peccatum primi parentis inflictæ, colligit Propheta, magnam omnino eſſe iram, & ſeveritatem Dei adverſus peccata. Senſus ergo eſt: Sane magna vis iræ tuæ, adeo magna, & gravis, ut quilibet affequi facile non poſſit illius magnitudinem, & gravitatem. ET PRAE TIMORE IRAM TUAM

TUAM DINUMERARE? quasi dicat: Quis novit percipere iram tuam, quæ maior est quam quis putet, aut credat; quæ *præ timore*, hoc est quam vulgo credatur, & timeatur.

V. 12. DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC; quasi dicat: Ergo in hac misera nostra conditione fac notam nobis dexteram tuam, hoc est potentiam, misericordiam, & opem. ET ERUDITOS CORDE IN SAPIENTIA: & notos fac eruditos corde, & sapientia: exhibe nobis eruditos doctores, & Prophetas, ne falsis, & insipientibus nos præbeamus seducendos.

V. 13. CONVERTERE DOMINE, reconciliare, placare. USQUEQUO iratus eris, vel affliges nos? DEPRECABILIS placabilis, exorabilis, propitius.

V. 14. REPLETI SUMUS MANE MISERICORDIA TUA. Sensus est: Convertere Domine, &c. ut aliquando dicere possimus: *Repleti sumus*, &c. MANE, mature, opportune, cito, tempestive.

V. 15. LAETATI SUMUS PRO DIEBUS, &c. pro numero dierum, pro magnitudine malorum, quæ diebus, & annis præcedentibus passi sumus. HUMILIASTI, afflixisti. VIDIMUS MALA, pertulimus; exerciti sumus malis.

V. 16. ET IN OPERA TUA, servos tuos, qui sunt opus manuum tuarum. DIRIGE FILIOS EORUM: esto dux eorum, & eos dirige, ut rectam viam teneant.

V. 17. SPLENDOR, favor, gratia. DIRIGE SUPER NOS; id est, tu præsidens nobis, da ut recte operemur.

TIRINI.

Vers. 1. ORATIO MOYSI HOMINIS DEI. Chald. *quam oravit Moyses quando peccavit populus in deserto*. Putat sanctus Hieronymus in Ep. ad Cyprianum, & Genebrardus, Moysem etiam decem sequentium Psalmorum, qui in Hebræo titulis carent auctorem fuisse.

V. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM, seu vilitatem, & abiectionem; id est, ne sinas hominem cadere in extremam miseriam; Hieron. *in contritionem*; Chaldæus, *in mortem*. ET (pro quia) DIXISTI: CONVERTIMINI ad me; quasi dicat: Protestatus es, te nolle mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant. Aliter Iansenius, & Mariana: *Dixisti*, id est definisti: Revertimini, o mortales, in pulverem ex quo creati estis.

V. 4. ET CUSTODIA IN NOCTE; id est, & sicut vigilia una noctis; quasi dicat: Sat per se depressi & humiliati sunt homines: nam ut viverent mille annis, non pluris id foret respectu æternitatis tuæ, quam si unicam vixissent particulam noctis. Ita Theodoretus.

V. 8. SAECULUM NOSTRUM, id est totum decursum vitæ nostræ, id est omnes actiones nostras bonas & malas; Hieron. *negligentias*; Chald. *Iniquitates iuventutis nostræ posuisti in illuminatione vultus tui*, id est ante oculos tuos lucidissimos.

V. 9. MEDITABUNTUR, passive, pro reputabuntur: vel inter meditandum, & satagendum abrumpentur; quasi dicat: Sicut aranea, dum totam se eviscerat, nihilque aliud meditatur quam ut telam texat qua muscas capiat, solet ab ancilla scopis subito cum sua tela, & musca in humum detrahi, & pede conteri, vel in ignem coniici; sic accidit hominibus, inquit sanctus Hieronymus, & Theodoretus. Aliam quoque similitudinem suggerit sanctus Hieronymus, dum vertit, *quasi sermonem*, seu fabulam *loquens*; Chald. *quasi vapor in hieme*.

V. 10. SUPERVENIT MANSUETUDO tua nobis; id est, mansuete, & benigne nobiscum agis, dum corripis nos, & tempus miserrimæ vitæ huius, quæ mors potius est quam vita, brevi termino circumscribis. Hebraice, *quoniam secatur cito hæc vita, & evolamus*; Chaldæus addit, *in pulverem*. Eodem fere modo vertunt Hieronymus, Symmachus, & alii.

V. 11. QUIS NOVIT POTESTATEM (Hieron. & Chald. *fortitudinem*) IRAE TUAE: ET PRAE TIMORE TUO IRAM TUAM? id est quantum timeri debeat ira tua? quasi dicat: Posses nobis merito longe acrius irasci, nosque punire amplius in immensum. Tantæ malitiæ sunt peccata nostra.

V. 12. DEXTERAM TUAM, vindicem scelerum nostrorum, SIC (per flagella) NOTAM FAC hominibus, ut erudiantur corde, & sapientes evadant: scilicet horrorem inde concipiant peccati, quod causam dat illis flagellis. Item ex levioribus hisce pœnis discant æstimare & fugere pœnas æternas.

V. 13. Usquequo *affliges nos?* inquit Chaldæus.

V. 14. Repleti sumus (Hierony. Aqu. & Chald. *Reple : Satura nos*) misericordia tua mane, id est citissime. Sic

V. 15. Laetati sumus, pro lætemur, vel *lætifica nos*, pro diebus, id est pro ratione durationis, multitudinis, & magnitudinis dolorum quos toleravimus.

V. 16. In opera tua, id est in nos qui sumus opus manuum tuarum, a te creati, conservati, ornati.

V. 17. Splendor. Hieron. *decor*; Chald. *dulcedo horti deliciarum*. Quæ omnia sunt favor seu gratia divina, ejusdemque protectio, solatium, & auxilium, ut dixi Psalm. IV. 7.

GORDONI.

Titulus : Oratio Moysi hominis Dei. Paraphrasis hic attigit argumentum huius, vel Psalmi, vel orationis. Sed estne Moysi, an Davidis hic Psalmus? Manet lis hæc sub indice adhuc, pendens etiam ab illa quæstione, an omnes Psalmi sint Davidis? Certe Hieronymus epist. ad Cyprianum, omnino vult hunc Psalmum, & decem insequentes fuisse a Moyse compositos: quod tamen refutat hic Bellarminus, secutus Augustinum. Ego rationem non video convincentem, quæ unam quæstionis partem plane definiat. Sive autem Moyses ex se, sive a Davide introductus loquatur; argumentum Psalmi præclaram habet ad Deum orationem pro humano genere, cuius exordium sumitur a gratiarum actione pro acceptis beneficiis.

Vers. 2. Priusquam montes, &c. Docet Deum esse ante omnem creaturam, ac simpliciter esse æternum; quod vel maxime ostendit, σὺ εἶ, *tu es*, scilicet solidissimam habens existentiam, non ab alio acceptam, & carentem mutatione. Sic interim pergit subinde ostendens brevitatem vitæ nostræ oriri ex ira Dei, & iram Dei ex peccatis.

V. 9. Anni nostri sicut aranea (ἀράχνη) meditabuntur, seu exercebuntur in vanis laboribus. Hebr. *Anni nostri sicut meditatio* (scilicet laboriosa) Septuag. addunt, *sicut aranea*, ut rem explicarent. הגה *hegeh*, *meditatio*, ab הגה, *meditari*. Græce solet legi ἐμελέτων. Sed Genebrardus legit μελετῶνται.

V. 12. Dexteram tuam, &c. Deinceps orat Propheta opem petens hominibus a Deo, & ut notos nobis faciat eruditos corde, Prophetas, Apostolos, &c. Hic solum adverto, Septuag. pro ימינו *iamenu*, *dies nostros*, legisse ימינך *ieminecha*, *dexteram tuam*: nam ימין *iamin* dexteram significat, at ימים *iamim*, a יום, dies. Porro cum Septuag. vertunt *eruditos corde*, dici potest, eos per נביא *navi*, ut significat Prophetam (aut per נביאי *nevie*, in plurali) intellexisse viros corde eruditos, & θεοδιδάκτοις quoscumque, seu נביאי לבב *nevie levau*.

V. 14. Repleti sumus. Recte potest hoc præteritum accipi prophetice pro futuro: nam ut dicebam a vers. 12, orat Propheta petens aliquid futurum; nisi etiam velut imperantis sit. Qui insequuntur versiculi, nihil habent quod in sensu dissentiat ab Hebræo. De rigore etiam vocum facile est statuere.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 1. 2. & 3. Domine refugium, &c. In tota oratione pro humano genere auxilium (ut semel dicam) petitur a Deo: ac proinde recte præfatur Deum esse refugium omnium, & talem eum esse ab æterno. Ergo *ne hominem, Domine*, a te *avertas*, hoc est, non sinas averti a te: nam hortaris, ut ad te veniat.

V. 4. *Quoniam mille anni*, &c. Auctor Psalmi petiturus a Deo auxilium versu 12. prius hic infirmitatem nostram proponit; & incipit a vitæ brevitate; ita ut mille anni nihil sint, respectu Dei; quem præfatus est esse æternum. Immo est tempus ut nocturna vigilia, quæ trium tantum horarum est; aut instar feni arescentis vespere: sic arescit homo in mansuetudine senilis ætatis. Causam autem subiungit, tum huius brevitatis, tum aliarum miseriarum, esse iram Dei: causam denique iræ Dei esse nostra peccata. Hæc, & similia usque ad versum 12. Concludit versu 11. Cum tot sint mala ex ira Dei,

Dei, quis satis capiat, quanta sit ira Dei, cum irascitur homini.

V. 12. & seq. *Dexteram tuam*, &c. Hactenus quam Deus potens sit refugium miserorum, & de pœna mortalitatis, qua mortales affecit. Orat iam Deum, qui est natura refugium, ut misero humano generi adsit, & succurrat. *Notam*, inquit, *fac* faventem *dexteram tuam*. Notos fac nobis sapientes corde.

BOSSUET.

Vers. 2. ORATIO MOYSI. Nihil videmus cur hunc titulum non sumamus ad litteram. Certe magnus ille Athanasius nihil hæsitavit, *Vis*, inquit, *audire Mosen? habes Psalmum* LXXXIX. Epistol. ad Marcell. Hieronymus quoque ita sensit, atque ipso teste omnium antiquissimus Origenes. Quidam tamen Patres non admittunt, quod huius Cantici Mosis nulla in Scripturis mentio. Atqui nulla etiam Scriptura docet sancti Iob historiam a Mose conscriptam: neque id prohibuit quominus a plerisque Mosi tribuatur. Quod de hoc Cantico longe est æquius, favente titulo. REFUGIUM, *habitaculum*, Hier. Deus enim in nobis, & nos in Deo, ut passim Scriptura docet. De primis Psalmi versibus comm. Hierony. *Narraturus tristia, ac genus deploraturus humanum, a laudibus Dei incipit: ut quidquid postea homini acciderit; non creatoris duritia, sed eius qui creatus est culpa, accidisse videatur.*

V. 3. NE AVERTAS, &c. *convertens hominem ad contritionem*: Hier. comminuens & reducens ad pulverem. ET DIXISTI: CONVERTIMINI, &c. *Et dicens*: *Revertimini filii Adam*: Hier. contritum, & comminutum ex pulvere iussu tuo exsuscitas, Sic Psal. CIII. 29. 30.

V. 4. QUAE PRAETERIIT: mille anni non tantum sicut una dies, sed tamquam dies quæ præteriit. Quod enim tam rapide effluit, ita considerandum tamquam iam effluxerit. CUSTODIA, vigilia noctis, Hier. Noctem per vigilias quatuor dividebant. Sensus ergo est: Quid est vita nostra? fac nos vivere nongentos, eoque amplius annos, ut Adam, & prisci mortales: fac ad mille annos vitam protrahi: mille anni dies unus, isque prope iam elapsus: quid autem dico, Dies unus immo pars exigua noctis.

V. 5. QUAE PRO NIHILO HABENTUR: tota vita humana nihil: At Hier. *Percutiente te eos somnium erunt. Inundasti eos: somnus* erunt. Heb. fluvii instar exundantis abripuisti eos, & fugerunt ab oculis velut somnium: somno citius dissipati sunt.

V. 6. MANE SICUT HERBA TRANSEAT: Totus versus ex Hier. DECIDAT deest. Heb. *Mane*: ne integro quidem die floremus: in ipso initio tabescimus.

V. 7. QUIA DEFECIMUS IN IRA TUA. Iam ad causam tot malorum convertitur, nempe ad iram Dei tot sceleribus concitatam: cumque genus humanum iam inde ab initio miseriæ addictum sit, hinc patet quam gravis ira Dei pridem nobis incumbat, inter ipsa initia admisso peccato.

V. 8. POSUISTI INIQUITATES NOSTRAS IN CONSPECTU TUO; instar iudicis ad certam quamdam causam animum advertentis, ac reum statim punituri. *Iniquitates* autem, *occulta*, Heb. *negligentias*, Hier. vertit; alibi *errores*, *ignorantias*, in interpret. huius Psal. epist. ad Cyp. Sensus est: Ex anteacta, & tam rapide elapsa vita, hoc unum reliqui, peccata multa scilicet. & iusti supplicii meritum.

V. 9. QUONIAM OMNES, &c. *Omnes enim quasi sermonem loquens*, ex Hier. hoc est, anni nostri dicto citius transierunt; immo cogitatione citius: sermo enim etiam de cogitatione sumitur. SICUT ARANEA deest Heb. Pro sermone loquentis, LXX. meditationem araneæ transtulerunt. Quomodo enim loquentis sermo prætervolat, ita opus araneæ incassum texitur. *Telas araneæ texuerunt* (Isa. LIX. 5.) Comm. Hieron.

V. 10. DIES ANNORUM NOSTRORUM IN IPSIS; id est, diebus annorum nostrorum sunt SEPTUAGINTA ANNI: hæc vitæ nostræ summa. SI AUTEM IN POTENTATIBUS. *Si autem multum*, &c. Hier. id est, quod excedit Septuag. annos, vix in vita numerandum; tanta infirmitas est: sint ad summum octoginta fere anni: quod amplius, non vita, sed labor dolorque est. Alii ex Heb. *Dies annorum nostrorum septuaginta anni*: si autem in vigore sit aliquis, si firmiore utatur valetudine,

ccto-

OCTOGINTA ANNI, &c. SUPERVENIT MANSUETUDO, &c. Ipsa benignitas Dei vitæ spatium prorogantis nobis probro, ac reprehensioni vertet, postquam tempore ad pœnitentiam dato, ad peccandum abutimur. At Hier. *Transibimus cito*, &c. *resecamus & avolamus*, Heb. sicut aves resecto filo, sic vita nostra avolat: vel fili instar vita nostra succiditur, evanescit.

V. 11. QUIS NOVIT POTESTATEM IRAE TUAE, ET PRAE TIMORE TUO IRAM TUAM DINUMERARE. Quis valet ira te timere ac dignus es? tantique quanti est, æstimare iram tuam. Hier. vero LXX. & Theodor. dinumerare ad sequentem versum referunt sic:

V. 12. DINUMERARE DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC, &c. *Ut numerentur dies nostri, sic ostende, & veniemus corde sapienti*: Hier. ostenso nobis a te vitæ nostræ spatio, erimus cautiores.

V. 13. USQUEQUO? supple, non reverteris.

V. 14. REPLETI SUMUS, &c. *Imple nos matutina*, &c. Hier. Notat etiam Theodor. tempus esse mutatum a LXX. matutina autem misericordia est prompta grataque, ut matutinæ horæ post noctem.

V. 15. LAETATI SUMUS: *lætifica nos*, Hier. pro malis bona retribue.

V. 16. RESPICE IN SERVOS TUOS: *appareat*, &c. Hier. id est, appareat servis tuis. DIRIGE FILIOS: ET GLORIA TUA SUPER FILIOS: Idem: ostende vim, & gloriam tuam in liberandis servis tuis, eorumque familia tot malis eruenda.

V. 17. Dirige, confirma, *fac stabile*. Hier.

PSALMUS XC. CONSOLATORIUS.

Vir bonus, Deoque confisus, ab omni periculo tutus. Videtur etiam esse Mosis. Potest enim convenire populo in deserto laboranti, & Dei præsidio indigenti. Sine titulo in Hebræo.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA:
Psalmus.	Laus Cantici David.
QUi habitat in abscondito excelsi: in umbraculo Domini commorabitur.	1. QUi habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.
Dicens Domino, Spes mea, & fortitudo mea: Deus meus confidam in eo.	2. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.
Quia ipse liberabit te de laqueo venantium: de morte insidiarum.	3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.
In scapulis suis obumbrabit tibi, & sub alis eius sperabis: scutum & protectio veritas eius.	4. Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.
Non timebis a timore nocturno: a sagitta volante per diem.	5. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno.
A peste in tenebris ambulante: a	6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris mor-

morsu insanientis meridie,

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis videbis, & ultionem impiorum cernes.

Tu enim es Domine spes mea: excelsum posuisti habitaculum tuum.

Non accedet ad te malum, & lepra non appronpiquabit tabernaculo tuo.

Quia angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendat ad lapidem pes tuus.

Super aspidem & basiliscum calcabis: conculcabis leonem & draconem.

Quoniam mihi adhæsit, & liberabo eum: exultabo eum, quoniam cognovit nomen meum.

Invocabit me, & exaudiam eum, cum ipso ero in tribulatione: eruam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum implebo eum, & ostendam illi salutare meum.

gotiò perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.

7. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

8. Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

9. Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

10. Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

11. † Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

12. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

13. Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

15.* Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Futurum *clamabit* præferendum est præterito *clamavit*.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te.* Futurum *mandabit* præferendum videtur præterito.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUI HABITAT IN ADIUTORIO ALTISSIMI, &c. Hebr. *in abscondito, in latibulo, in umbra omnipotentis commorabitur.*

V. 2. DICET DOMINO. Hebr. אמר, *dicam*. Melius legerunt Sept. אמר, εἶπε.

V. 3. LIBERABIT ME DE LAQUEO VENANTIUM. Hebr. *te*; sed positum est pro *me*. Legitur enim de seipso per secundam personam. ET A VERBO ASPERO. Hebr.

a pe-

a peste contritionum, id est a peste grassante. Sept. legerunt דבר.

V. 4. SCAPULIS SUIS OBUMBRABIT TIBI. Hebr. *Alis suis protegit te*.

V. 5. SCUTO CIRCUMDABIT TE VERITAS EIUS. Hebr. *Scutum, & clypeus veritas eius*.

V. 6. A NEGOTIO PERAMBULANTE IN TENEBRIS, &c. Hebr. *A peste, quæ ambulat in tenebris* (pestem autem vocat venenatas bestias, quæ noctu vagantur) *a morsu grassante meridie*; hoc est, securus eris ab omni re quæ sive nocte, sive die nocere potest. Declarat singularem Dei providentiam erga suos.

V. 9. POSUISTI REFUGIUM TUUM. Hebr. *habitaculum tuum*.

V. 10. ET FLAGELLUM, Hebr. *plaga*.

V. 13. SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS. Hebr. *Super leonem*.

S A.

De fiducia in Deum.

Vers. 1. IN PROTECTIONE, &c. pro, qui in protectione eius commoratur.

V. 2. SUCEPTOR, id est defensor. Hieron. *spes*. Chald. *fiducia*. SPERABO. Hieron. & Chald. *confidam*.

V. 3. LIBERAVIT ME. Græc. Hieron. & Chald. *liberabit te*. VERBO ASPERO, id est calumnia, vel a re noxia.

V. 4. SCAPULIS, pro brachiis, seu alis. OBUMBRABIT, id est teget, seu defendet. PENNIS. Hieron. *alis*. SPERABIS, id est confides, seu tutus eris.

V. 5. SCUTO; pro, velut scuto. VERITAS, id est fides, seu cura fidelis. TIMORE NOCTURNO, id est iis quæ noctu solent timeri.

V. 6. NEGOTIO, id est molestia. Hieron. *peste*. Chald. *morte*. MERIDIANO, id est aperte oppugnante.

V. 7. LATERE, scilicet sinistro. MILLE, scilicet percussi peste, vel gladio. *Mille* autem pro multis positum, & *decem millia* pro multo pluribus. APPROPINQUABIT, scilicet malum illud, seu pernicies.

V. 9. QUONIAM, scilicet dixisti apud te. ALTISSIMUM, id est Deum. Græc. τὸν ὕψιστον.

V. 10. MALUM, id est incommodum, seu nocumentum. FLAGELLUM. Hieron. *lepra* Chald. *plaga*.

V. 11. MANDAVIT. Græc. Hieron. & Chald. *mandabit*.

V. 12. IN MANIBUS. Chald. *fortitudine sua*. LAPIDEM. Chald. *cupiditatem pravam similem lapidi*. PEDEM, id est affectum.

V. 13. ASPIDEM, &c. Per hæc quatuor animalia diabolus intelligitur.

V. 14. NOMEN MEUM, id est me.

V. 15. CLAMABIT AD ME, &c. Hier. *Invocabit*. Chald. *Orabit*. SUM, pro ero.

V. 16. SALUTARE, id est salutem æternam intelligit. MEUM, id est a me datam.

E S T I I.

Vers. 1. QUI HABITAT IN ADIUTORIO ALTISSIMI, IN PROTECTIONE DEI CAELI COMMORABITUR. Hic statim occurrit dubitatio, quomodo hæc duo membra huius primi versiculi inter se differunt? Videlicet habitare in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commorari: Nam videntur hæc eadem esse. Quidam hoc modo distinguunt: ut prius pertineat ad motum hominis in Deum per spem & fiduciam; posterius autem ad opem Dei hominem protegentis, ut sit sensus: Qui firmam fiduciam collocat in Deo, confidens de eius adiutorio, is a Deo protegetur, & sub eius protectione tamquam in arce quadam tutus & securus commorabitur. B. Augustinus primam partem iungit cum sequenti, tamquam ab ea pendentem hoc modo: Qui habitat in adiutorio Altissimi, & commoratur in protectione Dei cæli, ille dicet Domino, *Susceptor meus es tu*, &c. Atque ita sensus est non multum diversus, videlicet, quod qui firmam spem in Deo & in eius auxilio collocat, is in omni angustia Deum confidenter invocabit.

V. 3. LIBERAVIT ME DE LAQUEO VENANTIUM, ET A VERBO ASPERO. Ibi, *A verbo aspero*) verbum pro re sumitur, phrasi Hebraica. Itaque verbum asperum, est res quæcumque aspera, & molesta. Et simili modo intelligitur quod sequitur versu 6. *a negotio perambulante in tenebris*. Nam pro *negotio*, eadem vox est, quam supra Septuaginta vertunt *verbum*, & res

res quæcumque significatur. Igitur negotium ambulans in tenebris, est res quæcumque lædens, vel nocens in tenebris. Sciendum tamen vocem Hebraicam utroque loco esse ambiguam, prout diversis punctis signatur. Septuaginta sic acceperunt, ut verbum, id est rem significet. Hieronym. & alii posteriores aliter punctant, ut significet mortem vel pestem. Et secundum illam interpretationem sensus adhuc clarior est Sic enim Hieron. vertit, pro (*verbo aspero*) *A morte insidiarum*. Et pro (*negotio perambulante in tenebris*) a peste in tenebris ambulante.

MARIANAE.

Laus Cantici David. Heb. sine titulo est. Quos Deus protegit, securos ab omni malo esse.

V. 1. Qui habitat in adiutorio. Hebr. *Qui habitat in latibulo*; id est qui Deum protectorem habet, illi fidit. In protectione. Heb. *in umbra*. Commorabitur. Hebr. *pernoctabit*; id est, eius tutela securus aget.

V. 2. Dicet Domino. Hebr. *Dicam Deo.* Sed loquitur de se in persona pii cuiuslibet. Susceptor meus, id est adiutor. Hebr. *munitio mea*, scilicet es.

V. 3. Et a verbo aspero. Heb. *& a peste contritionum*, id est conterente, *liberabit me*. Hieron. *de morte insidiarum*. Vocem דבר Septuag. legerunt *dabar*, id est *verbum*; Hebræi *deber*, id est *pestem*. Quo ad sententiam non refert.

V. 4. Scapulis suis. Heb. *Ala sua*. Sperabis, id est confides: nullum timebit ea tutela tutus.

V. 5. Scuto circumdabit te. Hebr. *Scutum & parma*. Hieron. *Scutum & protectio*, scilicet est. Veritas eius, id est promissorum fides data piis. A timore nocturno, id est spectris, quæ noctu terrent, non timebis.

V. 6. A sagitta volante in die, id est a subito periculo. A negotio perambulante in tenebris, id est a fraudibus, & insidiis. Hebr. *a peste* (quæ) *in tenebris ambulat*, id est ex occultis caussis, eoque remedio difficiliori. Quod vers. 4. dictum est, hic repete, Septuag. legisse *dabar*, id est *negotium*, ubi modo legit ur *deber*, id est *pestis*. Ab incursu, et daemonio meridiano. Heb. *ab excidio* (quod) *vastat in meridie*, id est, peste quæ aperte grassatur, non ab occultis causis. Chald. ab illis verbis, *A timore nocturno*, ponit: *A timore dæmonum, qui ambulant in nocte, a sagitta angeli mortis, quam emittit interdiu. A morte in tenebris ambulante, a caterva dæmonum qui grassantur in meridie*. Sententia utriusque vers. 6. & 7. ea est: Virum qui Deum protectorem habet, fore a malis omne genus tutum.

V. 7. Cadent; id est, non solum a malis liberaberis, sed & hostibus superior eris. A latere, scilicet sinistro: sic *latus* absolute positum, sinistrum significat. *Unus militum lancea latus eius aperuit*: Ioan. xix. 34. scilicet *sinistrum*. Pictores dextrum pingunt vulneratum. De qua re Lucas Tudensis contra Albig. Libr. II. cap. xi. plura, fortassis etiam veriora. Mille, et decem millia. Certus numerus pro indeterminato & magno. Per *sinistram* adversa possunt intelligi, per *dexteram* prospera, quæ pluribus quam adversa afferunt ruinam. Ad te autem non appropinquabit, scilicet telum ullum, aut pestis.

V. 8. Verumtamen oculis tuis considerabis. Hebr. *Tantum oculis stragem videbis*, scilicet te nihil faciente aut moliente.

V. 9. Quoniam, pro vere. Altissimum posuisti refugium tuum. Heb. *habitaculum tuum*. Ibi pii habitant, ut mirum non sit tutos a malis esse.

10. Non accedet, aut accidet malum Et flagellum, sive plaga, afflictio, Non appropinquabit. Tu & omnes tui a malis immunes eritis. Verba sunt Prophetæ ad quemque e piorum numero.

V. 11. In omnibus viis tuis, id est actionibus, custodient te Angeli.

V. 13. Super aspidem. Hebr. *saphal*, id est *leonem senem*. Basiliscum. Hebr. *aspidem*. Ambulabis. Hebr. *calcabis*. Leonem. Vox Hebr. *caphur* significat *leonem iuvenem*.

V. 14. Quoniam in me sperabit, liberabo eum. Hebr. *avide concupivit*. Nomen meum; id est, me cognovit.

V. 15. Cum ipso sum. Hebr. *Cum ipso ego*, scilicet ero. Et glorificabo eum, id est gloriosum reddam.

V. 16.

V. 16. Longitudine dierum: vitam longævam concedam. Et quoniam vita longæva non semper est optanda, addit: Et ostendam illi salutare meum? id est, dabo illi salutem corporis, ut senectus sit valida; & animæ, ut cum annis melior evadat.

MALVENDAE.

Vers. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, &c. Heb. caret hic Psalmus inscriptione: plerique David tribuunt: Hebræi auctorem eius, ut præcedentis, faciunt Mosen. Quidam reddunt: *Confidens in latibulo Altissimi.* Alii: *Habitans in penetralibus Altissimi.* Nonnulli: *Sedens in abdito Excelsi.* In protectione Dei caeli commorabitur. Alii: 1. *Sub umbra omnipotentis versatur*; 2. *in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctans*; 3. *illius tutelam suscipiet omnipotens Deus, & tuto versabitur inter pericula vitæ huius.* Notant, toto hoc Psalmo esse voces emphaticotatas, ad fidem piorum, & beneficia Dei exaggeranda; ut quod in ipso limine dicit Psaltes pium confidere & pernoctare apud Deum; quasi dicat: Diem, noctemque in Deo conquiescere fide, neque de ullo humano casu laborare; ut pulli sub alis matrum securi latere solent.

V. 2. Dicet Domino. Hebr. quidam legunt participium אומר *omer*, quod ad primam & secundam personam referri potest: *Dicens* ego, vel ille, *habitans in latibulo Altissimi:* exemplaria constanter habent futurum primæ personæ, אומר *omar*, *Dicam ipsi Iehveh.* Quidam: *Dico, in Iehova est receptus meus*, &c. id est, prædico & confirmo ab exemplo meo. Alii: *Illi dicam de Iehova meo*, &c. id est, ausim ei polliceri de Iehova, nempe id, quod versu sequente dicitur, ubi sententia perficitur. Nonnulli: *Quare & ego persuadere mihi audebo de Iehova, quod spes mea ipse sit*, &c.

V. 3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Hebr. enallage personæ: *Quia*, vel *quod*, *ipse eruet te de laqueo aucupantis.* Alii: *Quandoquidem ipse erepturus est te a laqueo aucupantis.* Accommodatio exempli sui ad fideles; qua ostendit Psaltes tantum ipsis videndum esse, ut confidant Deo, ac proinde fore ut non tantum liberentur a malo, verum etiam spernant, & triumphent de malo. *A laqueo aucupis*, vel *venatoris*, id est ab omni periculo quod tibi creabitur; Et a verbo aspero. Hebr. *a peste malorum eventuum.* Varie alii: 1. *a peste fallaciarum*, enallage, a fallaciis pestiferis. 2. *a peste contritionum*; 3. *a lue corruptionum*; 4. *a peste calamitatum, infortuniorum, ærumnarum*, id est calamitosissima, infortunatissima, ærumnosissima; 5. *a peste pravitatum, exitiorum*, id est quamtumvis pessima, & exitiosa. Vide voce חוות *havuoth* in Iob VI. 2.

V. 4. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis. Quidam ex Hebr. *Ala sua protecturus te, cum sub alas ipsius te receperis*; id est, defendet te ab omni malo, ut explicatur usque ad vers. 14. Scuto circumdabit te veritas eius. Hebr. *Clypeus, & parma est fides ipsius.* Quidam exponunt: *Clypeus & septum, aut munimentum ambiens, & circumtegens ab hostium iniuria:* nam sic accipi non minus commode hanc vocem סוחרה *socherah*, ostendit etymologia, *fides ipsius*, id est constantia, veritasque promissionum; quæ summatim comprehenduntur tribus postremis versibus. Alii, *fides eius*, id est fidelis cura & protectio eius.

V. 5. Non timebis, vel *ne timeto* sed confide eis; prout Psaltes in se ipso confidentiæ exemplum statuit supra vers. 2. A timore nocturno, &c. Hebr. *a pavore, terrore, noctis*, &c. Exponunt, id est ab ullis apertis, occultis, internis, externis, corporeis, aut spiritalibus malis, ullo umquam tempore, hoc versu, & sequente.

V. 6. A negotio perambulante in tenebris. Hebr. *a peste in caligine, quæ ambulabit.* Alii, *a peste, quæ in obscuro grassatur.* Nonnulli, *a peste, quæ clam invadere homines solet*, vel quæ noctu viget, ex antithesi sequentis membri. Forte eam pestem intelligit, quæ latenter pervadit, nulla morbi manifesta causa, aut remedio, ut solet plerumque accidere. Ab incursu, et Daemonio meridiano. Hebr. *a* קטב *Keteb, qui vastabit meridiebus.* Noster *Keteb*, *incursum*; futurum vero ישוד *iaschud pervastabit*, pro nomine accepisse videtur, *dæmonium:* nam a devastan-

vastando, cacodæmones dicuntur שדים *schedim*, Deuteronom. xxxii. 17. De notione vocis *Keteb* differuimus late in Deuteronom. xxxii. 24. Hic varie reddunt. I. *ab. incisione, quæ diruet meridie*. II. *ab exterminio, quod devastat meridie*. III. *ab exterminatore; qui exterminat meridie*. IV. *a morsu, qui vastat meridie*. V. *ab excidio, exitio, quod vastabit meridie*. VI. *a peste, lue, morbo exitiali, qui grassatur, quando solis calor est ardentissimus, ac vehementissimus*. VII. *ab evulsione*; id est a luce subito evellente, qualis est aut febris maligna, aut pestis, aut apoplexia, aut mors subitanea, *quæ vastat in meridie*. Plinius Lib. VII. cap. I. *Observatum, a meridianis partibus ad occasum solis pestilentiam semper ire*. VIII. *A noxa devastante meridie*. Nonnulli Hebræorum *Keteb*, nomen dæmonis exitialissimi esse volunt, qui meridie potissimum grassetur. Id LXX. & Noster secuti sunt. Interpres Aristophanis in Ranis, *Dæmonium meridianum* vult esse ipsam *Empusam*, quæ meridianis horis apparere solebat iis qui manibus parentabant; de qua vide ipsum Aristophanem in Ranis, Philostratum Lib. II. de vita Apollonii, cap. II. & Suidam, item & Lilium Gyraldum syntagm. xii. de diis Gentium, & Erasmum Chiliad. II. centur. II. adagio 74.

V. 7. Cadent a latere tuo (sinistro usu linguæ ex sequenti antithesi millia, &c. Sensum cuius versus ita fere concipiunt: Videbis passim, vel prælio vel, peste, vel alio casu multa hominum millia circum te cadere, misereque perire; tu vero nihil incommodi capies, sed securus manebis. Ad te autem non appropinquabit, supple telum ullum, aut pestis, vel incommodum: permanebis illæsus. Quidam reddunt: *Cadant licet a latere tuo mille, &c. ad te tamen non pertinget malum*.

V. 8. Verumtamen oculis tuis considerabis. Heb. *Tantum oculis tuis aspicies*; quasi dicat: Te nihil moliente aut agentes, sed tantum spectante, *retributionem impiorum videbis*. Quidam: *Tantum oculis tuis intueberis*, non autem senties ea incommoda quibus alios ante oculos tuos, & ad latera tua videbis opprimi. Nonnulli versum ita reddunt. I. *At impiorum multam videbis, & inspicies tuis ipsius oculis*. II. *Quin potius oculis tuis videbis prœliantem pro te Deum: & impios pœnas dare securus aspicies*. III. *Dumtaxat talionem impiis reddi videbis, & inspicies tuis ipsius oculis*.

V. 9. Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum. Hunc versum ambiguum varie elucidant I. *Quoniam tu*, o pie, dixisti: *Iehovah protectio mea: Excelsum*, id est Deum excelsum, *posuisti habitaculum tuum*. II. *Quoniam tu Iehovam, qui tutela mea est, & est etiam Altissimus: posuisti habitaculum tuum*: vel, *Cum tu Iehovam, Deum receptus mei, Excelsum statueris habitaculum tuum*: seu *Cum tu Iehovam receptum, protectionem meam: Excelsum posueris*, &c. ut totus versus ad hominem pium dirigatur: *habitaculum tuum*. Vide Psal. lxxxix. vers. I. III. *Merito ergo omnis fiducia mea sita est in te Domine: quisquis igitur sapis, Dominum qui est supra omnia, velut tutissimum asylum ante oculos tibi propone*: ut prior pars versus ad Deum dirigatur; secunda ad pium; quasi dicat: O tu Iehova, protectio mea es: quare exemplo meo, o tu pie, altissimum Deum pone asylum tuum: qui videtur sensus LXX. & Nostri. עליון *ghelion*, hic plerique masculine pro proprio Dei attributo accipiunt: Vide in Genes. xiv. vers. 18. quod plane LXX. & Noster sequuti sunt. Quidam exponunt: *Quia tu Iehova Christe, spes mea es: Altissimum*, id est Patrem tuum, *posuisti habitaculum tuum*, nam in sinu Patris habitas. Alii, pro communi & appellativo, ut sit neutrum adiectivum *refugii*, seu *habitaculi*, & totus versus dirigatur ad Deum: *Tu enim Iehova securitas mea es, qui in edito loco constituisti asylum habitaculi tui*: vel, *Tu Domine constituisti celsissimam habitationem tuam*: quem sensum Chaldæus Interpres secutus est.

V. 10. Non accedet ad te malum. Varie alii ex Heb. I. *Non accidet, occurret, eveniet ad te malum*. II. *Non impetu vehetur ad te malum*. III. *Non causabitur ad te malum*. IV. *Non dabitur occasio, ut attingat te malum*. *Non temere veniet ad te malum*. VI. *Non futurum, ut ullum inopinatum malum te corripiat*. VII. *Non adnatabit, adnavigabit, advehetur, ad te malum*. De significato verbi אנה *anah* vide in Exod. xxi. vers. 13.

V. 11.

V. 11. QUONIAM ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE. Heb. futurum *mandabit*; id eſt, non tantum ipſe operabitur ad ſalutem tuam, ſed etiam, cum opus erit, cælites adminiſtros ſuos adhibebit ad conſervandum te. UT CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS. Quidam: *Ut conſervent te in omnibus viis tuis*, ſcilicet ambulantis, conſidentis, pernoctantis, & conquieſcentis in Deo, pro vocatione tua, vel in omnibus actionibus, & rationibus, in omnibus, quæ geſſeris in honorem Dei, & fructum proximorum. Hæc diſſimulabat diabolus, cum ſolicitaret Chriſtum, Matth. IV. 6.

V. 13. AMBULABIS, vel *incedes*. Exponunt, nimirum ſine damno, & offenſa: ut Iſaias ſimile predicat de regno Chriſti, cap. 11. verſ. 6. & ſeqq. & Hoſeæ 11. 18. Alii per metalepſim: *Incedes*, imperabis eis, tibi obedient: vel proculcabis, & obteres, ac perdes, incedens ſuper eos. ET CONCULCABIS LEONEM ET DRACONEM; id eſt, ſuperata omnia mala contemnes, & triumphabis de illis. Similes promiſſiones vide Marc. XVI. 18. & Lucæ X. 19.

V. 14. QUONIAM IN ME SPERAVIT. Verbum חשק *chaſchak* varie hic reddunt. I. *Quoniam in me deſideravit*. II. *Quoniam me intenſe dilexit*. III. *Quoniam in me complacuit ſibi*. IV. *Quoniam me valde amat, deperit, vehementer concupiſcit, ardet*. V. *Quoniam mihi adhæſit*. VI. *Quoniam me amplexus, complexus eſt*. VII. *Quia in me, inquit, Deus amore propendet*, &c. Hoc verſu, & duobus ſequentibus continentur promiſſiones Dei, in nomine ipſius, quarum fidem commendaverat Pſaltes ſupra verſ. 4. PROTEGAM EUM. Hebr. *Exaltabo eum*. Quidam: *Superiorem eum faciam*. Alii: *In edito collocabo eum*, id eſt in loco alto, tuto, inacceſſo hoſtibus: ſupra omne periculum eveham. Nonnulli: *Stabilem & inconcuſſum illum reddam*.

V. 15. ET GLORIFICABO EUM. Alii: *Magnificabo eum*, vel *honoratum faciam eum*, ſeu *honore afficiam eum*.

V. 16. ET OSTENDAM ILLI SALUTARE MEUM. Quidam: *Et oſtendam illi quibus modis beare ſoleam amicos meos*. Alii: *Denique efficiam ut fruatur ſalute mea*, & præſente, & futura æterna.

MENOCHII.

LAUS CANTICI DAVID. *Laus cantici*, idem eſt quod *Pſalmus cantici*. Quid autem ſit *Pſalmus cantici*, diximus ad titulum Pſalmi XXIX.

V. 1. QUI HABITAT IN ADIUTORIO ALTISSIMI: qui Deum habet adiutorem, eius protectione, & tutela ſecurus.

V. 2. DICET DOMINO: dicere poterit Domino. SUSCEPTOR MEUS, defenſor meus: Divus Hieron. vertit *ſpes*.

V. 3. DE LAQUEO VENANTIUM, a clandeſtinis hoſtium inſidiis. ET A VERBO ASPERO, a re aſpera: *Verbum* enim phraſi Hebraica frequentiſſime rem ſignificat. *Verbum aſperum* ſignificare poteſt quodlibet periculum, aut malum.

V. 4. SCAPULIS SUIS OBUMBRABIT TIBI. Hebr. habet: *In ala ſua obumbrabit tibi*. Proteget te ut gallina, aut aquila, alis ſui favoris, & auxilii. SPERABIS ſalutem.

V. 5. SCUTO: tamquam ſcuto, aut clypeo te defendet omni ex parte. VERITAS EIUS, fidelitas eius, quæ te in eum ſperantem numquam deſeret. NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO, a terriculamentis nocturnis. In nocte adverſitatis noxia non formidabis. Non timebis occultas inſidias hoſtium.

V. 6. A SAGITTA VOLANTE IN DIE. Fortaſſe ſubita, & inopinata mala intelligit: vel ea quæ in nos palam incurrunt. A NEGOTIO PERAMBULANTE IN TENEBRIS. In Hebr. eſt *a peſte*, hoc enim ſignificat דבר *deber*; ſed Septuag. legerunt דבר *dabar*, quæ vox negotium, aut rem ſignificat. *Negotium perambulans* in tenebris idem eſſe videtur cum *timore nocturno*, de quo verſiculo ſuperiore, quemadmodum *incurſus, & dæmonium meridianum*, idem cum *ſagitta volante in die*, ut ſit eiuſdem ſenteutiæ repetitio. INCURSU, adverſariorum palam nocere ſtudentium. DAEMONIO MERIDIANO, a manifeſta ſævitia diaboli, aperte, & quaſi meridie in nos incurrente.

V. 7. CADENT, &c. Sagittæ cadent iuxta te, nec te vulnerare, aut leviter poterunt perſtringere. Vel ſenſus: Cadent hoſtes, quos omni ex parte proſternes. A LATERE TUO, a latere ſiniſtro. NON

APPROPINQUABIT, ne una quidem sagitta, aut hostis.

V. 8. VERUMTAMEN OCULIS TUIS CONSIDERABIS: quin potius tuis oculis securus aspicies. RETRIBUTIONEM PECCATORUM, pœnam, quam rependit, & retribuit Dominus peccatis eorum.

V. 9. QUONIAM TU ES DOMINE SPES MEA. Hinc tibi securitas proveniet, quia posuisti spem tuam in Domino, & dixisti: *Tu es Domine spes mea*. ALTISSIMUM POSUISTI REFUGIUM TUUM: & quia voluisti altissimum Deum esse refugium tuum, propterea NON ACCEDET AD TE MALUM.

V. 10. FLAGELLUM NON APPROPINQUABIT TABERNACULO TUO: plaga, aut calamitas familiam tuam non infestabit.

V. 11. QUONIAM ANGELIS SUIS, &c. Ratio securitatis est Angelorum custodia. IN OMNIBUS VIIS TUIS, in omnibus actionibus tuis.

V. 12. IN MANIBUS PORTABUNT TE: regent & deducent te securum, & tutum præstabunt, ac si te in manibus ferrent. NE OFFENDAS AD LAPIDEM: ne detrimentum aliquod, licet exiguum, patiaris.

V. 13. SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM, &c. Nec feræ bestiæ, nec diabolus, qui illis significatur, tibi nocere poterunt.

V. 14. COGNOVIT NOMEN MEUM: cognovit me, bonitatem, & potentiam meam, ideoque me invocavit, & ego eum eripiam.

V. 16. LONGITUDINE DIERUM, vitæ diuturnitate. SALUTARE MEUM, salutis illius participem faciam, quæ a me solo contingere potest. Vel Christum salvatorem illi ostendam.

TIRINI.

Vers. 3. A VERBO ASPERO. Hieron. *a morte insidiarum*; Chald, *a morte & tumultu*; Hebræi, *a peste exitiali*, pro דבר *dabar*, id est *verbum*, legentes דבר *deber*, id est *pestis*. Potest vero intelligi in genere, a quavis re noxia. Sanctus Bernardus: Multi timent tamquam asperum verbum, *Agite pœnitentiam*; sed asperius erit. *Ite maledicti in ignem æternum*.

V. 4. SCAPULIS, id est brachiis, vel alis. Hebr. *pennis expansis*, sicut gallina protegit & fovet pullos suos. Ita sanctus Augustinus.

V. 5. Quasi SCUTO CIRCUMDABIT TE VERITAS EIUS, id est verax & fidelis cura Dei, ut timere non debeas terricula nocturna, nempe

V. 6. A SAGITTA VOLANTE, id est a subitis & inopinatis casibus ac periculis, quæ instar sagittarum ex improviso involant, & enecant hominem, ut sunt veneficia sagarum, venena hostium, gladii latronum, subitæ pestes, & alii morbi. A NEGOTIO, id est molestia, PERAMBULANTE, seu occursante, IN TENEBRIS, id est occulte; verbi gratia, a lemuribus manibus, dæmonibus, aliisque spectris & terriculis, quæ domos, & plerumque noctu, infestare solent. In Hebræo rursum pro דבר *dabar*, id est *negotio*, ut legerunt Septuag. iam legitur דבר *deber*, id est *pestis*, quæ in tenebris occursare dicitur, quia ex causis occultis & incertis, eoque difficilior curatu. AB INCURSU ET DAEMONIO MERIDIANO. Hebr. *a morbo repentino*; Hieron. *a morsu insanientis meridie*; Chald. *a caterva dæmonum qui meridie grassantur*; vel a dæmone eiusque asseclis palam & media luce te oppugnantibus, verbi gratia, ab adulteris senibus qui Susannam: ab uxore Putipharis quæ Iosephum palam solicitabat ad scelus: item a tyrannis, ab hostibus, a bellis, a belluis, &c. Quasi dicat: Deo protectore tutus eris, nec timebis ab ullo genere mali, quod seu die, seu nocte; seu palam, seu occulte, seu publice, seu privatim; seu dæmon, seu homo tibi, seu scienti, seu non advertenti machinari possit. Ita fere S. Augustinus, Quin potius

V. 7. A LATERE TUO, scilicet sinistro, MILLE alii CADENT peste, gladio, vel alio casu, & longe plures A DEXTRIS TUIS, id est circum & iuxta te; te in medio telorum prorsus innoxio & intacto. Ita patuit in cæde Madianitarum tempore Gedeonis, Iudicum VII. decies centenorum millium AEthiopum sub Aza rege Iuda, II. Paralip. cap. XIV. tot millium Moabitarum sub Iosaphat, IV. Reg. III. centum octoginta quinque millium Assyriorum sub Ezechia, IV. Reg. XIX. &c.

V. 13.

V. 13. SUPER ASPIDEM, qui mordet alioquin calcaneum: super BASILISCUM, qui solo visu necat hominem, tutus incedes: & LEONEM, qui omnibus est horrori; & DRACONEM, qui omnibus exitio, quasi vermiculos, CONCULCABIS; quasi dicar: Nulli serpentes, nullæ feræ, nullæ belluæ, nulli diaboli, nulli tyranni, nullæ insidiæ tibi nocebunt Exemplo sit vipera Pauli, Actor. ultimo; ursi, & leones Davidis, Samsonis, Danielis, Noe in arca, & alii milleni. Sanctus Bernardus per hæc quatuor animantia intelligit diversos dæmones diversorum ingeniorum, & ad diversa scelera solicitantium, ut insinuatur Luc. XI. & de aliquibus egi Tobiæ III. 8. verbi gratia, *Aspis* est dæmon inspirans tristitiam, melancholiam, desperationem; *basiliscus* dæmon ingerens vanam gloriam, præsumptionem, affectum carnalem; *leo* superbiam, iram, vindictam: *draco* avaritiam, gulam, desidiam. Quos contrariis virtutibus supplantare & conculcare debemus.

GORDONI.

Titulus. LAUS CANTICI DAVID. Recte observant Interpretes, hunc Psalmum posse dici ἀνεπίγραφον, cum in Hebræo non sit titulus; & qui hic paucis Græcis codicibus reperiatur, stilum habeat dramaticum, ex varietate interloquentium, metaphoris abundantem, nec facilem. Cuius vero sit, dubium videri potest, ob id quod dixi ad titulum Psalmi præcedentis. Argumentum est adhortatorium, ad collocandam in Deo fiduciam.

Vers. 1. QUI HABITAT. ישב IN ADIUTORIO, Hebr. בסתר, *beseter*, IN PROTECTIONE, Hebr. בצל, *betsel*, *omnipotentis*, Hebr. שדי *waddai*, voces satis notæ sunt, nec valde peregrinam habent notionem a vocibus Vulgatæ editionis. Nomen סתר proprie est absconditum, & secretum, & proinde per metaphoram hac voce expresserunt Septuag. *adiutorium Dei*. Porro *betsel*, umbraculum est, quale habent pulli sub alis gallinarum. Sic Deus sub umbra alarum suarum protegit. Sic Septuag. *protectionem* dixerunt, apta metaphora. Denique *waddai* nomen Dei est, bene explicans potentiam huius magni potectoris.

V. 2. DICET DOMINO, &c. Varie hoc legitur; dicens, dixit, dicam. Septuag. poterant legisse יאמר *iomar*, in tertia persona. Hieron. legit אמר participium, cui proprium est posse coniungi cum variis personis & temporibus, dicens est, vel erit, dico, dicam; dicens sum, vel ero.

V. 4. SCUTO CIRCUMDABIT TE. *Circumdare* apud Hebræos est סחר: inde vero Septuag. legerunt וסחרך *uschorecha*, *circumdabit te*. Aliter Hieron. ex alia lectione סחרה *sechara*, *scutum*.

V. 5. A SAGITTA VOLANTE. Septuag. ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας; hoc est, a verbo adulantium, quod occidit ut sagitta: A NEGOTIO, ἀπὸ πράγματος. Septuag. legerunt דבר *davar*, significat verbum, vel rem omnem. AB INCURSU MERIDIANO. Est omnis occursus malus non cessans etiam in luce & meridie nocere. Totus versus, immo & Psalmus habet, ut paucis dicam, confidentem in Deo liberari ab omni periculo nocturno, & diurno.

V. 7. CADENT A LATERE TUO MILLE, hoc est multi; idque vel ob adversitatem, vel ob prosperitatem. *Mille a latere esse dicuntur, & decem millia a dextris*, quia plures obruit prosperitas, quam adversitas.

V. 10. NON ACCEDENT, &c. Non accedet aliunde ad te malum nocens insto; certe, si nemo lædatur nisi a semetipso. Immo non accedet malum culpæ, etiam in hac vita, ad iustum confidentem in Deo: non quidem, quod non peccet aliquando, saltem leviter; sed quia Dominus supponet manum suam, ut resurgens progrediatur ardentius; & tandem liber erit iustus a gravi peccato finali. Immo nec flagellis cedet. Sic ergo recte Septuag. μὴ προσελεύσεται τὰ κακὰ, in plurali.

V. 11. QUONIAM ANGELIS, &c. Sept. ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται, in futuro, *mandabit*, ut etiam in Hebræo יצוה *ietsaveh*. Plane evincit hic locus, dari Angelos custodes, bonos dico: nam dari a Deo malos etiam Angelos, qui tentent, error est Origenis, quem secutus est Cassianus coll. XIII. Error porro Calvini est, qui I. Instit. cap. XIV. negat dari bonos Angelos custodes, quem prolixe refutat hoc loco Lorinus. Sane præter hunc Scri-

pturæ locum manifestum, Patres passim hanc afferunt custodiam. Hieron. Matth. cap. XVIII. August. in Soliloquiis cap. XXVII. Bernard. ferm. XXXVIII. in Cant. Solus est Christus, qui licet uteretur ministerio Angelorum, tamen custodiente Angelo non egebat, utpote Angelorum Dominus. Vide S. Thom. I. P. quæst. CXIII. art. IV. ad I. Et hæc Propheta de bonis Angelis: subiungit versu inse quente de malis angelis superandis: nisi velis per quatuor illa animalia intelligere vitia quædam ex Bernardo, & aliis.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verf. 1. *usq. ad* 13. QUi habitat, &c. Nihil fere in hoc Psalmo est, quod ex ritulo iam explicato non sit clarum. Certe versus primus excitat insigniter ad fiduciam in Deo habendam: promittit enim protectionem Dei certam cuicumque homini habenti cum vera fide firmam, & constantem in Deo fiduciam. Rem subinde per longam malorum enumerationem declarat. Tutus, inquit, erit *a laqueo venantium*, hoc est a fraudibus, & dolo malorum hominum: item *a verbo aspero*, hoc est a conviciis, & detractionibus.

V. 13. *& seq. Super aspidem, &c.* Protegent, ut iam dixit, boni Angeli. Succumbent, ut nunc ait, devicti angeli mali. Dæmon astutus & ferox est: recte ergo per serpentem, & leonem denotatur. Tandem, ut concludit versu ultimo, iustus post hanc victoriam in terris, longa & æterna vita fruetur; & ostendetur ei salutare, seu Salvator eius regnans in gloria; ut hoc explicat Augustinus de Christo videndo oculis corporeis.

BOSSUET.

Verf. 1. IN ADIUTORIO, *in abscondito,* Hier. in loco inaccesso, & tuto.

V. 3. LIBERAVIT ME, *liberabit te*, Idem. A VERBO ASPERO, *de morte insidiarum*, Idem, de insidiis mortiferis.

V. 6. NEGOTIO, *peste*, Idem. Pestis autem pro pernicie sumitur. AB INCURSU MERIDIANO, *a morsu insanientium meridie*, Idem, id est serpentium, æstu rabidorum. Attende autem ad periculorum egregiam numerationem: non timebis nocturnos casus; non vim apertam interdiu; non insidias & machinationes occultas; non æstum intolerabilem & irritantem angues, a quibus omnibus Israelitæ liberati sunt. Pro anguibus meridie furentibus LXX. vertunt *dæmonium meridianum*, quod Theodor. interpretatur dæmonem incitantem libidines post satietatem ut sumptuosas epulas.

V. 7. AD TE AUTEM NON APPROPINQUABIT, supple interitus: in medio pereuntium Deus te præstabit incolumem.

V. 9. TU ES DOMINE SPES MEA; supple, quoniam dixisti: *Tu Domine spes mea*; hoc est, quia in Deo spem reponis omnem. ALTISSIMUM, Deum, POSUISTI, &c.

V. 10. FLAGELLUM, *plaga*, Hebr.

V. 11. ANGELIS SUIS, &c. Sic Exod. XXIII. 20. 23. *Mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiat in via*, &c.

PSAL-

PSALMUS XCI. MORALIS.

Die Sabbati in meditatione operum & consiliorum Dei Propheta acquiescit: eiusque magnitudine lætatur, malos dissipantis, bonos tuentis.

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus Cantici in Die Sabbati.

BOnum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & fidem tuam in nocte:

In decachordo & in psalterio, in cantico & cithara.

Quoniam lætificasti me Domine in opere tuo: in facturis manuum tuarum laudabo.

Quam magnificata sunt opera tua Domine: satis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget istud.

Germinaverunt impii quasi fenum, & floruerunt iniquitatem, ut conterantur usque in sempiternum.

Tu autem excelsus in æternum Domine.

Ecce enim inimici tui Domine: ecce inimici tui peribunt, & dissipabuntur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur quasi monocerotis cornu meum, & senectus mea in oleo uberi.

Et respiciet oculus meus eos qui insidiantur mihi, de his qui consurgunt adversum me malignantibus audiet auris mea.

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus Cantici, In die Sabbati.

2. BOnum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime;

3. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem;

4. * In decachordo, psalterio; cum cantico, in cithara.

5. Quia delectasti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.

6. Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

7. Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.

8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem:

Ut intereant in sæculum sæculi: 9. tu autem Altissimus in æternum Domine.

10. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: & senectus mea in misericordia uberi:

12. Et despexit oculus meus inimicos meos: * & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Iu-

Iuſtus ut palma florebit, ut Cedrus in Libano multiplicabitur.

Tranſplantati in domo Domini: in atriis Dei noſtri germinabunt.

Adhuc fructificabunt in ſenectute: pingues & frondentes erunt.

Annuntiantes quia rectus Dominus: fortitudo mea, & non eſt iniquitas in eo.

13. Iuſtus ut palma florebit: *ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.

14. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.

15. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi: & bene patientes erunt, 16. ut annuntient:

Quoniam rectus Dominus Deus noſter & non eſt iniquitas in eo.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 4. *In decachordo, pſalterio.* Crediderim, comma medium poſitum a Correctoribus loco coniunctionis *&*, quæ Hebraice inſeritur.

V. 12. *Et in inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* Non omittas alteram præpoſitionem *in* præpoſitam participio *inſurgentibus*.

V. 13. *Sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Non eſt præponenda coniunctio *&*.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 3. ET VERITATEM TUAM PER NOCTEM. Heb. *in noctibus*, per ſingulas noctes: ut Pſal. CXVIII. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi:* & Pſal. CXXXIII. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.*

V. 8. CUM EXORTI FUERINT PECCATORES SICUT FENUM, &c. Heb. *Cum germinaverint peccatores ſicut fenum, & floruerint omnes artifices iniquitatis, ut pereant uſque & uſque*; id eſt, eorum gloria cauſa erit interitus eorum: ut Pſal. XXXVI. 20. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

V. 11. ET SENECTUS MEA IN MISERICORDIA UBERI. Hebr. *Et inungar oleo viridi*, id eſt reiuveneſcam. Septuag. ſimilitudine verborum verterunt, ἐν τῷ γήρᾳ μου ἐν ἐλαίῳ πίονι.

V. 12. ET DESPEXIT OCULUS MEUS INIMICOS MEOS, &c. Heb. *Videbit oculus meus de inimicis meis, & de malignis inſidiantibus mihi audient aures meæ* (vindictam) ut Pſal. LIII. 9. *Super inimicos meos deſpexit oculus meus.*

V. 15. ADHUC MULTIPLICABUNTUR IN SENECTA UBERI, &c. Hebr. *Adhuc germinabunt* (vel fructum ferent) *in ſenectute, pingues ac virides erunt.* רעננים *florentes, virides*, Septuag. εὐπαθοῦντες, *beneaffecti*. Noſter, ad verbum, *bene patientes*.

V. 16. QUONIAM RECTUS DOMINUS DEUS NOSTER, &c. Heb. *Quod rectus eſt Dominus, fortitudo mea, in quo non eſt iniquitas.*

S A.

De laude Dei.

Verſ. 1. DIE SABBATI, ſcilicet cantandus.

V. 2. BONUM, id eſt æquum. CONFITERI, id eſt laudare.

V. 3. AD ANNUNTIANDUM, id eſt ut annuntietur. VERITATEM. Hieron. *fidem*, ſcilicet in promiſſis. PER NOCTEM: coniungendum etiam cum *miſericordia*; ſicut & *mane* etiam cum *veritatem*: ſcilicet utrumque die & nocte annuntiandum.

V. 4. DECACHORDO, id eſt decem chordarum, ſcilicet inſtrumento. PSALTERIO. Hieron. *& pſalterio*: ſcilicet aliud inſtrumentum ſignificatur.

V. 5.

V. 5. Factura. Hieron. *opere*. Chald. *operibus miraculorum*, scilicet eorum consideratione.

V. 6. Magnificata. Chald. *magnifica*; quasi dicat, excellentia. Cogitationes; quasi dicat; consilia.

V. 7. Haec, scilicet quæ dixi, vel statim dicam.

V. 8. Apparuerint. Chald. *floruerint*. Iniquitatem. Chald. *falsitatem*. Ut intereant. pro, paulo post interibunt. Saeculum saeculi. Hieron. & Chald. *sempiternum*.

V. 10. Dispergentur. Hieronymus, *dissipabuntur*. Chaldaice, *segregabuntur a congregatione iustorum in sæculo venturo*.

V. 11. Cornu, id est robur. Mea, scilicet erit. Uberi, id est copiosa; quasi dicat: Usque in senectam me Deus misericorditer proteget.

V. 12. Despexit, id est vidit. Inimicos, scilicet perire. Chald. *vidit inimicorum meorum interitum*. Insurgentibus, pro de insurgentibus. In me, id est contra me. Audiet, scilicet punitionem. Chald. *audiet vocem confractionis eorum*.

V. 13. Palma. Viret hæc semper, estque suavi fructu, & firmissima, & diuturnissima. Cedrus est statura recta & procera, odore suavi, & foliis perpetuis. Multiplicabitur, id est crescet, vel frondescet.

V. 14. Atriis, scilicet futuri sæculi.

V. 15. Multiplicabuntur. Hier. *fructificabunt*. Uberi, id est valida. Bene patientes. Græc. *bene dispositi*, seu *affecti*, εὐπαθοῦντες. Quidam tamen *tranquillos* vertunt; alii *vegetos*, seu *vigentes*.

V. 16. Annuntient, scilicet quod sequitur.

E S T I I.

Verf. 12. & 13. Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Pridem alterum illorum *in* omittebatur. Nonnulli etiam manuscripti codices habent *ab insurgentibus*. Sed recte sic duplicato legendum *in* Sixtina Biblia tradunt. Est enim Græce ἐν τοῖς ἐπανισταμένοις. Sensus est: De his qui in me insurgunt, & lædere me volunt, audiam læta & grata, scilicet Deum in eos vindicasse iniuriam meam; eos humiliasse. Neque enim illud, *Audiet auris mea*, trahendum ad id quod sequitur: Iustus ut palma florebit, quasi hoc sit auditurus: est enim tacita quædam antithesis in hac sententia ad superiorem; quasi dicat: Audiam vindictam de inimicis meis, hominibus impiis, & iniustis, nempe quod defecerint & perierint: at e contra: *Iustus ut palma florebit*, &c.

M A R I A N AE.

Verf. 1. Psalmus Cantici, die sabbati, id est pro die sabbati, ut eo die decantaretur. Deum esse laudandum ob eius præclara opera.

V. 2. Altissime, in vocativo. *O Altissime* bonum est te laudare.

V. 3. Mane ..... et .... per noctem, id est per diem & noctu, omni scilicet tempore debemus annuntiare Dei misericordiam.

V. 4. In decachordo, psalterio. Hinc quidam collegerunt, psalterium habere decem chordas. Tu dic *in decachordo & psalterio*: sic Hieron. Heb. *in decachordo & nablo*. Fulgentius. I. Mytholog. *Apollini*, ait, *novem Musæ tribuebantur*, *ipse decimus*. *Pingebatur cum cithara decem chordarum*, *utrumque*, *vel ob decem vocis instrumenta*, *vel ob decem gradus*, *quibus scientia comparatur*. Cum cantico; id est, accedant voces ad instrumenta. Hebr. *ad Higgaion cum cithara*, nomen cantionis suavissimæ est *Higgaion*. Aut est nomen instrumenti, ut cetera quæ hic ponuntur, quod instrumentum *Higgaion* vocabatur.

V. 5. Quia delectasti. Ratio laudandi, magnitudo operum Dei, & mundi ab eo facti pulchritudo. Et exultabo, iubilabo.

V. 6. Quam magnificata, quam magna & admiranda opera tua. Nimis profundae, id est occultæ, eas non assequimur. Cogitationes tuae, consilia. Si opera sunt mirabilia, ratio agendi est admirabilior.

V. 7. Vir insipiens. Hebr. *bestialis*, iumento similis non intelliget.

V. 8. Cum exorti fuerint peccatores. Hebr. *cum germinaverint*, cum floruerint. Sicut fenum, scilicet erunt: fluxa erit eorum gloria. Et apparuerint. Hebr. *floruerint*, cum ex voto illis cuncta succedent, finis erit exitium.

Ut

Ut intereant in saeculum saeculi. Is erit pravæ felicitatis finis.

V. 9. Tu autem. Hebr. *& tu*. Altissimus, quaſi ex ſpecula contemplaris cuncta, & diſponis.

V. 10. Et dispergentur, aut diſperdentur, perdes illos.

V. 11. Cornu meum; id eſt, fortitudo mea exaltabitur: iis beſtiis unicornibus robur eſt in cornu. Et senectus mea in misericordia uberi. Hieron. *ſenectamea inoleo uberi*. Græce, ἐν ἐλαίῳ πίονι, *in oleo pingui*. Verum noſter pro *oleo* ſubſtituit *miſericordiam*, cuius eſt ſymbolum, aut quia legit ἐν ἐλέῳ. Eſtque ſenſus: Etiam in ſenio cum deficiunt vires, me Deus ſua benignitate ſublevabit. Heb. *delibutus ſum oleo viridi*, id eſt magna lætitia perfundor, cum video me tibi eſſe curæ. Nimirum vocem בלות *baloth* Septuag. & Hieron. a בלה *balah* deduxerunt, id eſt *inveteravit*; Hebræi a בלל *balal*, id eſt *conſperſit*. Utri melius, non attinet diſputare. Chald. *unxiſti me oleo recenti*. Et fortaſſe quoniam de ſua fortitudine eſt locutus, addit ſe oleo unctum, ut athleta ſit.

V. 12. Et despexit. Hebr. *& reſpiciet oculus meus*: ſic Hieron. Inimicos meos, ſcilicet proſtratos. Et in insurgentibus; pro, & de iis qui in me inſurgunt. Audiet auris mea caſum, ruinam.

V. 13. Iustus, ut palma florebit, ſeu germinabit. Palma eſt iuſtorum ſymbolum ob perpetuitatem. Tertullianus legit: *Iuſtus ut phœnix florebit*. Sed *phœnix* & *avem* ſignificat, & *palmam*. Hebr. tamen *thamar* eſt, id eſt *palma*. Multiplicabitur. Hebr. *aſſurget in altum*.

V. 15. Multiplicabuntur. Heb. *fructificabunt*. In senecta uberi; pro, *uberes*, ſcilicet erunt, & *pingues*, ut Hieron, id eſt, poterunt procreare filios. Et bene patientes. Hebr. *virides*, validi. Græce εὐπαθοῦντες, *benepatientes*, id eſt bene affecti, validi. Græciſmus.

V. 16. Ut annuntient; pro, & ſic fiet ut annuntient. *Ut*, non ſemper cauſam dicit, ſed conſecutionem. Quid nuntiabunt? Quoniam, quod. Dominus Deus noster. Hebr. *Dominus petra mea*, id eſt præſidium. Verum pro *petra*, Septuag. fere vertunt *Deum*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Psalmus cantici, vel *Pſalmus Canticum*. Vide in Pſal. xxix. verſ. 1 & 47. verſ 1. In die sabbati. Exponunt, id eſt concinendus in Eccleſia die ſabbati, quo habebatur convocatio ſancta.

V. 3. Et veritatem tuam per noctem. Hebr. *Et fidem tuam in noctibus*, id eſt ſingulis noctibus. Quidam: *In multam noctem fidem accipiunt*, id eſt cum in promiſſis præſtandis, tum in minis exequendis, ut ex ſequentibus apparet.

V. 4. Cum cantico in cithara. Heb. *Super* הגיון *biggaion in cithara*. De *biggaion* vide in Pſal. ix. 17. Hic Hebræorum nonnulli volunt eſſe proprium nomen cuiuſdam inſtrumenti muſici. Alii putant ſignificare modulum, ſeu modulationis muſicæ certum genus, quod diceretur *Higgaion*, id eſt *murmur*, *muſſitatio*, ſeu *gemitus*. Unde reddunt. I. *Super murmure in cithara*, id eſt *modulatione*. II. *Super inſtrumento ſonoro*, *in cithara*. III. *Carmine, & cithara*. IV. *Et citharæ dulci modulatione*. V. Volunt eſſe hypallagem: *Ad meditationem cum cithara*; pro, *ad citharam cum meditatione*: ſed ſimplicius, *Ad meditandum in cithara*, id eſt canendum, vel componendum carmina, ad citharam. Sic Virgilius ecloga I.

Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.

& ecloga VI.

Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.

V. 7. Vir insipiens non cognoscet, id eſt vir brutus, pecuinus, ſtolidus, ſtupidus, beſtialis, fatuus, bardus. Vide in Pſal. xlviii. verſ. 11 Quaſi dicat hoc verſu: Adminiſtratio Dei adeo mirifica eſt, ut eam non comprehendat mundus.

V. 8. Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum, &c. Hunc verſum dilucidius alii ex Hebr. convertunt. I. *Quod floreant impii ſicut herba, & flores emittant*, ſeu *vernent*; aut *germinent*. *omnes operarii iniquitatis*; *id fit, ut diſſipentur, vaſtentur ipſi in æternum*. II. *Cum floruerint impii ſicut herba, atque germinaverint cuncti, qui operantur iniquitatem: fiet tandem, ut ipſi exterminentur in perpetuum*. III. *Quod cum ſcelerati ſicut herba germinant*,

nant, *in hoc floreant omnes facinorosi*, *ut in perpetuum exscindantur ipsi*. IV. *Cum germinant improbi velut herba*, *florentque omnes*, *qui operam dant iniquitati*, *fieri*, *ut perdantur usque in æternum*; quasi dicat: Instabilis & fluxa est felicitas improborum, qui utcumque floreant, iusto Dei iudicio, & sua ipsorum improbitate deturpantur. V. *Quod virere videantur impii sicut gramen terræ*, *& florere plurimi homines scelerati*, *non hoc felicitatis eorum putandum est*, *sed damnationis perpetuæ argumentum*.

V. 9. TU AUTEM ALTISSIMUS IN AETERNUM, DOMINE. Quidam reddunt: *Tu autem excelsus es in sæculum Iehova*, id est in sublimi, in excelso & Iehova, tamquam scilicet speculator, & curam omnium gerens; quasi dicat: Nihil horum fato, aut fortuito fit sine tuo consilio. Alii: *Tu autem summus permanes in æternum*, *Iehova*. Aliqui: *Tu autem es excelsus super omnes erisque perpetuo*, *Domine*. Nonnulli *Te autem*, *o excelse*, *in sæculum esse Iehovam*. Antithesis superioris versus: Improbi sunt instabiles; at Deus natura, consiliis, operibus, semper sibi constat, tam ad perdendum improbos, quam ad servandos bonos: ut sequentes versus demonstrant.

V. 10. QUONIAM ECCE INIMICI TUI PERIBUNT. Alii in præsenti, *pereunt*: volunt esse confirmationem superioris dicti, a præsente & quotidiana experientia. ET DISPERGENTUR. Hebr. *Separabunt se*, vel *distrahent se*. Quidam, *dissilient*, id est, *dirimentur*, & veluti comminuti in fragmenta abeunt. Alii, *dissipabuntur*. Nonnulli, *subvertent sese sceleribus suis*. Coniugatio Hithpahel significatum auget; quasi dicat: ipsi se ipsos suis sceleribus penitus dissipabunt.

V. 11. ET EXALTABITUR SICUT UNICORNIS CORNU MEUM. Hebr. active: *Et elevabis*, *exaltabis*, *attolies ut unicornis cornu meum*. Quidam in præsenti: *Attollis vero tamquam monocerotis cornu meum*; id est, auges me maximis, constantibus, & infractis viribus, ut Numer. XXIII. 22. ET SENECTUS MEA IN MISERICORDIA UBERI. Rationem huius translationis facile apud Explanatores leges. Hebræa constanter redduntur: *Perfusus*, *conspersus*, *confusus sum in oleo virenti*. Quidam: *Conspergar oleo*

virenti. Quoniam: *Conspergar oleo viridi*; id est, delibutus ero oleo fragrantissimo, vel unguento præstantissimo; quasi dicat: Omnia felicia experiar. Alii: *Perfundendo me oleo virente*; id est, me viribus & gratia instructum insuper ornando: ut Psal. XXII. vers. 5. Nonnulli: *Conspersus sum oleo viridi*. Allegoria est, qua firmitas animi & corporis significatur, sumpta a cultu vitæ: nam oleum magnam vim habet ad membra fovenda, & corpus corroborandum. Sed & oleum gratiam Spiritus significat, quæ multo maiorem vim habet ad corroborandum animum. Aliqui: *Et mixtura mea in oleo recenti*; id est, unguentum unctionis meæ non aruit, aut corruptum fuit vetustate; sed ex oleo recenti semper fuit. Quidam בלותי *ballothi* nomen faciunt a בלה *balah*; *Et senium meum præ succo virescit*, quod LXX. & Noster secuti sunt.

V. 12. ET DESPEXIT OCULUS MEUS INIMICOS MEOS. Quidam: *Et respexit*, *vidit*, quod volo, quod opto, vel malum, *oculus meus in hostibus meis*. Aliqui: *Videbit enim oculus meus in meis*, *qualia quisquam optaret in hostibus suis*. Alii: *Et videbit optata oculus meus in insidiantibus mihi*. Nonnulli: Illa, nempe quæ dicta sunt supra vers. 8. & 10. *Intuente oculo meo in observatoribus meis*, id est inimicis: ut Psal. V. 9.

V. 13. IUSTUS UT PALMA FLOREBIT, &c. Antithesim esse notant versu 8. quasi dicat Impii quidem tamquam herba florent, quæ cito exarescit; at homines pii palmæ similes sunt, quæ semper viret, diutissime vivunt, ac dulces fructus edit. Proponitur hoc versu, ac sequentibus doctrina prophetica de prosperitate piorum, argumento sumpto a constantia Dei, supra vers. 9. & experientia administrationis eius, quæ modo exposita est. Est autem hoc & sequente versu elegans allegoria, qua pii cum arboribus præstantissimis; Ecclesia sive templum Dei, cum Libano, & plantario amœnissimo, feracissimoque comparatur, ut apud Isaiam passim.

V. 14. PLANTATI. Vim habere putant hanc vocem; id est, ac si plantati ac radicati essent, firme persistent iusti in domo Dei, seu Ecclesia. FLOREBUNT. Verbum ex Hiphil maiorem vim habet, *germinare facient*; seu *multum*, *copiose*, *læte*

 ger-

germinabunt; seu *efflorescent*, *germina proferent pulcherima*.

V. 15. ADHUC MULTIPLICABUNTUR IN SENECTA. Varie ex Heb. convertunt. *Adhuc fructificabunt in senectute*. II. *Adhuc proventum facient in senio*; id est, procreabunt, & fecundi erunt. III. *Adhuc vigebunt in canitie*. IV. *Itaque fiet ut valentes sint in senio*. V. *Adhuc germinabunt in senecta*. VI. *Adhuc abundabunt in canitie*; id est, quantumvis veteres, non veterascent; sed fructus Deo acceptos in æternum proferent, vegetati, & virentes per spiritum illius: qui fructus sequente versu exponitur, nimirum, prædicatio gloriæ Dei constantissima propter veritatem, potentiam, & bonitatem, iustitiamque eius. Hebræa maiori sensu: *Adhuc proventum*, *fructum facient in decrepitudine*, *decrepitate*. Sic nos hanc vocem vertere solemus: vide in Genes. XV. quasi dicat: Etiam ætate decrepita maxime viribus, & fructu vigebunt. UBERI. דשנים *deschenim*, *pingues*, *pinguefacti*, *fucculenti*, *saginati*, subaudi erunt: *habitiores*, *bene habiti*, *densi*, *crassi*, *ubères*.

MENOCHII.

Vers. 1. PSALMUS CANTICI. Vide titulus ad Psal. XXIX. IN DIE SABBATI. Psalmus canendus die sabbati.

V. 2. CONFITERI DOMINO: laudare Dominum. PSALLERE NOMINI TUO; nomen tuum canendo celebrare.

V. 3. AD ANNUNTIANDUM, ut annuntietur, & celebretur. MANE, &c. Quod dicitur *mane*, & *per noctem* duo tempora designat, publicæ orationi destinata in veteri lege, tempus scilicet matutinum, & vespertinum. Vide dicta Psal. LIV. 18. MISERICORDIAM TUAM, &c. Misericordia videtur significare gratuitam bonitatem, & beneficentiam, sicut veritas significat promissorum certitudinem, & fidelem præstationem.

V. 4. IN DECACHORDO. In Hebræo videtur distingui decachordum a psalterio, ut etiam distinguit divus Hieronymus, qui ita habet: *In decachordo*, *& in psalterio*: & sane in textu Hebraico idem discrimen constitui videtur, cum interiecta sit littera Vau coniunctiva. Certum est psalterium fuisse instrumentum decem chordarum, ut patet ex Psalm. XXXII. v. 2. *in psalterio decem chordarum*: & ex Psal. CXLIII. 9. *In psalterio decachordo*. Bellarminus putat particulam illam coniunctivam nec Septuaginta in suis codicibus illam legisse; vel certe non significare distinctionem, sed positam esse ad explicationem; ac si dictum esset, In decachordo, hoc est in Psalterio. CUM CANTICO, &c. cum dulci vocis modulatione, & sono citharæ.

V. 5. QUIA DELECTASTI ME DOMINE, &c, Incipit prædicare opus creationis, quod ad misericordiam pertinet, de qua n. 3. IN FACTURA TUA, in operibus creationis, in fabrica tua. EXULTABO: gestiam, & delectabor consideratione rerum a te creatarum.

V. 6. QUAM MAGNIFICATA: quam magna, & admiranda sunt opera tua. COGITATIONES TUAE: providentiæ tuæ rationes pervestigatu, & perceptu difficiles sunt, & arduæ.

V. 7. INSIPIENS, carnalis, animalis; quales etiam sunt huius sæculi sapientes, qui mentem ad Deum, eius opera, & providentiam contemplandam non attollunt.

V. 8. CUM EXORTI FUERINT PECCATORES. Transit Propheta ad opus gubernationis, & providentiæ divinæ, in qua præcipue iustitia, sive veritas, elucet, de qua supra num. 3. Sensus est: Cum exorti fuerint, id est, ut habetur in Hebræo, *cum germinaverint peccatores*. SICUT FENUM, quod statim, & multum crescit. APPARUERINT, floruerint, ut sonat vox Hebræa, nimirum in sublimi dignitatis gradu positi, & divitiis abundantes. UT INTEREANT IN SAECULUM SAECULI. Aliquid supplendum est, ut constet sententia; verbi gratia: Fiet ut intereant in sæculum sæculi.

V. 9 TU AUTEM ALTISSIMUS, &c. Tu autem idem es, licet hi pereant, nec quidquam de tua felicitate, aut maiestate deperit.

V. 10. QUONIAM ECCE INIMICI TUI PERIBUNT, &c. quasi dicat: Ecce (quod tuæ altitudinis, & potentiæ argumentum est) inimici tui peribunt; ego autem tuo beneficio, & tua potentia fultus, non solum stabo, sed etiam florebo. DISPERGENTUR,

TUR, dissipabuntur, profligabuntur.

V. 11. SICUT UNICORNIS CORNU MEUM: potentia mea, & robur meum exaltabitur sicut cornu monocerotis, cuius cornu est pulcherrimum, durissimum, & valde elevatum. ET SENECTUS MEA IN MISERICORDIA UBERI; id est, senectus mea exaltabitur copiosa, & larga Dei misericordia: in Græco est ἐν ἐλαίῳ πίονι, *in oleo pingui*, qua fortasse metaphora significatur habitus corporis succulentus, & vegetus.

V. 12. ET DESPEXIT OCULUS MEUS INIMICOS MEOS; quasi dicat: Hæc etiam accedet felicitas, quod non amplius timebo inimicos, sed illos despiciam. ET IN INSURGENTIBUS IN ME MALIGNANTIBUS, & de malis, qui insurgunt in me, ut me perdant. AUDIET AURIS MEA, illos interiisse.

V. 13. IUSTUS UT PALMA FLOREBIT. Non erunt iusti sicut fenum, quod statim arescit, quales supra dixit esse peccatores num. VIII. sed similes erunt palmæ, quæ numquam foliorum honore spoliatur, & cedro, quæ cariem non sentit. CEDRUS LIBANI, quæ maxime proceræ in eo monte proveniunt.

V. 14. PLANTATI IN DOMO DOMINI, in Ecclesia. IN ATRIIS. Videtur repetitio eiusdem sententiæ, vel certe domus Domini Ecclesiam militantem, atria vero triumphantem significant.

V. 15. MULTIPLICABUNTUR, germinabunt, fructificabunt. SENECTA UBERI, viridi, & vegeta senectute, & fertili, ac copiosa messe bonorum operum. In Græco est, πίονι, *pingui*, *succulenta*, *vegeta*. BENE PATIENTES ERUNT. Græscimus, bene affecti, & valentes.

V. 16. UT ANNUNTIENT: id quod sequitur, nimirum, *quoniam rectus Dominus*, &c. RECTUS, iustus.

TIRINI.

Vers. 1. IN DIE SABBATI decantandus.

V. 3. MANE, ET PER NOCTEM, id est semper, continuo.

V. 8. ET APPARUERINT; supple, in flore suo, id est *floruerint*, triumpharint, ut vertit Hieron. & Chald. UT INTEREANT, Hieron. *conterantur*; Chald. *destruantur* in æternum; quasi dicat: Non diu florentes manebunt, sed cito exscindentur.

V. 11. SICUT UNICORNIS, nempe sic altissimum, durissimum & pulcherrimum erit CORNU, id est robur, decus, & regnum, MEUM. ET SENECTUS MEA exaltabitur UBERI MISERICORDIA, id est copiosa & larga munificentia Dei; Hebraice, *oleo recenti*, pingui, fragranti; quasi dicat: Tempus senectutis meæ non erit exsuccum, aridum aut sterile, destitutum solatiis & gaudiis seu corporalibus, seu spiritualibus, ut sæpe accidit impiis sed erit succulentum, pingue & floridum.

V. 12. DESPEXIT, id est ex alto conspexit, INIMICOS, supple *interire*, ut ait Chald. ET IN INSURGENTIBUS, &c. Id est, audiam quoque punitionem ceterorum omnium hostium meorum, qui maligne adversum me insurrexerunt. Ita Symmachus, & Theodotion.

V. 13. UT PALMA; quæ primo semper viret; secundo firmissima arbor est; tertio fructum dat suavissimum; quarto diutissime vivit; unde symbolum est immortalitatis; quinto quo magis deprimitur, eo altius assurgit; sexto aspera est radice in terra, sed pulchra, & alta coma sub cælo. ET SICUT CEDRUS; quæ primo altissima arbor est; secundo incomputrescibilis; tertio rectissima; quarto semper foliis ornata. Quinto, odore est suavissimo; sexto, undique copiose se multiplicat ramis, & foliis; septimo, umbra eius est gratissima. Sic iusti conversatio est omnibus optatissima, &c. Opponit vero has insignes iustorum proprietates feno sterili & instabili impiorum, supra vers. 8.

V. 1. MULTIPLICABUNTUR ADHUC (Hieron. *fructificabunt*, & crescent amplius, tum fortunæ, tum naturæ, tum gratiæ donis. Chald. *Adhuc procreabunt filios*) IN SENECTA UBERI, id est in senectute sua pingui, vegeta & fecunda, nempe quando alii deficere, & decrescere solent. Sic senectus iustorum heroicis virtutum actibus scatet. ET BENE PATIENTES, εὐπαθοῦντες, id est bene dispositi, valentes, vegeti ERUNT: εὐπάθεια enim est bona corporis dispositio, & affectio. Unde Hieron. & Chald. vertunt *pingues & virentes*, Symmachus. *vigentes*, *opimi*, *bene germinantes*.

V. 16. Ut annuntient, nempe quod ſequitur, puta Dei iuſtitiam, & immenſam bonitatem.

GORDONI.

Titulus: Psalmus cantici, &c. Eſt hic Pſalmus compoſitus, ut die ſabbati cantetur, & merito: tunc enim Dei laudes cani debent potiſſimum, & agnoſci debet ut creator & gubernator. Atque hæc præſtare docet hic Pſalmus; eſtque hoc eius argumentum. Ceterum titulus iſte habetur in editionibus Hebr. Græca, & Latina. Vide titulos Pſal. xxiii. xlvii. & lxvi.

Verſ. 5. Quia delectasti me Domine in factura tua. Materia laudis eſt, quæ hic incipitur a creatione, ut præfatus ſum. Varia eſt factura (*ἐν τῷ ποιήματί σου*) & creatura Dei: delectat ſua varierare mundus iſte conditus a Deo. Chald. *in operibus miraculorum tuorum*. Hebr. בפעלך *pabbolecha*, *in opere tuo*. Eſt etiam voluptas in rerum naturalium cognitione. Et recte poſt Hugonem notant aliqui, non dici hic facturam delectare, ſed Deum *in factura*: ſane periculoſum eſt ſiſtere in delectatione creaturæ.

V. 8. & 11. Cum exorti, &c. Eſt velut altera pars, ubi tranſitur a creatione ad gubernationem. Quod vero eſt verſ. 11. In misericordia uberi, in Græcis quibuſdam codicibus eſt, *ἐν ἐλαίῳ*, *in oleo*. Vulgatus Interpres videtur legiſſe *ἐν ἐλέῳ*, *in miſericordia*; vel certe accepit figurate oleum pro miſericordia. Erit ergo ſenectus in uberi miſericordia, *ἐν πίονι ἐλέῳ*, *fertili miſericordia*.

V. 15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, ſeu ad ſenectutem pinguem vitali ſucco, & viridem. Septuag. *ἐν γήρᾳ πίονι*. *τὸ Ut annuntient* ſpectat ad ſequentem verſum.

Eiusdem Paraphrasis.

Bonum eſt, &c. Facilis Pſalmus eſt. Priores quatuor verſus habent exhortationem ad Deum laudandum, & ad gloriam Dei promovendam, non vero noſtram. Altera pars a verſu quinto, incipit laudare Deum; & hoc quidem a creatione. Ac demum (quod tertium eſt) incipit verſu octavo laudare Deum a gubernatione, & ſingulari providentia, qua diſperdit Deus operantes iniquitatem. Iuſti vero (ex verſ. 11.) exaltabuntur, ſicut cornu unicornis forte & robuſtum, quale gerit unicornis. Proſequitur ſubinde felicitatem iuſti ſub hac illuſtri gubernatione.

BOSSUET.

Verſ. 4. Cum cantico: *ſuper higgbaion*, Hebr. Vide Pſal. ix. 17. Hic autem paret muſicum eſſe inſtrumentum.

V. 11. In misericordia, *oleo*, Hier. *ἐν ἐλαίῳ*, pro quo ſcribæ repoſuiſſe videntur *ἐλέῳ*, *miſericordia*. Senſus eſt: Delibutus ſum oleo virente, recente, unguentis perfuſus, quod lætitiæ ſignum. Vel, ut verrit Symmachus apud Theodor. *Senectus mea ut oliva florens: vis mea reviveſcet tamquam in ætatis flore*.

V. 12. Despexit oculus, &c. *reſpiciet eos qui inſidiantur*: Hier. eorum inſidiæ detegentur. In insurgentibus: *de his qui conſurgunt*, &c. Hier. Audiet; ſupple; vindictam divinam: videbo detectas inſidias, & corruentes inimicos: excidium eorum audiam.

V. 15. Multiplicabuntur, &c. *Fructificabunt*, &c. totus verſus ex Hier. quem confer cum verſ. 11. Bene patientes erunt: patientia ipſis bono vertet.

V. 16. Ut annuntient. Refer ad ſequentia cum Hier.

PSALMUS XCII. LAUDIS.

Per mundi structuram Deo laus, legi fides, templo sanctitas constat.
Sine titulo in Hebr.

VERSIO S. HIERONYMI.

DOminus regnavit, gloria indutus est: indutus est Dominus fortitudine, & accinctus est: insuper appendit orbem qui non commovebitur.

Firmum solium tuum ex tunc, ab æterno tu es.

Levaverunt flumina Domine, levaverunt flumina voces suas: levaverunt flumina gurgites suos.

A vocibus aquarum multarum grandes fluctus maris: grandis in excelso Dominus.

Testimonia tua fidelia facta sunt nimis; domum tuam decet sanctitas, Domine in longitudine dierum.

VERSIO VULGATA.

Laus cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra.

1. DOminus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ; qu non commovebitur.

2. Parata sedes tua ex tunc: a sæculo tu es.

3. Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos,
4. a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.* Non mutes quartum casum in sextum *longitudine*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 3. & 4. FLUCTUS suos, &c. Heb. *contritionem suam*, aut *elisionem suam*. *Propter voces aquarum multarum, mirabiles sunt confractiones maris: mirabilis in altis Dominus*; quasi dicat: Flumina & mare tollent fluctus suos, mirabilesque fragores edent; sed mirabilior Dominus omnia de alto compescet.

S A.

SA.

De Christi Regno.

IN DIE, &c. scilicet cantandus. FUNDATA, scilicet prima sabbati.

Vers. 1. REGNAVIT, scilicet iam inde a mundi initio. DECOREM, id est gloriam; quasi dicat, plenus gloria. PRAECINXIT; pro, velut cinxit. FIRMAVIT, id est stabilivit.

V. 2. Ex TUNC. Chald. *a principio*, scilicet mundi, vel ab æternitate. A SAECULO. Hieron. *ab æterno*.

V. 3. VOCEM, id est sonitum, scilicet te movente, qui omnia gubernas: vel hostium contra Ecclesiam, seu pios, persecutiones significantur.

V. 4. A VOCIBUS, id est præ sonitu. IN ALTIS. Hieron. *in excelso*. Chald. *in cælo*, scilicet habitans, unde tumultus compescit, & cuncta moderatur.

V. 5. TESTIMONIA, id est pollicitationes. CREDIBILIA, id est fide digna. Hieron. *fidelia*. Chald. *vera*.

ESTII

nulla in hunc Psalmum Annotatio.

MARIANAE.

LAUS CANTICI IPSI DAVID, IN DIE ANTE SABBATUM, QUANDO FUNDATA EST TERRA. Hebr. sine titulo est. Die Martis apparuit arida; itaque eo die canebatur hic Psalmus. Id titulus significat. Aut potius die Veneris, quando terra habitata est, facto homine, qui dies ante Sabbatum est. Hunc & septem sequentes Psalmos aiunt Hebræi esse de diebus Messiæ. In hoc de terræ stabilitate agit.

V. 1. DOMINUS REGNAVIT; pro, Rex est. DECOREM INDUTUS EST. Hebr. *gloriam*, id est vestes regias ut Rex. FORTITUDINEM; id est, armis est etiam indutus, quasi bellum adsit. ET PRAECINXIT SE, ut miles. ETENIM FIRMAVIT, Heb. *etiam firmatus est orbis terræ*, quasi arx ad sustinendos hostium impetus. Munitiones sunt illi additæ. Aut sic: Vult tueri quod sanxit, ut terra stabilis esset

V. 2. PARATA SEDES TUA, id est tribunal, quod ad iudicandum habes. Ex TUNC, id est ab orbe condito. A SAECULO TU ES, ab initio sæculi. Ergo terra firmata est. Sedes etiam tua, id est cæli.

V. 3. ELEVAVERUNT FLUMINA, scilicet ut terram obruant, eam arcem evertant, aut per flumina hostes populi intellige.

V. 4. ELEVAVERUNT FLUMINA FLUCTUS SUOS. Hoc non est in Græcis Roman. neque in Psalterio Roman. sed vitiose, quando Hebraice est. Illud adverte, Sept. *fluctus* vocasse ἐπιτρίψεις, id est *contritiones*, voce nova & inusitata Græcis, sed ex Hebraico desumpta, ubi *fluctus* vocantur דוכי & משבר, *dochei* & *misbar* a contritione, quoniam fluctus inter se franguntur. MIRABILES ELATIONES MARIS. Hieron. *grandes fluctus maris*. Videntur velle absorbere terram, eam Dei arcem evertere. MIRABILIS; sed maior Deus qui in cælo sedet, & eos fluctus compescit.

V. 5. TESTIMONIA TUA, quibus coercuisti mare, præcepta tua. CREDIBILIA, fidelia, firma sunt valde. DOMUM TUAM, id est te. DICET SANCTITUDO. Hebr. *decora est sanctitas*, id est fideles. IN LONGITUDINEM DIERUM; id est, in omne tempus debes stare promissis. Id per sanctitatem intellige.

MALVENDAE.

Vers. 1. DOMINUS REGNAVIT, &c. Putant, hunc Psalmum continere laudes regni Christi (quidem est Rex Iehova institutus a Patre,) a celsitate, & robore eius: quæ hoc versu universe dicta, confirmantur tribus documentis: primum est a creatione & conservatione mundi; altera parte huius versus: secundum, ab administratione potentissima & magnificentissima; tribus sequentibus versibus: tertium, e singulari ipsius ratione erga Ecclesiam; versu ultimo. Est autem tota hæc explicatio de regno Christi allegorica: sumptis ab ordine humano locutionibus. DECOREM INDUTUS EST. גאות *gheuth* proprie *superbia*, *tumor*, *elatio*, *celsitas*, *excellentia*, *magnificentia*, *maie-*

iestas: nec semper Latinis malum *superbiæ* nomen, vel ex ipso etymo, quæ a superhabendo dicitur, ut Grammatici notant. Vide Nonium cap. IV. §. 420. & Servium in I. AEneidos. ETENIM FIRMAVIT ORBEM TERRAE, QUI NON COMMOVEBITUR. Quidam: *Etiam stabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur*; id est, ab ipso conditus & constitutus conservatur. Alii: *Quin & orbis sic firmatus est, ut non nutet*. Commendatur fortitudo Dei a creatione mundi, & stabilitate eius.

V. 2. PARATA SEDES TUA EX TUNC. Varie alii. I. *Stabilitum est solium tuum ex eo tempore*. II. *Iam inde ab exordio constitutum est solium tuum*. III. *Stabile est solium tuum*, id est regnum, & administratio tua: *ab illo tempore*, quo orbis habitabilis constabilitus est, præcedente versu. IV. *Stabile est regnum solii tui, & fuit ante constitutionem mundi, & ab ipsa constitutione*.

V. 3. ELEVAVERUNT FLUMINA, DOMINE, &c. Hunc versum, & sequentem perspicuitatis causa, ita nonnulli reddunt. III. *Ut attollant flumina, o Iehova, attollant flumina sonum suum, attollant flumina fragorem suum*. IV. *Sonis aquarum multarum, magnificis fluctibus irrumpentibus maris*; *magnificentior est in alto Iehova*. Exornatio magnificæ administrationis Christi, per comparationem aquarum; quasi dicat: Nulla maria. ac ne diluvium quidem ipsum furentium superne & inferne aquarum, tam sunt magnifica, & admiranda, quam magnificus & admirandus es tu, Iehova; in altissima administratione tua.

V. 4. A VOCIBUS AQUARUM MULTARUM, id est *præ sonis*, vel *sonitibus*; seu *magis quam sonitus*, *strepitus*, *aquarum immanium*. Quidam, *supra fremitus aquarum multarum*. MIRABILES ELATIONES MARIS. Varie alii ex Hebr. I. *Fortium fluctuum maris*. II. *Fortes fractiones maris*. III. *Validi fluctus maris*. IV. *Excellentes*, *prævalidas*, *procellas maris*. V. *Nimbis aquarum vehementissimis*. VI. *Vastissimis fluctibus maris*. VII. *Procellarumque maris admirabilium*. VIII. *Magnificis fluctibus irrumpentibus maris*. MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS. אדיר *addir*, *præamplissimus*, *prægrandis*, *ingens*, *præpotens*, *magnificus*; quasi dicat: Quantumvis illa sint ingentia, admiranda, supra tamen omnia est Iehova, & cunctis illis potentior & amplior est Iehova, in alto habitans.

V. 5. TESTIMONIA TUA CREDIBILIA FACTA SUNT NIMIS, &c. Hunc versum diversimode ex Heb. elucidant. I. *Testimonia tua verificata sunt valde*: *domui tuæ pulchruit sanctitas Iehova*, *in longitudinem dierum*; id est, domum tuam, seu Ecclesiam pulchram reddit sanctitas. II. *Testimonia tua valde sunt certa*, *domum tuam decet sanctitas Iehova*, *in longitudinem dierum*; id est, vera sunt & certa, Domine, quæ nobis tua oracula promiserunt; scilicet Ecclesiam tuam sanctitate omni ornatam. præsidio tui nominis semper incolumem & beatam fore. III. *Quæ tu enim testatus es super domo tua pulchra & sancta*, *vera & firma permanebunt*, *Domine usque in æternum*. IV. *Quæ pollicitus es optima fide*, *præstita sunt domui tuæ*, *quam eleganter exornasti sanctimonia Domine*, *quæ duratura est perpetuo*. V. *Testimonia tua firma sunt valde*, *domui tuæ decora sanctitas*, *o Iehova*, *in longitudinem dierum est*; id est, firma & stabilis est singularis illa ratio, qua tuam præsentiam, & benevolentiam Ecclesiæ testatam facis, sive salutari verbo, quod sceptrum Christi appellatur, sive opere sanctificationis æternæ, quam Deus cum Ecclesia communicat in Christo. DECET SANCTITUDO. נאוה *naavah*, quidam præteritum Niphal faciunt verbi אוה *avah*, *concupita est*, *desiderata*, *appetita*, *amata est*, id est *vehementer exoptata*, expetita. Alii, participium, vel nomen participiale, Kal, verbi נאה *naah*, vel נאוה *navah*, *decens*, *decora*, *formosa*, *amœna*, *iucunda*, *gratiosa*, *grata*, *sanctitas*. Vide in Psal. XXXII. vers. I.

MENOCHII.

LAUS CANTICI idem est quod Psalmus cantici, de quo dictum est ad titul. Psal. XXIX. QUANDO FUNDATA EST TERRA. Bene dicitur die veneris fundata terra, quia eo die formatus est homo dominus terræ, ac proinde tunc primum videtur stabilita terra, quæ propter hominem creata fuerat. Eodem die per Christi passionem, & mortem renovata, reparata, & stabilita est terra in regnum Christi, devicto principe tenebrarum.

V. I. DOMINUS REGNAVIT, regnum ace-

cepit, regnum iniit. DECOREM INDUTUS EST, præditus est gloria copiosa, maiestate, potentia, & fortitudine. PRAECINXIT SE magnificentia, & fortitudine, ad mundum condendum, vel potius restaurandum. ETENIM FIRMAVIT ORBEM TERRAE, &c. Orbem terræ dum conderet ita stabilivit, ut de loco suo commovendus non sit. Mundum etiam, & regnum spirituale roboravit gratia, fide, vera religione, & sui notitia. Nec commovetur hoc regnum, quia Ecclesia catholica deficere non potest.

V. 2. PARATA SEDES TUA EX TUNC. Ex eo tempore quo a te firmata est terra, solium etiam regni tui firmatum est; semper enim omnium Dominus fuisti, & gubernator. A SAECULO TU ES, id est a tempore creationis; tu tamen non tunc esse cœpisti, sed a sæculo, ab æterno, & sine principio es.

V. 3. ELEVAVERUNT FLUMINA, DOMINE, &c. Describit strepitum fluminum, & maris fremitum, cum Dominus aquas, quæ prius totam terræ faciem operiebant, in suos alveos, & receptacula conclusit.

Allegorice significantur motus, & bella contra regnum Dei, & Ecclesiam.

V. 4. A VOCIBUS AQUARUM MULTArum, propter voces, & fremitum multarum undarum. ELATIONES, Hebr. *collisiones* undæ, fluctus. MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS. Mirabiles elationes maris; mirabilior Dominus altissimus, qui illas regit, & compescit.

V. 5. TESTIMONIA TUA, verba tua, quæ tu es testificatus, & solemniter promisisti per Prophetas de regno tuo. CREDIBILIA, fide digna, digna quæ credantur. DOMUM TUAM, &c. quasi dicat: Iam ergo deinceps Ecclesiam convenit esse sanctam, & immaculatam, ac puritate in perpetuum decorari, ut quæ tantum, tamque providum custodem habeat, & tam insignia ab eo beneficia consequatur.

TIRINI.

DIE ANTE SABBATUM, id est feria sexta cantandus: quo die TERRA FUNDATA EST, scilicet plene: vel, ut alii ex Græco vertunt, *inhabitata est*: die veneris creati sunt primi terræ incolæ Adam, & Eva. Sed hic titulus, ut & plurium sequentium Psalmorum, non est in Hebræo, neque in Hexaplis Origenis, neque in Eusebio, neque in correctioribus Græcis, inquit Euthymius, & Theodoretus.

V. 1. DOMINUS REGNAVIT in mundo, iam inde ab initio, INDUTUS DECOREM, Id est gloriam; maiestatem, & FORTITUDINEM, qua PRAECINXIT SE instar potentissimi Regis, ut faciat quæcumque vult, creet ex nihilo qualem videmus mundum, adeo firmum & stabilem, & splendide ornatum.

Allegorice, Christus resurgens induto corpore glorioso, stipatus choro sanctorum, fundavit Ecclesiam, inquit S. Hieronymus, & Theodoretus.

V. 2. SEDES TUA, id est thronus tuus regius, PARATA tibi est EX TUNC, id est ab initio mundi, vel ab æternitate, ut sanctus Augustinus,

V. 4. A VOCIBUS, id est præ strepitu & sonitu, AQUARUM MULTARUM, confluentium, & mutuo collisarum. MIRABILIS, pro mirabilior, est Deus IN ALTIS, Chald. *in cælis superioribus*, nempe unde has elationes maris & suores fluctuum (allegorice, impetus tyrannorum) coercet, frangit, compescit. Ita S. Augustinus.

V. 5. TESTIMONIA, id est promissa tua, quibus testatus es, & promisisti per Prophetas, te regnum tuum in terra nostra, id est in Ecclesia perpetuaturum, SUNT NIMIS CREDIBILIA; Hieron. *fidelia*; Chald. *vera*; quasi dicat, dignissima creditu: quia & hactenus te id præstitisse sensimus; & ea argumenta continuationis deinceps a te procurandæ habemus, ut nulla ex parte dubitare possimus. Unde maxime DECET DOMUM TUAM, quam inter nos elegisti, id est templum, & Ecclesiam tuam, perpetuo sanctum, & ab omni hostium profanatione liberam conserves. Ita sanctus Hieronymus. Quæ tropologice, etiam animæ nostræ conveniunt.

GORDONI.

Titulus: LAUS CANTICI IPSI DAVID, &c. Hic Psalmus apud Hebræos ἀνεπίγραφος est: est tamen hic titulus in Græcis, & Latinis codicibus. Cum terra

ra hic dicitur fundata die ante sabbatum, seu die sexto, intellige inhabitatam: tunc enim conditus est homo, fundatam terram inhabitans; ut dixi Genes. cap. 1. Argumentum Psalmi est laus acta Deo pro mundi creatione, & gubernatione

Vers. 1. DOMINUS REGNAVIT, &c. De sensu litterali ad laudem Dei pro creatione mundi, satis iam praefatus sum: nec difficile est, quae hic dicuntur, iuxta hoc argumentum explicare. Sensum vero allegoricum satis attingit Paraphrasis, de Christo, inquam, & de Ecclesiae fundatione, in eius sacra passione, quae incidit in feriam sextam; ut ex professo alibi dixi.

BOSSUET.

Vers. 2. EX TUNC, a principio, ante orbem conditum.

V. 3. ELEVAVERUNT FLUMINA, &c. Terrae fundatae aquas superfudit copia & fragore mirabili.

V. 4. A VOCIBUS: propter strepitum. MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS, in caelo, super nubes. Mare mirabiliter intumescit: longe mirabilior Deus ille excelsus in altitudine consiliorum suorum: quibus nec mare profundius aut vastius.

V. 5. TESTIMONIA TUA, lex tua, mandata tua, CREDIBILIA, tot firmata miraculis; tanta multitudine ac fide testium; tanta temporum rerumque omnium consensione: denique tam incorrupta morum regula, cultusque sanctitate: pro quo Hier. *fidelia*, veridica. *Fidelia* enim *omnia mandata eius, facta in veritate & aequitate*: Psal. cx. 8. quod eodem recidit.

PSALMUS XCIII. MORALIS, ET INCREPATORIUS

Contra violentos & oppressores: praesertim Iudices. Vide Psal. LXXXI, *sine titulo in Hebraeo.*

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
	Psalmus ipsi David quarta sabbati.
DEus ultionum Domine: Deus ultionum ostendere.	1. DEus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.
Elevare qui iudicas terram: redde vicissitudinem superbis.	2. Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis.
Usquequo impii Domine? usquequo impii exultabunt?	3. Usquequo peccatores Domine: usquequo peccatores gloriabuntur.
Fluent loquentes antiquum; garrient omnes qui operantur iniquitatem?	4. Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?
Populum tuum Domine conterent, & hereditatem tuam affligent.	5. Populum tuum Domine humiliaverunt: & hereditatem tuam vexaverunt.
Viduam & advenam interficient, & pupillos occident.	6. Viduam & advenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, & non intelliget Deus Iacob.

Intelligite ſtulti in populo, & inſipientes aliquando diſcite.

Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non videbit?

Qui erudit gentes non arguet, qui docet hominem ſcientiam.

Dominus novit cogitationes hominum: quia vanæ ſunt.

Beatus vir quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

Ut quieſcat a diebus afflictionis: donec fodiatur impio interitus.

Non enim derelinquet Dominus populum ſuum, & hereditatem ſuam non deſeret.

Quoniam ad iuſtitiam revertetur iudicium, & ſequentur illud omnes recti corde.

Quis ſtabit pro me adverſum malos? quis ſtabit pro me adverſum operarios iniquitatis?

Niſi quia Dominus auxiliator meus: paulominus habitaſſet in inferno anima mea.

Si dicebam, motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine ſuſtentabat me.

In multitudine cogitationum mearum, quæ ſunt in me intrinſecus: conſolationes tuæ delectabunt animam meam.

Numquid particeps erit tui thronus inſidiarum, fingens laborem in præcepto.

Copulabuntur adverſum animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Erit autem mihi Dominus in refugium, & Deus meus quaſi petra ſpei meæ.

Et reſtituet ſuper eos iniquitatem ſuam, & in malitia ſua perdet eos: perdet eos Dominus Deus noſter.

7. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

8 Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite.

9. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?

10. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem ſcientiam?

11. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.

12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum:

13. Ut mitiges ei a diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea.

14 Quia non repellet Dominus plebem ſuam: & hereditatem ſuam non derelinquet.

15. * Quoadusque iuſtitia convertantur in iudicium: * & qui iuxta illam omnes qui recto ſunt corde.

16. Quis conſurget mihi adverſus malignantes? aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?

17 Niſi quia Dominus adiuvit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.

18. Si dicebam: Motus eſt pes tuus: miſericordia tua Domine adiuvabat me.

19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20. Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, * qui fingis laborem in præcepto?

21. Captabunt in animam iuſti: & ſanguinem innocentem condemnabunt

22. Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ.

23. Et reddet illis iniquitatem ipſorum: & in malitia eorum diſperdet eos: diſperdet illos Dominus Deus noſter.

BRU-

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 15. *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium*. Non legas, transposita *in* praepositione: *Quoadusque in iustitiam convertatur iudicium*

Sequitur: *Et qui iuxta illam omnes qui recte sunt corde*. Non mutes singulare *illam* cum plurali *illa*.

V. 20. *Qui fingis laborem in pracepto*. Interpres noster ex Graeco, atque Hebraeo ambiguo transtulit personam, non tertiam *fingit*, sed secundam *fingis*. Porro an *laborem*, an vero *dolorem* transtulerit Interpres, non satis liquet, cum ex Hebraea, & Graeca similiter ambigua sint, & Latina exemplaria admodum varient. Ceterum *laborem*, quod vulgatius est, retinuerunt Romani Correctores.

NOTATIONES.

Vers. 15. *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium*; sic nostra legunt Latina manuscripta cum Graecis codicibus, & Graecis, Latinisque Tractatoribus. Graeci codices ad hunc habent modum: ἕως οὗ δικαιοσύνη ἐπιστρέψει (ἐπιστρέψῃ) εἰς κρίσιν. Antiqua vero Correctoris Latina exemplaria scribunt: *Quoadusque in iustitiam convertatur iudicium*. Quo modo & Lugdunensia Biblia quibusdam legi signant. Atque istam Hebraeis libris conformem iudicat Epanorthotes lectionem: est enim Hebraice: כִּי עַד צֶדֶק יָשׁוּב מִשְׁפָּט quod est: *Quia usque ad iustitiam convertetur iudicium*: ad eumdem modum Chaldaice legitur: אֲרוּם עַד צִדְקְתָא יְתוּב דִּינָא. Sed videri possit LXXII. כִּי עַד pro ἕως οὗ, seu *quoadusque* accepisse; & in voce מִשְׁפָּט quae *iudicium* denotat, praepositionem subaudivisse.

Quod sequitur: *Et qui iuxta illam omnes qui recte sunt corde* rursus notat Epanorthotes ex antiquis codicibus, *& qui iuxta illa* legendum. Iterum Lugdunenses sic alias legi indicant. *Illa* autem videlicet (Corrector ait) iustitiam & iudicium. Porro ut in Latinis nostris antigraphis dumtaxat *illam* invenimus; ita in Graecis, Hebraicis, & Chaldaicis libris, Latinisque ac Graecis Enarratoribus nonnisi singularis numeri pronomen legimus. Arnobius legit: *Et qui tenent eam, omnes qui recto sunt corde*; quae & Cassiodori, ac nostrorum Romani Psalterii exemplarium lectio est. Augustinus habet: *Et qui habent eam, omnes recto sunt corde*. In Graecis libris est; καὶ οἱ ἐχόμενοι αὐτῆς πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ: *Et propinqui eius* (sive iuditii, sive iustitiae, nam utrumque Graecis feminei est generis) *omnes recti corde*. In Hebr. וְאַחֲרָיו כָּל יִשְׁרֵי לֵב quod est: *Et post ipsum* (vel ipsam) *omnes recti corde*; quae & Aquilae, ac Theodotionis, Theodorito teste, translatio est. In Caldaicis: וּבָתְרוֹי יִתְפָּרְקוּן כָּל תְּרִיצֵי לִבָּא *Et post ipsum redimentur omnes recti corde*. Ex illis autem fontium lectionibus liquet, quae latine leguntur, potius absque interrogatione legenda, intelligendaque; quo modo in manuscriptis plerisque scribuntur; unum vero B. notarum habet: *Et qui iuxta illam, omnes recti corde*; at clarius multo, utroque *qui* omisso, legatur: *iuxta illam, omnes recti corde*.

Versum istum Psalmi XCIII. decimum quintum Hieronymus ex Hebraeo ad hunc modum transtulit: *Quoniam usque* (b. M.S.) *ad iustitiam revertetur iudicium: & sequentur illud omnes recti corde*; huius hanc dedit Joannes Campensis paraphrasim: " Futurum est „ enim, ut iustitia coniungatur cum iudicio, & iudices quod iustum est iudicent, „ sequanturque illud universi qui integro „ sunt animo. Latinae, Graecaeque lectionis „ istam D. Iansenius paraphrasim scripsit: „ Quousque tandem id eveniat, quod certo futurum est; nempe ut iustitia Dei „ post aliquam dissimulationem procedat ad „ iudicandum pro populo suo, eumque liberet impiis condemnatis: ac tum quidem „ omnes qui recto sunt corde, propinqui „ erunt iustitiae divinae, eamque sequentur approbantes atque amplexantes eam: „ cum e contrario impii Dei iustitiam aversabuntur & execrabuntur "

V. 20. *Qui fingis laborem in pracepto*. Duplex est hac vicesimi versus parte varietas; prior quod quidam *fingit* legant, quod alii *fingis* scribunt; posterior quod alii codices *laborem*, alii *dolorem* habeant. *Fingis* legunt plerique libri; *fingit* vero habent manuscriptum Societatis Iesu rubrum, & D. Hieronymo adscriptus commentarius S. Augustinus cum posterioribus Enarratoribus *fin-*

gis legit; Arnobius autem *fingit* exponit. Græcis, & Hebræis sunt participia πλάσσων, יֹצֵר (*fingens seu formans*) quæ exponi possunt utroque modo & *qui fingis* & *qui fingit* Græci anctores Apolinaris, Theodoritus, atque Euthymius, *qui fingit* intellexere. Hebraicus quidam Scholiastes, *ut fingas*, transtulit: plerique vero *qui fingit* intelligunt. Chaldaica paraphrasis est ברית לְעַוֵת הִתְעָהָר עֲלֵי קְיָם sic enim in Nebiensi editione scripta est, versaq. e latine: *Qui creasti laborem in pracepto*; id quod alii secuti sunt. Sed ubi, quæso, *το* התעהר remansit, ut latine non sit redditum; longe integrius cum scripta tum versa est Chaldaica paraphrasis in Regia editione: ברית לְעַוֵת הִיתְעֲהַר עֲלֵי קְיָם *Figmentum pravitatis num stabit in statuto?* Hieronymi versio sicut fons ipse ambigua est: *Numquid particeps erit tui thronus insidiarum, fingens laborem* (2. M. S. *dolorem*) *in pracepto?* Videtur autem potius persona tertia intelligenda, ita ut ad sedem seu thronum iniquitatis referatur. Verum *qui* masculini generis relativum non facile patitur, *fingit* in editione nostra legi, nisi iniquum iudicem, qui per iniquitatis sedem designatur, subaudias. In scripto quodam textu invenimus, & *qui fingit* addita ad huius incommodi evitationem coniunctione. Apud Haymonem depravate legi existimo *figis* pro *fingis* (a). *Laborem* legunt complures libri; 22. ex nostris. *Dolorem* non pauci, novem nostri, quatuor Hentenii, tres Parisiensium, & antiqui Epanorthotæ. Hebræa vox עָמָל magis *laborem* denotat: attamen utroque modo vertitur. D. Hieronymus. Psalmi 24. vers. 28. *laborem*; Psalmi liv. vers. 11. *dolorem* reddidit; hoc autem loco etiam ipsius exemplaria variant. 72. hoc loco κόπον; Psalmi vii. versibus 15. & 17. (quibus latine doloris vocabulum est) interpretati sunt πόνον. Πόνος & *laborem* & *dolorem* significat; κόπος vero *laborem* quidem magis proprie designat; sed tamen facile utrumque admittit. Quamobrem ad statuendam huius loci germanam lectionem, attendenda non postremo est loco, probatiorum exemplarium latinorum fides. De ea vero ex nostris exemplaribus id præsertim comperi, Brugensem, & antiquos Epanorthotæ codices, quos maximi facio, *dolorem* legere. Parisienses ex suis manuscriptis Ge. l. ar. & Di. o. *dolorem* emanderunt. Verum exemplaria nostra Lobiense, Tornacense, & Stapulense, *dolorem* Romano, *laborem* Gallico Psalterio attribuunt. Arnobii commentarius utrumque agnoscit. Augustini *dolorem* legit, & de labore non pauca disserit; Forte quod hæc coniuncta sint admodum. Hieronymus, & Remigius *laborem* dumtaxat habent, quæ & posteriorum fere enarratorum est lectio, quamquam Richardus Pampolitanus *dolorem* potius legisse videatur.

(a) Utriusque meminit P. Lombardus, & Bruno, ac Ludolphus Carthusian.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. LIBERE EGIT. Heb. *Ostende te*, id est ne lateas.

V. 9. NON CONSIDERAT? Hebr. *non videbit?*

V. 13. UT MITIGES, &c. Heb. *Ut securum reddas illum a diebus malis, cum fodietur peccatori fovea.*

V. 15. QUOADUSQUE IUSTITIA CONVERTATUR IN IUDICIUM, &c. Hebr. *Quoniam ad iustitiam redibit iudicium, & post illud* (ambulabunt) *omnes recti corde*; id est, tandem Deus iudicabit unumquemque pro sua dignitate, & tunc qui recto sunt corde vivent ex recto iudicio.

V. 16. QUIS SURGET MIHI. Heb. *pro mi?*

V. 17. IN INFERNO ANIMA MEA. Heb. *in silentio*, id est mortuus fuissem.

V. 19. DOLORUM MEORUM IN CORDE MEO. Heb. *cogitationum mearum in medio mei*; ut II. Corinth. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

V. 20. QUI FINGIS LABOREM IN PRAECEPTO. Heb. *Quæ* (sedes) יֹצֵר, *fingit afflictionem in decreto*; id est, num tribunal tuum simile erit hominum tribunali, in quo pro iudicio exercetur afflictio & oppressio pauperum.

V. 21. CAPTABUNT ANIMAM IUSTI. Heb. *Congregant exercitum*, aut conspirant.

SA.

Invocatio Dei contra improbos.

Verf. 1. VLTIONUM. Chald. *ultionis auctor*; quasi dicat ad quem pertinet ulcisci impios, iuxta, illud, *Mea est ultio*. EGIT, scilicet quod voluit.

V. 2. EXALTARE; quasi dicat, Ostende te. RETRIBUTIONEM, id est quod merentur.

V. 3. PECCATORES. Hieron. *impii*. GLORIABUNTUR. Hieron. *exultabunt*. Chald. *sedebunt in tranquillitate*.

V. 4. EFFABUNTUR. Chald. *Effatient*. INIQUITATEM. Chald. *calumnias*. LOQUENTUR Hieron. *garrient*. INIUSTITIAM. Chald. *falsitatem*.

V. 5. HUMILIAVERUNT, id est afflixerunt. HEREDITATEM, id est quos velut hereditatem possides.

V. 7. DIXERUNT, scilicet apud se.

V. 8. SAPITE. Hieron. *discite*.

V. 9. CONSIDERAT. Hieron. *videbit*.

V. 10. CORRIPIT, id est corripere solet, seu castigare. Hieron. *erudit*. ARGUET; quasi dicat: Nonne vos castigabit?

V. 11. QUONIAM, pro quod.

V. 12. ERUDIERIS, id est corripueris. Est enim hic & Hebr. & Græc. idem verbum quod supra vertit *corripit*. DE LEGE TUA, pro legem tuam.

V. 13. MITIGES, id est quietem præstes. MALIS. Hieron. *afflictionis*. FOVEA. Hieron. *interitus*; quasi dicat, donec pereat qui eum vexat.

V. 14. REPELLET, id est deseret.

V. 15. CONVERTATUR IN IUDICIUM, id est iudicium exequatur; quasi dicat, donec malos iudicet, & puniat. IUXTA ILLAM, scilicet approbantes, & amplectentes, vel ei adhærentes.

V. 16. CONSURGET MIHI. Hieron. *stabit pro me*; quasi dicat: Auxilium feret.

V. 17. PAULOMINUS, id est propemodum.

V. 18. SIC DICEBAM; pro, si quando. MOTUS; quasi dicat: In periculo fui cadendi. ADIUVABAT. Hieron. *sustentabat*.

V. 20. ADHAERET SIBI. Hieron. *particeps erit tui*. SEDES INIQUITATIS, id est qui sedent in iniquitate, seu iniquorum throni. FINGIS, id est formas, sic supra, *Qui finxit oculum*; quasi dicat, qui præcipis difficilia, quæ iniqui non faciunt.

V. 21. CAPTABUNT; id est, insidiabuntur ut capiant.

V. 22. FACTUS EST. Hieron. & Chald. *erit*. ADIUTORIUM. Chald. *fortitudinem*. SPEI MAE, id est in quo spero.

V. 23. REDDET; quasi dicat, Punier. IN MALITIA, id est propter malitiam.

ESTII.

Verf. 14. QUIA NON REPELLET DOMINUS PLEBEM SUAM: ET HEREDITATEM SUAM NON DERELINQUET. Illud, *Quia non repellet Dominus plebem suam*, canitur quotidie ad invitatorium matutini, in hymno, seu Psalmo *Venite*: legimus enim sic: *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem suam*, &c. Sed sciendum est illa verba in Psalmo illo *Venite*, qui reipsa est Psalmus xciv. non haberi, neque apud Septuag. neque apud Heb. Unde autem sic canatur in officio divino, ratio reddi potest quod veteres etiam secundum aliquam translationem sic legerint. Nam & Augustinus hæc verba in illius Psalmi expositione legit, & explanat. Similiter & Arnobius, & commentarius adscriptus Hieronymo. Interim sive eo loci hæc verba legantur, sive non, satis constat verba esse Scripturæ sacræ, a Spiritu sancto prolata, tum quia reperiuntur in hoc Psalmo, tum etiam quia citantur ab Apostolo ad Romanos cap. xi. Vide ibi nostra.

V. 15. QUOADUSQUE IUSTITIA CONVERTATUR IN IUDICIUM: ET QUI IUXTA ILLAM OMNES QUI RECTI SUNT CORDE. Non est legendum interrogative, *qui iuxta illam*? ut deinde respondearur, *omnes qui recto sunt corde*. Est id manifestum ex Græcis, & Hebræis. Sept. legunt: *Et habentes eam*, vel *adhærentes ei omnes recti corde*. Heb. sic *Et sequentur, sive sectabuntur hanc iustitiam*, vel hoc iudicium, *omnes recti corde*: & sensus est: Omnes qui recto sunt corde, sectabuntur iustitiam Dei, vel approbabunt iudicium Dei super impios.

V. 20. NUMQUID ADHAERET TIBI SEDES INIQUITATIS, QUI FINGIS LABOREM IN PRAECEPTO? Multa manuscripta habent *dolorem*. Græca vox proprie mo-

le-

lestiam significat, & afflictionem, sicut & vox Hebræa. Deinde Græce, & Hebraice legitur participium, *fingens laborem in præcepto*: quod non ad Deum, sed ad sedem iniquitatis potius referendum videtur, hoc modo: Numquid adhæret tibi, vel (ut Hebræa sonant) sociabitur tibi sedes, seu solium insidiarum, vel iniquitatis, quæ sedes fingit laborem in præcepto? Ac sic sensus est: O Deus, qui iusta iudicas, num tibi quidquam commune erit cum solio tyrannico, de quo procedunt iniustæ sententiæ? quod solium fingit laborem; id est, miseros molestia, afflictione & iniuria afficit in præcepto, id est prætextu legis; quasi dicat: Sub obtentu iustitiæ, & legum opprimunt miseros; iuxta illud, *Summum ius, summa iniuria*. Et huic sensui etiam nostra versio accommodari potest hoc modo: Numquid tu es qui fingis laborem in præcepto? quasi dicat, Non.

MARIANAE.

PSALMUS IPSI DAVID QUARTA SABBATI. Hebr. est sine titulo. In synagogis quidem quarta feria hic Psalmus canitur. Ex eo more inscriptio manavit. UT superbos coerceat. Psalmus deprecatur.

V. 1. LIBERE EGIT. Hebr. *conspicuus apparuit*, aut *appare*, in imperativo, ut plerique sumunt, Hieronymus etiam; id est, de impiis publice vindictam sume.

V. 2. EXTLTARE: te gloriosum ostende ea vindicta sumpta.

V. 3. USQUEQUO PECCATORES GLORIABUNTUR? usquequo exultabunt? superbient de sua felicitate?

V. 4. EFFABUNTUR, garrient. Ea est vis verbi Hebr. יַבִּיעוּ *iabibu*, a *nabah*, quod est *scaturire*. ET LOQUENTUR INIQUITATEM. Hebr. *loquentur dura*, id est superba. LOQUENTUR OMNES. Id potest significare verbum Hebr. *tithameru*. Verum Hebræi exponunt in significatione se extollendi, *quousque se extollent*, Hieron. *garrient*, omnes iniqui.

V. 5. POPULUM TUUM DOMINE HUMILIAVERUNT. Heb. *attriverunt*. Non modo loquuntur male, sed & male faciunt.

V. 7. ET DIXERUNT. Eo amentiæ processerunt, ut Dei providentiam tollant: Non videbit Dominus.

V. 8. INTELLIGITE INSIPIENTES. Hebr. *iumenta*, & per interrogationem sic: *Intelligite iumenta in populo* (id est populi) *& stulti, quando intelligetis?*

V. 9. NON CONSIDERAT? non videt qui finxit oculum. QUI CORRIPIT GENTES, id est externos. NON ARGUET? suos non puniet? QUI DOCET HOMINEM: scilicet ipsum aliquid latebit eorum quæ geruntur?

V. 11. QUONIAM VANAE SUNT; pro, quod vanæ sunt cogitationes hominum: aut sic: Dominus scit cogitationes hominum vanas esse, eas scilicet quibus putant Deum non curare res humanas.

V. 12. QUEM TU ERUDIERIS beatus. Hebr. *castigaveris*. ET DE LEGE TUA; pro, legem tuam docueris eum; id est, facis ut eam observet. Is est beatus.

V. 13. UT MITIGES EI A DIEBUS MALIS. Hebr. *ut quietem des illi a diebus malis*, pro in diebus malis, id est malorum expertem facias. DONEC FODIATUR PECCATORI, scilicet ei qui res turbat, FOVEA, sepulcrum; id est, donec tyrannus pereat.

V. 15. QUOADUSQUE IUSTITIA CONVERTATUR IN IUDICIUM; id est, donec iustitia versetur in iudiciis, quæ modo sunt perturbata, non derelinquet suos in hac rerum perturbatione. ET QUI IUXTA ILLAM, scilicet iustitiam. OMNES QUI RECTO SUNT CORDE, id est probi. Hebr. *& post eum omnes recti corde*: scilicet illi Deum quærent, qui illos tuetur, eumque colent.

V. 16. QUIS CONSURGET MIHI? id est pro me, mihi adhæreat, pravos persequi volenti. STABIT MECUM ADVERSUS. Heb. *stabit mihi cum operantibus iniquitatem*, scilicet litiganti.

V. 17. PAULOMINUS HABITASSET IN INFERNO, id est in sepulcro periissem. Hebr. *habitasset silentium*; sed *silentium* pro *sepulcro*. ANIMA MEA: ego, vita mea.

V. 18. SI DICEBAM; id est, si quando cogitabam. MOTUS EST PES MEUS; id est, res meæ vacillant, versor in periculo. Continuo tua misericordia affuit mihi.

V. 19. SECUNDUM MULTITUDINEM DOLORUM MEORUM: ubi multi dolores, multæ consolationes. Hebr. *In multitudine cogitationum mearum, in medio mei* (id est

eſt dum multa mecum volverem) *conſolationes tuæ lætificarunt*.

V. 20. NUMQUID ADHAERET TIBI SEDES INIQUITATIS. Hebr. *Num ſociabitur tibi ſedes confractionis*, id eſt tyrannica? num cum eis aliquid commune habes? QUI FINGIS LABOREM IN PRAECEPTO? Repeto *num*: num fingis laborem in præcepto? quod faciunt tyranni, leges promulgantes graves, ut ſubditos premant. Tu potius conſolationibus eos ſublevas, quod paulo ante dixit. Metaphora a figulo, qui ex luto facit vas: ſic hi quæ in mente laborioſa aut iniqua cogitant, ea in præceptum vertunt.

V. 21. CAPTABUNT IN ANIMAM IUSTI. Hebr. *conſpirabunt*, *coibunt* (tyranni qui fingunt laborem) *contra iuſtum*, *ut eum*, *perimant*. At Deus erit.

22. IN ADIUTORIUM SPEI MEAE. Heb. *in rupem* (id eſt arcem) *ſpei meæ*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DEUS ULTIONUM DOMINUS, &c. Putant aliqui hunc Pſalmum conſcriptum a Davide contra perfidum Saulis comitatum, a quo dire vexabatur. Alii univerſe adverſus omnes improbos piorum oppreſſores, ut in eos vim vindictæ ſuæ exerat Deus. Quidam: *O fortis Deus ultionum Iehova*; id eſt, qui uniuſcuiuſque ultionis auctor atque eſſe ctor es: Deuteronom. XXXII. 35. Alii: *O Deus ſcelerum ultor Iehova*. Alii: *O Deus, qui poteſtatem habes ulciſcendi iniurias tuorum, Iehova*. LIBERE EGIT. הופיע *hophiapi*, poteſt eſſe tertia perſona præteriti, *inclaruit*, *irradiavit*, *ſplenduit*, ut Deuteron. XXXIII. 2. & Pſal. XLIX. 2. ſed communiter in imperativo capiunt, ut Pſal. LXXIX. 2. unde hic reddunt: *Inclareſce*, *irradia*, *ſplende*, *affulge*, *conſpicuus appare*, *ſplendide appare*, *fac te conſpicuum*; id eſt, palam & videntibus cunctis pœnas ſume de ſceleratis. Quidam reddunt *Honorificare*, quaſi honoris Dei interſit, plecti improbos. Buchananus:

O fraudis ultor, ſceleris o vindex Deus,
Oſtende numen impios contra tuum.

V. 2. EXALTARE QUI IUDICAS TERRAM: vel *attollere*, *o Iudex terræ*, ut Geneſ. XVIII. 25. Pſal. LXXXI. 8. & infra verſ. 10.

V. 4. EFFABUNTUR, ET LOQUENTUR INIQUITATEM. Hebr. *Eructabunt*, *loquentur durum*. Varie alii. I. *Eructantes loquentur ſuperbe*. II. *Effutiendo*, vel *effutientes*, *loquentur durabile*; id eſt, quod inurit notam infamiæ, & hæret, ut Pſal. XXX. 19. III. *Effutient*, *loquentur grandia*. IV. *Affluent*, bonis, *loquentur forte*, id eſt vim & iniuriam. V. *Affluent loquentes inveteratam malitiam*. LOQUENTUR OMNES, QUI OPERANTUR INIUSTITIAM. Verbum אמר *amar* ponitur hic in forma Hithpahel, ex verbo, *dicere ſeſe facient*, in qua forma alibi non legitur, niſi fortaſſe Iſaiæ LXI. 6. reddunt: *Extollent ſeſe*, *exaltabunt ſe*, *gloriabuntur*, *prædicabunt ſe*, *iactabunt ſe*.

V. 8. INSIPIENTES. בוערים *pogharim*, formam participii præfert, aut nominis participialis: quidam reddunt *ardentes*, id eſt improbi, qui exardeſcunt in alios, & omnia in populo exurunt. Alii: *Bruteſcentes*, *brutiſſimi*, *pecuini*, *beſtiales*, *fatui*, *bardi*, *ſtupidi*, *ſtolidi*. Sic compellat impios graviſſimis nominibus, propter miſeram & dementem illorum conditionem, iudiciumque perverſiſſimum, quod redarguitur verſibus ſequentibus. Vide ſupra Pſalmum CXI. 7. ALIQUANDO SAPITE: Hebr. *Quando intelligere facietis?* Verbo שכל *ſacal*, in Hiphil hæc omnia ſubſunt, *Quando gnaviter*, *prudenter*, *conſiderate*, *induſtrie*, *ſtrenue agetis?* vide in Geneſ. III. 6. & in Pſal. II. 10.

V. 9. QUI PLANTAVIT AUREM, NON AUDIET? &c. Hic verſus reſpondet verſ. 7. ſupra. Alii ſubtilius putant eſſe redargutionem a loco ex abſurdo; quaſi dicat: Adeo abſurdum eſt, Deo (qui viſum auditumque dedit hominibus) viſum & auditum adimere illis, ut qui hoc ſentiant, penitus mente captos, & brutiſſimos eſſe oporteat: ſimili argumento utitur Deus Exod. IV. 11.

V. 11. DOMINUS SCIT COGITATIONES HOMINUM, QUONIAM VANAE SUNT. Heb. *quod eæ ſunt vanitas*, traiectio, ut Geneſ. I. 4. pro: *Iehova cognoſcit cogitationes hominum eſſe vanitatem ipſam*. Volunt eſſe ſubiectionem, qua Propheta utitur ad ſuperiorem argumentationem contra impios. Eſt autem ea accipienda ſynecdochice, ut omnibus membris præcedentibus reſpondeat; quaſi dicat: videt, corrigit, cognoſcit: & tamen vanitatem iſtam audiens,

vi-

videns, cognoſcens diſſimulat, donec tempus iuſtitiæ conſtituerit, de quo verſu ſequente.

V. 12. BEATUS HOMO, QUEM TU ERUDIERIS DOMINE, &c. Hoc, & ſequente verſu deſcribit eventum, qui bonos & malos conſecutus eſt: bonis in bonum; malis in malum. *Quem tu erudieris*, Hebr. *quem caſtigalis*, vel *caſtigas*; id eſt, affligis, & flagellas etiam impiorum opera; quam expoſuit ſupra verſ. 5. & 6.

V. 13. UT MITIGES EI A DIEBUS MALIS. Hebr. *Ad præſtandum quietem, tranquillitatem, ei a diebus mali*, id eſt adverſitatis. Quidam: *Ut tranquillitatem illi pares a tempore adverſo*. Alii: *Ut ſecurus ſit a periculoſis temporalibus*; id eſt, tandem aliquando a calamitatibus liberandum, quia temporariæ ſunt, ac non perpetuæ afflictiones eius: ut explicatur Pſal. XXXVI. DONEC FODIATUR PECCATORI FOVEA. Alii: *Interim dum foditur improbo fovea*; id eſt, comparatur, & ſtruitur ultio, quam Deus inflicturus eſt iis, qui affligunt bonos, poſtquam perfecta eſt, & abſoluta eſt illorum iniquitas. Vide II. Theſſalonicenſ. 1. 5. & ſeqq.

V. 14. QUIA NON REPELLET DOMINUS PLEBEM SUAM, &c. Notant eſſe primum locum confirmationis, a fide, & veritate fœderis, promiſſionumque Dei; quaſi dicat: Non deſeret Iehveh populum, cui ſe fœdere, & verbo ſuo adſtrinxit affuturum ei.

V. 15. QUOADUSQUE IUSTITIA CONVERTATUR IN IUDICIUM, &c. Hunc verſum varie ex Heb. elucidant. I. *Quoniam uſque iuſtitiam revertetur iudicium: & poſt ipſum omnes recti cordis*; id eſt, quoniam uſque ad executionem iuſtitiæ in alia vita revertetur iudicium huius vitæ; hoc eſt, iudicia, ſeu iuſta, ſeu iniuſta, quæ in hac vita ab hominibus exercentur, Deo interim etiam ſuum abſtinente iudicium ad normam & lancem veræ iuſtitiæ in alia vita exigentur: & ipſum iudicium vitæ futuræ ſequuntur, & affectant omnes iuſti. II. *Quoniam ad iuſtitiam revertetur iudicium, & ſequentur illud omnes recti corde*; id eſt, iuſtum iudicium exercebitur, quod amplectentur pii. III. *Nam tandem uſque ad iuſtitiam revertetur iudicium*; id eſt, quamvis Dominus differat ſua iudicia, ſinatque ſuos diutius affligi, tandem iuſtitia & iudicium reſtituentur in ſuum locum, hoc eſt, ex æquitate iudicium faciet omnibus, nam probos vindicabit, impios perdet; *& poſt illam*, ſubaudi iuſtitiam, vel *poſt illud*, iudicium, ſeu *poſt illum*, Dominum, ſuſpirant, ſequuntur, omnes recti corde. IV. *Sed ad iuſtitiæ normam reſtituet iudicium; atque cum ſectabuntur omnes, qui recto ſunt corde*. V. *Futurum eſt enim ut iuſtitia coniungatur cum iudicio, & iudices, quod iuſtum eſt, iudicent; ſequanturque illud univerſi, qui integro ſunt animo*. VI. *Sed uſque ad iuſtitiam reverſurum eſt iudicium*; id eſt, iudicium Dei (quod in hoc ſæculo magis exercet bonos quam improbos, & cuius principia tantum in hac vita ducuntur) tandem ad plenam, & conſtantiſſimam iuſtitiam perducetur, ut ſuum unicuique ius tribuatur: affligentibus afflictio; afflictis vero regnum Dei, pro quo patiuntur: *& poſt illud omnes recti corde*, nimirum revertentur, id eſt inſtaurabuntur poſt iudicium Dei conſtitutum; ſive hic liberati a malis, quod Propheta reſpicit; ſive in futuro ſæculo omnibus bonis cumulati in Chriſto.

V. 16. QUIS CONSURGET MIHI ADVERSUS MALIGNANTES, &c. Hunc verſum ſic alii accipiunt: *Quis ſurrecturus fuiſſet pro me contra maleficos? quis ſe ipſum ſtitiſſet pro me, contra eos, qui operam dant iniquitati?* quaſi dicat: Niſi Dominus adiuviſſet me, quis alter mihi opem tuliſſet? Alter confirmationis locus ab exemplo ſuo; quo oſtendit Pſaltes actum fuiſſe de ſe, niſi ſuccurriſſet Deus: ita deſperatus erat, & abiectus ab omnibus, ut exponitur verſu ſequente.

V. 17. PAULO MINUS HABITASSET IN INFERNO ANIMA MEA. Heb. *Sicut parum habitavit ſilentium anima mea*. Quidam: *Brevi apud inferos habitaſſet anima mea*. Hebræi דומה *dumah*, *Pahul Kal* eſſe putant: *Ferme, propemodum, tantum non habitavit exciſa, ſilens, anima mea*. Alii nomen eſſe volunt: *Parum abfuit quin vicina fuiſſet exciſioni*, vel *ſilentio anima mea*. Aliqui: *Iam pridem habitaret apud inferos anima mea*. Alii: *Parum enim abfuit quin vita ſpoliatus iacuerim in ſepulcro*. Nonnulli: *Parum abeſt, quin habitaſſet in loco ſilentii vita mea*; id eſt, mortuus fuiſſem, & ſepultus: periphraſis. Vocatur autem ſe-

ſepulcrum locus ſilentii a Propheta, quia ſepultis adempta eſt omnis facultas celebrandi Deum in cœtu fratrum ſuorum, vel Eccleſia Dei; hic, & Pſal. cxiv. 25. & Iſaiæ xxxviii. 18. Vide ſupra Pſal. vi. 6. Ex iſtis locis, & Patrum traditione arbitrantur etiam Ethnicos ſepulcrum, ſeu infernum, ſeu ſtatum mortuorum hoc nomine dixiſſe: ſicut Virgilius AEneidos VI.

Dii, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes,
Et chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia late.

V. 19. Dolorum meorum. שרעפים *ſarghaphim*, cum Scin ſiniſtro, in cuius vocis enodationem nihil aptius divinatum videtur, quam quod Forſterus annotat in hunc modum: *Nomen pluralis numeri, compoſitum ex nominibus* שעיף *ſaghiph, &* עפה *ghapha, quod utrumque Ramum ſignificat, interpoſita littera Reſc: quod ad animum refertur, & ſignificare arbitror perplexitatem ſcilicet cogitationum, diſtractionem animi: nam ut* אמיר *amir & ramum ſignificat, & cogitationem, ſeu prolocutionem; ita hoc quoque ſimili rationem: vel deducere potes a* שרף *ſaraph, interpoſita littera Hain, id eſt æſtus, adductiones, curæ ſeu cogitationes, quæ animum urunt.* Idem omnino eſſe exiſtimat idem Forſterus cum סרעפית *ſarghaphoth* femineo, cum Samech: quod ſimili modo componi ex סעיף *ſaghiph*, & עפה *ghapha* putat; & *ramos* ſignificare, non eſt dubium, Ezechiel. xxxi. 5. unde *ſarghaphim* ſunt rami; ſeu perplexitates cogitationum, metaphorice. Avenarius componit ex סר *ſar, principes*, & עפה *ghapha, frons, frondis, ramus*: vel a שרף *ſaraph, uſſit, &* עוף *ghoph, volare*: ut ſit ramus principalis in vertice arboris, qui hinc inde a vento agitatur: & per translationem accipi pro cogitationibus dubiis, volantibus, pendentibus, quæ in modum frontium aut ramorum pendent, & agitantur. Quæ contra diſſeret Mercerus ne oboli fecerim. Et ſi mihi quoque divinare libeat, forraſſe alluſit Propheta ad cruciatum illum, quem veteres *Diaſphendonem* appellarunt, quo inflexis arborum ramis alligatus homo, & ſubito dimiſſis, diſcerpebatur: de quo vide Lib. IX. de Antichriſto, cap. xii. in S. ſupplicio: ut queratur Pſaltes ſe diaſphendone cogitationum vehementer animo diſtrahi atque cruciari. Quo reſpexiſſe videntur LXX. & Noſter, cum verterunt, *dolorum meorum*. Plerique hic reddunt, *in multitudine cogitationum mearum in intimo meo*; id eſt, dum multa tacitus mecum revolvo, nempe quod nihil iniuſte agas, quod iuſtus ſis iudex, &c. Alii. I. *pro magnitudine anxiarum cogitationum intra me.* II. *pro multitudine triſtium cogitationum mearum, quibus intra me cruciabatur animus meus.* III. *in multitudine cruciatuum meorum internorum.* VI. *pro æſtu multarum cogitationum intra me.* Consolationes tuae laetificaverunt animam meam. Futurum verbi geminati Pihel ישעשעו *ſchighaſchagh* varie hic reddunt: *Lætificabunt, exhilarabunt, reficient, oblectabunt, recreabunt.* Notant id verbum conſtructum cum acuſativo, ut hic, accipi in bonam partem, ſignificareque blandam applicationem ad rem aliquam, ex qua voluptatem & oblectationem accipimus: & includere geſtum applaudentium & blande ſe applicantium. Unde reddunt, *Conſolationes tuæ complexæ ſunt blande animam meam.* Senſum huius verſiculi ita concipiunt: Quantum excruciabant animum meum cogitationes triſtiſſimæ, tantum illum recreabant conſolationes tuæ iucundiſſimæ: ut II. Corinth. i. 5. Tremellius, & Iunius reddunt: *Conſolationes meæ oblectant animam meam*, id eſt quas ego per ſpiritum tuum percipio ex natura, & verbo tuo: prout has conſolationes ſequentes verſus oſtendunt, ſed inſigni allucinatione: nam exemplaria conſtanter habent affixum ſecundæ perſonæ, non primæ.

V. 20. Numquid adhaeret? &c. Hunc verſum varie ex Heb. explanant. I. *Numquid ſociabitur tibi thronus pravitatum, formans laborem ſuper præcepto?* id eſt, num tecum aliquid commune habent principes & iudices pravi, qui ad hoc præcepta & leges ſubditis imponunt, ut illis creent moleſtiam? II. *Num particeps tui erit thronus inſidiarum, formator laboris in præcepto?* III. *Numquid ſociabitur tibi thronus perverſitatum, creans iniquitatem in præcepto?* IV. *Num tibi quidquam commune erit cum tribunali confractionum, quod creat iniuriam cum præcepto?* vel *ex ſtatuto, de more*, ſive *ex conſuetudine?* quaſi dicat: Nihil habes commune

mune cum tribunali iniusto, cum iudicibus improbis, qui solent aliis iniuriam facere. V. *An vero affixum tibi erit solium pravitatum*; *ut fingas afflictionem pro statuto?* vel *quod fingit molestiam ex more*. VI. *Num tibi quidquam commune est cum solio sceleratі*, vel *tyrannico*, *qui afflictionem fingit prætextu legis?* VII. *Numquid commune tibi quidquam erit cum solio & potestate tyranni, qui struit calumniam in fontibus, idque suo more, & tanta calliditate, ut legitime illud facere videatur?* VIII. *An consociaretur tibi solium ærumnarum, formantis molestiam. præter statutum?* Exponunt; id est, an iustus iudex totius terræ non faceret iudicium, sed iniustitiam faceret? ut Genes. XVIII. vers. 25. sic consolabatur se Propheta a natura Dei, *solium ærumnarum*, id est tyrannicum, ærumnas aliis afferens immerito, ut sequentia docent: *formantis molestiam*, id est fingentis, comminiscentis, atque perpetrantis, metaphora a figulis: *præter statutum*, id est *contra iura & leges*.

V. 21. CAPTABUNT IN ANIMAM IUSTI. Futuro יגודו *iagboddu* hæc omnia subsunt: *Congregant exercitum*, *conglobant se*, *congregant se*, *concursant*, *turmatim concurrunt*, grassantur: nihil aptius quam, *Latrocinantur adversus vitam iusti*. Vide in Genes. XLIX. Aliqui: *Decident*, subaudi iudicium seu sententiam, *contra animam iusti*. Plerique iungunt antecedentibus: *Formantis molestiam contra iura & leges: turmatim convenientium contra animam iusti, & sanguinem innoxium condemnantium*.

V. 22. ET FACTUS EST MIHI DOMINUS IN REFUGIUM. Heb. alii. I. *Et fuit mihi Iehova fortitudini*. II. *At Iehova est mihi pro arce*. III. *Immo est Iehova mihi pro edito loco: & Deus meus pro rupe receptus mei*. Respondet hic versus, ei quod dixerat supra vers. 19. *Consolationes tuæ oblectant animam meam*: affirmat enim, sibi constantem consolationem esse in Deo protegente suos.

V. 23. ET REDDET ILLIS INIQUITATEM IPSORUM, &c. Hunc versum explicatius alii ex Heb. convertunt. I. *Et retorquebit in eos malitiam eorum, & propter nequitiam eorum succidet eos, succidet eos, inquam, Iehova Deus noster*. II. *Et retorquebit in illos iniquitatem, qua oppresserunt alios ipsi: & quemadmodum meretur scelerata vita illorum, subvertet eos funditus, subvertet, inquam, eos ipse Iehova Deus noster*. III. *Et rependet, restituet, eis iniquitatem ipsorum*, id est, convertet contra eos: *& in malo suo*, quod in bonos moliuntur, *perdet ipsos*, &c. IV. *Qui convertit contra eos iniquitatem ipsorum: & in malitia ipsorum exscindit ipsos, exscindit ipsos Iehova, Deus noster*; id est, retorquet in ipsos malum ipsorum, ut dixerat, supra vers. 2. item Psal. VII. 9. & alibi passim.

MENOCHII.

QUARTA SABBATI, scilicet decantandus.

V. 1. DEUS ULTIONUM DOMINUS. Dominus, qui solus est Deus, potestatem habens ulciscendi suorum iniurias. LIBERE EGIT: ut libuit egit, nemine prohibente, quippe omnium rerum Dominus. In luce, & oculis omnium iudicia sua exercuit.

V. 2. EXALTARE: altum, & gloriosum te ostende. RETRIBUTIONEM, debitam superbiæ mercedem.

V. 3. GLORIABUNTUR, quod impune peccent; quod prospere agant, licet sint iniurii in probos, & innocentes.

V. 4. EFFABUNTUR. In Hebr. est, *Fundent*, vel *scaturire facient*. Abunde emittent, effutient. INIQUITATEM. In Hebr. est *durum*. Dura, & intoleranda verba effundent. LOQUENTUR: insolenter loquentur, superbe, elate, fastuose, ut indicat vox Hebræa.

V. 5. HUMILIAVERUNT. Hebr. *attenuaverunt*, *attriverunt*. HEREDITATEM TUAM, populum, quem tibi in hereditatem, & peculium elegisti.

V. 7. NON VIDEBIT, &c. quasi Deus non possit, aut negligat curare res humanas.

V. 9. QUI PLANTAVIT, &c. quasi dicet: Est ne probabile eum, a quo omnes habent ut videant, & audiant, non audire, nec videre?

V. 10. QUI CORRIPIT GENTES, &c. qui gentes etiam profanas, & alienas a sui notitia castigat, & punit, vobis ne parcet, ad quos ipsius notitia pervenit? QUI DOCET HOMINEM SCIENTIAM: qui correptione, & punitione docet homines quid age-

agere debeant, non arguet vos? Est repetitio præcedentis sententiæ.

V. 11. Cogitationes hominum. Non modo videt opera externa, sed etiam pectoris internas cogitationes introspicit, easque vanas, & inanes cognoscit.

V. 12. Quem tu erudieris, docueris, ut se a vanitate abducat, & ad bonam mentem redeat. De lege tua, &c. in lege tua instituerit.

V. 13. Ut mitiges ei a diebus malis: ut tranquillitatem illi pares a temporibus hisce malis, & calamitosis. Hunc enim ex divinæ doctrinæ cognitione fructum ferunt pii, ut mitius ferant adversa. Fovea, sepulcrum, quo condatur, donec impius ex hac vita sublatus sit.

V. 14. Quia non repellet: neque enim repellet.

V. 15. Iustitia convertatur in iudicium: quamdiu iustitia vigebit, & reducetur in opus. Iustitiam enim converti in iudicium, est illam non hærere in lingua, sed operibus exhiberi. Alii de extremo iudicio interpretantur, ut sit sensus: Usque ad illam diem, in qua iustitia divina, quæ nunc videtur esse quasi in habitu, vel in potentia, dum non punit impios, nec remunerat iustos, prodibit in actum iudicii, & quæ erat iustitia habitualis, fiet iustitia actualis. Et qui iuxta illam, qui adhærent illi, ut est in Græco καὶ ἐχόμενοι αὐτῆς: sensus est: Donec adhæserint illi, scilicet iustitiæ, omnes pii, & recto corde, illos Dominus non deseret.

V. 16. Quis consurget mihi, in meum commodum, & auxilium. Hieron. vertit: *Quis stabit pro me?* contra malignantes? malos, iniquos. Græce πονηρευομένους, qui male agunt, & malis studiis delectantur. Aut quis stabit? Repetitio superioris sententiæ.

V. 17. Nisi quia, &c. nisi Dominus iuvisset me. Habitasset in inferno, in sepulcro. Vel sensus est, parum abfuisset a morte æterna.

V. 18. Si dicebam: motus est pes meus: si mihi videbar aliquando vacillare.

V. 19. Secundum multitudinem, &c. proportionem. Si multis doloribus urgebar; maior etiam consolationis modus indulgebatur.

V. 20. Numquid adhaeret tibi, &c. Sensus est: Fieri non potest ut sedeas in sede iniquitatis, aut iniuste iudices, aut iniquitatem probes, qui vis præcepta tua, etiam cum magna obstat difficultas, servari, ex quo patet te odisse peccata. Qui fingis laborem in praecepto: qui formas, facis, constituis laborem in præcepto, cuius nos etiam cum labore tenaces esse iubes.

V. 21. Captabunt in animam iusti: capere studebunt iustum. Metaphora est sumpta a venatoribus; itaque in Græco est, *venabuntur*. Sanguinem innocentem condemnabunt: pronuntiabunt contra innocentem, & sanguinem illius fundent.

V. 23. Iniquitatem ipsorum id quod illorum iniquitas meretur. In malitia, propter malitiam. Disperdet, succidet.

TIRINI.

Quarta sabbati, id est feria quarta, sen die mercurii: tunc enim solebat hic Psalmus recitari.

V. 1. Deus ultionum Dominus (Chald. *auctor ultionis*, nempe ad quem spectat ulcisci impios) libere egit; id est, pro placito suo, quando & quomodo voluit, semper ultus est impios, quantumvis multos, nobiles, potentes.

V. 2. Exaltare; quasi dicat: Ergo etiam nunc altiorem te ostende superbis hisce tyrannis.

V. 10. Qui corripit, seu corripuit semper hucusque, & punivit omnes gentes, parcet ne vobis, & non arguet vestram nequitiam?

V. 13. Mitiges ei ærumnas & calamitates quæ pio homini obveniunt a diebus malis, ne scilicet supra vires opprimatur: donec fodiatur peccatori fovea; id est, donec ii intereant qui ipsum vexant.

V. 15. Quoadusque iustitia convertatur in iudicium; id est, donec iustitia exequatur iustum iudicium & exeat in vindictam, quasi dicat. Quamdiu in Republica florebit executio iustitiæ, & vindicta malorum: & quamdiu iuxta illam iustitiam erunt, id est iustitiæ adhærebunt, & iustæ pœnæ exequendæ invigilabunt, omnes qui recto sunt corde.

V. 17. PAULOMINUS HABITASSET IN INFERNO ANIMA MEA; id est, parum abfuiſſet quin hoſtes ſpoliaſſent me vita, & inferos miſiſſent. Tropologice quadrat in peccatores.

V. 18. SI DICEBAM Deo in oratione: MOTUS EST PES MEUS; id eſt, vacillant res meæ, perii, actum eſt de me, niſi ſuccurras; quaſi dicat: Statim atque Deo expoſui neceſſitatem, & periculum meum, opem tulit mihi, inquit ſanctus Hieronymus.

V. 20. AN ADHAERET TIBI SEDES INIQUITATIS? id eſt, an tibi eſt iniquum tribunal? aut aliquid tibi commune eſt cum iniquo tribunali? QUI FINGIS LABOREM IN PRAECEPTO; id eſt, qui inſtar figuli plaſmaſti, & condidiſti nobis præcepta laborioſa, & ardua; quaſi dicat: An forſan inſtar iniquorum iudicum, non adminiſtrabis nobis iuſtitiam, etiam poſtquam tam ardua præcepta quæ nobis dediſti, ſervavimus?

V. 21. CAPTABUNT IN ANIMAM. Hebraice: Turmatim conveniunt, & coacervantur impii iudices, ut innocentem capiant, & perdant.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS IPSI DAVID, &c. Hunc titulum Hieronymus, & Auguſtinus agnoſcunt cum pleriſque aliis, cum habeatur in Græcis, & Latinis codicibus; tamen in Hebræo nullus eſt titulus. Notatur, *Quarta ſabbati*, vel quarto die a ſabbato, quia eo die ſolebat cani apud Hebræos. Argumentum eſt, ut mortales hinc intelligant divinæ providentiæ modum, qui patienter ſuſtinet ad pœnitentiam impios, & tandem infert ultionem: ſicut etiam remunerat bonos. Aliqui primum Pſalmi verſiculum accommodant Chriſto ad iudicium venturo.

Verſ. 1. DEUS ULTIONUM, &c. In Hebr. אל eſt Dei nomen, ut fortis eſt; ſicut cum vocatur Altiſſimus, eſt עליון *hhelion*. Quod vero eſt hic, LIBERE EGIT, in Hebr. eſt הופיע *hophiahh*, a rad. יפע, *clarius effulſit*. Sed probabile eſt aliquibus Septuag. legiſſe הופיח *hophiach*, a radice יפח *iaphach*, *confidenter agere*, ſola mutatione litteræ ultimæ, ſicut in Græco eſt, ἐπαῤῥησιάσατο, *fiducialiter aget*, ſeu *libere*: ſic qui agit manifeſte: ex rad. יפע.

V. 15. QUOADUSQUE, &c. Quamvis Deus videatur interdum iratus ſuis, tamen præparat tandem impiis interitum, ac foveam; nec intermittit ſolicitus eſſe de bonis. Durabit autem hæc ſolicitudo & cura (quamvis interdum occulta) donec ad iudicandum venerit, & ſint in iudicio iuxta illum OMNES QUI RECTO SUNT CORDE, ut clare habet Hebræus codex.

V. 20. NUMQUID ADHAERET? &c. Sane, inquit, conſolabitur ſuos Deus: non enim tam erit iniquus, ut dans nobis laborioſa præcepta (quæ ſine magno labore non implentur) nolit dare etiam laboris præmium. Septuag. ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ πρόσταγμα.

V. 21. CAPTABUNT, &c. θηρεύσουσι ἐπὶ ψυχὴν δικαίου. Concludit Pſalmum. Agent, inquit, impii quidem contra iuſtum, ſed erit Dominus in refugium. *Captabunt* verbum, in Heb. eſt יגודו *iagoddu*, *convenient*, a גדד *gadad*, *convenire*: at apparet Septuag. legiſſe יצודו *iatſudu*, *venabuntur*, a rad. צוד *tſud*, *venatus eſt*. θηρεύσουσι apud Septuag. non diſſentit a Vulgato.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. uſq. ad 5. DEus *ultionum Dominus*, &c. Fundamentum hoc initio Pſalmi iacitur. Deus eſt ultionum omnium Dominus, & ita libere agit in hac re, ut nemo eum poſſit impedire. Ergo exurge Domine, oſtende tuam potentiam, & redde viciſſitudinem peccatoribus. *Uſquequo gloriabuntur* in ſua damnanda felicitate, & peccatis? Hæc imprecatio eſt prædictio per modum precationis.

V. 5. 6. 7. *Populum*, &c. Hæc eſt, inquit, iſtorum iniquitas: populum humiliaverunt, opprimendo ſcilicet hereditatem tuam: immo nec viduis parcunt, nec pupillis: & tam cæti ſunt, ut putent te iſta non videre, nec habere providentiam erga afflictos.

V. 8. uſq. ad 12. *Intelligite*, &c. Probat (contra eos qui dicebant Deum mala iſta non videre) in Deo eſſe harum iniqui-

quitatum scientiam, & providentiam: quia quidquid vos habetis, inquit, ad hæc perpetranda, & cognoscenda, hoc totum habetis ab illo rerum omnium auctore, & speculatore. Videte etiam ut populos corripiat, & doceat alios scientiam. Sane qui dat hominibus ut intelligant, debet ipse intelligere. Denique scit hanc vestram cogitationem esse vanam.

V. 12. usq. ad 16. *Beatus*, &c. Ergo cum ita sit de Deo, *beatus homo* ille, quem tu Domine doces ex lege tua, ut eam intelligat, & ex intimo affectu servet, & sic benignius ferat mala huius vitæ, donec peccator cum sua falsa felicitate pertranseat ad interitum, & iustitia Dei veniat ad iudicium extremum, seu exercitium iustitiæ, & sint ibi omnes recti corde.

V. 16. & 17. *Quis consurget*? &c. Sed interim, inquit, donec iustitia veniet ad iudicium, & dum mali urgent iustum; quis stabit pro innocente? certe Dominus, sine quo nihil abest homo ab interitu mortis æternæ; nam τὸ *paulo minus* idem est hic ac paulo post, aut intra modicum tempus, παραβραχὺ: ac proinde locus hic non favet Pelagianis, sed asserit necessitatem gratiæ.

V. 18. & seq. *Si dicebam*, &c. Sensus est: Quoties agnoscebam moveri pedem meum ad malum, cum essem ex me infirmus, misericordia tua adiuvabat me, & consolationes tuæ lætificaverunt me. Et hoc explicat, quod antea dixit, necessaria esse gratiam ad vitandam mortem animæ.

BOSSUET.

Vers. 1. LIBERE EGIT: ostendere, appare, o Deus scelerum ultor: tempus est ut appareat potentia tua, dum impii in plebem tuam grassantur.

V. 4. EFFABUNTUR, &c. *Effutient*, & *loquentur grandia garrientes*: Heb.

V. 9. QUI PLANTAVIT AUREM, NON AUDIET? Præclare Hier. comm. in hunc Psalmum: *Iste locus adversus eos maxime facit, qui anthropomorphitæ sunt: qui dicunt Deum habere membra quæ etiam nos habemus, & humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt*. Et paulo post: *Videte quid dicat: Qui plantavit aurem? non audiet: non dixit: Qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet? non dixit: Ergo ipse oculos non habet? sed quid dixit? Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculos, non considerat? membra tulit, efficientias dedit*. Quem locum Augustinus exscripsit, atque Hieronymo tribuit Epist. ad Fortunat. olim III. nunc CXLVIII.

V. 13. MITIGES, *quiescas*, &c. Hier. *quietem ei præstes*, Heb.

V. 15. QUOADUSQUE, &c. quoadusque iustitia ipsa iudicium exerceat, ac iudicia iusta sint. ET QUI IUXTA, &c. *Et sequentur illud* (iudicium) *omnes recti corde*: Hier.

V. 17. PAULOMINUS, &c. *propemodum in silentio habitassem*: Heb. cessassem in tumulo: morte extinctus essem.

V. 18. SI DICEBAM: MOTUS EST PES MEUS, &c. Statim atque agnovi, ac tibi exposui, Deus, nutare omnia circum., ac nihil esse firmi, tulisti opem labanti.

V. 19. SECUNDUM MULTITUDINEM, *in multitudine*, *cogitatione*, Hier. Quanta fuit anxietas cogitationum mearum, tantæ consolationes tuæ.

V. 20. NUMQUID ADHAERET TIBI? *Numquid particeps erit tui*? Hier. Ad Deum loquitur: An sociabitur tibi sedes insidiatrix iudicis in iusta legis prætextu decernentis?

V. 21. CAPTABUNT, *copulabuntur*, Hier. nempe mali iudices, IN ANIMAM IUSTI: consentient ad opprimendum iustum.

PSALMUS XCIV. LAUDIS ET ADORATIONIS.

Invitat ad Dei laudes & cultum: novam eius vocem in teſtamento novo, novamque requiem pollicetur a qua contumaces arcet verſ. 8. 11. Davidi tribuitur: Hebr. IV. 7. in Hebræo autem nullus eſt titulus.

VERSIO S. HIERONYMI.

Venite laudemus Dominum: iubilemus petræ Ieſu noſtro.

Præoccupemus vultum eius in actione gratiarum: in canticis iubilemus ei.

Quoniam fortis & magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes deos.

In cuius manu fundamenta terræ, & excelſa montium ipſius ſunt.

Cuius eſt mare, ipſe enim fecit illud, & ſiccam manus eius plaſmaverunt.

Venite adoremus & curvemur: flectamus genua ante faciem Domini factoris noſtri.

Quia ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & grex manus eius: hodie ſi vocem eius audieritis.

Nolite indurare corda veſtra, ſicut in contradictione: ſicut in die tentationis in deſerto:

Ubi tentaverunt me patres veſtri: probaverunt me, & viderunt opus meum.

Quadraginta annis diſplicuit mihi generatio illa: & dixi: Populus errans corde eſt, & non cognoſcens vias meas.

Quibus iuravi in furore meo, ut non introirent in requiem meam.

VERSIO VULGATA

Laus Cantici ipſi David.

1. Venite, exultemus Domino: iubilemus Deo ſalutari noſtro.

2. Præoccupemus faciem eius in confeſſione: & in pſalmis iubilemus ei.

3. Quoniam Deus magnus Dominus: & Rex magnus ſuper omnes deos.

4. Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.

5. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formaverunt.

6. Venite adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

7. Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: & nos populus paſcuæ eius, & oves manus eius.

8. Hodie (*a*) ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra;

9. Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, * probaverunt me, & viderunt opera mea.

10. Quadraginta (*b*) annis offenſus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde.

11. Et iſti non cognoverunt vias meas: (*c*) ut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

(a) Hebr. III. 7. & IV. 7. (b) Numer. XIV. 34. (c) Hebr. IV. 3.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 9. *Probaverunt me, & viderunt opera mea.*

Non omittas pronomen *me* additum verbo *probaverunt*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. OMNES FINES TERRAE Hebr. *Inveſtigationes*, id eſt profunda terræ, quibus opponuntur altitudines montium.

V. 6. ET PLOREMUS, &c. Hebr. *Fleſtamus genua*; id eſt, benedicamus.

V. 9. ET VIDERUNT OPERA MEA. Hebr. *Probaverunt me, & viderunt opera mea.*

V. 10. OFFENSUS FUI GENERATIONI ILLI. Hebr. *Execratus ſum cum generatione* (iſta.) Pagn. *Litigavi cum generatione iſta.*

SA.

Exhortatio ad Dei laudem, & obedientiam.

Verſ. 1. EXULTEMUS, id eſt cum exultatione laudemus. Hieron. & Chald. *laudemus*. DEO. Chald. *coram Domino*. SALUTARI, id eſt Salvatori, Hieron. *Ieſu*.

V. 2. PRAEOCCUPEMUS. Hieron. & Chald. *Præveniamus*, ſcilicet antequam puniat. CONFESSIONE. Hieron. *gratiarum actione*. PSALMIS. Hieron. & Chald. *canticis:* EI. Chald. *coram eo*.

V. 4. FINES; quaſi dicat, tota uſque ad extremitates. Hieron. *fundamenta*. Chald. *penetralia*. ALTITUDINES MONTIUM, id eſt terrenæ poteſtates: Auguſtinus.

V. 5. FORMAVERUNT. Chald. *creaverunt*.

V. 6. PLOREMUS. Hieron. & Chald. *fleſtamus genua*.

V. 7. PASCUAE EIUS, id eſt quas paſcit. MANUS EIUS, id eſt quas deducit.

V. 8. HODIE; quaſi dicat, quocumque tempore vitæ. Vide Hebr. III.

V. 9. IRRITATIONE, ſcilicet qua Deum irritarunt incredulitate, & rebellione Hieron. *contradictione*. Chald. *contentione*. SECUNDUM DIEM. Hieron. & Chald. *ſicut die*. PROBAVERUNT, id eſt explorarunt, vel experti ſunt. ET VIDERUNT; id eſt, cum tamen vidiſſent. Chald. *videntes*.

V. 10. OFFENSUS FUI; pro, infenſus fui. Nota, quod Pſalterium Romanum legit, *proximus fui*, ſcilicet adiuvans, & deducens, vel caſtigans. Hieron. *diſplicuit mihi*. Chald. *aſpernatus ſum*.

V. 11. VIAS, id eſt præcepta, ſeu opera. UT IURAVI; pro, itaque iuravi. Hieron. *& iuravi*. Chald. *quibus iuravi*. IN IRA, id eſt iratus, SI; pro, nullo modo. REQUIEM MEAM, id eſt terram quietis, quam promiſeram.

ESTII.

Verſ. 1. QUADRAGINTA ANNIS OFFENSUS FUI GENERATIONI ILLI. Pro *offenſus*, Eccleſia in officio matutinali quotidiano canit *proximus*; in Epiphania tamen Domini canit *offenſus:* hoc iuxta pſalterium Gallicanum, illud iuxta Romanum. Septuag. habent προσώχθισα *offenſus fui*. Cui lectioni favet quoque Hebraica veritas, quæ habet: *Litigavi*, contendi cum generatione iſta; vel, ut Arias exponit dictionem Hebraicam, *Faſtidio habui*; vel, ut Hieronym. *Diſplicuit mihi*. Apoſtolus quoque Paulus ad Hebr. III. habet eamdem vocem quam Septuag. quam Latinus Interpres reddidit *Infenſus fui*. Nihilominus vox Græca etiam ſignificat *propinquare*, ut eſt in lexico Græco. Et poteſt intelligi propinquatio qualis eſt dum res appropinquat alteri a qua læditur. Vide etiam ad Hebr. III.

MA-

MARIANAE.

Laus Cantici ipsi David. Hebr. sine titulo. Hortatur ut Deum celebrent, & colant, eique pareant.

V. 1 Venite. Agite. Festinationem id significat &, diligentiam. Deo salutari nostro. Hieron. *petræ Iesu nostro.* Hebr. *petræ salutis nostræ*. Iubilemus.

V. 2. Praeoccupemus, id est prodeamus obviam. In confessione, in laude, scilicet celebrantes cum canticis. Et in Psalmis. Repetitio.

V. 4. Fines terrae. Hieron. *fundamenta*. Alii, *interiora recessus terræ*. Verum Hebræus Schol. *fines* explicat הַכְבֻלִים *haghebulim*. Fines terræ sunt in manu eius. Et altitudines montium. Hieron. *excelsa*. Chald. *Robora sublimitatis montium ipsius sunt.*

V. 5. Et siccam, seu aridam (sic terram vocat, ut Genes. 1.) formavit.

V. 6. Venite adoremus. Hebr. *prosternamur*; quod fit toto corpore, ut verbum Hebr. significat. Et procidamus. Hebr. *& incurvemur*. Et ploremus. Hebr. *genua flectamus*. Ita vult modos omnes venerationis adhiberi.

V. 7. Populus pascuae eius, id est quos ipse pascit: non delegat eam curam aliis. Et oves, seu grex. Manus eius, id est quos sua ipse manu deducit, ut oves pastor.

V. 8. Hodie si vocem eius audieritis. Hebr. iungitur cum superioribus. Sumus eius grex, si tamen audierimus illum. Hodie, continuo, aut in præsenti vita, nolite obdurari.

V. 9. Sicut in irritatione. Hebr. *sicut in meriba*. Secundum diem tentationis. Hebr. *masa*. Noster eas voces est interpretatus, ut propria eorum locorum nomina sumuntur a quibusdam; sed male, quia censent Davidem respicere ad murmur, & tentationem populi Exod. xvii. 7. *Et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Israel*: ubi errore librarii omissum fuit post dictionem, *Tentatio, & Iurgium*: quia scilicet iterum dictio *iurgium* sequebatur; illa tamen secundo ponitur in Hebræo, Septuag. & Chald. Qui contulerit cap. xiv. Numer. cum hoc Psalmo, advertet Vulgatam prudenter ac optime vertisse dictiones *meriba*, & *masa*, neque illas ut propria locorum nomina in hoc Psalmo sumendas. Ubi tentaverunt. Hebr. *quo* (scilicet die) *tentaverunt me*. Probaverunt me. Sic Hebr.

V. 10. Offensus fui. Hebr. *litigavi cum generatione*, id est gente illa. Psalt. Roman. *proximus fui*: sic in Breviario nostro. Vox Græca προσοχθίζειν utrumque significare potest, *propinquare*, & *offendi*. Ad Hebr. iii. 9. sic: *Viderunt opera mea quadraginta annis; propter quod infensus fui*. Construe sic: *Propter quod quadraginta annis infensus fui*.

V. 11. Ut iuravi. Sic Græc. ὡς ὤμοσα. Ad Hebr. iii. 11. & iv. 3. *sicut iuravi*. Vox Hebr. *aser* verti potest *quibus*, *propterea*, *quia*, *ut*, *sicut*. Si introibunt: forma iurandi; id est, non introibunt ullo modo; quasi dicat: Si introibunt, male mihi sit. In requiem meam, id est in terram promissam.

MALVENDAE.

Vers. 1. Venite exultemus Domino, &c. Hunc Psalmum a Davide conscriptum esse confirmat Apostolus Hebræor. iv. 7. Continet exhortationem Ecclesiæ ad laudem, & cultum Dei, & præparat eam ad adventum Christi.

V. 2. Praeoccupemus faciem eius in confessione. Hebr. in futuro: *Antevertemus*, &c. Alii: 1. *Antevertamus faciem eius laude*: 2. *Prodeamus in conspectum eius cum gratiarum actione*; id est, ante illum narremus beneficia quæ ab illo accepimus, & illi accepta referamus: 3. *Eamus ante faciem eius cum gratiarum actione*: 4. *Compareamus coram eo cum gratulatione*.

V. 3. Super omnes deos. Quidam exponunt, supra Angelos, Prophetas, Magistratus, Reges omnes. Alii rectius: *Supra omne quod dicitur Deus*, supra omnes eos quos ut deos, gentes colunt; ut supra Psal. lxxxv. 8. Sic. I. Corinth. viii. 5.

V. 4. Quia in manu eius sunt omnes fines terrae. Vocem מחקרי *mechkere* in regimine varie reddunt, *perscrutationes*, *pervestigationes*, *profunditates*, *abstrusissima*, *profundissima*, *ima vestigia*, *fundamenta*,

fe-

penetralia, *terræ*. Et altitudines montium. De voce תועפות *thoghaphoth* disseruimus in Num. xxiii. 22. Hic varie exponunt, *Fortitudines*, *vires*, *robora*, *erectiones*, *cacumina*, *montium*. Hunc versum quidam ita reddunt: *In cuius manu sunt ima vestigia terræ*, *penes quem sunt vires montium*; id est, qui omnia quamtumvis abditissima, & valentissima, regit arbitratu suo.

V. 7. Et oves manus eius, id est grex, quem ipse manu ducit, regit, protegit, defendit, curat: metonymia. Hodie si vocem eius audieritis. Proculdubio nectendum sequentibus, ut & LXX. & Paulus Hebræor. iii. 7. & iv. 7. aperte demonstrant. *Hodie*, cum advenit Christus ad consummandum mysterium redemptionis nostræ: ut disertissime Paulus interpretatur.

V. 8. Nolite obdurare corda vestra. Hebr. *Non perplexum*, *intricatum*, *rigidum*, *durum*, *difficile*, *pertinax*, *intractabile reddetis cor*, seu *animum vestrum*.

V. 9. Sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto. Plerique Hebræas voces ut propria accipiunt: *Sicut Meribah*, *sicut die Massah*, *in deserto*: allusumque putant ad historiam Exod. xvii. 7. vel Numeror. xx. 13. & xxvii. 14. Alii appellative, & universe capiunt: *Ut in contentione*, *ut die tentationis in deserto*. Exponuntque: *Ut in contentione*; id est, ut semper maiores vestri obfirmato animo contenderunt adversus Deum, tentarunt, & probarunt illum in deserto: quemadmodum sequentia verba exegetice docent, & legitur Num. xxii. *ut in die tentationis*, &c. id est toto tempore, quo versantes in deserto nihil nisi tentarunt Deum. Sic probrose totum profectionis tempus tentationem nominat.

V. 10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi. Futurum אקוט *akut* varie interpretantur, *contendam*, *litigabo*, *rixabo*, *lis mihi erit*, *pertædebit me*, *cum tædio perferam*, *molestiam patiar*, *tædiosus fui*, *cum fastidio & odio sum aversatus & abominatus*. Aiunt verbum proprie esse *dissecari*, quod fit cum offensione, quam vel tædium & languefactio, vel dolor comitatur. Notant, Paulum Hebræorum iii. 10. secutum LXX. hic vertisse: *Offensus*, vel *infensus fui generationi huic*. Lucam vero Actorum xiii. 18. *Mores pertulit*, *sustinuit*, *eorum*, & Actor. v. 33. & vii. 54. *dissecari*, quæ est propria verbi significatio: unde hic reddunt: *Quadraginta annis dissecabor in generatione illa*; quasi dicat: Sum pertæsus, & veluti dissectus, & mærore excruciatus, molestiaque confectus ob generationem istam. Futuro utitur, vel respectu præteritorum, *tentaverunt*, *probaverunt*, *viderunt*; vel ad indicandam perpetuam & continentem molestiam & tædium, quo spatio quadraginta annorum affectus est a rebelli gente. Aliqui reddunt: *Quadraginta annis fastidio habui generationem illam*; id est, ut fastidiosos exagitavi variis erroribus, suppliciisque, & morte affeci: Numeror. xiv. 33.

V. 11. Ut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam. Alii: *Propterea iuravi*, vel *quod iuraverim*, seu *quibus iuravi*: *Si introibunt*; id est, non introibunt, vel non introituros. Aut est formula iurandi aposiopetica: Dispeream, male mihi sit, hoc vel illud mihi accidat, sic & sic mihi eveniat: Si introierint, &c. *In requiem meam*, id est in regionem, quam pollicitus sum eis, quæ futura erat eorum locus residentiæ & quietis, ubi Iehovah eorum posteros collocavit, post annos quadraginta, cuius specie David reliquam esse aliam veram requiem populo Dei figuravit, ut late exponit Paulus Hebræor. iv. 8. & seqq.

MENOCHII.

Laus cantici idem est quod Psalmus cantici, de quo dictum est ad titul. Psal. xxix.

V. 1. Exultemus Domino: cum exultatione laudemus Dominum. Iubilemus Deo, voce psallentes, & eius laudes celebrantes. Salutari nostro, qui est nostra salus.

V. 2. Praeoccupemus faciem eius: prius solito conveniamus ad eum celebrandum, & sistamus nos ante eum. In confessione: ut illi confiteamur, ut illum laudemus. In Psalmis iubilemus ei: Psalmis iubilemus in honorem eius.

V. 3. Super omnes deos, super omne quod habetur, aut colitur ut Deus.

V. 5. Siccam, terram, ξηρὰν. *Aridam* ali-

aliquando vertit Interpres. Sic Matth. xxv. 15. *Circuitis mare, & aridam*.

V. 7. POPULUS PASCUAE EIUS, grex eius. OVES MANUS EIUS; quas per se ipsum manu sua regit, & ducit ad pascua.

V. 8. HODIE SI VOCEM EIUS AUDIERITIS: quandocumque vocem eius audieritis, etiamsi hodie audiatis.

V. 9. SICUT IN IRRITATIONE, &c. sicut olim fecerunt patres nostri, qui sua incredulitate Deum ad iracundiam provocaverunt in deserto. TENTAVERUNT ME PATRES VESTRI: nunc ex diffidentia periculum facere volentes potentiæ, & veritatis meæ; nunc meis verbis obmurmurantes, nec promissis meis fidem accommodantes. Vide supra, Psal. LXXVII. 18. PROBAVERUNT ME, &c. cum tamen experti essent, & vidissent opera mea mirabilia, quæ feceram coram eis.

V. 10. QUADRAGINTA ANNIS OFFENSUS FUI GENERATIONI ILLI: ideoque in terram promissam non introduxi toto illo tempore, sed variis malis, & cladibus afflixi, donec omnes extinguerentur, Iosue, & Caleb excepto. In psalterio Romano habemus: *Proximus fui generationi huic*, illius scilicet preces audiendo, per desertum deducendo, & cum peccabant flagellis cædendo. Variæ interpretationi ansam præbuit vox Græca *προσώχθισα*: nam *προσοχθίζειν* & offendi, & propinquare significat. SEMPER HI ERRANT CORDE: licet multis affecti beneficiis, & frequenter admoniti, semper tamen persistunt in errore cordis sui.

V. 11. NON COGNOVERUNT VIAS MEAS: legem meam, & præcepta mea admittere noluerunt. UT IURAVI. Psalterium Romanum habet, *quibus iuravi*. Iuramentum habes Num. XIV. 28. *Vivo ego, dicit Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis: in solitudine hac iacebunt cadavera vestra*. IN IRA MEA, iratus. SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM; quasi dicat: Si ingredientur in terram promissam, in qua sedes quietas illis pollicitus sum, non existimer verax.

TIRINI.

Vers. 2. PRAEOCCUPEMUS FACIEM EIUS. Hieron. & Chald. *præveniamus*, scilicet antequam irascatur, & nos puniat. Vel maturemus mane ante lucem venire ad Deum. IN CONFESSIONE, id est laude, & gratiarum actione; &, ut sanctus Augustinus tropologice, confessione peccatorum.

V. 10. OFFENSUS FUI. Ita Hebræa, Aquila, & Symmacus. Hier. *displicuit mihi*; Chald. *aspernatus sum*. Quod ergo in Psalterio Rom. legitur, *Proximus fui*, hostiliter intelligendum est, ut idem sit quod infensus, vel infestus institi, appropinquavi, incubui Hebræis, tamquam exactor, & ultor.

V. 11. UT, seu sicut, IURAVI A: SI INTROIBUNT; subaudi, mendax sim; quasi dicat: Non introibunt IN REQUIEM MEAM, id est in terram quietis quam promiseram; anagogice in cælum: ad Heb. III. & IV.

(a) Proleg. de Idiotism. Heb. num. 13.

GORDONI.

Titulus: LAUS CANTICI IPSI DAVID. Per canticum denotatur Psalmus musico ritu decantandus; & præfixus putatur titulus a LXX. viris: nam *ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις*. Argumentum continet ad Dei laudes celebrandas incitationem; & convenit omnibus: nam etiam invitari possunt Gentiles, ut convertantur. Ecclesia utitur hoc Psalmo initio nocturni pro invitatorio matutino.

Vers. 2. PRAEOCCUPEMUS, &c. Septuag. *προφθάσωμεν*: non quidem, quod nos præveniamus beneficia divina: nam Deus prius diligit nos: sed prævenire oportet in oratione, & confessione laudis, quasi provocando ad nova beneficia, aut etiam confitendo, tum nostram miseriam, tum Dei misericordiam, ne imparatos nos præoccupet mortis dies. Cur vero Deus laudandus sit, afferuntur usque ad vers. 8. quinque rationes.

V. 8. HODIE SI VOCEM, &c. Pars Psalmi altera est, in qua Propheta exhortatur ad laudes Dei, non voce tantum, sed etiam opere per obedientiam, & servanda mandata: ad quod vers. 9. proponit exempla aliter operantium, quibus male evenit, propter hanc socordiam.

V. 10. QUADRAGINTA ANNIS OFFENSUS FUI. Septuag. *προσώχθισα*. Paulus Hebr. III. 9. habet, *infensus fui*, vox Græca indicat proximum Deum adfuisse ad vindicandum: quo etiam sensu habet Romanum Psalterium: *Proximus fui generationi huic*. Hebr. אקוט *acot*, a rad. קוט, *pertæsum esse*, *litigavi*.

V. 11. UT IURAVI, &c. Duplex lectio est. *Quibus iuravi*, sic habetur citato cap. III. ad Hebr. item in Psalterio Romano. Altera, & communior lectio: *Sicut iuravi*. Ita Vulgata editio. In Græca est *ὡς ὤμοσα*. Immo & in Græca Pauli epistola. In Hebr. אשר, quod utroque modo verti potest; verum sensus semper idem est.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 1. usq. ad 8. **V***Enite*, &c. Rationes quibus incitat ad laudandum Deum his sex versiculis, sunt; quia est Deus magnus, & super omnes; quia in potestate sua habet orbem; quia fecit terram, & maria; quia homines fecit; & quia peculiari providentia regit homines.

V. 8. & seq. *Hodie*, &c. Exhortatur porro ad vitandam transgressionem mandatorum Dei; ac proinde etiam ut opere ipso laudet Deum. Et ut ad hoc incitet, proponit exempla castigationis, ut subiicitur.

BOSSUET.

Vers. 4. **F**INES TERRAE, *fundamenta*, Hieron.

V. 5. SICCAM, sive aridam, terram.

V. 6. PLOREMUS: *flectamus genua*: Idem.

V. 7. OVES MANUS EIUS: ab illo pastore deductæ ad pascua.

V. 8. HODIE SI VOCEM, &c. De hoc versu, & sequentibus, deque ipso *hodie*, & requie consecuta, a qua increduli arcebuntur, post versum 10. dicemus ex Paulo Hebr. III. 7. 13. IV. 3. cum seqq. Nunc verba Psalmi exequemur.

V. 9. SICUT IN IRRITATIONE, &c. *Sicut in Meriba secundum diem Massa*: Hebr. loca nota Hebræis, dicta ab irritatione & tentatione: ubi deficientibus aquis plebs murmurat in Moisem, & perit in deserto. Vide Exod. XVII. 2. 7. Numer. XIV. PROBAVERUNT.... OPERA MEA: experti sunt quantum in benefaciendo, & ulciscendo possem.

V. 10. QUADRAGINTA ANNIS. Paulus Hebr. III. 9. 10. refert ad superiora, & hic distinguit: *Propterea offensus fui*, &c. In invitatorio legimus: *Proximus fui*: præsente vindicta. Sensus autem huius loci ex Paulo sic concinnandus: nempe requiem a Deo Israelitis esse promissam in terra Chananæa; omnes tamen interim in deserto cecidisse hac requie frustratos: quare Spiritum sanctum per Davidem ad novam requiem invitasse; ad novum illud sabbatum ab ipso mundi exordio diei septimæ requie figuratum: novumque indixisse diem quo sub Christo in Ecclesia, ac cælesti patria quiesceremus, nisi essemus increduli: unde sic concludit Paulus: *Festinemus ingredi in illam requiem*: Heb. IV. 11.

PSALMUS XCV. EUCHARISTICUS, ET PROPHETICUS.

Illata in Sion arca cantatus: in secundi templi dedicatione repetitus: Dei maiestatem prædicat, regnaturi super gentes, orbem iudicaturi. Titulo caret in Hebr. tamen Davidis est: est enim unus ex Psalmis qui cum a Davide arca in Sion translata est, cantatus esse memoratur: referturque I. *Paral.* XVI. I. 23. *eadem rerum summa quæ hic visitur: nonnihil diversis vocibus: quas inter se conferre erit operæ pretium ad intelligendas veteres lectiones.*

VERSIO S. HIERONYMI.

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, benedicite nomini eius; annuntiate de die in diem salutare eius.

Narrate in gentibus gloriam eius: in universis populis mirabilia eius.

Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Omnes enim dii populorum sculptilia: Dominus autem cælos fecit.

Gloria & decor ante vultum eius: fortitudo & exultatio in sanctuario eius.

Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & fortitudinem.

Afferte Domino gloriam nomini eius: levate munera, & introite in atria eius.

Adorate Dominum in decore sanctuarii: paveat a facie eius omnis terra.

Dicite in gentibus, Dominus regna-

VERSIO VULGATA.

Canticum ipsi David,

1. Quando domus ædificabatur post captivitatem (I. *Paralip.* xv.)

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

2. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.

3. Annuntiate inter Gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

4. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.

6. Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.

7. Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem:
8. afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias, & introite in atria eius: 9. adorate Dominum in atrio sancto eius.

Commoveatur a facie eius universa terra: 10. dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

vit?

vit; si quidem appendit orbem immobilem: iudicabit populos in æquitate.

Lætamini cæli & exultet terra: tonet mare & plenitudo eius.

Gaudeat ager & omnia quæ in eo sunt: tunc laudabunt universa ligna saltus.

Ante faciem Domini quoniam venit, quoniam venit, iudicare terram: iudicabit orbem in iusto, & populos in fide sua.

* Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur: iudicabit populos in æquitate.

11. Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo eius:
12. gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum 13. a facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

BRUGENSIS

NOTATIO.

Vers. 10. ETenim correxit orbem terra. Quidam codices *orbem terra*, quidam *orbem* dumtaxat legunt. Hebræis est הבל, Græcis *οἰκουμένην*, ea quæ vel *orbem*, vel *orbem terra* pro arbitrio Interpretes transferunt; quamquam addatur eis nonnumquam vox *terra*. Quapropter non tam ex prototypis, quam ex ipsius translationis nostræ exemplaribus genuina lectio colligenda est. Et quidem plura sunt exemplaria, quæ *orbem terra* scribant: sed antiquiora & emendatiora tantumodo *orbem* habent. Brugense, Malmundariense, P., nonnulla Lugduoensium, & antiqua Epanorthotæ. Lobiense, & Tornaceose castigatissima maouscripta, in quorum illo triplex, hoc quadruplex, distinctum est Psalterium, Gallico demuot, Romano addunt *terra*. Forte igitur ex Romano, aut veteri Psalterio, cui Romanum est conforme plerumque mutuatum est. A veteribus enim Tractatoribus fere legitur, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 5. QUONIAM OMNES DII GENTIUM DAEMONIA. Hebr. *vani, falsi*. *Idolum nihil est in mundo*: I. Corinth. VIII. 4.

V. 6. CONFESSIO ET PULCHRITUDO IN CONSPECTU EIUS, &c. Hebr. *Decor, & pulchritudo ante eum: fortitudo & gloria in sanctuario eius.*

V. 8. AFFERTE DOMINO GLORIAM ET HONOREM, Hebr. *& fortitudinem*; id est, laudate eius gloriam & potentiam.

V. 9. IN ATRIO SANCTO EIUS. Hebr. *in decore sanctitatis*, id est in pulchro & sancto templo eius.

V. 10. ETENIM CORREXIT. Hebr. *firmavit*.

SA.

Exhortatio ad Dei laudem & cultum.

Vers. 1. POST CAPTIVITATEM, scilicet cantatus, nam antea factus. Vide I. Paral. XVI. CANTATE. Chald. *Cantate Angeli*. NOVUM; quasi dicat: Renovate Dei laudes. TERRA. Chald. *iusti terræ*.

V. 2. ANNUNTIATE. Græc. *Evangelizate*. DE DIE IN DIEM, id est singulis diebus. SALUTARE, id est salutem, Chald. *redemptionem*, EIUS, id est ab eo datam.

V. 3. ANNUNTIATE. Hieron. & Chald. *Narrate*.

V. 4. TERRIBILIS. Chald. *timendus*.

V. 5. DAEMONIA. Hieron. *sculptilia*; Chald. *idola*.

V. 6.

V. 6. Confessio et pulchritudo. Hieron. *gloria & decor*. Chald. *laus, & gloria*. In conspectu eius; quasi dicat: Illi adsunt semper res dignæ laude & gloria. Sanctimonia et magnificentia. Chald. & Hieron. *fortitudo, & exultatio*. Sanctificatione, id est sanctitate, scilicet in ipso. Hieron. & Chald. *sanctuario*, scilicet relucent.

V. 7. Afferte, id est date. Patriae, id est familiæ. Græc. πατριαί. Gentium. Hieron. & Chald. *populorum*. Afferte, id est tribuite confitendo. Honorem. Hieron. & Chald. *fortitudinem*.

V. 8. Tollite. Hieron. *Levate*. Chald. *Portate*. Hostias. Hieron. *munera*. Chald. *munus*. Hebr. *minchah*. Erat id esculentum & poculentum munus, per quod quidam volunt intelligi Eucharistiam. Atria, id est ecclesias.

V. 9. Atrio, id est catholica Ecclesia. Commoveatur; Hieron. *paveat*; Chald. *contremiscat*. Terra. Chald. *terræ habitatores*.

V. 10. Regnavit. August. Tertullian. Iustin. Cyprianus, Leo Papa, & Psalterium Romanum legunt: *Regnavit a ligno*, scilicet per lignum, seu post lignum, id est crucem. Correxit, scilicet restituens per crucem suam. Chald. *firmavit*. Commovebitur, scilicet de loco suo. AEquitate. Græc. *rectitudine*; quasi dicat, recte.

V. 11. Caeli. Chald. *exercitus cælorum*. Terra. Chald. *iusti terræ*. Commoveatur, id est exiliat præ lætitia. Hieron. & Chald. *tonet*. Plenitudo eius, id est quidquid in ipso est.

V. 12. Tunc, scilicet in Christi adventu. Ligna, id est arbores, scilicet homines.

V. 13. A facie Domini. Chald. *coram Domino*. Venit, præsens est. AEquitate. Hieron. & Chald. *iustitia*. Veritate, id est vero iudicio.

E S T I I.

Vers. 5. Quoniam omnes dii gentium daemonia. In Hebræo pro *dæmonia*, hoc loco vocabulum est quod Hieronym. vertit *sculptilia*; Pagninus *idola*; Arias reddit *vana*. Semper tamen erant *dæmonia*, quia in simulacris illis deorum, etiam Iovis, Martis, Veneris, Neptuni, quamvis homines fuissent, dæmones se ingerebant, & oracula fundebant. Et generaliter, sicut in omni superstitione inest pactum, saltem tacitum, cum dæmone, ita & in omni idololatria fuit saltem tacitus cultus dæmonum. Vide etiam I. Corinth. VIII.

V. 7. Afferte Domino patriae gentium. Rectius *familiæ gentium*, sicut alibi vertit, ut Psal. XXI. *Adorabunt in conspectu eius universæ familiæ gentium*. Ubi tam Græce quam Hebr. vox eadem est quæ hoc loco. Græce quidem est πατριαί; sed hoc vocabulum familiam, parentelam, tribum significat, non autem id quod Latini patriam vocant, id est terram natalem.

V. 10. Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. August. scribens in hunc locum addit *a ligno*, & exponit, & urget contra Donatistas. Commentarius Hieronymo adscriptus in hunc locum non addit; cum tamen interpretetur secundum Septuaginta. E contra canitur in hymno ecclesiastico:

Impleta sunt quæ concinit,
David fideli carmine,
Dicens in nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Et Tertullian. Lib. adversus Iudæos citat: *Dominus regnavit a ligno*. Et Iustinus adversus Triphonem, dicit erasum fuisse a Iudæis. Nam Tertullianus quoque illud citat Lib. III. contra Marcionem. Vide si placet, Isaaci Apologiam ad Lindanum, & Notat. Pamelii in Tertullianum.

M A R I A N AE.

Vers. 1. Canticum ipsi David, quando domus aedificabatur post captivitatem. Hebr. nullus est titulus. Ad Deum celebrandum invitat. Cantate Domino canticum novum, ob novum aliquod beneficium genti collatum. Omnis terra, id est, terræ habitatores cantate.

V. 2. Nomini eius, pro numini eius. De die in diem, id est diebus omnibus. Salutare eius. Hebr. *salutem eius*, scilicet ab eo datam, celebrate.

V. 3. Gloriam eius; id est, opera eius gloriosa annuntiate.

V. 5.

V. 5. DII GENTIUM DAEMONIA. Hebr. *Elilim*: quæ vox *idola*, *nugas*, & *nihilum* significat. Vox quidem ab *El* deducta, quæ *Deum* significat, sed per contrarium *Elilim*, quasi minime sint dii. Hier. *Omnes dii populorum sculptilia*.

V. 6. CONFESSIO, id est laus. Heb. *gloria*. IN CONSPECTUS EIUS. Heb. *coram eo*, id est cum eo: ipse gloriam habet. SANCTIMONIA, Heb. *robur*. ET MAGNIFICENTIA, id est decor. IN SANCTIFICATIONE EIUS, in sanctuario.

V. 7. PATRIAE GENTIUM. Vox Græca *πατριαί*, id est *familiæ*, *tribus*. Heb. *Familiæ populorum* afferte Deo gloriam.

V. 8. TOLLITE HOSTIAS. Hebr. *munus*, seu *oblationem*. ET INTROITE; pro, cum venitis in templum, non vacui, sed cum muneribus venite.

V. 9. COMMOVEATUR A FACIE EIUS. Heb. *Timete*, *expavescite coram eo*, *omnis terra*.

V. 10. QUIA DOMINUS REGNAVIT. In Psalt. Rom. & Gotth. additur *a ligno*: sic in Hymno de Cruce. Sic plerique ex antiquis locum citant, & hic Augustinus. Modo tamen neque Heb. invenitur, neque Græce. Iustinus contra Tryphonem locum a Iudæis corruptum pro certo affirmat, ea voce detracta. Ergo olim legebatur: *Quia Dominus regnavit a ligno*, id est per crucem. ETENIM CORREXIT ORBEM TERRAE, id est stabilivit, fecit ne redeat in nihilum Heb. *Etiam firmabitur orbis*; quasi dicat: Regnat Deus, & orbem firmavit, sic ut non nutet. Præterea fungetur officio iudicis recti: IUDICABIT POPULOS.

V 11. COMMOVEATUR MARE. Heb. *tonet*. ET PLENITUDO EIUS; id est, pisces dent omnia lætitiæ signa.

V. 12, TUNC EXULTABUNT, iubilabunt.

V. 13. A FACIE DOMINI, id est coram Domino. QUIA VENIT. Hoc geminat ad maiorem dicti certitudinem, *quia venit*, *quoniam venit*. IN AEQUITATE. Hebr. *in iustitia*, id est iuste. IN VERITATE SUA. Per *veritatem*, iustitiam etiam intelligit, eritque repetitio. Quæ omnia ad Christum iudicem referantur, cum primum venit, & deinde rursus venturus est.

MALVENDAE.

HUnc Psalmum exposuimus in I. Paralipomen. XVI. a vers. 23. ad vers. 34. inde petendæ Notæ.

MENOCHII.

QUANDO DOMUS AEDIFICABATUR, &c. Licet David hunc Psalmum composuerit occasione reductionis arcæ Domini, & Esdras eumdem cantari insserit in *readificatione templi* (unde inscriptionis huius nata est occasio) tamen præcipue Propheta Christi adventum, & regnum eius prædicere voluit: quod ex eo colligi potest quod toto Psalmo nusquam ædificationis templi mentio fiat, ut notavit D. Augustinus, & alii.

V. 1. CANTICUM NOVUM, quia novum beneficium nobis contulit Dominus. OMNIS TERRA, omnes terræ incolæ.

V. 2. ANNUNTIATE: narrate, celebrate, notum facite salutare eius. DE DIE IN DIEM, quotidie, singulis diebus. SALUTARE EIUS, salutem, quam ipsius beneficio per Christum Dominum consecuti sumus.

V. 4. TERRIBILIS, timendus, ac verendus. SUPER OMNES DEOS, qui coluntur ut dii, licet non sint.

V. 6. CONFESSIO ET PULCHRITUDO IN CONSPECTU EIUS; id est, laus, seu materia laudis, & pulchritudo, sive decor, & gloria est in circuitu Dei, quia confessionem, & pulchritudinem induit, ac propterea undique conspiceret radios lucis suæ, sicut undique conspicitur micans, & lucidus. Cum hoc versiculo convenit quod Psal. CIII. num. 1. habemus: *Confessionem & decorem induisti*, *amictus lumine sicut vestimento*. SANCTIMONIA, sanctitas, & puritas. MAGNIFICENTIA, maiestas, & gloria. IN SANCTIFICATIONE EIUS. Conspicitur in sanctuario, sive templo sancto, quod in cælis ipse Deus habet.

V. 7. PATRIAE est vox Græca nominativi casus *πατριαί*, id est tribus, familiæ, cognationes.

V. 8. TOLLITE HOSTIAS: afferte hostias ad sacrificia. Spirituales hostiæ sunt sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, ieiunia, eleemosynæ, & simi-

similia. In Hebræo est מנחה mincha, quæ vox significat hostiam incruentam, ac præsertim ex farina confectam, quod mysterio non caret, & S. Eucaristiam indicat. IN ATRIA EIUS: introite Ecclesiam, aggregate vos Ecclesiæ.

V. 9. IN ATRIO SANCTO EIUS. Videtur repetitio prioris hemistichii. COMMOVEATUR: timeat, expavescat, eum vereatur offendere. UNIVERSA TERRA, omnes terræ incolæ.

V. 10. DICITE IN GENTIBUS: prædicate, & gentibus notum facite. QUIA DOMINUS REGNAVIT, per fidem, & cultum. CORREXIT ORBEM TERRAE, qui prius erat depravatus damnatis moribus, & præsertim idololatria. QUI NON COMMOVEBITUR, ab evangelica doctrina, & fide, & a veri Dei notitia. IUDICABIT POPULOS IN AEQUITATE. Non solum orbem correxit, sed etiam eum iuste sanctis suis legibus moderatur.

V. 11. LAETENTUR CAELI, &c. Excitat ad lætitiam omnes res creatas propter adventum Domini, tum primum, tum secundum. Primus enim omnia consecravit, secundus omnia glorificabit. COMMOVEATUR MARE: exultet, gestiat mare. PLENITUDO EIUS, pisces, & cetera mari comprehensa, ut insulæ, &c.

V. 12. TUNC, scilicet gratiæ tempore. A FACIE DOMINI, propter advenientis Domini præsentiam. IUDICARE, regnare, regere terram, & illam moderari. IN AEQUITATE, in iustitia. IN VERITATE SUA, per veram suam legem, & doctrinam: vel idem est ac in fide sua, id est iuxta fideles promissiones suas.

TIRINI.

Vers. 1. QUANDO DOMUS AEDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM. Quamvis I. Paral. XVI. dicatur hic Psalmus cantatus fuisse in translatione arcæ in Sion; tamen videtur iterum decantatus, ut patet ex hoc titulo, cum *domus*, id est templum Dei, *reædificabatur* a Zorobabele *post* Babylonicam *captivitatem*.

V. 6. CONFESSIO ET PULCHRITUDO IN CONSPECTU EIUS. Chald. *Laus & gloria coram eo*, seu semper adsunt Deo. Item SANCTIMONIA ET MAGNIFICENTIA semper relucent IN SANCTIFICATIONE EIUS, id est *in sanctuario*, ut vertunt Hieron. & Chald. Allegorice in Ecclesia Christi; tropologice in anima. Ubi S. Augustinus: *Turpis es peccator: vis esse pulcher? confitere peccata tua.* Anagogice in cælo.

V. 7. PATRIAE, id est familiæ: Græce πατριαὶ familiam significat.

V. 8. HOSTIAS. Hebr. *mincha*, erat sacrificium incruentum panis, de quo vide Genes. XIV. 18. Allegorice Eucharistia.

V. 9. COMMOVEATUR; Hieron. *paveat*; Chald. *contremiscat*; Aquila, *parturiat*, vel, ut Hebraice est, *crucietur more parturientis*, nempe ad laudes Deo debitas religiose pariendas solicita & anxia laboret OMNIS TERRA, id est omnes habitatores terræ.

V. 10. DOMINUS REGNAVIT, scilicet *a ligno*: & licet hoc non sit in Heb. tamen addiderunt LXX. spiritu prophetico plusquam CC. annis ante adventum Christi: & veteres Patres sic legerunt, Iustinus Martyr, Tertull. Cyprin. Lactantius, Arnobius, Augustinus, Cassiodor. & Psalterium vetus Romanum, & Gothicum. Ex nostris LXX. Interpretum exemplaribus id sustulerunt Iudæi æmuli crucis Christi (inquit Iustinus) vel alii quidam scioli, cum id in Hebræo non reperirent. Sensus ergo est, quod Christus non vi & armis, non etiam sanguinis successione, aut publica universi electione consequetur regnum suum, sed *a ligno*, id est per & post lignum, seu merito mortis suæ in *ligno* crucis toleratæ. Sic enim CORREXIT ORBEM Christus, partim cælesti doctrina sua, partim supplicio crucis, fœdatum & lapsum orbem, ac per peccata valde tortuosum, debito nitori & formæ restituens, inquit S. Hieronym. idque tanta soliditate, ut in æternum non sit inde commovendus. Allegorice quadrant in Ecclesiam Christi, quæ numquam a vera fide & religione deflectet.

V. 11. CAELI, TERRA, MARE, CAMPI. Est prosopopœia, significans, adventu, & regno Christi tantam fore ubique lætitiam spiritualem, ut omnes & singulæ creaturæ gaudio gestire & subsilire videantur. Maxime quando Christus secundo adventu suo, ut dicitur versu seq. ad iudicium universale, innovabit totum mundum, & *omnis creatura liberabitur a servitute & corruptione*: ad Rom. VIII. 21.

Nota.

Nota. Hæc creaturarum lætitia non eſt ex appetitu rationali, aut ſenſitivo, quia his carent, ſed mere naturali; quaſi dicat: Tantum eis boni obveniet, ut, ſi noſſent, gauderent, exultarent, & plauderent.

GORDONI.

Titulus: CANTICUM IPSI DAVID, QUANDO, &c. Titulus hic non eſt in Hebræo: adiectus putatur a collectore Pſalmorum, vel Eſdra, qui iuſſit cani hunc Pſalmum, in ædificatione ſecundi Templi poſt captivitatem. Compoſuit autem hunc Pſalmum David, & cani iuſſit in reductione arcæ, ut conſtat ex. I. Paralip. cap. XVI. Vide infra Pſalmum CIV. ubi eſt pars altera huius Pſalmi, qui habetur totus citato cap. XVI. Ceterum recte hic Pſalmus a multis exponitur de ſpirituali templo Eccleſiæ, ſecundum ſenſum myſticum, qui latet in materiali ſenſu litteræ. Myſticum dat Paraphraſis: & eo pertinuiſſe etiam intentionem Davidis, eſt aſſerendum cum multis antiquis patribus.

Verſ. 2. ANNUNTIATE DE DIE IN DIEM. Septuag. εὐαγγελίζεσθε, בשר in Piel. *bonum nuntium afferte*. Heb. בשרו *baweru*. De die in *diem*, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας. Hebr. *miiom eliom*, vel *miiom leiom*, *quotidie*. τὸ SALUTARE ſenſu myſtico optime ad Chriſtum refertur.

V. 5. QUONIAM OMNES DII GENTIUM DAEMONIA. Ita etiam Septuag. vertunt *dæmonia*. Hebræus אלילים *elilim*, ſingulare אליל videtur quaſi diminutivum ab אל, ac ſi diceres deiculus, ſcilicet *dæmonia*, ut habent Septuag. quaſi אל אל *al el*, non Deus. Hieron. *ſculptilia* dixit.

V. 8. TOLLITE HOSTIAS. Hieron. *Levate munera*. Sed I. Paral. XVI. 29. ubi eſt idem Pſalmus, eſt *levate ſacrificium*. Septuag. ἄρατε θυσίας, intellige ſpirituales hoſtias (ad quas etiam gentes hic invitantur) ut ſunt confeſſio peccatorum, oratio, eleemoſyna. Certe ſiſtendo in ſenſu myſtico, nihil vetat intelligi ſacrificium Miſſæ, quod Malachiæ 1. dixi ſubſtitutum aliis omnibus ſacrificiis antiquæ legis. Immo etiam appoſite ſatis ex loco huius Pſalmi, ubi pro *hoſtia* eſt Hebraice מנחה *minchah*, quod erat incruentum ſacrificium ex ſimilagine, & oleo. Vide Levit. cap. 11.

V. 9. ETENIM CORREXIT ORBEM. Hieronymus, *appendit*. In citato Paral. cap. XVI. verſ. 30. *fundavit*. Septuag. κατώρθωσε: quod verbum recte hic convenit Chriſto, qui vera dedit Eccleſiæ, & mundo κατορθώματα. In Heb. תכון *thicon*, a rad. כון *cun*, quod eſt *dirigere*, *firmare*, *ſtabilire*. Poteſt etiam referri ad mundi creationem a Deo, ad litteram.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. uſq. ad 7. CAntate, &c. In hac exhortatione ad gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, ſuggerit ſtatim verſu 2. materiam laudis optimam, eſſe beneficium redemptionis per Chriſtum; quod vocat *ſalutare Dei*, & annuntiandum gentibus, ut fecerunt initio Apoſtoli. Mox Propheta admirans tum alia, tum maxime hoc beneficium incarnationis, excurrit per aliquot verſus in laudem magnitudinis potentiæ, & ſapientiæ Dei, in quo eſt omnis decor, & ſanctimonia.

V. 7. & 8. *Afferte*, &c. Ter hanc vocem repetit; & non iam hortatur ſolum, ſed imperat gentibus, ut poſt annuntiatum ipſis Chriſtum, publicato Evangelio, credant in Chriſtum, & afferant dignam confeſſionem, & laudes pro tanto beneficio.

V. 9. & ſeq. *Adorate*, &c. Iam loquitur de Chriſto, ut hominibus præſente poſt incarnationem. Iubentur ergo hoſtias offerre; certe tum ſpirituales, tum etiam, quod inſtituit Chriſtus in Eccleſia, ſacrificium Miſſæ, abrogatis ſacrificiis legalibus. *Commoveatur univerſa*, inquit, *terra* in hoc adventu, ſcilicet timore ſalutari, & pœnitentia, quia iam regnavit. Regnare vero Chriſtum dicit, tum quia, ut eſt Deus, ipſe mundum creavit, & correxit; tum quia ut Rex, & legiſlator, leges dedit mundo; & inde mundum iudicabit univerſum. Atque his, & aliis titulis iubet lætari in Domino.

BOSSUET.

Verſ. 1. 2. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, in nova celebritate. OMNIS TERRA : prophetice de vocatione gentium. Canticum enim vetus in una, eaque anguſta regione Iudææ canitur; at canticum novi Teſtamenti ad univerſam terram pertinet. Chr. Ex primis duobus verſibus id tantum habetur in Paral. *Cantate Domino omnis terra, annuntiate de die in diem ſalutare eius.*

V. 5. DAEMONIA, idola, *ſculptilia*, Hier. & ſic vulgata vertit in Paral. eodem utrobique vocabulo. Recte etiam *dæmonia* vertitur: *quæ* enim *gentes immolant, dæmoniis immolant, & non Deo*: I. Corinth. x. 20.

V. 6. CONFESSIO, ET PULCHRITUDO. *Gloria, & decor*: Hier. *Sanctimonia, & magnificentia*: fortitudo, & gaudium in loco eius, id eſt *in ſanctuario*, ut vertit Hier.

V. 7. PATRIAE GENTIUM, *familiæ populorum*, ſicut ipſa Vulgata vertit in Paral. & hic Hier. *αἱ πατριαί*; LXX. HONOREM, *fortitudinem*, Hieron. Paralipom. *imperium*, alio vocabulo, quod etiam vim ſonat.

V. 8. TOLLITE HOSTIAS. *Levate munera*: Hier. vel, ut in Paral. *Levate ſacrificium*: non offerendi ritu, levata pro more hoſtia. INTROITE IN ATRIA EIUS. *Venite in conſpectu eius*. Paralip.

V. 9. IN ATRIO SANCTO: quod in Paral. vertitur, *in decore ſancto*: *in decore ſanctuarii*, Hier. in ipſo ſanctuario quod decus paſſim vocatur, ut ſæpe vidimus.

V. 10. DICITE IN GENTIBUS, QUIA DOMINUS REGNAVIT. In Paralip. deeſt hoc loco: habetur verſ. ſeq. Addunt multi ex antiquis Patribus, & hymnus *Vexilla*, quem hodie canimus, *a ligno*, quod nunc ubique deeſt. ETENIM CORREXIT, &c. quod in Paral. vertitur planius: *Ipſe enim fundavit orbem immobilem*. Elegantius Hier. *appendit orbem immobilem*.

V. 11. COMMOVEATUR MARE, *tonet*, ut eſt hic apud Hier. & in verſione Paral. ET PLENITUDO EIUS, omnes eius abyſſi.

Ultimus verſus deeſt in Paral.

PSALMUS XCVI. LAUDIS.

Oſtendit potentiam Dei, & vanitatem idolorum: canitque victorias de gentibus reportatas: de quibus vide tit. Pſal. LIX.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
	Huic David,
	1. Quando terra eius reſtituta eſt.
DOminus regnavit, exultet terra: lætabuntur inſulæ multæ.	DOminus regnavit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ.
Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium firmamentum ſolii eius.	2. Nubes, & caligo in circuitu eius: iuſtitia, & iudicium correctio ſedis eius.
Ignis ante faciem eius ibit, & exuret per circuitum hoſtes eius.	3. Ignis ante Ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.
Apparuerunt fulgura eius orbi: vidit, & contremuit terra.	4. * Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra.

Mon-

Montes ſicut cera tabefacti ſunt a facie Domini: a facie dominatoris omnis terræ.

Annuntiaverunt cæli iuſtitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur univerſi qui ſerviunt ſculptili, qui gloriantur in idolis: adorate eum omnes dii.

Audivit & læta eſt Sion: & exultaverunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.

Tu enim Dominus excelſus ſuper omnem terram: vehementer elevatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: cuſtodit animas ſanctorum ſuorum, de manu impiorum eruet eos.

Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.

Lætamini iuſti in Domino, & confitemini memoriæ ſanctæ eius.

5. Montes, ſicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omnis terra.

6. Annuntiaverunt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.

7. Confundantur (*a*) omnes qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate (*b*) eum omnes Angeli eius:
8. audivit, & læta eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.

9. Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

10. Qui (*c*) diligitis Dominum odite malum: cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

11. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.

12. Lætamini iuſti in Domino: & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.

(a) Exod. xx. 4. Levit. xxvi. 1. Deut. v. 8. (b) Hebr. 1. 6. (c) Amos v. 15. Rom. xii. 9.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Huic David, quando terra eius reſtituta eſt*. Non ſubiicias vel pronomen *ei*, vel nomen *Pſalmus*.

V. 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ*. Primæ dictionis initialis littera ſit vocalis tertia, non prima.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. CORRECTIO SEDIS: habitaculum, vel præparatio, hoc eſt ornatus: ut Pſal. LXXXVIII. 15. Deſcribitur toto Pſalmo regnum Chriſti.

SA.

De Dei auxilio, & Chriſti Regno.

Verſ. 1. HUIC DAVID, pro ipſius David, ſcilicet Pſalmus. RESTITUTA EST, ſcilicet pulſis hoſtibus. REGNAVIT, pro regnat. INSULAE MULTAE, id eſt multitudo inſularum.

V. 2. CORRECTIO, id eſt rectitudo.

Hieron. *firmamentum*. Chald. *locus paratus*; quasi dicat: Recte iudicat.

V. 3. PRAECEDET, scilicet in extremo iudicio. INFLAMMABIT. Hieron. *exuret*.

V. 4. ILLUXERUNT, seu illucebunt: videntur enim præterita pro futuris sumenda per totum Psalmum. Hieron. *apparuerunt*. COMMOTA, scilicet timore. Hieron. *contremuit*.

V. 5. A FACIE, id est ob præsentiam. TERRA. Græc. Hieron. & Chald. *terræ*.

V. 6. CAELI. Chald. *Angeli cælestes*. GLORIAM, id est maiestatem, scilicet apparentem in rebus creatis, Deique operibus.

V. 7. ANGELI EIUS. Hieron. *dii*. Chald. *colentes idola*.

V. 8. AUDIVIT, scilicet quod præcessit, vel quod sequitur. SION, id est Ecclesia, vel anima fidelis. FILIAE IUDAE, id est iusti.

V. 10. PECCATORIS. Hieron. & Chald. *impiorum*.

V. 11. CONFITEMINI MEMORIAE, id est celebrate memoriam, seu commemorando laudate. SANCTIFICATIONIS. Chald. *sanctitatis*. Hieron. *sanctæ*.

ESTII.

Vers. 9. QUONIAM TU DOMINUS ALTISSIMUS SUPER OMNEM TERRAM, NIMIS EXALTATUS ES SUPER OMNES DEOS. Prophetia est de tempore novi testamenti, sicut & in verbis præcedentibus: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*. Utrumque enim novi testamenti tempore impletum est, quando religione unius veri Dei per orbem propagata, passim innotuit, nec idola, nec deos idolis significatos, esse deos; & per hoc unus solus verus Deus ab omnibus agnosci cœpit, adeo ut etiam plures, etsi a Christi religione alieni, ut Mahometani, nonnisi unum tamen Deum credant, & colant.

MARIANAE.

Vers. 1. HUIC DAVID, QUANDO TERRA EIUS RESTITUTA EST. Hebr. sine titulo. De Christo totus est, & de eius regno. Paul. ad Hebr. 1. 6. DOMINUS REGNAVIT, EXULTET TERRA: proinde exultet terra Christi regno addita felix. *Terra*, id est qui in terra habitant. INSULAE, id est qui in insulis habitant, & in terra, id est continenti.

V. 2. NUBES, ET CALIGO. Etsi se terribilem ostendat, ut cum tempestates concitat, numquam tamen a iustitia discedit. CORRECTIO. Hebr. *firmamentum*: basis cui eius potentia innititur, est iustitia.

V. 3. IGNIS ANTE IPSUM PRAECEDET, aut præcedit, scilicet cum ad iudicium veniet. Aut etiam modo, ut suam maiestatem ostendat. Fulmina in hostes mittet.

V. 4. ILLUXERUNT FULGURA. Hebr. *illustrant*: lumine perfundunt. ET COMMOTA EST TERRA: tremuit terra.

V. 5. MONTES, SICUT CERA FLUXERUNT. Hebr. *liquantur*, id est metalla, quæ sunt ibi. Aut præ metu liquari videntur. A FACIE DOMINI, scilicet visis fulminibus, tum montes, tum reliqua terra liquescit. Tempestatis descriptio hæc est.

V. 6. ANNUNTIAVERUNT. Hebr. *Declarant cæli iustitiam*, cum igne misso rebelles vindicant. GLORIAM EIUS, id est maiestatem, quæ sic se ostendit.

V. 7. CONFUNDANTUR: pudefiant qui alios deos colunt præter hunc. QUI GLORIANTUR IN SIMULACRIS SUIS. Hieron. *qui gloriantur in idolis*. Alii, *in vanis*, aut *in iis qui non sunt dii*. Hebr. *in elilim*; pro qua voce Noster Psal. xcv. 9. posuit *dæmonia*. ADORATE EUM OMNES ANGELI EIUS. Hebr. *omnes dii*: sic Hieron. Sed per vocem *Elohim* Angelos intelligi ait Hebr. Scholiastes. הם צבא השמים sunt *exercitus cælorum*. Sic Paul. ad Hebræos 1. 6. Deum Angelis præcepisse ait, ut adorarent Christum in terras venientem. Quidam: *Adorent eum omnes dii*, id est omnes qui colunt deos alios. Sed superior expositio placet.

V. 8. AUDIVIT, scilicet vindictam de hostibus sumptam. Aut Christum venisse, & eum Angelos adorasse: eoque lætata est Ierusalem, & lætatæ sunt, & exultarunt aliæ urbes Iuda. Eæ sunt filiæ Iuda.

V. 9. SUPER OMNES DEOS exaltatus es. Rursus vox *Elohim*, sed pro Angelis sumatur. *V.* 10.

V. 10. QUI DILIGITIS DOMINUM, ODITE MALUM. Græc. πονηρά, *mala*. Hebr. *malum*, quod quidam ex Hebræis explicant *hominem malum*. CUSTODIT DOMINUS; pro, quia custodit: ea est ratio diligendi. DE MANU, id est potestate. PECCATORIS. Hebr. *impiorum* (sic Hieron.) *eruet eos*, scilicet iustos.

V. 11. LUX ORTA EST IUSTO. Christi adventu, & vindicta pravorum. Hebr. *Lux seminata est iusto*. Quod ad Evangelii lucem referatur seminati per orbem, & ad bonorum copiam, quæ instar semen sunt gloriæ futuræ. ET RECTIS CORDE LAETITIA. Bonæ conscientiæ proles lætitia est.

V. 12. ET CONFITEMINI, laudate, MEMORIAE SANCTIFICATIONIS EIUS, Hebr. *sanctitatis eius*; pro, date gloriam nomini sancto eius. Id est memoria sanctitatis.

MALVENDAE.

Vers. 1. DOMINUS REGNAVIT, &c. Notant, hunc Psalmum conscriptum de amplitudine & magnificentia regni Christi, quem hic Iehveh aperte nominat. LAETENTUR INSULAE MULTAE. Quidam: *Lætabuntur regiones plurimæ*, id est omnes in quibus imperaturus est Christus: synecdochice.

V. 2. NUBES, ET CALIGO IN CIRCUITU EIUS, vel *circumstant eum*. Volunt esse descriptionem regni Christi, cuius meminerat Psaltes in principio versus primi. Est autem descriptio tota figurata, qua ostendit Psaltes nihil esse in terra, aut in cælo, quod non obsequatur, & testimonium exhibeat regnanti Christo: id quod longe gloriosius quam olim factum sit, cum lex traderetur, Exod. XIX. & Deuter. IV. & V. quasi dicat: Inaccessus & incomprehensibilis est præ gloria. IUSTITIA, ET IUDICIUM CORRECTIO SEDIS EIUS. Diversimode ex Hebr. I. *Iustitiæ & iudicium firmamentum solii eius*; 2. *basis throni eius*: 3. *sunt fulcra solii eius*; 4. *sunt habitaculum throni eius*; 5. *locum solii eius*: scilicet circumstant. Proprie, *certa & firma sedes residentiæ*, seu *præsidentiæ solii eius*. Possis reddere, *apparatus*, seu *machina*, *dispositio*, *solii eius*; id est, totus apparatus, quo disponitur & ornatur, seu circumvestitur solium, eius, iustitia & æquitas sunt: non aurum, aut gemmæ, aut purpura, vel aulæa pretiosa; quasi dicat: Iustissimus est in suos, & in adversarios, versu sequente.

V. 4. ILLUXERUNT FULGURA EIUS ORBI TERRAE. Quidam: *Perlustrant fulgura eius orbem habitabilem*; id est, potentissimus est, adeo ut nihil quamvis firmum coram eo possit consistere, duobus versibus.

V. 6. ANNUNTIAVERUNT CAELI IUSTITIAM EIUS. Alii: *Indicant cæli iustitiam eius*, &c. id est, gloriosissimus est, cuius gloriæ, & iustitiæ specula evidentissima relucent in cælis, & omnium populorum oculis sunt exposita, ut fiant inexcusabiles: ut Psal. XVIII. vers. I.

V. 7. QUIA GLORIANTUR IN SIMULACRIS SUIS. Varie alii ex Hebr. I. *Gloriantes in vacuitatibus*. II. *Qui gloriantur in diis nihili*. III. *Qui se iactant de idolis*. IV. *Qui placent sibi cultu rerum nihili*. De voce אלילים, *elilim*, quam hic LXX. *idola*, Noster *simulacra* dixit, vide Notas in Levitic. XIX 4. ADORATE EUM OMNES ANGELI EIUS. Hebr. *Incurvate vos ei omnes dii*. Alii. I. *Quin potius ipsi prosternite vos ante illum, quotquot estis usquam, qui pro diis hominum stultitia habemini*. II. *Incurvant se honorem exhibentes ei omnes Angeli*. III. *Procumbite coram eo dii universi*, id est sol, luna, stellæ, & id genus, quæ ethnici ut deos colunt. Nonnulli in præterito capiunt: *Adoraverunt eum omnes dii*. Aliqui: *Adorate eum omnes* cultores *deorum*, relicta idololatria. *Elohim* hic & pro diis gentium, & pro Angelis, id est sanctis spiritibus, accipi potest: nec est necesse arctari ad Angelos ex loco Hebræor. I. 6. nam non est certum ad hunc locum respexisse Paulum, cum longe verosimilius sit citasse locum Deuteronom. XXXII. 43. iuxta LXX. *Lætamini cæli simul cum eo: & adorent eum omnes Angeli Dei*: qua ratione legunt etiam sanctus Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone, S. Hilarius in Psal. LXVII. S. Epiphanius adversus Arianos.

V. 8. AUDIVIT, ET LAETATA EST SION. ET EXULTAVERUNT FILIAE IUDAE, &c. id est, audivit Ecclesia Evangelium adventum Christi, unde ipsi pax, & gaudium spiritus ex verbo tuo: & summopere exsultat propter iustissimam administrationem tuam; quasi dicat: Recreasti Ecclesiam tuam verbo, & opere. Sic Psal. XLVII. 12.

V. 9.

V. 9. NIMIS EXALTATUS ES SUPER OMNES DEOS, id est vel reges, principes, & magistratus, qui dii dicuntur, vel super omnes deos gentium; vel super omnes Angelos, Ephesior. I. 20. & 21.

V. 10. SANCTORUM SUORUM. Heb. *benignorum suorum*: vel passive, in quos benignitatem suam exercet; quos benignitate prosequitur: vel active, qui benignitatem in alios faciunt. Sic passim in Psalmis.

V. 11. LUX ORTA EST IUSTO. Hebr. *Lux sata, seminata, est iusto*. Exponunt: Id est, lux veræ pietatis & religionis, perpetuaque lætitia sata est in animis eorum qui iustitiam Dei ex animo amplectuntur. Alii: *Lux*, id est felicitas, prosperitas, *seminata est*, id est abunde sparsa, *in iustum*, ut semen spargitur in terram. Nonnulli: *Lux sata est iusto*, id est reposita & latens, velut semen mandatum terræ, sed suo tempore proditura. Aliqui exponunt: *Lux & lætitia seminata est*, &c. id est *illustris lætitia*, per figuram endiadis. Vide similem locutionem in Esther VIII. 16. *Seminatam* dicit, quod cum ubertimo fructu suo tempore est proventura. Aliqui satam accipiunt, *insitam, immissam*, nempe lucem innati luminis, & gratiæ. Nec desunt qui de luce verbi Dei accipiant, quod seminatur in cordibus fidelium. Lucæ VIII. 12. & Iacob. I. 21.

MENOCHII.

Vers. 1. HUIC DAVID. Græce τῷ Δαυὶδ, *ipsi david*, vel Davidi. Idem plane est cum ordinaria inscriptione, *Psalmus David*, ubi semper est, ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. QUANDO TERRA, &c. Indicat inscriptio Psal. esse de restitutione totius terræ, quæ perfecte continget in extremo iudicio, quando omnia subiicientur sub Messiæ pedibus. I. Corinth. XV. 25. DOMINUS REGNAVIT. Deus, vel Christus toto orbe regnavit, in quo prius regnabat diabolus. TERRAE, INSULAE: totus orbis lætetur, & exultet diaboli tyrannide liberatus.

V. 2. NUBES, ET CALIGO IN CIRCUITU EIUS; quasi dicat: Deus noster invisibilis est. Si de Christo accipiamus, significatur his verbis adventus eius ad iudicium: veniet enim in nubibus cæli, splendore magno circumdatus, ut ipse dixi in Evangelio Matth. XXIV. & XXVI. & ut D. Ioannes scripsit Apoc. II. IUDICIUM CORRECTIO SEDIS EIUS. Vox *correctio*, quæ in Hebræo est מכון *mecon*, verti etiam potuisset *firmamentum*, ut vertit S. Hieron. vel *rectitudo*, vel *præparatio*. Itaque *correctio* significat hoc loco rectitudinem, sive directionem; ut sensus sit: Rectitudo, sive directio sedis Dei consistit in iustitia, & iudicio: rectissima enim est iudiciaria potestas Dei, quæ per sedem significatur, quia Deus semper iuste iudicat, nec potest iniuste iudicare cum sit ipsa sapientia, & iustitia.

V. 3. IGNIS ANTE IPSUM PRAECEDET &c. Quandocumque voluerit Deus impios plectere, ignem a sede sua emittet, id est virtutem suam efficacissimam, & velocissimam, quæ omni ex parte incendet, & absumet eos. De hoc igne dicitur Dan. VII. 10. *Fluvius igneus, rapidusque a facie eius egrediebatur*. Si de Christo interpretemur, significatur ignis ille qui præmittetur ante iudicium extremum, & omnia absumet; de quo D. Petrus Epist. II. cap. ult.

V. 4. ILLUXERUNT FULGURA, &c. Deus enim non solum igne virtutis suæ, sed etiam corporalibus fulgurationibus & fulminibus, cum vult, homines terret. Si de extremo iudicio intelligamus, videtur significari modus quo ante iudicium ignis maximus existet, ut devoret omnia, id enim fiet per frequentia fulgura, & fulmina. Itaque Sapient. V. 22. habemus: *Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient*. COMMOTA EST TERRA: timuerunt terræ habitatores.

V. 5. MONTES SICUT CERA FLUXERUNT. Quasi dicat: Sicut cera mollis vim ignis sustinere non potest, sed statim solvitur; sic terra, & montes licet solidi resistere non possunt, si eos velit Deus ad nihilum redigere. Possunt hæc de Christo intelligi, & de igne conflagrationis: *Elementa enim calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*: II. Petri III. X. A FACIE DOMINI, præsente Domino, ante Dominum, adventu Domini. OMNIS TERRA, scilicet fluet.

V. 6. ANNUNTIAVERUNT CAELI &c. nam *cæli enarrant gloriam Dei*, Psal. XVIII. I. Potuerunt enim homines ex conspectu cæli, solis, lunæ, & stellarum motibus,

bus, & converſionibus ordinatiſſimis colligere, Deum iuſtiſſimum eſſe rerum omnium moderatorem, & gloriam, & maieſtatem eius aliquo modo cognoſcere. Cæli etiam ſignis quæ iudicium præcedent, Chriſti iuſtitiam annuntiabunt. GLORIAM EIUS, maieſtatem, & potentiam Dei vel, Chriſti iudicis.

V. 7. CONFUNDANTUR, &c. pudeat idololatras deorum ſuorum, quos imbecilla, & penitus inania numina eſſe conſtat. ADORATE EUM, &c. Ex hoc loco Apoſtolus ad Hebr. 1. 6. probat Chriſtum eſſe Angelis maiorem.

V. 8. AUDIVIT, ET LAETATA EST SION. Audivit populus Dei Deum regnare, idola nihil eſſe, ipſos etiam Angelos ei ſubiectos eſſe, & lætatus eſt, quod tantum Regem habeat: lætatur etiam populus fidelis Chriſti Iudicis adventu, quia illum ut ſibi ſalutarem expectat, non terribilem ut erit impiis. FILIAE IUDAE. Idem populus fidelis, qui nomine Sionis ſignificatur, deſignatur etiam nomine filiarum Iuda. Vel certe *filiæ Iudæ* ſunt Eccleſiæ peculiares, quæ quaſi propagines quædam ſunt univerſalis Eccleſiæ, quæ nomine Sionis exprimitur. PROPTER IUDICIA TUA recta, quibus iuſtos muneraris, ſceleſtos punis.

V. 9. SUPER OMNEM TERRAM, ſuper omnes terræ incolas. NIMIS, valde, vehementer.

V. 10. MALUM, peccatum.

ANIMAS SANCTORUM SUORUM. Sanctorum, & electorum ſuorum vitam corporalem, & ſpiritualem cuſtodit, & a peccatorum, & ſceleſtorum hominum iniuriis vindicat. Cuſtodiet etiam Chriſtus in die noviſſimo animas ſanctorum, ut nihil eis nocere poſſint accuſationes inimici, & eas de manu peccatoris, id eſt dæmonis, liberabit.

V. 11. LUX ORTA EST IUSTO, felicitatis ſerenitas. RECTIS CORDE, iuſtis, ſinceriſque Dei, virtutiſque cultoribus.

V. 12. LAETAMINI IUSTI IN DOMINO, cuius beneficio iuſtitiam aſſecuti eſtis, & felicitatem æternam illius præmium expectatis. CONFITEMINI, laudate, celebrate. MEMORIAE SANCTIFICATIONIS EIUS: memoriam eius qui ſanctus eſt; memoriam eius ſanctam; memorate, & celebrate facta eius admirabilia, quæ ſunt monimenta ſanctitatis eius.

TIRINI.

Verſ. 1. QUANDO TERRA EIUS RESTITUTA EST, hoſtibus erepta, & legitimo domino reddita: forte poſt cædem Abſalomi. Allegorice, quando Eccleſia priſtinæ paci redditur; anagogice, quando mundus innovabitur, & ſancti cælo tranſcribentur.

V. 2. NUBES, ET CALIGO, &c. id eſt, nube caliginoſa & ſpiſſa, in modum throni adaptata, circumdatus Chriſtus deſcendet peracturus iudicium. IUSTITIA ET IUDICIUM erunt CORRECTIO SEDIS EIUS, id eſt rectitudo, ſeu columnæ throni eius, ut dixi Pſal. LXXXVIII. 15.

V. 3. IGNIS (quo conflagrabit univerſus orbis, II. Petr. III. 7. & 10.) PRAECEDET immediate Chriſtum antequam deſcendat ad iudicium. Ita Theod. & Theologi, atque Interpretes paſſim, contra Ianſenium, qui id exponit de linguis igneis in Pentecoſte, & totum hunc Pſalmum accipit de primo Chriſti adventu.

V. 6. ANNUNTIAVERUNT CAELI; pro, annuntiabunt toti orbi, cum pluent ignem, ſulphur, grandinem, fulmina: & torrebunt ſigna, iuſtitiam venturi iudicis, ſeu ipſum iuſtum eſſe vindicem peccatorum. Item quando ſindi videbuntur maximo hiatu, ut deſcendenti Chriſto vitam pandant, manifeſtabunt OMNIBUS POPULIS GLORIAM, & maieſtatem EIUS.

V. 8. AUDIVIT SION, id eſt Eccleſia: ET FILIAE IUDAE, id eſt animæ fideles, nempe ſummo iubilo ſenſerunt adventantem iudicem.

V. 11. LUX, ſcilicet æternæ & cæleſtis gloriæ. Vel in genere, felicitatis omne genus obvenit iuſtis. Unde

V. 12. LAETAMINI IUSTI ET CONFITEMINI, id eſt laudibus celebrate; MEMORIAM SANCTIFICATIONIS huius iudicis, qui impios ſevere punit, & pios tanta gloria & beatitudine præmiat.

GORDONI.

Titulus: HUIC DAVIDI, QUANDO, &c. habetur in Latinis, & Græcis codicibus, non tamen in Hebræo; ut hinc coniectura ſit, additum fuiſſe a Septuag. niſi quis velit per incuriam excidiſſe ex He-

Hebræo. Ceterum hic restituta intelligitur terra quando post mortem Absalonis rediit terra, & regnum ad Davidem: τῷ Δαβίδ. Occasione restituti regni propheticum hunc Psalmum edidit David, prophetizans mystice de constitutione Ecclesiæ perfecta, præsertim illa quæ futura est post supremum iudicii diem.

Vers. 1. 2. DOMINUS REGNAVIT, &c. Ex occasione regni restituti Davidi, duplex hic regnum proponitur: unum quidem Dei, qui invisibilis (ἀόρατος) cum sit, regit & gubernat hunc mundum visibilem, magna æquitate, & potentia. NUBES IN CIRCUITU EIUS: & Psal. XVII. *Posuit tenebras latibulum suum*. Altero sensu proponitur regnum Christi post resurrectionem, ex Augustino, Euthymio, & Theodoreto: de quo sensu satis hic in Paraphrasi. Quod est hic vers. 2. CORRECTIO, explicatum est in radice כון *cun*, Psalmo præcedente vers. 10. Itaque hic מכון *mecon* est *directio*, seu correctio.

V. 7. ADORATE EUM OMNES ANGELI EIUS. Iuxta receptam Psalmi huius interpretationem de Christo, probat belle hic locus Christum esse verum Deum, tum ex ministerio quod illi exhibent Angeli, tum quia iubentur illum adorare. Idem approbat Paulus ad Hebr. cap. 1. vers. 6. Porro Septuag. προσκυνήσατε αὐτῷ.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Vers. 1. usq. ad 8. D*ominus regnavit*, &c. Totum hunc Psalmum explicare de Deo regnante perfacile est, cum verba clare hoc explicent. Et iuxta hunc priorem sensum est unde lætetur terra, habens Regem omni virtute, & potentia præditum; qui licet invisibilis sit velut in caligine, tamen iustissimo utitur iudicio. Sedis eius, ac potestatis proprium est corrigere malos, & dirigere bonos, qua est excellenti providentia. Est etiam admirabilis eius potentia (ex versu 3.) armata igne inflammante peccatores: non desunt fulgura: montes non ei resistunt, sed annuntiant, ut possunt, eius potentiam. Ergo cum unus & tantus sit Deus, confundi oportet idololatras. Alter etiam sensus de Christo satis apparet, quippe qui regnavit post resurrectionem. Mysterium obscurum est, nec satis comprehenditur tanta benignitas. Corrector morum est; castigator malorum, quos in ignem amandabit. Liquefacti, & fracti sunt superbi a facie eius. Eum annuntiaverunt Apostoli; innitati sunt Martyres; adoraverunt gentes.

V. 7. & seq. *Adorate*, &c. Hæc quæ sequuntur, optime conveniunt Deo: & ita stat sensus prior. Loquendo vero de Christo: *Adorate eum:* nam & ipse Deus est, *annuntiate*. *Sion*, & Ecclesia *audivit* confusionem idolorum, *& lætata est*. *Altissimus est*, *nimis*, seu valde, *exaltatus super omnes deos*, vel sanctos, vel falsos deos. Ergo omnes veri adoratores, diligite eum: nam liberabit a malis, implebit bonis cælestibus; & inde est cur gaudeatis.

BOSSUET.

Vers. 1. QUANDO TERRA EIUS RESTITUTA EST deest Hier. Posset accommodari Davidi ab exilio reduci, ac iure suo regnanti post Saulem; aut restituto regno post Absalomi perduellionem. DOMINUS REGNAVIT, EXULTET TERRA: at infra: *Dominus regnavit, irascantur populi*: Psal. XCVIII. 1. utrumque regnante Deo, exultatio piis, malis perturbatio & tremor: quæ divinus Vates separatim sibi consideranda proponit. INSULAE MULTAE. His designari solent populi longinqui, passim in Scripturis: illi præsertim qui a Iudæa mari mediterraneo dirimuntur.

V. 2. 3. *&* 4. NUBES ET CALIGO..... IGNIS ANTE IPSUM.... ILLUXERUNT FULGURA..... nubes, ignis, fulgura: ut in Sinai. CORRECTIO, seu constitutio: κατόρθωσις, LXX. *firmamentum*, Hier.

V. 5. OMNIS TERRA, *omnis terræ*, LXX. πάσης τῆς γῆς, genitivo casu.

V. 12. MEMORIAE SANCTIFICATIONIS: *memoriæ sanctæ eius*, Hier. id est laudatæ ante tabernaculum, quod eiu memoriale est.

BOS-

PSALMUS XCVII. LAUDIS, ET EXULTATIONIS.

Post ingentes victorias de gentibus reportatas, populus liberatori & vindici Deo gratias agit. Vocationem quoque gentium, & Christi revelationem spectat.

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel: viderunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri.

Iubilate Deo omnis terra: vociferamini, & laudate, & canite.

Canite Domino in cithara: in cithara & voce carminis.

In tubis & clangore buccinæ: iubilate coram rege Domino.

Tonet mare & plenitudo eius, orbis & habitatores eius.

Flumina plaudent manu, simul montes laudabunt.

Ante Dominum; quia venit iudicare terram: iudicabit orbem in iustitia, & populos in æquitatibus.

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus ipsi David.

Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.
* Salvavit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.
2. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.
3. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.
Viderunt (a) omnes termini terræ salutare Dei nostri.
4. Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.
5. Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: 6. in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Iubilate in conspectu regis Domini:
7. moveatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
8. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt 9. a conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.

(a) Isai. lii. 10. Luc. iii. 6.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *Salvavit sibi dextera eius*, Non est mutandum præteritum *salvavit* in futurum *salvabit*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. SALVAVIT SIBI DEXTERA. Hebr. *Salutem ac victoriam ſibi peperit*, id eſt populo ſuo.

SA.

Exhortatio ad Dei laudem, & de Chriſto.

Verſ. 1. SALVAVIT, id eſt ſervavit, ſeu victoriam peperit. SIBI. Græc. & Chald. *eum*, ſcilicet Dei populum; vel *eum*, pro *ſe*; quaſi dicat: Se Chriſtus propria virtute ſuſcitavit: & quidem *ſalvare* Hebr. dativum regit. Vide Matth. XXI. quamquam forte illud *ſibi* abundat more Heb.

V. 2. SALUTARE, id eſt ſalutem; Chald. *redemptionem*.

V. 3. DOMUI, id eſt erga domum.

V. 4. TERRA; Chald. *habitatores terræ*.

V. 7. MOVEATUR, ſcilicet ad Dei laudem. Hieron. & Chald. *Tonet*. PLENITUDO, id eſt quidquid in eo eſt.

V. 8. PLAUDENT, pro plaudant; quaſi dicat: Edant ſigna lætitiæ.

V. 9. A CONSPECTU DOMINI. Chald. *coram Domino*. VENIT: præſens pro futuro.

ESTII.

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. PSALMUS IPSI DAVID. Hebr. *Pſalmus*. Invitat ad celebrandum Chriſti laudes. SALVAVIT SIBI, pro ſe: cum ſcilicet ſurrexit propria virtute, vicit mundum. Verbum *ſalvandi* Hebr. cum dativo, Latine cum accuſativo. DEXTERA EIUS, id eſt potentia & robur. Poteſt etiam in ablativo verti: *Servavit ſe dextera ſua, & brachio*. Ideo cantate Domino.

V. 2. SALUTARE SUUM. Hebr. *ſalutem ſuam*, a ſe datam. Seu *ſalutare ſuum*, ut ponit etiam Hieron. id eſt, Chriſtum, per quem dat ſalutem, notum fecit. IUSTITIAM SUAM. Item Chriſtum, qui iuſtificat impios, revelavit.

V. 3. ET VERITATIS SUAE, id eſt fidei quam promiſerat Iſraeli, recordatus eſt.

V. 4. CANTATE, vociferate. ET EXULTATE, laudate. ET PSALLITE, id eſt iungite ad voces inſtrumenta. *Pſallere* & *voce canere*, & *inſtrumenta pulſare* ſignificat. Sic זמר *zamar* Hebraicum, quod ſequentia magis declarant.

V. 5. PSALLITE, id eſt cum vocibus iungite inſtrumenta, quo lætitia ſit maior.

V. 6. IN TUBIS DUCTILIBUS, id eſt ex metallo, quod tenuatur in laminas: id ductile eſt. TUBAE CORNEAE. Ad diſtinguendum inter utramque tubam, eas voces, *ductilibus*, & *corneæ*, de ſuo Septuag. addiderunt. Fortaſſe commodius vertas cum Hieron. *in tubis & clangore buccinæ*.

V. 7. MOVEATUR MARE. Hebr. *Tonet*. ET PLENITUDO EIUS; id eſt, piſces alioquin muti in voces erumpant.

V. 8. PLAUDENT, pro plaudant: proprie, complodant manus flumina, ſcilicet præ lætitia. Proſopopœia.

V. 9. A CONSPECTU DOMINI, id eſt coram eo, aut eo viſo. QUONIAM VENIT IUDICARE TERRAM, ſeu regere. Ea eſt occaſio lætitiæ, Chriſti adventus, ad caſtigandum quæ erant perturbata.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PSALMUS. Heb. *Modulatio, inciſio muſica*. Obſervant eſſe Pſalmum propheticum de Chriſto, qui devicta carne, mundo, peccato, morte, & ſatana triumphavit. CANTICUM NOVUM. Vide Pſal. XXXII. 3. & in I. Paralipom. XVI. 23. SALVAVIT SIBI DEXTERA EIUS. Heb. *Salutem attulit ei dextera eius*; id eſt, vicit inimicos ſuos, virtute ſua, non alienis viribus: humanitus dictum. Vide Iſaiæ LIX. 16. & LXIII. 5. Aliqui non tam recte: *Salutem attulit ei*, ſcilicet mundo,

dex-

dextera eius: vel *salutem attulit* mundo, *illi*, Patri, seu in honorem Patris.

V. 2. Notum fecit Dominus salutare suum. Heb. *salutem suam*; id est, salutem suam omnibus gentibus gratiose promulgavit per Filium suum Iesum: nam idcirco LXX. abstractum in concretum *salutare* mutarunt, ut Iesum æterni Patris Filium indicarent, qui est nostra omnimoda salus: nam certe Hebraice eodem fere nomine Salus, & Iesus dicitur: sic vers. 3.

V. 3. Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae dumui Israel. Quidam ex Hebr. vertunt: *Recordatus est benignitatis suæ, & fidei suæ erga domum Israelis*; id est, opere exhibito demonstravit se recordari promissionis factæ Abrahamo Genes. XXII. 18. Sic accipitur verbum *recordandi* Gen. VIII. 1.

V. 4. Iubilate Deo omnis terra. Heb. *Taratantara dicite Iehveh omnes* incolæ *terræ*. Hinc usque ad finem Psalmi continetur hortatio ad laudem Dei pro beneficio accepti Christi, scatens hyperbolis & allegoriis ad amplitudinem gaudii adumbrandam. Cantate. Hic primum verbum פצח *phatzach*, in Scriptura occurrit. Aiunt significare alacrem & lætam apertionem oris seu labiorum, lætam vocem edere, resonare, personare. Alii, erumpere, vel prorumpere in vocem lætam; fragorem edere, cum fragore emittere laudem, id est in laudem & iubilum prorumpere, lætam & exultabundam vocem personando edere. Quidam reddunt: *Fragorem edite*. Alii: *Sublata voce canite*. Nonnulli: *Vociferate*. Aliqui: *Aperite os*. Alii: *Resonate*. Alii: *Prorumpite*.

V. 5. Et voce Psalmi, id est psalmodia.

V. 7. Et plenitudo eius, id est quæ implent ipsum: ut supra Psal. XCV. 11. & Psal. XXIII. 1.

V. 9. Quia venit iudicare terram. ut Psal. XCV. 13. & I. Paralipom. XVI 33.

MENOCHII.

Vers. 1. Canticum novum: quia scilicet novum offertur carminis argumentum. Quia mirabilia fecit: quia nuper admiratione digna patravit. Salvavit sibi dextera eius. Vel sensus est: Salvavit se omnipotentia sua: quia nimirum Christus a morte se salvum fecit propria virtute, & potestate. Vel, Salvavit solus mundum nullius advocato auxilio. Illud *sibi*, secundum Hebraicam phrasim idem significat quod, *ipsa*; ac si dixisset Propheta: *Dextera ipsius ipsa salvavit*: sive, Ipsa salutem mundi operata est. Sic legimus in Cantico canticorum cap. 11. numer. 8. *Abi post vestigia gregum tuorum* in Hebræo est, *Abi tibi*, & Italicæ phrasi respondet, dicimus enim, *Vatti*, vel *Vattene*. Brachium sanctum eius. Est repetitio præcedentis hemistichii.

V. 2. Notum fecit salutare suum: salutem quam nobis promiserat, notam fecit, quia illam opere exhibuit. Salvatorem ipsum Christum exhibendo. Iustitiam suam, Christum Dominum, quo nos sanctificat, & iustificat.

V. 3. Et veritatis suae, fidelitatis suarum promissionum factarum Israelitis, quibus Dominus Messiam fuerat pollicitus. Viderunt omnes termini terrae: nam Apostoli toto orbe terrarum Evangelium sua prædicatione circumtulerunt. Salutare Dei nostri, salutem a Domino nobis per Christum partam.

V. 4. Cantate .... psallite. Verba his Hebraice respondentia sic Rabbini distinguunt, ut illud sit ore, hoc autem musicis instrumentis. In voce psalmi, sonitu psalterii musici instrumenti.

V. 6. Tubis ductilibus, metallicis, ex laminis malleo ductis. In Græco est σάλπιγξιν ἐλαταῖς: solent etiam huiusmodi opera Græci appellare σφυρήλατα, hoc est *malleo ducta*. Tubae corneae, buccinis ex cornu.

V. 7. Moveatur mare, exultet, gestiat. Plenitudo eius: quæcumque mari continentur.

V. 8. Flumina plaudent manu. Prosopopœia poetica. Flumina gaudeant, exultent, plaudant.

V. 9. A conspectu Domini, propter conspectum, & visum Dominum venientem. Venit iudicare terram: regnare, regere terram, & illam moderari. Vel intelligitur de Christi adventu ad iudicium, quo tempore iusti lætabuntur, & levabunt capita sua, ut habemus in Evangelio, appropinquante redemptione eo-

eorum. Vide Psal. xcv. ad finem & ibi dicta.

TIRINI.

Vers. 1. SALVAVIT, id est salutem peperit, SIBI sua omnipotentia: nempe propria virtute resurgendo a morte, & totum mundum sibi subiugando. Allegorice, suæ fidei subiiciendo.

V. 6. TUBIS DUCTILIBUS, id est e ducto, fusoque metallo confectis.

V. 8. FLUMINA PLAUDENT MANU, &c. Id est, omnes creaturæ edent signa summæ lætitiæ, ut dixi Psal. xcv. 11.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS IPSI DAVID. τὸ ipsi David non est in Hebræo, nec constat a quo additum sit. Argumentum coincidit cum argumento Psalmi xcv. Attingit enim hic Psalmus mystice utrumque Christi adventum, nempe ut salvet, & iudicet. Et sunt hic aliqua, quæ tum resurrectionem, tum publicationem Evangelii attingunt.

Vers. 1. 2. Nihil obscurum in hoc Psalmo est, quod non ex dato argumento, & paraphrasi intelligatur. Iubet vers. 1. cantari mirabilia Dei; & explicat vers. 2. quæ sint hæc mirabilia. Primum est & præcipuum salvasse mundum, idque sola sua virtute & brachio, sine sociis; sive referas illud *salvavit* ad Patrem, sive ad filium, per incarnationis mysterium. Male aliqui reddunt *salvavit eum*: nam in Hebræo est לו *lo*, in dandi casu, & in Græcis emendatis, αὐτῷ. Solet etiam verbum Hebraicum הושיע *hoviahh* coniungi dativo: sic legimus *Hosanna filio David*; ac si quis dicat bene precando, *Vive le Roy*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

LAudate Christum, & novum beneficium novo cantico; qui fecit nec antea visa, nec audita. Recordatus est promissionis factæ patribus. Viderunt iam veritatem omnes, per Evangelii prædicationem. Nationes, inquam, omnes, seu ex quavis natione aliqui. Moveatur mare: moveantur, & exultent flumina, montes, & demum omnia. Tandem concludit inculcando iudicium de toto orbe, cuius meditatio lætitiam temperat inanem.

BOSSUET.

Vers. 1. SALVAVIT SIBI: salvum fecit eum dextera sua: propria virtute tutus, & victor est: quod est pugnantis & victoriam reportantis. Nota autem, Deum sibi pugnare, se tueri, cum populum propugnat, & tuetur.

V. 6. TUBIS DUCTILIBUS, tubis classicis. *Corneæ* deest Hier.

PSAL-

PSALMUS XCVIII. LAUDIS.

Maxime congruit arcæ in Sion translatæ vers. 1. 2. 5. & Christo super populos regnanti: deest titulus in Hebræo.

VERSIO S. HIERONYMI.

Dominus regnavit, commoveantur populi: sessor Cherubim concutiatur terra.

Dominus in Sion magnus, & excelsus est super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, & terribili sanctoque.

Imperium Regis iudicium diligit, tu fundasti æquitates: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quia sanctus est.

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel in his qui invocant nomen eius: invocabant Dominum, & ipse exaudivit eos:

In columna nubis loquebatur ad eos: custodierunt testimonia eius, & præceptum quod dedit eis.

Domine Deus noster tu exaudisti eos: Domine propitius fuisti eis, & ultor super commutationibus eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quia sanctus Dominus Deus noster.

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus ipsi David.

Dominus regnavit, irascantur populi, * qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

2. Dominus in Sion magnus: & excelsus super omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & sanctum est: 4.
& honor regis iudicium diligit.

Tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

5. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est.

6. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui invocant nomen eius:

Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: 7. in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.

8. Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.

9. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*. Cave, ne pro tertia persona *sedet* scribas secundam *sedes*, ut multi hactenus vitiose.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IRASCANTUR, &c. Hebr. *Contremiscant populi, sedet super Cherubim, moveatur terra*.

V. 4. ET HONOR REGIS. Hebr. *Potentia Regis* (id est imperium, auctoritas) *iuditium diligit*: vel, *Fortitudo est Regi* (qui) *iudicium diligit*: vel, *Potentia Regis est* (quod) *diligat iudicium*.

SA.

De Christi Regno.

Vers. 1. IRASCANTUR; pro, licet indignentur. Hieron. *Commoveantur*. Chald. *Contremiscant*. POPULI, scilicet increduli. QUI SEDET iungendum cum *Dominus*; quasi dicat: Ille qui sedet, &c. SUPER CHERUBIM, scilicet in propitiatorio; vel quasi dicat: Qui eminet super omnes etiam perfectissimos Angelos. MOVEATUR. Hieron. & Chald. *concutiatur*, scilicet timore. TERRA, id est terræ habitatores.

V. 2. IN SION, scilicet cognoscitur; vel qui in Sion colitur.

V. 3. TERRIBILE, id est metuendum.

V. 4. HONOR. Hieron. *imperium*. Chald. *fortitudo*. IUDICIUM; id est, quod æquum est; quasi dicat: Exercet iustitiam. PARASTI DIRECTIONES. Hieron. *fundasti æquitates*. Chald. *præparasti rectitudinem*; quasi dicat: Dedisti præcepta recta, vel rectum iudicium, ut statim explicatur. IUDICIUM ET IUSTITIAM, id est iustum iudicium.

V. 5. EXALTATE. Chald. *Laudate*. SCABELLUM, scilicet ad arcam, unde responsa dat, velut sedens super Cherubim: vel Christi humanitas intelligitur. SANCTUM EST. Græc. Hieron. & Chald. *Sanctus est*, scilicet Dominus.

V. 6. IN SACERDOTIBUS, id est inter sacerdotes: seu sacerdotes, scilicet erant.

V. 7. COLUMNA, scilicet quæ super tabernaculum. CUSTODIEBANT. Græc. *quia custodiebant*. TESTIMONIA, id est mandata, quibus Deus testatur quid velit.

V. 8. EIS, scilicet populo; vel quasi dicat, in gratiam illorum, scilicet Moysis, & Aaron. ULCISCENS, scilicet interdum. ADINVENTIONES. Chald. *opera*. EORUM, scilicet populi.

V. 9. SANCTO. Chald. *sanctuarii*.

ESTII.

Vers. 5. ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS: QUONIAM SANCTUM EST. Scabellum pedum Dei quodnam sit, alii aliter exponunt. Quidam intelligunt arcam fœderis; quidam corpus Christi; quidam animam Christi; quidam crucem eius. Et quidem de omnibus his sane accipi potest. Ad litteram tamen omnino hic locus de arca fœderis accipiendus videtur. Primum quia initio Psalmi fit mentio Cherubim, quorum alæ erant expansæ super arcam: sic enim ibi legitur: *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*. Deus autem super, vel inter Cherubim sedere dicebatur, quia ibi exhibere solebat suam præsentiam, dando responsa. Sicut ergo alæ Cherubim super arcam expansæ erant velut sedes Dei, ita arca subiecta erat velut scabellum pedum eius. Huic accedit, quod Scriptura alibi manifeste arcam vocet scabellum pedum Dei. I. Paral. XXVIII. *Cogitavi*, inquit David, *ut ædificarem domum in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*. Adoratur autem illud scabellum,

lum, quoniam coram eo procidebatur, & adorabatur Deus, eo modo quo Christiani in imaginibus, quibus procumbunt, honorant Christum, & sanctos. Et sicut filii Israel adorantes arcam non committebant idololatriam, sed cultum Deo exhibebant, ita dicendum quoque de veneratione imaginum sacrarum.

Augustinus *per scabellum pedum eius* intelligit corpus Christi. Qui sensus, licet litteralis non sit, sed mysticus, optime tamen in litterali fundatur. Arca enim multis rationibus gessit typum corporis Christi. Docet autem Augustinus in illo commentario, quomodo Christiani adorent corpus Domini. Et est locus valde notandus contra sacramentarios. *Nemo*, inquit, *carnem illam manducat, nisi prius adoraverit*. Item: *Non solum non peccavimus adorando, sed peccavimus non adorando*. Loquitur autem de ea adoratione, de qua dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*.

V. 6. MOYSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EIUS: ET SAMUEL INTER EOS QUI INVOCANT NOMEN EIUS. Moyses sacerdotio functus est in consecratione Aaron, & filiorum eius, ut habetur Exod. XXVIII. De Samuele controversia est, an fuerit sacerdos. Scriptura nusquam id testatur, immo hoc loco contrarium innuit. Quod igitur legitur sacrificasse, intelligendum eo modo quo Saul, David, & Salomon, nempe non per se, sed per sacerdotes, ad quorum officium id pertinebat. Augustinus in hunc locum, & alibi putat fuisse sacerdotem &, II. Retractat. cap. XLIII. fuisse ex filiis Aaron: sed repugnat Scriptura I. Paralip. VI. quæ eum numerat extra Aaronitas. Proinde omnino videtur tenenda sententia auctoris quest. vet. & novi Testamenti apud August. quæst. XLVI. ubi prolixe, & multis rationibus ostendit Samuelem neque ex genere sacerdotali fuisse, neque sacrificium per se umquam obtulisse. Hieron. quoque Lib. I. contra Iovin. late ostendit Samuelem non fuisse sacerdotem. Legitur quidem apud Hieron. epist. CXXV. quæst. III. Samuel propheta connumeratus Moysi *in sacerdotio Dei*. Sed verior lectio est, *in psalterio Dei*: respicit enim ad versiculum huius Psalmi. Vide Scholion Victorini. Ignatius tamen in epist. ad Magnesianos dicit, Samuelem fuisse principem sacerdotum: & Cypr. Lib. III. epist. IX. sacerdotem quoque vocat.

MARIANAE.

Vers. I. PSALMUS IPSI DAVID. Hebr. sine titulo. Christum celebrat, & ad eum colendum provocat. DOMINUS REGNAVIT, IRASCANTUR POPULI. Hebr. *turbentur*, seu *timeant*. Loquitur de impiis, nam de piis dixerat Psal. XCVI. *Dominus regnavit, exultet terra*. QUI SEDET SUPER CHERUBIM, id est in propitiatorio, unde responsa reddit, is regnavit. MOVEATUR TERRA. Hieron. *concutiatur*, scilicet præ metu.

V. 3. CONFITEANTUR: laudent nomen tuum. QUONIAM TERRIBILE. Hebr. *& terribile*. Sed *&* sumitur pro *quia*.

V. 4. ET HONOR REGIS. Hebr. *& fortitudo Regis*. Hieron. *imperium Regis*; id est, in ea maiestate & gloria nihil tyrannice agit; sed IUDICIUM DILIGIT. TU PARASTI DIRECTIONES. Hebr. *æquitates*, id est æquitatem sectaris. Ac peculiariter in hoc populo Iacob id es executus.

V. 5. EXALTATE; quasi dicat: Ideo exaltate. SCABELLUM. Vox Hebr. significat *ubi sedentis pedes ponuntur*. Ergo adorate arcam, seu propitiatorium. Ibi Deus pedes ponere credebatur, cum inter alas Cherubim sederet. QUONIAM SANCTUM EST, scilicet scabellum. Hieron. *sanctus est*, scilicet Deus: sic Psalt. Goth.

V. 6. MOYSES ET AARON. Eorum exemplo docet adorandum propitiatorium. Et quidem non Aaron solum fuit sacerdos, sed & Moyses, quippe frater eius. Verum a se transtulit sacerdotium in Aaron, & posteros eius. Sic Philo de Vita Moysis eum & Regem, & Pontificem fuisse ait. Samuel tantum levita fuit: id significant illa verba: ET SAMUEL INTER EOS QUI INVOCANT NOMEN EIUS. Sic Hieron. probat Lib. I. contra Iovin. & quoniam mater eius faciebat illi ephod, id est superhumerale, quæ erat levitarum vestis. Hoc est certum, tametsi multi e Patribus eum sacerdotem vocent. INVOCABANT DOMINUM. Hi adorabant Dominum, & ipse responsa reddebat.

V. 7. IN COLUMNA NUBIS, id est in nube, quæ præseferebat formam columnæ erecta in pyramidis modum: sic faciebat in

in tabernaculo. CUSTODIEBANT; pro, quia custodiebant legem, quam ei dedisti, propterea loquebaris eis.

V. 8. PROPITIUS FUISTI EIS. Hebr. *parcens eis*, scilicet fuisti, vel cum ipsi peccabant, vel propter ipsos, populo. ET ULCISCENS IN OMNES ADINVENTIONES. Hebr. *opera*, *studia*, *artes*. EORUM; id est, peccata eorum puniebas, vel aliorum technas in ipsos.

V. 9. ET ADORATE IN MONTE SANCTO EIUS, ubi scilicet erat templum, aut tabernaculum. Quidam vertunt, *Adorate montem*; quæ adoratio ad Deum refertur, qui in monte habitat. Sic Kimhi. Et Hebraica sic melius vertantur.

MALVENDAE.

Vers. 1. DOMINUS REGNAVIT, &c. Consentiunt omnes. Psalmum esse propheticum de regno Christi. Versus 3. 5. & 9. videntur amœbæi. IRASCANTUR POPULI. Hebr. *Contremiscent*, *commovebuntur*, *populi*; id est, serio timore perculsi comparabunt se ad Christum Regem suum agnoscendum. Alii: *Turbabuntur populi*, vel *cum tumultu concurrent populi*, quia regnum eius fuit formidabile impiis, Psal. II. vers. 1. & seqq. QUI SEDET SUPER CHERUBIM. Hebr. *Sessor*, *habitator*, *Cherubinorum*. Vide Psal. LXXIX. 3. Quidam: *Insidens Cherubinis regnat*; id est, ille ipse Deus, qui Israelitis præsentem se aspectabilem fecit, & responsa dedit in propitiatorio de medio Cherubinorum, Exodi XXV. 22. ipse est Filius Dei, versus Iehveh. qui iam regnat in mundo. MOVEATUR TERRA. Heb. Futurum: *Nutabit*, *vacillabit*, *movebitur terra*. Alii imperative; *Nutet*, *agitetur*, *terra*; id est, contremiscat a præsentia eius; quasi dicat: Res omnes creatæ atque inanimæ, perculsæ presentia eius, exhibeant ei summam reverentiam.

V. 2. DOMINUS IN SION MAGNUS ET EXCELSUS SUPER OMNES POPULOS. Quidam reddunt: *Regnat Iehovah Tziione magnus*, *etiam altus est super omnes populos*; id est, nunc demum Christus demonstrat se tam Gentium, quam Iudæorum Regem esse. Alii: *Iehovah qui in Tziione colitur*, *magnus est*, & *sublimis supra omnes populos*.

V. 3. CONFITEANTUR NOMINI TUO MAGNO. Hebr. in Futuro: *Celebrabunt nomen tuum grande*, puta omnes populi, quos proxime nominavit.

V. 4. ET HONOR REGIS IUDICIUM DILIGIT. Varie ex Hebr. elucidant. I. *Et robur*, *potentia*, *regis iudicium amat*; id est, procul abest a tyrannide. II. *Robur est Regis*, *qui amat iudicium*. III. *Regia fortitudo æquitatis quoque amans est*. Rex, inquit, noster non minus iustitia excellit, quam viribus & potentia. IV. *Tu quoque robur Regis*, id est, tu qui es robur ipsissimum, & de tuo regibus, servisque tuis suppeditas robur. Legerunt isti אוהב *obeb*, participium *amans*, cum exemplaria constanter habeant אהב *abeb*, præteritum *amavit*. V. *Quamvis potens sit Dominus*, *non tyrannidem exercebit*, *sed æquitatem*, *cuius est amantissimus*. Possis exponere: *Et regnum*, seu *imperium Regis iudicium amavit*: quia regnum eius est æquitate fundatum: sic עז *ghoz*, pro regno opibus, & potentia firmato. Vide in Psal. VIII. 3. & Genes. XLIX. 3. TU PARASTI DIRECTIONES. Hebr. *Tu apparavisti rectitudines*. Alii. I. *Tu firmasti rectitudines*, id est, leges rectissimas. II. *Tu composuisti æquitates*. III. *Tu apparas omnia ex rectitudine*: enallage personæ. IV. *Tu recta dirigis*. V. *Tu fecisti obtinere*, *quæ recta sunt*. VI. *Tu manu tenes* bonum. VII. *Tu enim Domine gubernabis omnia cum æquitate summa*. VIII. *Tu inquam constituis rectitudines*, id est quod est rectissimum. IN IACOB, id est in Ecclesia tua, quæ olim definiebatur Iahakobi, seu Israelis nomine; nunc autem ipsis mundi finibus.

V. 5. SCABELLUM PEDUM EIUS. Plerique arcam intelligunt, cui velut subsellio Deus insidere videbatur. Alii solum ipsum, vel pavimentum templi, cui dicuntur esse tamquam impositi pedes Iehovæ, insidentis Cherubinis: ut I. Paralip. XXVIII. 2. typus Ecclesiæ Catholicæ.

V. 6. MOSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EIUS, &c. Hunc versum ita alii ex Hebr. Explanant: *Moschem*, & *Aharonem cum sacerdotibus ipsius*, *Schemuelemque cum invocantibus nomen ipsius*, *clamantes Iehovam*, *ipse illico exaudivit eos*. Notant, his tribus versibus contineri locum ab exemplo, quo ostendit Psaltes, meri-

merito ab Ecclesia catholica Christum Regem prædicandum esse, per comparationem minoris, hoc modo: Si intercedente Mosche & sacerdotio Levitico, Deus populum Israelis prosecutus est summis beneficiis, exaudiens eos, alloquens, condonans, & parcens in gravissimis offensionibus; quanto magis prædicandum est regnum Christi Filii & heredis in domo Dei, qui sacerdotio æterno nos conciliavit Patri. MOSES ET AHARON IN SACERDOTIBUS EIUS. Quidam: *Qui fuerunt inter sacerdotes eius*, vel *sacerdotes eius*. Nam Mosen sacerdotem fuisse non est dubium, qui & frequenter sacrificarit, & Aharonem, & filios eius sacerdotio consecrarit. Alii, *cum sacerdotibus eius*, scilicet Aharonis, id est cum posteritate sua, cum universo ordine seu sacerdotio Levitico. Vide his Exodi XXIX. & XXXII. & Num. XVI. vers. 46. ET SAMUEL INTER EOS QUI INVOCANT NOMEN EIUS. Non annumeratur sacerdotibus, quia purus levita tantum fuit: de eius invocatione & intercessione pro populo, I. Samuel. XII. 18. & 19.

V. 8. DOMINE DEUS NOSTER, &c. Hunc versum quidam ex Hebr. ita convertunt: *Iehova Deus noster, tu exaudivisti eos, Deus fortis condonans fuisti eis, etiam cum ultionem sumeres de actionibus eorum.* Emphatica apostrophe ad Deum, qua Propheta ostendit, Deum populi misertum esse pro veritate & constantia fœderis sui, mera sua gratia; ac proinde porro in Christo miseraturum esse ex Evangelio. TU EXAUDIEBAS EOS. Quidam, id est Mosen, Aharonem, & Samuelem, clamantes: alii eos Israelitas, interventu sanctissimorum illorum virorum; quod est rectius. PROPITIUS FUISTI EIS. Hebr. *Levans, condonans, parcens, indulgens, fuisti eis*, scilicet Mosi, & Aharoni; id est, in gratiam istorum condonasti peccata populo. Alii *eis*, id est Israelitis. ET ULCISCENS IN OMNES ADINVENTIONES EORUM, scilicet Israelitarum, quibus Deum offendebant: vel cum ipsi Israelitæ aliquid in Mosen, & Aharonem molirentur: ut pater in Korach, Dathan, Abiron, Numer. XVI. Aliqui, *studia quoque eorum vindicans*; id est, & tamen si Moses, & Aaron aliquid suo spiritu agebant, tum illos puniebas: ut Numer. XX. 12.

V. 9. ET ADORATE IN MONTE SANCTO EIUS. Hebr. *Procumbite, incurvate vos, Prosternite vos monti sanctitatis eius*; id est, Tziioni, ubi David constituit tabernaculum; vel Moriæ, ubi templum conditum; vel potius Ecclesiæ, cuius Tziion & Moriah, typus fuerunt; id est, cultum & venerationem exhibete Deo in Ecclesia. Alii non tam recte, cælum intelligunt: Et prostrati convertite vos venerabundos ad cælestem illum montem, in quo maiestas illius sancta peculiariter apparet. Hic versus amœbæus respondens versus 5. supra.

MENOCHII.

Vers. 1. IRASCANTUR POPULI: quantumvis irascantur, indignentur, & tumultuentur populi Gentiles, aut Iudæi velint, nolint. QUI SEDET SUPER CHERUBIM. Regnavit Dominus, qui sedet super Cherubim. Vide dicta Psal. LXXIX. 2. MOVEATUR TERRA. Idem est quod *irascantur populi*, nam est eiusdem sententiæ usitata repetitio.

V. 2. DOMINUS IN SION MAGNUS. Hic Dominus, in quem irascuntur populi, ille est qui magnus est in Sion, qui præcipue colitur in Sion. Sæpius dictum est, Sion esse typum Ecclesiæ. EXCELSUS SUPER OMNES POPULOS. Neque enim celsitudo potentiæ eius tantum se extendit ad eum locum in quo colitur, ad populum suum, sed ad omnes omnino populos.

V. 3. CONFITEANTUR NOMINI TUO: laudent nomen tuum publice: celebrent te populi omnes, nomen, & memoriam tuam. TERRIBILE, venerandum, admirandum.

V. 4. ET HONOR REGIS IUDICIUM DILIGIT. Vox illa, *Honor*, in Hebræo est עז *hoz*, quæ significat robur, auctoritatem, honorem, sanctitatem, substantiam, & alia. Sensus ergo est: Deus, & Christus iustissimus Rex est, quia dignitas, sanctitas, vel auctoritas regia id proprie requirit, ut Rex iudicium diligat, hoc est, amore iustitiæ recte iudicet. Italice diceremus: *L'onore del Principe richiede che ami la giustizia.* TU PARASTI DIRECTIONES. Ostendit Deum talem esse principem, qualem dixerat esse oportere,

ut scilicet iustitiam amet. Sensus est: Tu parasti leges rectissimas, & ad dirigendos hominum mores aptissimas. IUSTITIAM FECISTI, puniendo peccata, & benefacta munerando.

V. 5. ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS. Adorate in templo obversi ad arcam, in qua est propitiatorium, quod est *scabellum pedum eius*, cum ipse Cherubinorum alis insideat. Vide I. Paralip. XXVIII. 2. & ibi dicta. Humanitas Christi est scabellum pedum Divinitatis, ut Patres interpretantur.

V. 6. MOYSES ET AARON, &c. Ponit exempla trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt, & adoraverunt scabellum pedum eius, cumque invocarent auditi sunt, & admirabilia patraverunt. IN SACERDOTIBUS EIUS. Moyses fuit summus princeps politicus, & summus sacerdos Hebræorum; Aaron vero summus sacerdos tantum; Samuel vero summus princeps politicus tantum, ideoque reponit illum non in numero sacerdotum, sed in numero invocantium Dominum, quia tantum erat levita.

V. 7. IN COLUMNA NUBIS LOQUEBATUR AD EOS, Moysen scilicet, & Aaron. TESTIMONIA EIUS, legem eius.

V. 8. ULCISCENS IN OMNES ADINVENTIONES EORUM, et impunitum non relinquens, si quid peccassent. Loquitur tantum de Moyse, & Aaron, de quibus etiam solis dixerat: *In columna nubis loquebatur ad eos.*

V. 9. ADORATE IN MONTE SANCTO EIUS: adorate eum in Sion, & in Ecclesia. QUONIAM SANCTUS, &c. ac proinde omni honore, & reverentia dignus.

TIRINI,

Vers. 1. IRASCANTUR licet POPULI hostes Israelis, REGNAVIT ab initio, regnabitque in æternum DOMINUS, QUI in propitiatorio SEDET SUPER CHERUBIM, quasi in curru suo triumphali, ac manifestat se Israeli, dans responsa, & dona, ac beneficia omne genus. Hinc MOVEATUR TERRA, id est paveant, contremiscant incolæ terræ; ut Psal. XCV. 9.

V. 4. HONOR (Hebr. *fortitudo*, ut & Chald. vel, ut Hieron. *imperium*) REGIS DILIGIT IUDICIUM; id est, regia potentia & maiestas Dei gaudet uti non tyrannide, sed suavi imperio, & iusto iudicio. Ita Theodoretus. Unde PARASTI DIRECTIONES; id est, recta, æqua, iusta præcepta & iudicia nobis sanxisti, inquit S. Hieronymus. Porro tres rationes hic assignat cur laudandum sit nomen Domini. Prima, quia terribile & sanctum est, vers. 3. Secunda, quia iudicium diligit, vers. 4. Tertia, quia parat directiones, ibid.

V. 5. ADORATE SCABELLUM EIUS, id est arcam, quæ erat parva cistula oblonga, sub propitiatorio posita quasi scabellum.

Allegorice: Adorate S. Eucharistiam: nam corpus Christi nemo manducat, nisi prius adoraverit, inquit S. Aug.

Nota etiam contra hæreticos, eodem sensu, & modo quo iubentur hic Hebræi adorare arcam, Christianos iam adorare, id est honorare, reliquias, & imagines Dei, ac sanctorum.

V. 6. MOYSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EIUS; id est, erant sacerdotes, & quidem summi, seu Pontifices. Nam & Moyses passim sacrificasse legitur in Exodo, maxime quando Aaronem consecravit pontificem, cap. XXIX. Sed ex eo tempore ius omne ordinarii sacerdotii in fratrem, eiusque posteros resignavit. ET SAMUEL non postremus fuit INTER EOS QUI INVOCANT NOMEN DOMINI, frequenti & solemni sacrificatione & oratione, qua impetrabat a Deo salutem populo. Non tamen fuit Samuel sacerdos ordinarius, utpote non ex Aarone, sed ex Isaar patruo Aaronis prognatus, ut patet ex I. Reg. 1. 1. collato cum I. Paralip. VI. 2. & 34. Ergo purus levita fuit; sed extra ordinem ex speciali dispensatione, & indulto Dei facultatem habuit sacrificandi, ut dixi I. Reg. 11. in fine cap. INVOCABANT DOMINUM, coram hac arca sacrificantes, & adorantes. Quam ob rem etiam vos Hebræi imitamini hanc pietatem vestrorum patrum, & principum.

V. 8. ULCISCENS IN OMNES ADINVENTIONES EORUM: passive, id est *in omnes iniurias* (ut Symmachus vertit) adversus Moysen, Aaronem, vel Samuelem ab hostibus, vel æmulis eorum adinventas. Hebraice *in omnia opera*, studia, artes,

mo-

molitiones contra eos adornatas. Respicit enim ad molestias, & iniurias ipsis illatas a Core, Dathan, Abiron, Saule, &c. Ita Genebrardus, & Euthymius.

GORDONI.

Titulus: Psalmus ipsi David. Hic titulus est in Græcis, & Latinis codicibus, non autem in Hebræo. Pro argumento habet cohortationem, si sensum mysticum spectemus, ut Christo per promulgationem iam revelato, deferatur honor, & adoratio. Est porro in sensu litteræ mentio de regno Davidis, ut docent quæ hic dicuntur de arca, de monte Sion, & antiquis, qui hic recensentur, patribus. De duobus ergo regnis est Psalmus, ut fere etiam in duobus præcedentibus.

Vers. 1. & 2. DOMINUS REGNAVIT (ad sensum litteræ) IN SION, & terra promissionis, invitis Iebusæis, & idololatris, inde expulsis. Dicitur vero ibi regnare Dominus, quia David se Regem sub Deo regnante intelligebat. Super Cherubim vero, quia Dominus sedere dicebatur invisibiliter in propitiatorio, unde dabat responsa. Regnat etiam Dominus, iuxta sensum mysticum, ut Psalmum explicat paraphrasis. Cetera ex his sunt facilia.

V. 5. ADORATE SCABELLUM EIUS: ὑποπόδιον, iuxta litteram, quia Deus non solum vult in se adorari, sed etiam in arca, ut in scabello pedum. Hinc I. Paral. XXVIII. 4. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca Domini, & scabellum pedum eius*. Erat sane arca sub propitiatorio, quod dicebatur sedes Dei. Ceterum sensus hic maxime litteralis est de arca, non vero de terra, aut templo, ut aliqui putant. Dixi alibi quæ relatio ad prototypum, & coniunctio requiratur, ut adoratio (sive honoraria, sive alia quævis) deferri possit rei creatæ. Certe ne quidem humanitati Christi (alioquin coniunctissimæ cum Verbo) debetur suprema adoratio, si spectetur præcise in se, & natura sua, ut docet Damasc. Lib. III. de Fide. Inepte etiam hunc locum vertunt hæretici, qui legunt, *Adorare ad scabellum*, seu in loco ubi est: nam in Heb. est, *incurvare se scabello* להדום *lechadom*, ubi *le* designat dandi casum. Recte ex hoc eodem loco colligunt Theologi, posse coli honoraria adoratione aliquas res sacras, & imagines sanctorum, ob respectum ad prototypa.

Dices: Cur est in Latino, *Sanctum*, & in Græco ἅγιον, *sanctus*. Sane in Hebr. קדש הוא *kadosch hou* tam in neutro, quam in masculino reddi potest; ut קדוש respiciat vel scabellum, vel Deum. Hieronymus quoque legit cum Vulgato in neutro. Demum iuxta sensum mysticum, scabellum hic est corpus Christi, quem sensum aperit Paraphrasis.

Eiusdem Paraphrasis.

I*Rascantur populi*, &c. Quantum velint, regnavit Christus. Resurgens a mortuis (ut hoc dicam obiter de sensu mystico) sedebit super Cherubim ad dexteram Patris; nomen illi magnum, immo terribile in iudicio (quod ipse diligit) & sanctum in bonitate. Ipse paravit directiones, & præcepta bona. Scabellum pedum corpus est Christi, honorandum conveniente adoratione honoraria. Denique magni illi viri, Moses, Samuel, & Daniel sacerdotes eius, magnum hoc nomen invocabunt, quos imitari oportet.

BOSSUET.

Vers. 1. IRASCANTUR, *commoveantur*, Hier. contremiscant. Vide Psal. XCVI. 1.

V. 4. HONOR REGIS, Dei. *Imperium Regis*, Hier. *Robur Regis*, Aquila: quo sensu apud Homerum, *Vis Herculea*, *Robur Alcinoi*; hoc est sine dubio, ipse Rex, recto iudicio delectatur: quod ad felicitatem regii imperii spectat. PARASTI DIRECTIONES: *fundasti æquitates*: Hier.

V. 5. SCABELLUM PEDUM arcam. Sic Psal. CXXXI. 7. Noti omnibus loci Ambrosii, & Augustini, ubi scabellum Domini interpretantur carnem Christi in mysteriis adoratam: Aug. hic. Amb. de Spir. sanct. III. 12.

V. 6. IN SACERDOTIBUS. Moses rebus sacris præ fuit æque ac profanis: sacerdotale etiam gessit officium, cum Aaronem consecravit, & pro eo sacrificium obtulit,

V. 7. In columna nubis. ... ad eos, Mosen, & Aaron: Exod. xiii. 21.

V. 8. Adinventiones eorum, *iniurias eorum*, Symm. apud Theodor. ulciscens molimina populi adversus Moysen & Aaron.

PSALMUS XCIX. LAUDIS, ET EXULTATIONIS.

Dei maiestatem, bonitatem, fidem, domum eius ingressuri canunt.

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus in Confessione.

Iubilate Deo omnis terra. Servite Domino in lætitia: ingredimini coram eo in laude.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos: & ipsius sumus; populus eius, & grex pascuæ eius.

Ingredimini portas eius in gratiarum actione, atria eius in laude: confitemini ei, benedicite nomini eius.

Quia bonus Dominus, in sempiternum misericordia eius, & usque ad generationem & generationem fides eius.

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus in Confessione.

2. Iubilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia:

Introite in conspectu eius, in exultatione.

3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos:

Populus eius, & oves pascuæ eius:

4. introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen eius: 5. quoniam suavis est Dominus in æternum misericordia eius, & usque in generationem & generationem veritas eius.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. In confessione. Hebr. *Pro confessione*, aut gratiarum actione.

V. 5. Quoniam suavis est Dominus. Hebr. *Bonus*, vel *benignus est Dominus*.

SA.

De Dei laude.

Vers. 1. In confessione, id est ad laudem, scilicet Dei. Chald. *pro sacrificio confessionis*.

V. 2. Deo. Chald. *coram Domino*. Terra. Chald. *habitatores terræ*. Exultatione; scilicet cum lætitia laudantes. Hieron. *laude*. Chald. *hymno*.

V. 3. Scitote. Chald. *notum facite*. Pascuae eius, id est quas pascit.

V. 4. Portas, scilicet templi. Confessione. Hieron. *gratiarum actione*. Hymnis, Hieron. & Chald. *laude*. Laudate nomen eius. Hieron. & Chald. *benedicite nomini eius*.

V. 5. Suavis. Hieron. & Chald. *bonus*, scilicet benignus, seu beneficus. In; pro, & in. Veritas. Hieron. & Chald. *fides*, scilicet in promissis.

ESTII

ESTII

nulla in hunc Psalmum Annotatio.

MARIANAE.

Vers. 1. PSALMUS IN CONFESSIONE. Hebr. *Psalmus laudis*, aut *pro laude*. Canebatur cum offerebatur hostia pacifica. Ad Dei laudes invitat, estque ultimus eorum qui Moysi tribuuntur, esseque de diebus Messiæ Schola Hebræorum affirmat. Græce: *Psalmus David in confessione*, id est laude, ad laudandum.

V. 2. INTROITE IN CONSPECTU EIUS, aut in conspectum eius, id est templum, ubi Deus habitabat.

V. 3. IPSE FECIT NOS, id est magnificavit. Sic I. Reg. XII. 7. *Qui fecit Moysen*, & *Aaron*. *Facere* pro magnificare.

V. 4. IN CONFESSIONE, in laude, seu gratiarum actione, ut Hieron. IN HYMNIS, in laude. CONFITEMINI ILLI. Heb. *laudate eum*. LAUDATE NOMEN EIUS. Hebr. *benedicite nomini eius*.

V. 5. IN AETERNUM MISERICORDIA EIUS ET ..... VERITAS EIUS Utraque virtus est illi æterna. Benignitas semper iustitiæ miscetur. *In æternum misericordia eius*, & *usque in generationem & generationem veritas eius*.

MALVENDAE.

Vers. 1. PSALMUS IN CONFESSIONE. Hebr. *Psalmus confessioni*, id est ad confessionem fidei & laudis. Quidam putant hunc Psalmum decantari solitum quando offerebatur sacrificium quod תודה *todah*, id est *confessio*, dicebatur, de quo vide Levit. VII. 12. Alii: *Psalmus ad laudem*. Nonnulli: *Psalmus pro gratiarum actione*. Notant, Psalmum hunc eucharisticum esse, quo Psaltes hortatur Ecclesiam ad colendum & prædicandum Deum, duobus argumentis; unum est, gratuita electio & vocatio nostra in communionem fœderis cum Deo, usque ad vers. 4. alterum est perpetuus & constans beneficiorum fructus, ex quo vocationis divinæ facti sumus participes, vers. 4. & 5. OMNIS TERRA. Quidam: *Omnes incolæ terræ*, tam gentes, quam Iudæi, ut interpretatur Apostolus ad Rom. XV.

V. 3. QUIA DOMINUS IPSE EST DEUS; id est, quod Iehveh sit auctor fœderis, & Dominus noster. ET NON IPSI NOS. Hebr. est duplex lectio: una, & *ei nos*, sumus, id est eius populus, peculium, ut statim subditur; vel & *sibi nos*, fecit: altera, & *non nos*; id est, non nos fecimus nos ipsos. Plerique ad creationem referunt; alii ad recreationem: unde totum versum ita reddunt: *Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum fecisse nos (non autem nos ipsos) populum suum & gregem pastus sui*; quasi dicat: Nos nulla iustitia nostra antegressa, nullo merito nostro, aut recto animo dignitatem hanc nobis comparavimus; sed ex gratuita ipsius benevolentia factum est, ut simus ipsi filii, populus, grex. Vide Deuteron. VII. 7. & IX. 4. & seqq. Alii distinguunt: *Sed populus eius sumus*, & *oves*, seu *grex pasturæ eius*. Vide Psalm. XCIV. 7.

V. 5. VERITAS EIUS. Hebr. *Fides eius*. Quidam, id est constantia ad bonitatem & benignitatem communicandam cum Ecclesia sua. Alii, *Fides promissorum eius*: quia verax, fidelis, constans est in servandis promissis.

MENOCHII.

Vers. 1. IN CONFESSIONE: in quo scilicet agitur de confessione, hoc est Dei laude.

V. 2. OMNIS TERRA, omnes terræ incolæ. SERVITE DOMINO IN LAETITIA: quia hilarem cultorem diligit Deus, & quia cum beneficia a Deo accipiatis, lætos vos & hilares esse decet. IN CONSPECTU EIUS, in templum eius.

V. 3. SCITOTE, &c. perpendite quod Dominus noster quem colimus, ipse solus est verus Deus. ET NON IPSI NOS. Græce καὶ οὐχ' ἡμεῖς, & *non nos*, subaudi fecimus nos ipsos. Itaque vox *nos* est casus nominativi. POPULUS EIUS: vos, qui populus eius estis. OVES PASCUAE EIUS, grex eius.

V. 4. INTROITE PORTAS EIUS, ianuas domus, & templi eius. IN CONFESSIONE, laudantes, vel ut laudetis eum. A-

TRIA

TRIA EUS, ſcilicet introite, ad hymnos in eius laudem concinendos. CONFITEMINI ILLI: laudate eum.

V. 15. SUAVIS. In Hebr. eſt טוב *tbob*, *bonus*, *benignus* .*beneficus*. IN AETERNUM MISERICORDIA EIUS: quoniam eſt ſempiternæ miſericordiæ. VERITAS EIUS, fidelitas promiſſorum eius.

TIRINI.

Verſ. 2. IN EXULTATIONE, id eſt cum lætitia. *Omnis ſervitus hominum*, inquit S. Auguſtinus, *amaritudine & murmure plena eſt*; *ſed ſervitus Dei libertas eſt*, *& lætitia*, *ubi non neceſſitas*, *ſed caritas ſervit*, *quam dat veritas*, *id eſt Chriſtus*.

*V.*4. INTROITE PORTAS EIUS, ſcilicet templi, & per portas in ATRIA. Neque enim licebat Hebræis ipſum templum, ſeu ſanctuarium (quod conſtabat Sancto, & Sancto ſanctornm) ingredi: huc enim ſolis ſacerdotibus patebat acceſſus: ſed populus orabat in atriis, quæ erant ante Sanctum, & ante ſepta ſacerdotum, ut dixi III. Reg. VI. & alibi.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS IN CONFESSIONE: in Hebræo eſt. Græcus codex addit nomen Davidis. Pro argumento habet confeſſionem laudis, & beneficiorum Dei, ut conditoris, gubernatoris ſuper nos, in omni miſericordia, & fidelitate: & ſenſu ſaltem myſtico de Chriſti regno dicitur.

BOSSUET.

Verſ. 3. ET NON IPSI NOS: *& ipſius ſumus*: Hier. orta varietas ex varietate vocis Hebreæ *lo*, per Vau, vel per Aleph.

V. 5. SUAVIS, *bonus*, Hebr. Ita paſſim.

PSAL-

PSALMUS C. MORALIS.

Vitæ innocentia, modestiaque, & integritas boni Principis adsciscentis bonos, malos coercentis. Confer cum Psal. CXXX. *ut habeas ex Davide optimi & sanctissimi Regis exemplum. Vide autem, bonus Princeps quos amicos & convivas, quos familiares, quos rerum administros, quos denique adversarios habeat.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Psalmus David.

MIsericordiam, & iudicium cantabo: tibi Domine psallam.

Erudiar in via perfecta quando venies ad me: ambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meæ.

Non ponam coram oculis meis verbum belial, facientem declinatione odivi: nec adhæsit mihi.

Cor pravum recedet a me: malum nesciam.

Loquentem in abscondito contra proximum suum; hunc interficiam: superbum oculis & altum corde, cum hoc esse non potero.

Oculi mei ad fideles terræ: ut habitent mecum, ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi.

Non habitabit in medio domus meæ faciens dolum: loquens mendacium non placebit in conspectu oculorum meorum.

Mane perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem.

VERSIO VULGATA.

1. Psalmus ipsi David.

MIsericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine:

Psallam, 2. & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

3. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi 4. cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam.

5. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.

Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.

6. Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. MISERICORDIAM, &c. Heb. *Miſericordiam, & iudicium cantabo: tibi Domine pſallam.*

V. 2. ET INTELLIGAM. Hebr. ſenſus eſt: Prudenter inſtituam curſum vitæ meæ, ſi ad me veneris; id eſt, ſi tu me erudieris, & iuveris. Dicitur enim Deus ad nos venire per doctrinam & gratiam; ſicut nos ad illum ire dicimur per affectum. PERAMBULABAM, &c. Hebr. *Ambulabo* (ſi ad me veneris) *in integritate cordis mei, in medio domus meæ*, id eſt, in omnibus ſtudiis meis. Significat enim domus vitæ rationem, converſationem, inſtitutum, in quo, quaſi in domo verſamur, ut Proverb. VII. 27. *Viæ inferi domus eius*: & Proverb. XIII. 27. *Conſideravit ſemitas domus ſuæ*; id eſt, prudenter inſtituit omnes rationes vitæ ſuæ. Vel *in medio domus ambulare*, ſignificat privatam vitam agere, neque curare res aliorum: ut IV. Reg. IV. 13. *In medio populi mei habito.*

V. 3. FACIENTES. Hebr. עֲשׂה, *facere*. Melius Septuag. legerunt עֹשֶׂה, *facientem*: niſi quod pluraliter verterunt ποιοῦντας: non adhæſit mihi quidquam tale.

V. 4. COR PRAVUM, &c. Hebr. *Cor pravum a me diſceſſit, malignum non cognovi*, id eſt non approbavi.

V. 5. PERSEQUEBAR. Hebr. perdebam, vel *perdidi*.

V. 7. QUI FACIT SUPERBIAM. Hebr. *dolum, fraudem*. NON DIREXIT. Hebr. *Non eſt firmatus*; id eſt, non eſt auſus ſtare ante oculos meos; aut non permiſi ſtare.

V. 8. IN MATUTINO, &c. Hebraiſmus. *Mane*; id eſt prima cura mihi fuit, ut perderem omnes peccatores terræ: vel nihil mihi antiquius fuit. Nam quod nobis maximæ curæ eſt, id primo mane agimus. Proverb. I. 28. *Mane conſurgent, & non invenient me.*

SA.

De officio boni Principis.

Verſ. 1. MISERICORDIAM, ſcilicet tuam. IUDICIUM, id eſt iuſtitiam. CANTABO, id eſt celebrabo canticis. TIBI. Chald. *coram te*.

V. 2. INTELLIGAM. Hieron. *erudiar*. IMMACULATA. Hieron. *perfecta*; quaſi dicat: Dabo operam perfectioni, ſi me adiuves. VENIES, ſcilicet & me illuminabis. Quidam per interrogationem legunt; quaſi dicat: Quando mihi gratiam tuam dabis, ut poſſim id quod ſequitur? PERAMBULABAM. Hieron. Chald. *ambulabo*. INNOCENTIA. Hieron. *ſimplicitate*. Chald. *perfectione*. IN MEDIO DOMUS, id eſt inter domeſticos.

V. 3. PROPONEBAM. Hieron. *proponam*. Chald. *ponam*, ſcilicet faciendam. REM INIUSTAM. Hieron. *verbum Belial*. Chald. *verbum impietatis*. NON ADHAESIT, id eſt non fuit familiare.

V. 4. COR PRAVUM, id eſt pravi homines. DECLINANTEM, &c. ſcilicet vitæ diſſimilitudine: Aug. Chald. *concupiſcentiam malam*. COGNOSCEBAM; id eſt, approbabam: Aug. vel quaſi dicat: Non habui inter amicos & notos.

V. 5. DETRAHENTEM, &c. Chald. *loquentem lingua triplici contra proximum ſuum*. PERSEQUEBAR. Hieron. *interficiam*. Chald. *diſperdam*. INSATIABILI CORDE, Hieron. *latum corde*: ſcilicet ita vocantur Hebr. avari & ambitioſi, qui plura ſemper cupiunt. EDEBAM. Chald. *habitabo*.

V. 6. FIDELES. Chald. *veraces*. SEDEANT. Hieron. *habitent*. IMMACULATA. Hieron. *ſimpliciter*. Chald. *perfecta*. MINISTRABAT. Hieron. *miniſtrabit*.

V. 7. IN MEDIO DOMUS, id eſt intra domum; quaſi dicat, domi meæ. SUPERBIAM. Hieron. & Chald. *dolum*. INIQUA. Hieron. & Chald. *mendatium*. DIREXIT, id eſt proſpere habuit. Hieron. *placebit*.

V. 8. IN MATUTINO, id eſt cito, ſeu tempeſtive. INTERFICIEBAM. Hieron. & Chald.

Chald. *perdam*. PECCATORES. Hieron. & Chald. *impios*. DISPERDEREM. Hieron. *interficiam*. Chald. *disperdam*, scilicet si eiusmodi sint peccata, quæ morte digna videantur. INIQUITATEM. Chald. *falsitatem*.

ESTII.

Verſ. 8. IN MATUTINO INTERFICIEBAM OMNES PECCATORES TERRAE. Hebraiſmus eſt *in matutino*, pro mature, & tempeſtive; quaſi dicat: In regno meo mature, & incunctanter interfeci, & ſuſtuli impios.

Sed quæritur, quomodo David hoc vere dicat, cum Ioab bis homicidam ſuſtinuerit uſque ad finem vitæ ſuæ, nec eum interfecerit, niſi tandem mandato ſuo quod moriens filio Salomonis dedit. Reſpondeo: Interfeciſſe ſe dicit David peccatores in matutino, id eſt mature, & quidem etiam Ioab homicidam; ſed in voluntate, & præparatione animi: nam Ioab ſtatim interfici reipſa non expediebat ob cauſas II. Reg. III. expoſitas. Quare hic fecit quod prudentiæ ratio dictabat: ſcilicet ut in eum iudicium exerceret, quam primum oportunum tempus ſe offerret. Hinc & Pſal. LXXIV. de ſe canit: *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*.

MARIANAE.

Verſ. I. PSALMUS IPSI DAVID. Probæ ſuæ anteactæ vitæ rationem reddit. MISERICORDIAM, ET IUDICIUM CANTABO, aut tui, o Deus, aut mei, quibus ſubditos rexi: aut abſolute virtutes ipſas cantu celebrabo. TIBI, Pſalmo tibi dicato, in honorem tuum.

V. 2. ET INTELLIGAM IN VIA IMMACULATA, Hebr. *perfecta*; id eſt, vacabo perfectioni vitæ, & expectabo; ſupple, QUANDO VENIES AD ME: ea ſcilicet memoria tui adventus, viſitationis tuæ, aut mortis meæ me continebit. PERAMBULABAM IN INNOCENTIA. Hebr. *in futuro*: ſic Hieron. *ambulabo*, ut ſit promiſſio vitæ in poſterum innocenter agendæ. IN MEDIO DOMUS MEAE, id eſt erga meos ſubditos, in regno meo. Aut non publice ſolum, ſed in arcano etiam. Sunt quos publice laudes; arcana non conſonant.

V. 5. NON PROPONEBAM. Hebr. ſemper in futuro: *Non proponam*. ANTE OCULOS MEOS, in mente. REM INIUSTAM. Hebr. *verbum belial*: ſic Hieron. id eſt impium facinus. FACIENTES PRAEVARICATIONES ODIVI. Hebr. *facere declinantium odivi*, id eſt opus eorum.

V. 4. DECLINANTEM A ME MALIGNUM. Hebr. *cor pravum recedet a me*. Sed ſi relativum ſuppleas, facile conſtat. Sept. interpretatio ſic: *Non adhæſit mihi cor pravum* (qui) *declinat a me*, *non cognoſcebam*; id eſt, eum qui a meis moribus diſcrepat, qui pravus eſt, eum domo, & amicitia interdixi.

V. 5. DETRAHENTEM. Hebr. מלושני *melaſeni*, unde ea vox ad Hiſpanos manavit. PERSEQUEBAR. Hebr. *interficiam*: ſic Hieron. id eſt, illi inimicus ero. SUPERBO OCULO. Hebr. *altis oculis*. ET INSATIABILI CORDE. Hebr. *lato corde*, ſcilicet arroganti, aut qui multa cupit. CUM HOC NON EDEBAM. Hieron. *cum hoc* (eſſe) *non potero*. Hoc Hebræi ſequuntur. Verum ſublatis punctis, Sept. interpretatio conſtabit; neque in ſententia diſcrimen eſt.

V. 6. OCULI MEI AD FIDELES TERRAE UT SEDEANT MECUM, vel *ut habitent*: ſic Hieron. Aversor pravos, at piorum convictu delector. HIC MIHI MINISTRABAT. Princeps in familiam admittere non debet niſi viros probatos, neque opera eorum uti qui ſunt pravi.

V. 7. QUI FACIT SUPERBIAM. Hebr. *qui facit dolum*. QUI LOQUITUR INIQUA. Hebr. *mendacia*. NON DIREXIT. Hebr. *non firmabitur*, ſtabilietur *in oculis meis*. Pravi ſunt vitandi Principi, ſed ante omnes doloſi & mendaces.

V. 8. IN MATUTINO. Hebr. *in matutinis*, id eſt omnibus auroris, omni die. Docet quid iudex animi habere debeat, cum primum electo ſurgit. INTERFICIEBAM peccatores, ſeu *interficiam*. Me illis adverſum præbebo, in illos inquiram. UT DISPERDEREM. Hebr. *ad perdendum*, ut perdam. DE CIVITATE DOMINI, id eſt in qua Deus colitur, quæ Dei nomen præfert, Ieruſalem. OMNES OPERANTES INIQUITATEM perdam.

MALVENDAE.

Verf. I. PSALMUS IPSI DAVID. Notant, Pfalmum effe didafcalicum, quo David in regno conftitutus, Deo folemniter vovet, fe officio fuo fideliter defuncturum. Conftare itaque duabus partibus, exordio, quo profitetur David fe hoc folemni cantico obftrictum iri ad præftandum officium fuum, verf. I. deinde narratione, five expofitione fingularis officii, quod promittit Deo, ad finem ufque. Videri autem hunc Pfalmum a Davide non ante fefceptum regnum confcriptum effe, fed poftquam Rex confirmatus eft: quo tempore ea conftituit, quæ ad cultum Dei, & civilem adminiftrationem pertinebant. Vide in Pfal. XVII. I. & in Pfal. XXXV. I. MISERICORDIAM, ET IUDICIUM CANTABO. Quidam: *Benignitatem, & ius canam*; id eft, duo hæc me procuraturum fpondeo Domino; cum ut benignitas a me popularibus meis profit; tum ut ius adverfus improbos exerceatur: quæ duæ funt verorum Principum laudes. Vide II. Samuel. VIII. 15. Alii: *Bonitatem, & iuftitiam canam*; id eft, hanc odam in laudem tuam, o Domine, fcribam de officio boni principis, cuius eft mifericordiam & iuftitiam præftare. Nonnulli: *Mifericordiæ & æquitati tuæ canam*.

V. 2. INTELLIGAM IN VIA IMMACULATA, QUANDO VENIES AD ME. Varie ex Heb. exponunt. I. *Erudiar in via perfecta, quando venies ad me*, id eft cum mihi aderis. II. *Prudenter me geram, prudenter agam, prudenter me habebo, vitam inftituens innocentem*; id eft, dabo operam fedulo ut inculpate vivam, *quando me docebis & inftitues*, quando fuggeres mihi aliquid agendum: vel, *Studebo ut intelligam quid mihi agendum fit, te docente & inftituente animum meum*. III. *Attentus ero in viam innocentiæ, donec occurras mihi*. IV. *Conftanter perfeverabo, ftrenue agam, in via integra, quando venies ad me*, iuvandum, informandum. V. Quidam fecundum membrum interrogative accipiunt, quod מתי *mathai*, *quando*, cum abfolute ponitur, interrogativum effe foleat: *Intelligam in via immaculata: quando venies ad me?* id eft, ftudebo verfari fapienter in recta & pia vivendi ratione; fed nihil profecerim nifi conatus meos ipfe iuveris: quando igitur venies ad animum meum, illumque fplendidiffima luce fapientiæ tuæ illuftrabis, & more fanctiffimo inflammabis? Unde locum paraphraftice ita reddunt: *Ego quidem pro viribus operam dabo, ut familiam honefte inftituam, & integritatis morum ftudiofus ero; fed conatus mei irriti fient, nifi tu adiuveris, quod quando fiet tandem? a te enim adiutus conftanter verfabor proprietate cordis mei, in adminiftratione domus meæ*. VI. Alii diftinguunt, & pofterius membrum fequentibus annectunt: *Intelligam in via perfectionum: quando venies ad me, ibo in perfectione cordis mei*, &c. VII. *Animadvertam via integra, quando venturus fis ad me*. Narratio, five expofitio officii quod David vovebat Domino, conftans ex tribus partibus. Prima eft de inftituto & vita ipfius Regis, a verf. 2. ad 5. Secunda de inftituto regalis confilii, comitatus, & minifterii, a verf. 5. ad 8. Tertia, de caftigatione improborum, purgatione totius regni, per feveram obfervationem difciplinæ civilis, & Ecclefiafticæ, verf. 8. Ait ergo: *Animadvertam via integra*, id eft quam integerrime potero, *quando venturus fis ad me*, id eft me recepturus ad te ex hac vita: aut alioquin rationem exacturus adminiftrationis meæ; quafi dicat: Semper attendam ad finem meum, ut caute & religiofe ambulem. PERAMBULABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI. Heb. *Ambulare me faciam in integritate cordis mei*. Alii: *Indefinenter ambulabo in integritate animi mei*. Nonnulli: *Verfabor, converfabor in perfectione cordis mei*. Coniugatio Hithpahel, hic attentam, fedulam, iugem converfationem in integritate animi fignificat. IN MEDIO DOMUS MEAE. Heb. *in interiori, intraneo, intimo domus meæ*, id eft etiam clam intra privatos parietes. Effigies folidæ virtutis, quæ five in publico verfetur, five in domum intimam fe abdat, femper eft eadem; quafi dicat: Foris, domique viam rectam infifto. Alii, *in adminiftrationem domus & familiæ meæ*.

V. 3. REM INIUSTAM. Heb. verbum בליעל *beliiabal*. Diverfimode alii: I. *Scelus nefarium*; 2. *Rem impietatis*, feu *impiam*, quam defignem; 3. *Calumniofum confilium*. Vide in Deuteron. XIII. 13. FACIENTES PRAE-

PRAEVARICATIONES ODIVI. Heb. *Facere declinantium odivi*: infinitivus pro nomine, id est *factum*, *opus*, *declinantium* a via integra, de qua superiore vers. 5. vel a te.

V. 4. COR PRAVUM: DECLINANTEM A ME, &c. Heb. *Cor perversum recedet, facesset, a me*. Alii. I. *Cor tortum, distortum, recedet a me*. II. *Mens nequitiosi abhorreat a me*. III. *Qui animum suum studio depravat, is procul recedere cogetur a me*. IV. *Animus perversus recedet a me*; id est, dabo operam, ut deponam veterem hominem cum concupiscentiis eius, & quod semel deposuero, amplius non invadat me.

V. 5. DETRAHENTEM SECRETO PROXIMO SUO, HUNC PERSEQUEBAR. Varie ex Heb. I. *Accusantem in abscondito socium suum, hunc incidam*. II. *Insimulantem in abscondito proximum suum, hunc interficiam*. III. *Qui lingua defert clam sodalem suum, istum perdam*. IV. *Qui loquitur clanculum in perniciem socii sui nihil mali suspicantis, illum subvertam funditus*. V. *Linguantem*, *linguæ deferentem*, *lingua denigrantem occulte socium suum*, *hunc succidam*, *conficiam*, *disperdam*. מלושני *meloscheni* alii participium Pohel faciunt cum Iod paragogico; alii nomen participiale, a לשון *laschon*, *lingua*, efformatum; quod est rectius, nempe eum qui lingua defert, denigrat, calumniatur; quasi *linguatorem*. VI. *Lingua lædentem apud me clam proximum suum*, *ipsum exscindam*; id est, maledicos atque meleficos depellam a me. Secunda pars. In *meloscheni* Iod putarunt esse affixum, *linguantem*, *mihi*, vel *apud me*. ET INSATIABILI CORDE. Heb. *latum*, vel *amplum corde*. Quidam, *tumentem animo*. Alii, *arrogantem animo*. Nonnulli, *vastum corde*, vel *turgido corde*, *tumente animo*. Sed multo rectius Noster, *insatiabilem animo*. Aliqui, *latumque superbia pectus*. CUM HOC NON EDEBAM. Heb. *non potero*. Plerique exponunt: *Hunc non feram*, *non tolerabo*, *non potero ferre*. Sed notant, verbum יכל *iachal*, cum construitur cum את *eth*, nota accusativi, significare, *aliquem prævalere*, seu *cogere*. Unde reddunt: *Hunc non prævalebo*; id est, hunc ad officia non cogam: sic Psal. XII. vers. 5. Alii ellipsim esse volunt: *Ipsum non potero*, aspicere, ferre, aut quid simile.

V. 6. OCCULI MEI AD FIDELES TERRAE, UT SEDEANT MECUM. Hebr. *Oculi mei in fidelibus terræ ad habitandum mecum*. Alii. I. *Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut confideant mecum*; id est, bonos consiliarios atque administros follicite adhibebo. II. *Oculi mei in hoc mundo ad veritatis studiosos intenti erunt*, *ut mecum versentur*: vel, *Oculi mei intenti erunt ad eos qui in terra veritati*, seu *fidelitati student*, &c. III. *Oculi mei observant illos*, *qui bona fide versantur in terra*, *ut illos adiungam mihi*, *& sedeant iuxta me*. Buchananus:

Veritas simplex quibus est amori,
Hos amo, *amplector*, *video libenter*:
His mihi seros sociis senectus
Impleat annos.

V. 8. IN MATUTINO INTERFICIEBAM OMNES PECCATORES TERRAE. Heb. pluraliter: *Ad matutina*, *in matutinis*. Quidam: *Summo mane subvertam impios exleges*, *qui plurimi versantur in terram*. Alii: *Tempestive*, *mature eliminabo omnes sceleстos e terra*. Nonnulli: *Singulis matutinis exscindam omnes improbos terræ*. Tertia pars; id est, indesinenter regnum, regiam, Ecclesiamque purgabo, a pravis hominibus, & a malo.

MENOCHII.

Vers. 1. CANTABO TIBI, DOMINE: misericordiam, & iustitiam tuam celebrabo.

V. 2. INTELLIGAM IN VIA IMMACULATA: intendam innocentiæ; animum adiiciam ad innocentiam, & integritatem. QUANDO VENIES AD ME, ut me illumines, & iuves gratia, & auxilio tuo. PERAMBULABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI. Vitam ducebam, perambulabam viam huius vitæ, conservans cordis innocentiam, & puritatem, & rectam in actionibus meis intentionem. IN MEDIO DOMUS MEAE, in mea familia, cum domesticis meis: non solum in publicis, sed in privatis etiam, & domesticis actionibus.

V. 3. NON PROPONEBAM ANTE OCULOS MEOS REM INIUSTAM, illam perficiendam suscipiens, aut desiderium illius concupiscens. FACIENTES PRAEVARICATIONES, peccantes, prævaricantes divinam legem,

V. 4. NON ADHAESIT MIHI COR PRAVUM. Homini depravato & perverso interdixi domo, & familiaritate mea. DECLINANTEM A ME MALIGNUM, malum se a mea amicitia subtrahentem. NON COGNOSCEBAM. Ego etiam ita me gerebam, ac si eum non cognoscerem, quia me libenter ab illo dissociabam.

V. 5. PROXIMO SUO, famæ proximi sui. HUNC PERSEQUEBAR; Heb. *exscindebam*; persequebar usque ad internecionem. Italice dicimus: *L'odiavo, il perseguitavo a morte*. SUPERBO OCULO, superbum. Eminet in oculis superbia, fastus, & arrogantia. INSATIABILI CORDE, pecuniarum avarum, vel cupidum honorum. In Heb. est *lato corde*: qui late, & ample multa, & magna desiderio complectitur. NON EDEBAM: non amittebam ad mensam, & familiaritatem meam.

V. 6. OCULI MEI quærebant, & investigabant FIDELES TERRAE, fidos, stabiles, veraces. Quærebam in terra mihi subiecta viros fideles. UT SEDEANT MECUM: ut habitent, ut sedes habeant domi meæ. AMBULANS IN VIA IMMACULATA: eum qui se ab omni labe peccati abducit. HIC MIHI MINISTRABAT: illo in rebus agendis administro utebar.

V. 7. IN MEDIO DOMUS MEAE, in domo mea. QUI FACIT SUPERBIAM, sectator superbiæ. D. Hieron. vertit, *Faciens dolum*. INIQUA. In Hebr. *mendacia*. NON DIREXIT, supple viam suam; id est, non prosperavit apud me, non erat mihi acceptus.

V. 8. IN MATUTINO, summo mane, mature, maxima diligentia, & studio. INTERFICIEBAM, *exscindebam*, ut est in Hebræo: purgabam terram ab improbis, & sceleratis. CIVITATE DOMINI, ut in civitate, & regno, in quo Deus colitur, pietas, & iustitia vigerent.

TIRINI.

Vers. 1. MISERICORDIAM ET IUDICIUM, scilicet quæ semper adhibes in omni actione tua, CANTABO TIBI, id est canticis celebrabo.

V. 2. INTELLIGAM IN VIA IMMACULATA; id est, dabo operam ut intelligam qua via pertingere possim ad vitam immaculatam & innocentem. Id vero intelligam, QUANDO VENIES AD ME, id est illuminabis & docebis me. Theodoretus, & Iansenius interrogative legunt, *quando venies?* quando celesti sapientia illuminabis me?

V. 4. DECLINANTEM ME, id est a mea pia vita, & probis moribus, NON COGNOSCEBAM, id est, non tolerabam inter meos officiales.

V. 6. OCULI MEI (supple, intenti erant) AD FIDELES TERRAE, id est ad eos qui ex omni terra Israel fideliores probabantur Deo, & Principibus suis, UT SEDERENT MECUM; id est, meo lateri perpetuo iungerentur, meque adiuvarent in regno administrando.

V. 7. NON DIREXIT, scilicet vitam suam; id est, non prosperavit, nec perseveravit apud me. Heb. *Non firmabitur apud me*.

V. 18. IN MATUTINO, id est summo mane; id est, mature & tempestive antequam invalescerent, purgabam aulam, adeoque & regnum meum, ab impiis & sceleratis ministris. Id de Davide testatur Liber II. Regum, de Iosia Liber IV. cap. XXII. & XXIII.

GORDONI.

Titulus: IPSI DAVID PSALMUS. David acturus hoc Psalmo de his quæ debent fieri a bono principe, & (ad finem, ut alii principes discant recta agere) narraturus quæ a seipso per Dei gratiam recte gesta sunt, incipit a Dei misericordia, unde omnia bona opera nascuntur. Basilius putat prophetice hic describi Iosiæ Regis optimi vitam. De Christo etiam, & quovis bono Principe Christiano, Psalmum aliqui mystice interpretantur. Theodoretus ait in quibusdam Græcis codicibus addi ad titulum hæc verba, *quarta sabbati*, *τετράδι σαββάτω*.

Vers. 2. & 3. PERAMBULABAM, &c. Post sumptum exordium, ut præfatus sum, a misericordia Dei, ingreditur narrationem virtutum, & morum, qui debent esse in bono Principe; & quarum virtutum studio ipse David tenebatur. Interpretationem de Christo, aut Iosia iam insinuavi.

V. 5.

V. 5. & 6. Superbo oculo, &c. Dictum in Paraphrasi. Quod vero est hic, Detrahentem, &c. aliqui sic vertunt: Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam. Sept. *ἐξεδίωκον:* talem Græci *δίγλωσσον* vocant; alii linguam tertiam; ego revera infelicem. Chrysostomus hic turbulentum dæmonem vocat. Porro additur: Cum hoc non edebam. Hieron. vertit, *non potero*: scilicet, non poteram ad mensam recipere, vel una vivere. Hebr. אוכל *ucbal*, *potero*, a rad. יכל *iacbal*, *posse*: & nunc supplendum est quod dixi. Sed certe Septuag. legerunt אכל *comedere*, & in futuro אוכל *ocbal*, *comedam*.

V. 7. Qui facit superbiam, &c. Septuag. habent *ὑπερηφανίαν*. Hieron. vertit *dolum*. רמיה *remiiah*, rad. רמה, *dolose agere*: & hic רומה *roma*, *superbia*: & hæc vox est quam in Hebræo invenerunt Septuaginta.

V. 8. In matutino interficiebam, &c. hoc est mature occidebam peccatores morte dignos: idque ne malum serperet. Septuagin. habent, *εἰς τὰς πρωΐας ἀπέκτεινον*. Hieron. *Mane perdam omnes*. לבקרים *labbekarim*, *in matutinis*. Sensum mysticum attingit hic Paraphrasis. Et vel maxime hic ultimus versiculus convenit Christo. Ceterum est hic in præterito *interficiebam*, ut etiam Græce *ἀπέκτεινον*, quamvis in Hebræo omnia sint per verba futuri temporis. Vulgatus Interpres secutus est Septuag. Interpretes, qui dant præteritum imperfectum, ut vel hinc appareat Davidem pleraque dicere de his quæ ipsemet faciebat. In sensu non discordant: nam, ut notat Genebrardus, imperfecta præterita Latinorum, & Græcorum Hebraice repræsentantur per futura: & in scripturis, præsertim poeticis sæpe ponuntur futura loco præteritorum. Recte ergo Septuag. non ignari propriæ linguæ Hebraicæ, dederunt in hoc Psalmo præterita imperfecta. Arbitrantur etiam aliqui, ex more Hebræorum, in sententiis quæ generaliter proferuntur, debere verba præteriti temporis exponi per præsens; & similiter futura: quia tunc talia verba non tam designant quod factum, vel faciendum est, quam quod pro tempore præsenti fieri debet.

Eiusdem Paraphrasis.

Vers. 1. *Misericordiam*, &c. Cantabo, inquit, (in honorem Dei) misericordiam tuam Domine, quam experimur in hoc sæculo, ut dicant homines amare te & timere; & ut intelligam meditando viam immaculatam, vel ambulando in ea: & hoc præstabo, quando venies ad me, hoc est per tuam gratiam, non meis viribus.

V. 2. *Perambulabam*, &c. In descriptione iam boni principis, orditur recte ab his quæ sunt ad Deum. Ambulabam, inquit, *in innocentia in medio domus meæ*, hoc est in penetralibus, ubi quietior mens est, vel in medio cordis.

V. 3. & seq. *Non proponebam*, &c. Pergit David narrare in sua persona mores boni principis, usque ad finem capitis; ut sunt illa quæ vers. 3. dicit de innocentia oculorum, & manuum. Item versu 4. de vitandis, & excludendis a se aulicis vitio deditis. Alia addit vers. 4. & 5. de vitandis detractoribus, superbis, & avaris. Ac denique a versu sexto usque ad finem similia persequitur.

BOSSUET.

Vers. 1. Misericordiam, et iudicium, &c. Sic distinguit Hier. *Misericordiam & iudicium cantabo: tibi Domine psallam*. Ipsam misericordiam, ipsam iustitiam cantabo: quod est vere Deo psallere, cuius opera omnia his duobus continentur.

V. 2. Quando venies ad me, docendum, & protegendum. *Perambulabam*, *perambulabo*, Hebr. Sic omnia sequentia. Non ita Nabuchodonosor in domo sua ambulabat cum diceret: *Nonne hæc Babylon magna, quam ædificavi in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei:* Daniel. IV. 26. itaque exosus Deo, ac depressus in belluarum conditionem. In innocentia cordis mei: non aliud corde tegebam, aliud ore præferebam.

V. 3. 4. Hi versus distinguendi ut apud Hier. ex quo consequitur illud egregium: Malum nesciebam: tanta simplicita-

citate atque innocentia, ut malum nequidem nossem.

V. 5. PERSEQUEBAR, *exscindebam*, Hebr. quod est vehementius. INSATIABILI CORDE, *latum corde*, Hebr. cupiditatis infinitæ. CUM HOC NON EDEBAM: *cum hoc non potero*, Hebr. supple esse: huius nec aspectum ferre possum.

V. 7. QUI FACIT SUPERBIAM, dolum, *qui loquitur mendacia*, *non placebit*: Hier.

V. 8. IN MATUTINO INTERFICIEBAM: *exscindebam*, ut supra vers. 5. Prima hæc cura subit ut scelerati maturo supplicio puniantur.

FINIS TOMI UNDECIMI.